



Litung Vorantz

For. Gr. No. 59.

ARISTOTELIS
 STAGIRITAE PARVA QVAE VO-
 CANT NATVRALIA.

De Senſu & ſenſili.

De Memoria & reminiſcentia.

De Somno & vigilia.

De Inſomnijs.

De Diuinatione per ſomnia.

De Animalium motione.

De Animalium inceſſu.

De Extenſione & breuitate vitæ.

De Iuuentute & Senectute, Morte & Vita,
 & de Spiratione.

Omnia in latinum conuerſa, & antiquorum more expli-
 cata a Nicolao Leonico Thomæo.

Eiuſdem opuscula nuper in lucem edita.

Item eiuſdem dialogi, quotquot extant.



Parisijs apud Simonem Colinaum.
 M. D. XXX.

ARISTOTELIS
STAGIRITAE LARVA QVAE
CANT. NATURALIA

De Somno & vigiliis
De Meteoris & sensibilibus
De Generatione & corruptione
De Animalium motu
De Animalium vita
De Extensione & brevitate vite
De Jure & Socrate, Moribus & Vita
& de Solitione
Omnia in latinum contexta & annotationibus
cum a Nicolao Iacono Thoma
Fulgens operibus super in latinum edita
Item in latinum dicitur & quodammodo

20

Scr. Gr.

59 (20)

916V

28



Paris. apud J. B. Cochin. 1711.
M. D. C. C. X. I.



Nicolaus Leonicus ille vnde cūq; doctus, disciplinæ Platonice & Aristotelicæ planè eruditus, totius antiquitatis & bonarum literarum consultissimus, verterat aliquando in latinū quæ vulgo Parua Naturalia dicuntur, opus aureum & frugiferum, miro quodā & salutari temperamento, vt neque verbum verbo redderet, & ipsi authori nullam vim afferret: non priuatæ iactantiæ studens, sed publicæ legentium vtilitati prospiciens. Adiecerat & commentaria, meo iudicio valde probanda, partim latinos, partim græcos authores imitatus. Perfectum opus erat & absolutum, expectabatq; tantum supremam manum: ipse tamen (vt est omnium modestissimus) adhuc hæsitabat, & recraftinabatur. Forte fortuna venio ad eum salutandum quodam die. Is me comiter & benigne excepit, vt est obuius & expositus omnibus, summaq; humanitate & dexteritate præditus. quumque post longum & copiosum sermonem de communibus studijs ortum, legisset mihi scripta sua, maximam cepi voluptatem, studiosorum nomine hortatus, vt quamprimum illa ad communem omnium vtilitatem publicaret. Reluctatus est aliquandiu, fateor. postremo quotidianis precibus, interdum etiam conuitijs extorsimus vt morem nobis inuitus gereret. Habetis ergo mea opera vigilias hominis optimi & eruditissimi, vobis (vt spero) summe placituras, & studiosis omnibus magno adiumento futuras. Quas quæso legite diligenter & accurate, posthabitis omnino recentiorum authorum præstigijs. Aut ego fallor, aut dicetis idem quod ego sentio, his multis annis nihil eiusdem generis omnibus numeris perfectius in lucem exiisse. Valete iuuenes nobilissimi, & proficite, & maiorum vestigijs nixi, ingenue me docente operam philosophiæ impeditæ, explosis e gymnasio isto nostro Sophistarum cauillamentis & nugis. Patauij M. D. XXII. Kalen. Octobris.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS in Parua quæ sequuntur Naturalia Aristotelis, interprete ac enarratore N. Leonico Thomæo.

A

Ab vnica causavarij interdum proueniunt effectus. Pagina 276. linea 44
 Academicorū placita de fantasia 113 58
 Accidētū nōnulla non solū sine subiecto esse nequeūt, sed nec sine illo imaginari possunt. 289 12
 Achetæ cicadæ 345 52
 Actiuū & patibile ex numero eorū q̄ sunt ad aliqd 219 28
 Vigoris status 366 2
 Ad cuiusnā calidi defectum animalis sequatur corruptio 363 19
 Adonidis hortuli 283 6
 Aer diaphanus 27 18
 Aëria à terrestrib⁹ nō differūt i opere refrigeratiōis 321 6
 Aër cōparatiōe corporū semp frigidū vicē præstat 331 27
 Aer tarde mot⁹ leuiter refrigerat, celeriter motus valent 324 46
 Aer pro subiecta materia tū calidus, tū frigidus 318 39
 Aer natura sonorus 345 27
 Aether solus calidus secundū Empedoclem 357 4
 Aequabili naturę lege vnūvni contrariū 69 49
 Agricole cur agros stercorent 80 33
 Albi rō & calidi quæ 120 5
 Alcmeonis furia 114 28
 Alexandri rōnes q̄ visio extramittendo nō fiat 28 37
 Alexandri somnium 194 29
 Alimenti defectu calidum interit 317 35
 Alimētū vt tactile est, augere perhibetur 64 28
 Alimētū à principio cōtrariū alito, in fine simile 289 39
 Alterationes ab extrinseco quæ 208 9
 Altricem animæ vim in corde collocari 304 26
 Altricem vitā & augmentatiuam simul cum spermate in fundi 286 23
 Altrix & sensitiua aia i medio cordis sinu collocāt 372 33
 Altrix animævis actu vna, potestate plures 307 45

Amicitia animorum affinitas 194 23
 Anguillæ 251 3. 253 9. 307 20
 Angustarū venarum homines cur sint somniculosi 158 37
 Anates 278 5
 Animal omne natura calidū & humidū est 291 50
 Animal quod viuūt, alatur necesse est 293 5
 Animalium vitæ cū protēsa, tū breuiore 284 14
 Animalia à sensu characterē accipere 242 11. 304 20
 Animalia cum dormiunt, cur conuiuent, & oculos claudunt 159 31
 Animal ciuitati bene institutę simile 229 14
 Animalium mortes 367 20
 Animæ inseparabilis essentiā ex miscibilium concursu resultare 354 27
 quod ab Anima nō conformetur species, non cōtemnēda difficultas 3 36
 Animorum mysticę expurgationes 116 17
 Anima sensitiua quando ingeretur 155 20
 Anima Democrito ignis est 329 3
 Aia iudicās nō in singularib⁹ est sensiterijs 36 24
 Animam nouas species nō recipere 10 20
 Animā sentiendis simile reddi rebus, quid 24 18
 Anima non mota quomodo moueat 210 41
 Animam constare ex sphericis atomis quare dixerit Democritus 329 57
 quō Anima ijs quæ sentiūt fiat similis 10 29
 Animus inseparabilis & æternus 354 38
 Anseres 278 5
 Antiquū de Elephatorum ingressu sermonem non esse verum 257 46
 Antiquissima de animarū vehiculis opinio 9 49
 Antiperitasis quid 159 27
 Ante & retro nullis organicis distinguit mēbris 248 27
 Antiqua medicina somnijs inuenta 192 30
 Aorta arteria 312 10
 Apes cur pleisq̄ maioribus sint viuaciores 297 46

Apeda 245 14
 Appetitio cur vltima dicatur causa 214 4
 Appetitiua animæ vis post facticam ordinatur potestatem 198 5
 Appetibile non motum mouet 211 45
 Aqua diaphana & emphana 27 21
 Aqua quodammodo ignis pabulum 42 25
 Aquæ substātia in pisciū refrigeratiōe cor nō attingit 373 13
 A quib⁹ auferit gen⁹, auferunt & species, & cōtra 324 56
 A quo cordis naturalis fiat pulsus 370 6
 Arbor ceu inuersus est homo 300 37
 Arborū sola natura senescit & puberascit 298 26
 Aristotelis vita cursim enarrata 5 34
 Aruspicum spei addicta scientia 117 38
 Aspera arteria spiritus seminata 158 3
 Astaci 276 16
 Astomorum natio 81 9
 quō Auditus ad prudentiā facit 17 22
 Auditus quō p accidēs magis ad prudentiam faciat quam visus 18 25
 Aues cur nō sint erectę figuræ 265 40
 Aues 278 5
 Auium & quadrupedū similis quodamō est natura 272 35
 Aurum cur æruginē nō cōtrahit: cōtrā æs & ferrū æruginē sentiunt 72 11
 Auulsio 310 32
 B
 Bifida omnia ferè esse semina 310 23
 Bifariā à cōtrario extinguitur calidum 343 9
 Bipeda 245 12
 Bonū, vel apparens bonū, motionū causæ 211 19
 Brachia & alas i bipedū genere cū illo qd̄ sūmū est facere nō cū illo qd̄ est ante 248 54
 Brachium 221 27
 Bruta aialia medio se habent modo inter stirpes & homines 306 14
 Bruta aialia ad cæli latus sum mū habent suum 241 31
 Buccini 244 22

ALPHABETICVS.

C
 Cælū corrūpi nō pōt 206 37
 Cæli motor vt amatus & desi-
 deratus mouet 211 24
 Calens spūs oīa pmeat iuxta
 academicos & stoicos 357 1
 Calidū vniuersis esse causam
 vt alantur 372 20
 Caliditas p se nō est cā prudē-
 tiæ & dignitatis 354 53
 Calidū innatū altricis animæ
 instrumentum 342 36
 Calidum nobilius efficit ani-
 mal 354 48
 Calidū saporū cōcausa 58 59
 Calidum auget, frigidum mi-
 nuit 65 10
 Calidū oē sursū ferri 156 36
 Calor in corporibus magnitu-
 dinis architectus 297 2
 Calor innat⁹ nisi extrinsecus
 iuuet, seipsū iterimit 297 26
 Cammarī 347 37
 Canceri 276 16. 353 41
 Cārorū obliqu⁹ mot⁹ 272 4
 Cancrorū genera 148 39
 Cancrorū spectanda & pecu-
 liaris natura 276 6
 Carabi 276 16. 347 37. 353
 41. 276 61
 Carbones cinerib⁹ operti cur
 nōn extinguntur 318 29
 Carpos & picarpio qd 57 42
 Caruncule mamillares appel-
 latae. 37 52
 Cauda pauonum ad volandū
 inepta 263 31
 Causarum ordo in motioni-
 bus 219 37
 Causas plerumq; sibi inuicem
 esse causas 277 14
 Cete humorem recipit, at non
 causa refrigerationis 353 4
 Cete latinum nomen non ha-
 bet 352 45
 Certamina ī sacris ludis apud
 Græcos 239 40
 Cerebrum in animalibus frigi-
 dissimū, contrā calidissimum
 est cor 161 3
 Cerebri & cordis discordia cō-
 seruatur animal 38 4
 Circulo nulla figura contra-
 ria 69 57
 Chelonium 363 44
 Clarissima sunt sensus iudicia
 306 4
 Clunis 265 5
 Cognitionis modi duo 83 43
 Cogitatio qd eē dicī 135 12
 Cogitativa vis dormiētib⁹ ac
 vigilantibus sese applicare

potest 180 13
 Coloris definitio 46 15
 Colliq̄trix frigiditas 368 49
 Commentatio siue meditatio
 quid 123 50
 Communis sensus omniū pre-
 cipiū 312 50
 Cōmunē sensū oīm ptātes ha-
 bere sensuum 149 15
 Cōmunē sensum aliorū oīnū
 arbitrum in mediā corporis
 parte collocari 305 36
 Cōcauū & cōuexū cōtraria ex-
 ijs q̄ sunt ad aliquid 236 41
 Cōcoctio incremēti, cruditas
 decremēti causa 64 16
 Congri 253 9
 Cōnatū spm̄ nō p se, sed cōpa-
 ratōe grauē eē & leuē 228 15
 Connatus spūs animæ vehicu-
 lum 226 46
 Cōtinuū ad infinita secari per
 partes inequales 85 34
 Cōtinuū oē à ptib⁹ æqualib⁹
 finitis metiri 85 32
 Cōtrariū per antiperistasin à
 cōtrario valētius fit 331 38
 Cōtraria loca qualitātū excel-
 sus sæpe emendare 358 15
 Cordul⁹ piscis 350 6
 Cor primū sensiteriū 111 20
 Cor venarū origo 312 6
 Cor p̄cipiū oīs mot⁹ 216 48
 Cor & pudēda tāquā solitaria
 de per se sunt aīalia 231 7
 Cor oīnū origo sensuū 39 9
 Cor primi sensitiui sensiteriū
 126 7
 Cor oīs initiū sāguinis 161 47
 Cor extremum in animalibus
 friget 316 16
 Cordis cuspis 361 12
 Cordis palpitatio à frigidis vel
 noxijs humoribus prouenit
 368 39
 Corporū ī marib⁹ & fœminis
 naturales habitus 300 17
 Corpora maxime perspicua
 quæ 42 36
 Corpora naturæ diaphani par-
 ticipantia quadrifariā diste-
 minari 43 48
 Corporū mortes 367 21
 Corpus cæleste in inferiora
 agere 61 43
 Corpora p̄spicua q̄tuor 35 1
 Coxa 265 11. eo. 31
 Crocodili 274 17. 276 34
 Crura & brachia hoīes cōtra-
 rio flectunt modo 237 16
 Crustaceorum genera summa
 quatuor 276 16

Crustaceorum exangue & fri-
 gidum genus 353 35
 Cuiq; cōposito aliquid est con-
 trarium 288 13
 Cum vita & anima semper cō-
 iuncta caliditas 341 51
 Cupressus 300 29
 Cur alarū positio & pinnæ et
 oīb⁹ in latus exeūt 273 47
 Cur ambigua animalia in ter-
 ris pariāt 349 23
 Cur alati homines esse neque-
 ant 265 40
 Cur bipedes aues stare poss-
 sint 264 9
 Cur cancri præuios multos
 habent pedes 276 20
 Cur de digestionē in hepate fa-
 cta nō meminerit 312 19
 Cur gelu non minus odores q̄
 sapores interimat 74 12
 Cur in senectute mors dolore
 careat 364 42
 Cur in stirpium genere quedā
 solo semine proueniūt, non-
 nullæ vero auulsione aut sur-
 culo 308 7
 Cur in Aegypto nō odori sint
 flores 76 24
 Cur iunioribus q̄ senioribus
 maiores sint pulsus 270 35
 Cur maiora animalia sint diu-
 turniora 297 40
 Cur muscæ & culices solo vo-
 latu p̄strepūt, cicadæ vero et
 stātes canūt 344 50
 Cur neq; valde pueris neq; val-
 de senib⁹ sit memoria 123 2
 Cur respirantia, in aquis suffo-
 cant, pisces vero in terris strā-
 gulātur 367 57
 Cur pinguia non putrescant
 293 30
 Cur plures sensus sint in capi-
 te collocati 313 54
 Cur pueri fantasmata q̄ ī som-
 nis viderit, experrecti etiānū
 videre se existimēt 180 50
 Cur p̄stātiora aīalia pulmo-
 nes habeant 354 20
 Cur serpētū genus inflexib⁹
 moueatur 252 46
 Cur simplicioribus diuina cer-
 nantur somnia 186 4
 Cur terrestria ī aq̄s, cōtra aqua-
 tica ī terris strāgulēt 327 22
 Cynorhodos 186 4

D

Dæmones animorū cutatores
 192 39
 Dæmonū mortes 367 4
 De elephantī inflexiōe 269 59
 aa. liij.

INDEX

De infectorū scisso quo p̄stres
p̄t & refrigerātur 344 34
Delphinorū p̄nicitas 353 23
De naturali & violenta mor-
te 330 1
De terrenis piscibus 348 3
Desiderium cur sit absentium
117 44
De vropygij vtilitate, finali-
q; illius causa 264 50
Diapason 49 16
Dialecticivtranc; cōtradiētio
nis interrogāt partē 213 38
Diaphana proprie dici q̄ visui
sunt perua 42 3
Diaphanum primum diuinus
ignis 42 14
Diaphani colorē quidā lumē
esse dixerunt 30 41
Diateffaron 49 15
Diapente 49 16
Diastole 369 15
Dicti Aristotelis moderatio
secūdū D. Thomā 61 21
Diesis quid 86 18
Differētia medicorū & philo-
sophorū in secūda digestione
162 3
Differētia inter sonorū odo-
rumq; motiones 92 1
Diogeniscynici mors 317 22
Disciplina à reminiscētia quo
distet 126 26
Disdiapason 49 17
Diuersæ corporis ptes diuers
sis attribuūt opib; 336 10
Diuinorū genus somniorū no
uisse Aristotelem 190 1
Diuinū negotiū quid 1 6
Dolor constringit 215 49
Draconū elephatorūq; discor-
dia 296 45
Duæ diastoles, & duæ systoles
341 21
Duæ ad vitæ longitudinē cō-
currunt causæ 294 16
Duæ stirpiū interitus causæ
320 10
Duæ odorū spēs & dræ 74 42
Dulce, inter sapes primariū
obtinēt locū 66 49
Duobus modis accidens cor-
rumpitur 285 21
Duo corruptionis modi 362
33. 366 33
Duo ignorantie modi 286 2
Duo respirandi meatus narēs
& aspera arteria 337 7
Duplex ē potētia fēbile 88 44
Duplex in hoīe intellect; pra-
cticus, & theoreticus 212 31
Duplex impossibilitatis ra-

tio 205 21
Duplex materię potētia 288
36
Duri & icostiles cibi 289 45
E
Efficacia somnia 179 17
Elemēta qualitativ; suis in se
inuicē agere & pati 285 1
Elemēta à se inuicem mouen-
tur 209 24
Elephantū natura 291 28
Empedoclis sententia de respi-
ratione 337 37
Entelechia secūdū Peripateti-
cos non mouetur 210 32
Entia quædā per generationē
feri: quædā vero nulla gene-
ratione 90 29
Entium tria genera 2 55
Eousq; animal viuit, quousq;
ali potest 316 11
Epiglottis lingua 340 23.
351 39
Epilepsia quō fiat 157 47
Eruca 242 48. 261 19
Essētia coloris p̄cipia duo
p̄spicuitas, & lumē 46 22
Esculēta ad duo cōferre 65 1
Exāguia aialia p̄cisa p ptes cur
viuere & mori possit 250 33
Excellēs sensile sensum corrū-
pere 171 26
Ex cōtingētib; semp id qd̄ me-
lius est naturā facere 238 8
Excrementa, vitæ breuitatis
causæ 295 17
Expiratio 324 8
Extinctio 316 39
qd̄ Extramittitur, lumen esse
non potest 29 43
F
Fantasiæ descriptio 112 57
Fantasia quid scdm aliquos
112 30
Fantasia vñ dicta 114 20
Fātasia mētis libellus 119 8
Fātasia quō ad intelligēdū iu-
uet, & quō p̄pediat 120 40
Fantasiæ descriptio 113 25
Fātasibile quid scdm Stoicos
& qd̄ fantastiū 114 24
Fātasma siue spectrū qd̄ sit, &
quid imago 123 43
Fātasmata quonā ab aīe no-
tionib; differāt 114 33
de Fantastica aīe vi que Stoici
senferint 114 12
Faciles cibi 289 45
Femur 265 12
Foetus cur primis diebus non
sentiatur 158 14
Fossiles pisces 347 45

Fulicæ 278 5
Fumida euaporatio non est
odor 73 11
Futurorum p̄senssiones cur
difficiles 193 30
G
Galēi snia de saporib; 66 22
Generatio 365 37
Generatio dupliciter itelligi-
tur 365 39
Genitale semen sanguinei ali-
mēti excrementum 295 30
Genitale semē & mēses mulie-
rū eiusdē esse naturę 172 43
Grandiū capitū hoīes cur som-
niculosi existūt 158 37
Gustat; cur tact; ē spēs 64 11
H
Halteres 239 30
Heracliti flumen 317 58
Herculeq; columnæ 185 37
Hirudines 261 25
Homo plurimo tenuissimo ac
calidissimo vtitur sanguine
355 20
Homo inter reliqua aialia ta-
ctiliū excellētias cur perferre
non possit 55 50
Homo solus inter aialia remis-
niscitur 139 16
Homo cur sit proceræ stature
264 30
Homines grandiū capitū cur
somniaulosi existūt 158 47
Homines lunares 205 33
Hoīes angustarū venarū cur
sint somniculosi. 158 37
Horror 216 26
Horestis dira 114 27
Humani aī Peripateticis sunt
veluti rasę tabellę 285 48
Humanorum animorum du-
plex vita 192 22
Humores ob supfluētes i pue-
ris somnum vltra conueniēs
tempus extendi 147 11
Hydri 349 16
Hypate quid 96 6
Hypotenusa 257 8
I
Idem esse animā & mentē ex
Democrito 329 17
Idē numero & rursus idē spe-
cie quō simul à diuersis sen-
tiri possit 92 33
Ieiunia quare sitim efficiant
319 46
Ignis non putrescit 243 38
Ignis in propria sphaera æther
appellatus 287 8
Ignis cur sine alimento dura-
re non potest 289 30

*Dubitari q̄ sit vlti-
282.*

ALPHABETICVS.

Ignis geminæ corruptiones
316 34
Ignem & flammam specie quid
dem vnum perseverare, nu-
mero vero nō 317 59
Imagines in oculis apparētes
quid sint 26 48
Impossibile simpliciter neces-
sariū habet oppositū 205 5
Impulsus 228 5. 238 18
In animalibus & stirpibus sū-
mū & imum contrario se ha-
bent modo 241 13
In antiperistasi elemētorū cor-
pora sibi iuicē cedūt 324 35
Incorporeū nō moueri 139 54
In extrema senectute nullo ne-
gotio aīal interire 364 30
In formalibus causis medium
mouens motū ipsa est appe-
titio 226 30
Infantes cur neq; stare recte,
neq; bene ambulare possint
284 44
Infantes cur supernas partes
inferioribus maiores habeāt
157 38
In paucibus cur cor emicet
230 36
In paucis eodemque aēre sine
aqua cur animalia strangulē-
tur 361 44
In perfectioribus animalibus
pingue & calidū est 294 35
In quadrupedū genere sūmū
& ante idem 245 32
In quo cōueniāt & ī quo diffe-
rāt insecta cū stirpib; 299 4
Insecta intermedia crura intor-
ta habēt, & sursum versus in-
curua 275 30
Insecta non spirant 326 44
Insectorū gen; velut ex mul-
tis animalibus compositum
est 309 19
Insectorū recisæ partes sensū
nō amittunt 305 49
Insectorum recisæ partes cur
diu viuere nequeāt 308 57
Insensibile nullū ē tps. 100 23
Inseparabile animæ specie vi-
tā appellari 354 37
Insitio 310 32
Inscriptio de sensu & sensili
quare sic dicitur 6 16
Inspiratus aēr secundum quos-
dam naturalis caloris fomes
335 18
Inspiratio 324 7
In stirpū partibus altrix vni-
uersa est vita 250 31
Instrumētorū natura duplex

61 37
Intellect; practicus 120 32
Intellect; in habitu 120 33
Intellectus quō cognoscit sen-
silia 83 53
Intellectū sine fantasia nō
telligere 119 18
Intelligibiliū memoriā esse
per accidens 119 27
Intelligēs semp intellectæ rei
quātitatē applicare 119 56
Intelligibiliū quō sit memo-
ria 121 38
Interuallum quid 86 17
Interuallū proportionatū ad
vidēdū requiritur 34 15
Inuoluntarij motus 229 42
Ionicorū schola 1 31
In iocinore nō pfectus fit san-
guis de Peripateticorū snia,
quīs nō secundum medicos
155 31
Ira quid 140 39
Iudicare quid dicitur 10 18
Iunctura manus quā carpon
vocat 220 37
Iuuentus 366 1
Iuxta Pythagoreorum sniam
mētē esse aīę caput 329 52
L
Labores qui efficiāt somnum
157 26
Lacertus 221 27
Lacertæ 274 17. 276 54.
307 20. 251 3
Legētes cur sæpenumero in sō-
nū delabūtur 159 19
Legitimū philosophi quod sit
opus 6 21
Loca & cōplexiones multum
ad vitæ prolixitatem & bre-
uitatem facere 284 25
Localis motus quomodo in ijs
quæ sūt, sit vltimus 211 52
Locustæ 262 16. 347 38
Loligines 245 45
Lombrici 242 49. 251 3.
261 19. 207 20
Longissima equi vita 291 30
Longissimā apum vitam esse
septennium 291 38
Longuriones 252 49
Lumen est perspicui color per
accidens 40 27
Lumē in habitudine quadam
consistit 94 20
Lumen corporis luminosi esse
presentiam in corpore dia-
phano 93 16
Luminis susceptiuorū tres gra-
dus 41 12
Luminum synaueia 24 14

Lutariæ testudines 274 18
Lycanos quid 96 7
M
Maiores flamma minorem ab-
sumit & deuorat 290 27
Magnos motus minores offu-
scare 176 1
Malacia, mollia 291 44
Manus 221 27
Maransis, exiccatio 316 37.
343 7
Matinæ beluę odores sentiūt
77 41
Materia sensibilis 288 24
Materia intelligibilis 288 24
Materiæ essentia in recipien-
dis cōtrarijs censet 288 17
Materiæ nomen duplicem ha-
bet significationē 288 24
Materialis & finalis somni
causæ 162 20
Materiales affectiones cū acce-
dentes tum abscedentes tem-
pore indigent 309 50
Mathematicū negotium quid
1 13
Mechanici 214 29
Mediū vltimū dicit ad extre-
ma cōparatū singula 223 8
Media aīę natura 3 13
Melancholici cur sint edaces
159 7
Melancholicos in iugi motionū
versari salo 140 2
Melancholicorū corpora cur
siccā sūt & enecta 159 10
Melancholia in vehemēti spiri-
tuū cōmotiōe versat 190 16
Memoria 218 30
Memoria nō est passio vel ha-
bit; ipsius itellec; 122 12
Memoriæ verus character
118 15
Memoria quo à fantasia diffe-
rat 113 44
Memoriā ex sapius versata fa-
ntasia effici 113 13
de Memoria exactus sermo
123 53
Memoriādi præcepta 167 33
Menstruorum admiranda vis
172 35
Menstruorum tpe cur mulie-
res speculorum nitorem ma-
culent 172 30
Mensuræ ratio in quibus repe-
riatur 48 22
Mergi 278 5
Mese quid 96 8
neq; Minimū dari sensibile: neq;
maximum nō sensibile: contra
Diodorum 89 2
aa.iiij.

I N D E X

Misceri q̄ pprie dicant 96 19
 Mixtio vera & ppria q̄ 54 21
 Moderati labores vitam cōfer
 uant, immoderati destruunt
 296 1
 Molles pisces 245 44
 Molles carne, apti mēte 56 16
 Mors cur frigida & exanguis
 appellata 316 31
 Mors naturalis 366 58
 Mortē soli⁹ eē corpis 151 53
 Motionis vniuersæ domina est
 vis animæ motrix 249 41
 Motrix animæ vis in corpore
 222 41
 Motus localis aliorum motuū
 primus 208 18
 Motus animalib⁹ interni qui,
 & qui externi 145 25
 Mugiles 253 9
 Muli cur equis & asinis diutur
 niores 295 38
 Mulierū in coitu emissum hu
 morem genitale non esse se
 men 295 45
 Multipeda 245 13
 Multipeda omnia per diame
 trum mouentur 271 59
 Mūdanā animā semp annexū
 habere corpus 8 24
 Muræpæ 253 9
 Musicorū quorundā snia quō
 percipiuntur soni 100 6
 Mutæ cicadæ. 345 56
 N
 Natura quoad fieri pōt semp
 qd̄ est melius facit 314 24
 Naturæ essentia ex Academi
 corum sententia 1 35
 Naturæ definitio vt voluere
 Academi 1 48
 Naturæ inter animalia metrū
 & mēsurā est homo 243 21
 Naturæ definitio ex Aristote
 lis & Peripateticorum sen
 tentia 1 54
 Naturæ de essentia variæ opi
 niones 1 28
 Naturā vna re plerūq̄ vti ad
 duo 77 21
 Naturalis calor altricis animæ
 vehiculum 319 30
 Naturalis sciæ p̄titiō 4 49
 Naturalis negotij ploq̄a 1 23
 Nālis interit⁹ mod⁹ 364 21
 Naturales excessus à simili iu
 uant, à cōtrario ledūtur, i nō
 naturalibus contrā 357 26
 Naturalis corruptiōis duplex
 modus 343 28
 Nete quid 96 10
 Necessaria est calidi refrigera
 tio 319 6

Nihil naturale penitus corru
 ptibile 289 25
 Nihil phibere parte alicuius
 mota reliq̄s q̄scere 224 24
 Nihil refert dicere, Primū qd̄
 sic: & vltimum quod non. vel
 primum quod nō: & vltimū
 quod sic 107 28
 Nō esse eūdē spiritū i vniuersa
 aialis vita, & eūdē esse scdm
 varios respectus 227 50
 Nō omnē corporis partē esse
 sensilem 83 4
 Non oīa que sunt ad aliud, pos
 sitione carere 91 13
 Nō oīa cōposita quopiā ex ip
 sis corrupto destrui 285 13
 Non omne animal se loco mo
 uere potest 242 18
 Nō oē pulchrū mouet 211 11
 Noctes cur diebus trāquillio
 res, & minus p̄late 191 47
 Non solum sanguinea & peda
 ta quatuor notis mouentur:
 sed & apeda 252 8
 Non volūtarij motus 229 42
 Nō volūtarij mot⁹ inter volū
 tarios & inuoluntarios me
 dij sunt 230 5
 Nullā suapte natura nō sensi
 le esse magnitudinē 89 20
 Nullū elemētū sapidū 59 30
 Nullū habens contrariū per
 petuum 290 47
 Nullo modo respirant pisces
 325 9
 Nutritiuū & sensitiuū in me
 dia corporis collocātur par
 te 305 37
 O
 Obiectis abscedētibus, impres
 sas remanere species 171 5
 Oculus, speculū aiatū 35 30
 Odoris definitio 71 25
 Odores post sapes eē 70 58
 Odores pulmētis nō cōferre:
 nōnūq̄ vero obesse 75 13
 Odores p se suaues vel tristes
 qui 75 4
 Odores in animi defectu con
 ferre 82 9
 Odores per se quō incolu
 mitatē cōferāt 82 26
 Odorū vtilitas 76 12
 Oleū amarum à sale defluere
 72 7
 Olea 300 29
 Olfact⁹ quō iter sēsus reliquos
 sit medius 80 10
 Omne scdm aliud p se primo
 supponit 101 11
 Oē agens p̄finitos actionis
 suæ habere terminos 147 8

Omnes quadrupedes p diame
 trū moueri 271 21
 Omnes motus indigēt motio
 ne locali 208 30
 Omnes potestates ad vnicū de
 duci principiū 247 26
 Oēs sēsus ad cor tēdūt 313 31
 Omnis potentia à maiori agit
 proportione 331 34
 Omnia aialium opera corpo
 ris & aīæ esse cōia 282 12
 Oēm sēsu calido idigere 10 36
 Opinatio quid, & quid sit illā
 proprium 167 3
 Opinio visionē p extramissio
 nē fieri, bifariā secat 28 13
 Orientis locū, dextrā esse vni
 uersi partem 242 25
 Oua irrita, que Græci vria &
 hypenemā vocant 363 31
 Palustres arbores breuioris
 esse vitæ 291 19
 P
 Paramese quid 96 9
 Paranete quid 96 9
 Parhypate quid 96 7
 Partes æquales & ineq̄les siue
 proportionales quæ 86 43
 Partes i toto vt p̄tate eē dicū
 tur, ita potestate sensiles exi
 stimantur 87 23
 partialiū aiorū mortes 367 15
 Partium in arboribus vocabu
 la 310 40
 Passeres 262 24. 277 47
 Passiones p accidēs bifariā cū
 continuis secari 85 45
 Pastinaca 262 34
 Pauor 216 27
 Plani pisces 262 24
 Planipedes 278 5
 Platanus 300 29
 Platonis defensio de videndi
 modo 23 8
 Platonis sentētia de calore na
 turali & spiritu 335 28
 Plerūq̄ quātitas escarū interis
 mit, iterdū qualitas 317 10
 Plotini de memoria & remini
 scētia cōtra Peripateticos ra
 tionēs 115 3
 Plures sūt potētē tū i iudica
 • trice, tū in appetitricē anime
 parte 210 24
 Pluuiarū & vētorū prognostā
 ca nō semp euenire 190 41
 Poeticus Proteus 2 35
 Polypi 245 45. 347 37
 Pomiliōes nanī vocāt 141 28
 Poma gelu putrescunt, & ite
 dum arida fiunt 63 24
 Porphyriōes Erodij quas aues
 diomedgas nūcupāt 263 18

ALPHABETICVS.

Pedestria omnia cur pares pe-
 des habeant 254 40
 Pentathlus 239 45
 Perfectiora aialia naturæ vni-
 tatē maxime habēt 309 30
 Peripatetici, Alexandræi co-
 gnominati 112 22
 Peripneumonia 362 46
 Peripicuitatis natura de Ale-
 xādrī sententia 41 45
 Philænīdis poema 194 46
 Philosophiæ diuisio 1 1
 Philosophiæ ad quā partē spe-
 ctet hic liber 6 25
 Phlegma vtile in sanguinē cō-
 uertitur 161 13
 Physicū negotium quid 1 9
 Physicos trifariā circa odorū
 naturas fuisse diuisos 72 52
 Pingue & lētū humidū diutur-
 nā vitæ causa est 293 28
 Pisces q̄ dormire dñr 148 36
 Pisces dormiunt 148 30
 Pisces plani appellati 348 34
 Pisces & aues quodāmodo cō-
 uenire & distare 278 25
 Pisces quō alimētū recipiāt, &
 frigidā admittāt aquā 352 5
 Post ætheris naturam aēr tes-
 nuissimus 360 10
 Practici intellectus conclusio
 nō est operatio 212 39
 Practicū negotiū quid 1 3
 Præpetes volucres 263 36
 Primū sensitiuū vnū & plura
 est, necnō diuisibile & indi-
 uisibile 106 4
 Primum bonum 211 29
 Primū mouēs corporeū neces-
 sario molē habet 225 7
 Primū sensitiuū quid 146 32
 Primū animæ vehiculū 8 39
 Principiū vitæ cor mediū i aia-
 libus obtinet locū 222 29
 Principiū, totius dimidiū 131
 II
 Principium medium semper
 vult obtinere 311 16
 Problemata mechanica 217 4
 Proiectorū motus 170 35
 Prologia in libellū de sensu
 & sensili 5 30
 Pronum 278 42
 Proprij & per se odores sem-
 per salutare 76 35
 Prudentia quid 17 25
 Puellæ cōspectu cur pudenda
 turgescant 230 31
 Pueri cur magis memores sint
 quā senes 115 10
 Pulmo græce pneumon dictus
 350 16
 Pulmonē habētia spirāt 322 5

Pulices 262 16
 Pulsus 369 14
 Purpuræ 244 21

Q

Quadrupeda 245 13
 Quadrupedū genus cur crura
 ac visū inflectit sua 267 47
 Quadrupeda quæ nō animal
 sed ouū edūt 237 40
 Quæ arborū longeuæ 292 11
 Quæ factiuæ propositiones, &
 ex quibus cōstent 213 13
 Quæ in diuersis sensibus pro-
 portionalia dici possunt, &
 quæ secus 99 25
 Quæ nulla ratiocinatione cōse-
 quim faciūt homines 213 50
 Quæ nō sint somnia, cum tñ
 appareāt somnia 167 20
 Quæ odorū spēs in se suaue &
 triste p accidēs habēt 74 46
 Quæ longeuæ sint arbores, &
 quæ breuioris æui 283 7
 Quæ sit mors nālis 362 44
 Quæ in ostreaceo genere tur-
 binata appellentur 244 9
 Quæ perfectiores & quæ im-
 perfectiores animarū essen-
 tiæ 363 38
 Quæ incuruos habēt vngues,
 nō habēt lōga colla 263 49
 Quæ sint temperatę regiones
 296 37
 Quæ nō sunt in tēpore 121 1
 Qualis diaphani actus sit lu-
 men 43 58
 Quatuor in pulmonibus mo-
 tionum modi 341 27
 Quatuor causarum in pulsi-
 bus genera 370 30
 Quatuor aiarū grad⁹ 746
 Quercus 300 29
 Qui monstrificas in sōnis cer-
 nunt imagines 177 25
 Qui multo vtuntur coitu, cur
 cito intereāt 295 30
 Quid pñctū physicum, & qd
 mathematicum 256 38
 Quid sit parergon 337 26
 Quid summū & imū 240 8
 Quid natura interire, & quid
 morbo 295 10
 qd p diametrū moueri 271 8
 Quid natura ex Academicorū
 sentētia 196 10
 Quid græcis ἀσκλησιάζειν, &
 quæ ἀσκήσια 243 37
 Quid valetudinariū 283 39
 Quid cōmodus efficiat dubi-
 tator 282 52
 Quid proprie sit istm 372 26
 Qd à frigido coalescit, à cali-
 do liq̄scit, & ecōtra 357 50

Quō ab appetitu mouet ani-
 mal 210 11

Quō materiæ sub ignis for-
 ma existenti quodāmodo adsit
 cōtrarium 288 52

Quō fiat pulsus 370 15

Quō corpus ab anima moues-
 ri dicatur 210 36

Quō cōmutatim in brachijs
 & cruribus in homine fiant
 inflexus 270 10

Quō intelligi debeat aiæ salē
 ipsum esse cor 303 42

Quō intereunt muscæ & apes
 in aquis mersæ 347 4

Quō per successione audit⁹ &
 odoratus ad sensiteria sua
 perueniant 91 43

Quō aialia plasmēt 311 44

Quō impossibilia vocet phi-
 losophus 212 47

R

Raia 262 34. 277 47

Ratione carentia animalia so-
 mniare, & cur 189 45

Refractas à speculis imagines
 in visum agere 172 26

Reminiscētiam requirere me-
 moriam 127 2

Reminiscētia quid 126 55

Rerū de nāliū essentia 2 49

Res eadē nō eodē se habēs mo-
 do cōtraria efficit 330 25

Rerum de nāliū principijs di-
 uerſe antiquorū sniæ 1 57

Resolutoriā diuisiuā præcelle-
 re facultatem 4 9

Resolutiua & diuisiuam oim
 sciētiarū esse facultates 4 1

Respiratione ad odoratū ani-
 malia quedā abuti 337 18

Respirationis causę māles effi-
 ciētes & formales 359 32

Respirādī modus iuxta Plato-
 nem 332

Resultatio 307 54

Rhombi 262 24. 277 47

Rotarū modiolī quō constare
 videntur 214 52

S

Sepiæ 245 45

Salacitas passerib⁹ breuē red-
 dit vitam 245 52

Saltus 370 52

Sanguine prædita omnia qua-
 tuor mouētur notis 249 21

Sanguis, spiritus vehiculum
 217 29

Sanguinis differentia cum in
 venis tum in arterijs existen-
 tis 335 47

Sanguis primum in corde fit
 370 20

INDEX

- Sanguinis natura, spiritus vehiculum 322 27
 Saporum species tractantur à Platone in Timæo 66 44
 Saporum species xiiij secundū Plinium 66 55
 Saporum octo species 66 15
 Saporum in ordine Galenum ab Aristotele non dissentire 66 26
 Saporis definitio 62 30
 Saporum colorumq; genera secundū Democritū 68 14
 Saporum & colorum species vtrinq; septem 67 17
 Saporum animaduersiones in pomis & fructibus 66 48
 de Saporibus quid sentit Empedocles 56 33
 de Saporibus opinio quedam assertorem nō habēs 57 10
 Scientiam de anima, mediam quodāmodo inter diuinam & naturalem esse 3 10
 de Scientiarum in anima existentium reminiscentijs Peripatetici ab Academicis dissentiunt 115 50
 Scolopendra aliās centipeda 250 21
 Scythia cur paucissima generet animalia 297 8
 Scyromata dura apostemata 364 53
 Secundū animę vehiculū 8 60
 Selache, plani pisces 348 44
 Semitonium quid 86 19
 Sensationes domesticæ & externæ quæ 154 43
 Sensibile neq; corpus est, neq; sine corpore 92 49
 Sensibiles in corporibus passionēs 82 44
 Sensibilia quæ sint cōmunia 68 28
 Sensibilia omnia, vt huiusmodi sunt, subvnam deduci naturā 105 18
 Sensibilia communia ad visum maxime spectare 69 18
 Sensibilia propria & communia 166 16
 Sensibilia interna 112 61
 Sensibile species passionū nō sunt infinitæ 84 41
 à Sensibus animalia characterem accipere 147 45
 Sensitiua animæ potestas cū altrice illius vi in corde constituitur 304 41
 Sensituum & fantasticum eadem subiecto, diuersa ratione 169 48
 Sensitiuā & intellectiuā animā nō esse corporis formas secundū quosdam 286 20
 Sensus non fit sine aliqua alteratione 170 45
 Sēsum cōmunē quasi circuli esse centrum 149 46
 de Sensu infallibilitate Epicuri sententia 102 55
 Sensus cōmunis 105 17
 Sensus à fantasia quo distet 112 8
 Sensus quomodo simul cōtraria sentiat secundū Alexandrum 106 38
 Sensus & fantasia subiecto eadem 113 2
 Sensus vnus bifariam dicitur 97 13
 Sensus odoratus nō est ibi quo inspiratus peruenit aer 78 27
 de Sensationū modo, & de sensiterijs 7 18
 Sensus alterationes sunt quædam 216 10
 Sensus tactus animalibus propter salutem datus 15 40
 Sensus simul agere omnes nō est necesse 150 18
 Sensus cōmunis & tactus eadem 150 11
 de Sensuū principijs, & de sensus definitione 6 41
 à Sētiēte animæ potētia fantasia & memoriā prouenire 113 53
 Senectus 366 1
 Senes de prope nō cernūt: remotius autē videre possunt 34 23
 Senectus frigida & sicca natura 293 9
 Serpentes cornu exusti nidore fugantur 79 14
 Serpentes 242 48
 Serpentium genus cur pedibus careat 253 39
 Siccitas saporum causa est 62 48
 Sideratio 320 26
 à Similibus, cōtrarijs & vicinis reminisci contingit 130 50
 Sitis, frigidi & humidi appetentia 319 50
 Soleæ 262 24 277 47
 Solū dulce nutrit, alij saporēs pro cōdimētis faciūt 65 36
 Solo dulci nutriti aīa 63 44
 Solūmodo vnus incōstans apparet modus, cum tamē sint duo 269 44
 Somnū nō omnium sensuū esse se defectionem 151 9
 Somnū quietē vocari translato vocabulo 152 7
 Somnum mortis germanum esse 14 42
 Somnū epilepsiæ similitudine esse 157 41
 Somniorū natura & essentia 165 47
 Somnia non esse cogitationis opera 166 48
 Sōnia vnde fiant 168 9
 Somnia vera quæ sint, & quæ non 168 13
 Somnium à visione aliud esse 169 52
 Sonus quid 86 17
 Sonus & vox quid sint, & quo fiant modo 55 19
 Sphacelismus 320 28
 Species quopiā prodeūtes, in triplici sunt genere 30 21
 Spes 218 31
 Spiratio 324 6
 Spiritus natura cum grauis tū leuis est 228 43
 Spiritus opera 227 8
 Spiritus fantasticus primum animæ vehiculum 193 24
 Spiritus & sāguis calidissimæ animalis partes 316 6
 Spiritū in medio collocari, & ipsum esse medium 228 36
 Stelliones 274 18
 Stirpes animalibus quare diuertiores 298 8
 Stirpiū & insectorū cōuenientia & differentia 307 51
 Stirpiū excrementa quæ 81 20
 Squatina 277 57
 Squilla 276 16
 Stoici tenebras per se videri voluerunt 23 51
 Substantiales elemētorum forme nō sunt illorū qualitates, contra Alexandrum 60 40
 Summū & imum secundū in iūcta naturæ opera in omnibus eadem 241 23
 Supficies & color idē sūt numero, diuersa ratione 44 12
 Supficies nō est color secundū Pythagoricos 44 42
 Supinum 278 42
 Systole 369 15

T

 Tactus & gustus ad cor tendunt 31 313
 Talia vocātur cōposita, qualia à prædominio sunt 355 45

ALPHABETICVS.

Tardi cur bene meminerunt:
ingeniosi autē bene reminis-
cuntur 117 3

Tempus quomodo sentiatur
100 21

Temporis perceptio à brutis
& ab hominibus quomodo
differat 118 37

Tenebra non est pura lumi-
nis priuatio 47 27

Tertiū animæ vehiculū 9 11

Terræ suavis odor 76 20

Terram actu sapores non ha-
bere 62 9

Testudines lutariæ 322 15

Testudines aquaticæ 322 15

Theoricum negotiū quid 1.2

Theoricum & practicū, prin-
cipales animæ potestates
209 50.

Thynni. 358. 43.

Tibicines. 345 48.

Timor quid. 140 39

Timor. 218 344. 69 3

Tonus quid. 86 20

Tormentorū machinæ 227
11

Totalis caloris extinctio,
mors est. 293 16

Tractus. 228 5 238 18

Tres locorum differentia à
quibus animantium genus
omne determinat. 246 10

Tres motionū in animalibus
differentia. 229 40

Tria cordis motionū acciden-
tia. 368. 28

de Tribus vitæ speciebus ab
anima infusis. 9 31

Triplex in animalibus dige-
stio. 312 14

Triplex hypothesium siue
suppositionum significatio.
12 33

Triplex in stirpibus genera-
tionis modi. 310 15

Troglodyta. 274 17

V

Vacij. 276 52

Vacuæ tabellæ similitudo

quomodo intelligi debeat.

216. 30

Vari. 276 57

Variæ de naturæ essentia opi-
niones. 1.28

Vbi organicum non reperitur
membrum, nec vis animæ
motrix. 248 10

Vbi primum mouens animal
constitui debeat. 220 29

Vbi gustatus sensiteriū 313.
17

Vectio 238 18

Vena magna. 312 10

Vera somnia. 181 52

Vermes. 251 3

Vertigo, quam greci ἐλικὸν
vocat. 244 19

Vespertiones. 279 20

de Videndi modo duæ anti-
quorum sententiæ. 23 15

Vigiliam, verum animalium
esse finem. 152 18

Viles homines cur interdum
per somnia diuinēt 192 5

Vinum infantibus nocuum
158 11

Violentæ mortis genus. 366
43

Virtutes quasdā motrices in
diuersis esse mēbris. 247 16

Vis animæ motrix vbi collo-
cetur. 225 46. 229 16

Visæ rei actus siue species nec
non ipsius videntis, quinam
sunt. 30 59

Visio quid de Aristotelis &
Alexandri sententiā. 35 19

Visio per internam specierum
solummodo receptionem nō
fit. 31 43

Visio non copulatur externo
lumini. 33 28

Visio non fit extramittendo
radios secundum Alexan-
dram 22 51

Visio non fit per imaginum
incursum. 29 55

Visionis modus secundum Pe-
ripateticos. 52 5

Visus & odoratus quomodo
per diuersas vtrorūq; quali-
tates igni adscribātur. 38 31

Visus quomodo ad pruden-
tiā facere videtur 16 47

Visus vtilior auditu quomodo
18 4

Vita 365 45

Vita animalis à superiori infu-
sa anima 106

Vita animæ actus 367 23

Vitæ prolixitas caliditatis so-
cia 296 28

Vitalis aura vbique est, & os-
mnia tranat 327 6

Vitam cum spiritu & sangui-
ne esse 291 23

Vituli marini 279 19

Vituli marini pedes 351 1

Vltimum nutrimentū primo
coniunctum 312 38

Vltimam in morientibus esse
respirationem 365 7

Vnde dicti pedes 245 40

Vnde veneratorum appeten-
tia 218 18

Vndosus corporis motus quis
261 16

Vnico aliquando instrumēto
naturam ad duo vti opera
351 17

Vnitatis forma potius imagi-
nabilis quàm vera 367 38

Vnū & idem nō mouetur cō-
trarijs motionibus 267 30

Volucres cur pedes habeant,
quibus merito carent pisces
278 19

Voluntarij motus 229 42

Voluptas corpus excrescere
facit 215 45

Vropygium 264 56

Vsum, alteram esse naturam
134 18

de Vtilitate scientiæ naturalis
4 17

Vulneribus concisum animal
cur cito intereat 343 15

zoophytō mediū inter anima-
lia & plantas genus 150 7

ALPHABETICA
NICOLAUS LEONICVS THO-
maus R. Paceo potentissimi Regis
Britanniæ à secretis pri-
mario S.



Cio plerosque fore, Pacee præstantissime, qui hanc ope-
ram nostram, & huiusmodi interpretandi explicandi-
que à me susceptum laborem, vt superuacuum, & mi-
nus vtilem, in tanta præsertim expositorum cum græ-
corum tum latinorum copia, in totum reprehendant
& damnēt. Alios vero, quos in hoc ipso fortasse æquio-
res, noua tamen isthæc scribendi ratio, & ab ijs quæ in recenti sunt vsu
tam insolens docendî modus, non mediocriter offendat. Nonnullos
etiam qui etsi isthuc ipsum non reprehendant, scriptionis tamen nostræ
stylum paulo fortasse exactiorem ac nostratium fert mos philosopho-
rum, quasi à philosophiæ decretis alienum, & cum docentibus incom-
modum, tum discantibus etiam ipsis subobscurum, constanter accusent
& improbent. Quibus ego omnibus in præsentia, si, vt rei est veritas,
occurrere vellem, me non iccirco hæc scriptitare, vt superiorum quem-
piam authorum (quod plerique faciunt) reprehendere & emendare stu-
deam, siue vt nostra legi cupiam, & vulgi rumusculos inde mihi aucu-
pari contendam, sed vt me ipse doceam, otioque meo ad quod maxime
lubet negocium nunc vtar, & quod aiunt, denique vt mihi & Musis ista
potius quàm alijs canam: vere profecto nec indecenter (vt arbitror) sa-
tis illis responsum crediderim: & non parum efficax, opinor, liberi homi-
nis ingenuè pro se loquentis, apud æquos præsertim iudices huiusmodi
esse videretur oratio. Verum hoc in loco aliam respondendi rationem se-
qui statui, & diuersa aduersus illos mihi progrediendum esse via decreui:
ne suis illi nugis nimium sibi fortasse placentes, & nonnihil se solidi con-
stantisque dixisse arbitrati, in hac erroris caligine & ipsi posthac obstina-
te versentur, & alios etiam simplicioris fortasse ingenij inuoluere impli-
caréque studeant. Nam, per Deum immortalem, vt ad priores me con-
uertam, quis est natura tam inuidus & inhumanus, quis excultiori ho-
minum vitæ tam infensus & hostis reperiri potest, qui bonarum artium
studia non in maius dari illustrarive cupiat, & huiusmodi etiam quip-
piam aggressum inceptantemque, quantum in se est, non fauore & lau-
dibus, non emolumentis etiam & cōmodis quibusque pro virili profes-

quatur & adiuuet? Natura enim ad pulcherrima quæq; omnes propēsi sumus, & summo certe studio ad ea quæ bona sunt tendentibus, alacriter quisq; fauere debet. Quod profecto secus facere videntur ij, qui nō modo quacunque de re commentantibus scribentibusve non suffragantur, sed illos potius liuore quodam, naturæque peruersitate proculcant, insectantur, dilacerant. At inani, inquit, labor hic absimitur opera, superuacueque admodum alienis sæpius insignita rotis, eadem nunc coneritur semita. Non inficias eo profecto me in hoc interpretandi munere cum plerisque versari, & quorundam etiam vestigia conseruari: manifesta enim isthæc est res, & cuius vel mediocriter erudito probe perspecta: neque tamen iccirco frustra hunc absumi laborem, temereque huiusmodi locari operam, optimo iure contenderim. Nihil enim, vt arbitror, frustra & inaniter fieri in re dicitur, quod vtiliter mehercule & apte effici posse animaduertitur: nullaque commodæ cuiusque rei ad bonas accessio inutilis & superuacua sanè esse censetur: nisi fortasse illi gemmas suapte natura fulgentes, noua sæpius arte circumductum replicatumque dedecere putant aurum, purpuræque in dibapho repetitum colorem quasi superuacuum aspernentur & damnent. Nam de labore nostro, dummodo is sit qui probetur à paucis, nihil sanè est quod nimium laborēt illi, aut alienæ modum industriæ statuere quærant. Eiusmodi enim in re operam exercemus nostram, in qua & suavis certe, quicumque is est, videtur esse labor: & nullus omnino debilitatis aut lassitudinis subest timor: & ea nimirum aggredimur in hoc opere, & perficere contendimus, in quibus ab omni antiquitate locupletissimis iuuari possimus exemplis. Nulli enim ferè apud antiquos paulo operosiores fuere commentarij, qui non multos diuersarum etiam ætatum repererint interpretes: nulliusque locum præoccupantis hac in re solitaria vnquam certaque fuit possessio. Nanq; vt ad antiquiores nostra se conuertat oratio, nō Alexandri Aphrodisæi in Aristotelem editi commentarij, cuius vel antiquissima literis mandata Peripatetici dogmatis fertur institutio, Themistium, aut Porphyrium, aut Syrianum, quo minus idem factitarēt, vnquam deterruerūt, neque ij postea Philoponū, Ammonium, Simpliciu, Psellū, aliosque multos, quorū sanè fama obscurior, par certe est labor, ab interpretandi proposito auertere potuerunt. Quos vestigijs cōsequuti Arabes, Latinorumq; omnis postea chorus, magna cum laude in hoc versati stadio, de optimarū artium studijs, eorūque affectatoribus egregie sanè meruisse videntur.

Sed quid ego nunc riuulos confector, cum fontes aperire largissimos possim? Nonne iisdem de rebus tanquam dictatis Aristoteles, Theophrastus, Strato, Dicaearchus, Demetrius Phaleræus, & vniuersa denique Peripateticorum natio eodem ferè modo & ordine conscripserunt? De Logicis inquam, de Physicis, de Ethicis, de Diuinis. Nonne quæ diuus ille Plato, & Speusippus literis mandauere, Xenocrates postea & Polemo & Crantor, vniuersaque veluti in gyrum Academia retractare non destitit? Idemque alijs etiam in sectis omnes ferè factitauerunt philosophi. Quorum tamen omnium commentarij & in magna sanè apud veteres sunt habiti existimatione, & ab eruditioribus magnopere semper & sedulo sunt lectitati. Atque vtinam id ipsum nobis nostrisque facere licuisset, & non iniquo quodam fato tot præclara ingeniorum monumenta interijissent: melius profecto cum bonis studijs reque literaria actum fuisset, & excultior mehercule multo eruditiorque nostra nunc esset ætas. Verum ita fortasse tulit necessitas, cui plane aduersari (vt inquit Plato) neque Diique dem ipsi possunt. Cum igitur antehac nullus (vt ad propositum reuertamur) antiquorum editionibus scriptisve authorum à scribendi sit vnquam studio reuocatus & deterritus, sed admonitus potius & animatus: quænam, malum, est inuidia, si nos etiam cum multis in hanc exponendi scenam fidèter sanè & alacriter ingressi sumus, & sedulam quam possumus operam literarum studiosis præstare contendimus? Non enim in hoc (vt arbitror) iure reprehendi meremur, quod & libere permissum est omnibus, & multorum insuper magnorumque exemplo rectè facere videmur. Nisi fortasse quippiam secus ac par est, hac in re nunc facimus: & quam induimus personam, nõ apte decenterque agere censemur. Quamobrem illud non ab re profecto me moueret magis, si nostra hæc scribendi commentandique ratio, aliquam iustè reprehensionis ansam merito præberet ijs qui recentioribus assueti commentarijs, & illorum diuisionibus subdiuisionibusque condocefacti, eundem fortasse scribendi modum à nobis expostulant & requirunt. Quos ego omnes, vt æqui bonique cõsulant, rogatos velim, si hac in re antiquos potius cum Græcos tũ Latinos & Arabas, quam nouitios quosdam, pridie (vt aiunt) & nudiustertius philosophari aggressos, mihi esse imitãdos proposuerim: qui optimo mehercule instituto, quodcunque caput eius quem exponunt authoris, siue cuiusuis particulam capitis, primum antedictis annectunt & veluti conglutinant sententijs, vt vnus & continens in omnibus apte rerum appareat ordo. ita vniuersum illius strictim colligunt sensum: postea particulatim

explicant, & ad sequentia rem omnem decenter accommodant. Quem profecto interpretandi modum & ipsi laudabunt, certo scio, si expurgatis (quod aiunt) auribus veras audire rationes non neglexerint, & iudicio magis quam opinione totam hanc rem pensiculare voluerint. Illorum postrema restat obiectio, quos stylus hic noster paulo fortassis exactior, & à consueto nunc scholarum vsu alienior offendere videtur. Quãquam si ita esset, quod haudquaquam recipio, neque in me esse cognosco, male credo mererer de literarum studijs, studiosisque omnibus, quos hoc exemplo ad ea quæ recta sunt consecranda peragendaque iuarem. Verum is sanè scriptionis nostræ est stylus, vt etiam cuius vel mediocriter erudito palam esse possit, qui nihil in se quæsitum, nihil elaboratum sanè habere videatur, & qui planè omnia vsitatis rerum vocabulis pro virili explicare contendat. Non enim verba in ijs, sed res ipsas consecrandas & inueniendas esse duximus, quas certe si alia rationis via monstrare possemus, libenter mehercule ijs verborum ambagibus circumductionibusque careremus: sed aliter id fieri non potest. Veruntamen ijs ego facile concedo, & veniam etiam do, si istiusmodi rebus quibus non assueuerunt à pueris, non admodum delectantur: & ea quæ fortasse assequi se posse diffidunt, contemnunt & damnant. Mecum autem satis commode actum iri existimabo, siquid dignum gratumve eruditibus auribus, & antiquitatis obseruatoribus, ijs meis lucubrationibus excudere potero, tibi que præcipue Pæce eruditissime, qui à primis annis optimarum artium studio flagrans, neque rei familiaris remoratus es cura, quæ plerisque domi continere solet: neque laboris periculorumve incommodis, quæ peregrinantibus plerunque accidere consueuerunt, es deterritus quominus ex vltima Occidentis insula Patauium te cõferres, ea forte tempestate, qua isthæc ipsa quæ tibi nunc dicamus, eo in gymnasio publice profitebamur: vbi studio & diligentia breui adeo in literis profecisti, & ad id sanè disciplinarum culmen ascendisti, vt pares tibi nunc paucos, superiorem certe habeas neminem. Verum hæc in præsentia, quæ iustum mehercule laudum tuarum volumen exquirerent, missa faciamus, & ad propositum negotium reuertamur. Eos philosophi Aristotelis commentarios mihi nunc conuertendos explicandosque præcipue assumpsi, quos Parua Naturalia vulgo appellant, quoniam inter alios ij & mendose satis deprauateque leguntur, & illo de Sensu & Sensili excepto, quem D. Thomas Aphrodiseum sequutus exposuit, alij certe omnes exactius illustratisque quoddam explicationis lumen proculdubio desiderare videntur.

Doctrinæ autem modus is à me pro virili seruabitur, qui cum breuitate clarissimus, & Aristotelicæ mentis significantissimus à me reperiri poterit, diuisionibus quæstionibusve superuacuis aut neglectis omnino, aut omissis, nisi quæ pro rerum intellectu facere vibebuntur. Verū prius quàm propositum aggrediamur negotium, & ad conuertendi explicandique seriē deuoluamur, præmissa prius breuiter vniuersalis philosophiæ distributione, nonnulla quæ ad naturalem illius maxime spectant partem, fortasse non erit malum percurrere: quæ alioquin cū in multis sint necessaria, cognitu etiam (vt arbitror) non erunt iniucunda.

Post quæ ad illa recēsenda diueniemus quæ ad eos quos interpretari volumus commentarios pertinere videbuntur.

Quæ quoniam expositores ferè omnes in

omnibus præmittere præfationes

que cōsueuere, præfationes

non immerito

& proëmia sunt

appellata.

Vale.



Philosophiam maiores nostri communi quodam distributionis modo bifariam diuisere: & alteram quidem illius partem, theoreticam, quae contemplationi operam daret: alteram vero practicam, quae ad opera, humanosque actus descenderet, appellauerunt. Porro theoreticam tripartita rursus diuisione disteminauerunt: & id quidem eius quod aeternas simplicisque res, & a materiae coniugio seiugatas speculatur, diuinum sane metaphysicumque negotium nuncupauerunt: quod vero composita rimatur entia, in quibus nihil synceri, nihilque a contrario suo liberi esse reperitur, sed omnia materiae foeditati penitus immerfa, in partibus sunt obnoxia: id vniuersum physicum opus esse voluerunt: eiusque notationem siue scientiam physiologiam appellauerunt. Horum medium quoddam genus, quod partim melioribus superioribusve propter vniuersales eius notiones a materiae conditionibus separatas adhærescere videtur, partim autem extremis appropinquare entibus, & ad illa sane vergere, ob corporeas dimensiones & quantitates, formas quinetiam & figuras quae a materia seiugari non possunt, mathematicum negotium vocauerunt: quod sane inter extrema illa tota (vt aiunt) diametro a se inuicem distantia, medium quoddam obtinere voluerunt. Haec tria philosophiae membra (vt de reliquis in praesentia taceamus) cum Aristoteles Stagiritis pluribus preclarisque editis voluminibus collustrasset: in naturali tamen illius parte cum librorum numero, & rerum ordine penè diuino, tum studio & industria elocutioneque adeo excellenti videtur, vt cum omnes ferè in omnibus longo superasset interuallo, hac certe in re seipsum non immerito vicisse iudicetur. Ad cuius nos philosophiae vestibulum accedere nunc volentes, prius quam illuc perueniamus, quaedam nobis ante breuiter explicanda proposuimus, quae ad vniuersam postea dicendorum serie non mediocriter conferre poterunt. Sunt autem isthaec septem sane illa quae prologia siue praefata philosophi appellare consueuerunt: ista videlicet. Quae sint rerum naturalium initia prima. Quae illarum sit essentia. Quae animi pars de illis iudicium ferat. Quem habeant ordinem ad alia entia. Quae naturalis sint scientiae opera, & quae vires, quae illius sit utilitas, & postremo quae illius sit diuisio. Prius tamen quam ad haec accedamus, quonia de rebus naturalibus verba facturi sumus, de naturae prius essentia quae varie sensit antiquitas, in medium adducere cogitamus, vt eius quae omnium sane est causa, & cui omnes proculdubio deferunt omnia, effigiem quandam & lineamenta, si non clare profecto, adumbrate saltem conspiciere valeamus. Rerum naturam nonnulli materiam esse dixerunt. quam certe opinionem Proclus Lycius Antiphonti videtur adscribere. Alij autem vniuersum compositum esse voluerunt, vt plerique antea Platonem fuisse dicuntur: quos non immerito in suis de legibus cometarys taxauit Plato, quoniam quod natura constaret, ipsam esse naturam dixerunt. Alij vero, vt vniuersa ferè Ionicorum fuit schola, corporeas potestates, grauitatem scilicet & leuitatem, raritatem & densitatem, eiusmodique alia, rerum naturam esse affirmauerunt. Stoicorum autem natio spiritum quendam artificio praeditum & constantem, vndique sparsum, & omnia tranantem, & permeantem, naturam rerum esse voluerunt. Fuerunt etiam qui animum ipsum naturam esse dicerent. Quos non immerito diuinus reprehendit Plato, tanquam eos qui res vel infra naturam, vel supra naturam constitutas & positas, pro natura ipsa nimirum ponere contenderent. Essentiam enim quandam mediam inter corpus & animum naturam esse voluit Plato, quae animo quidem ipso idcirco inferior esse censeretur, quoniam & a corporibus inseparabilis est natura, & circa corpoream distrahitur molem, & cum illa diuidi searique nata est: cum indiuiduus omnino existat animus, & a corporum mole suapte vi separatur. Praeterea neque in seipsam natura reflectitur, neque seipsam cognoscit: quod sane proprium peculiareque animorum esse censeretur. Corpora autem omnia superegredi & eminere non immerito naturam asserit, quoniam omnes illorum possident rationes, vniuersaque prolifico generat foetu, & a superioribus proxime procedens causis, tum omnem corporeum exornat compositumque globum: tum vinculi etiam vices post animum ipsi vniuerso non ab re praestare censeretur: quod obrem non esse quiddam quod Deus esse perhibetur: cum ad materiae coniunctionem accedat & conpulsam: non tamen a diuina penitus potestatis seiugari, cum ab ipsis vere entibus & vbertim affletur, & vndique ab eisdem collustretur. Et vt breuiter ex retro dictis aliquid colligere valeamus, huiusmodi naturae descriptionem esse voluit Plato: Natura est substantia siue essentia incorporea, a corporibus inseparabilis, illorum in se continens rationes, & ad se ipsam respicere non valens. Aristoteles autem, & peripateticorum omnium post illum schola, cuiusque rei formam ab illa inseparabilem, eiusdem esse naturam voluisse videtur, a qua sane illius proprietates & actiones & opera, tanquam a perenni quodam fontis initio emanare censerentur. Quapropter principium eam motionis & quietis esse definit, eius scilicet in quo est primo, per se, & non per accidens. Quo sane in loco si recto iudicij examine ista perpeditatur res, non admodum profecto a perceptore suo dissentire videtur Aristoteles, nisi quod hic physice magis rem hanc explanat & explicat: ille metaphysice eandem ipsam rem definire videtur modo. Caeterum naturae ipsius determinata essentia, ad partitionem iam nostram reuertamur: in qua primum certe erat illud, quoniam prima rerum naturalium censeantur esse initia. Qua certe de re inter antiquiores physicos varia, & quorundam etiam inter se pugnantibus fuere sententiae. Namque illi qui primi se physicos cognominari voluerunt, quorum planè secta a Milesio exorta Thalete, Ionica fuit denominata, solum materiale principium posuisse videntur. Verum in hoc ipso non vulgaris inter illos fuit dissensio. ipse etenim dogmatis huius assertor Thales aquam illud esse voluit. Anaximander autem, & is Milesius, Thaletisque (vt aiunt) aetherem id esse principium asseueravit: quauis de Plutarchi sententia in symposiacis quaestionibus & is aquam rerum esse principium

- 10^o tionem siue scientiam physiologiam appellauerunt. Horum medium quoddam genus, quod partim melioribus superioribusve propter vniuersales eius notiones a materiae conditionibus separatas adhærescere videtur, partim autem extremis appropinquare entibus, & ad illa sane vergere, ob corporeas dimensiones & quantitates, formas quinetiam & figuras quae a materia seiugari non possunt, mathematicum negotium vocauerunt: quod sane inter extrema illa tota (vt aiunt) diametro a se inuicem distantia, medium quoddam obtinere voluerunt. Haec tria philosophiae membra (vt de reliquis in praesentia taceamus) cum Aristoteles Stagiritis pluribus preclarisque editis voluminibus collustrasset: in naturali tamen illius parte cum librorum numero, & rerum ordine penè diuino, tum studio & industria elocutioneque adeo excellenti videtur, vt cum omnes ferè in omnibus longo superasset interuallo, hac certe in re seipsum non immerito vicisse iudicetur. Ad cuius nos philosophiae vestibulum accedere nunc volentes, prius quam illuc perueniamus, quaedam nobis ante breuiter explicanda proposuimus, quae ad vniuersam postea dicendorum serie non mediocriter conferre poterunt. Sunt autem isthaec septem sane illa quae prologia siue praefata philosophi appellare consueuerunt: ista videlicet. Quae sint rerum naturalium initia prima. Quae illarum sit essentia. Quae animi pars de illis iudicium ferat. Quem habeant ordinem ad alia entia. Quae naturalis sint scientiae opera, & quae vires, quae illius sit utilitas, & postremo quae illius sit diuisio. Prius tamen quam ad haec accedamus, quonia de rebus naturalibus verba facturi sumus, de naturae prius essentia quae varie sensit antiquitas, in medium adducere cogitamus, vt eius quae omnium sane est causa, & cui omnes proculdubio deferunt omnia, effigiem quandam & lineamenta, si non clare profecto, adumbrate saltem conspiciere valeamus. Rerum naturam nonnulli materiam esse dixerunt. quam certe opinionem Proclus Lycius Antiphonti videtur adscribere. Alij autem vniuersum compositum esse voluerunt, vt plerique antea Platonem fuisse dicuntur: quos non immerito in suis de legibus cometarys taxauit Plato, quoniam quod natura constaret, ipsam esse naturam dixerunt. Alij vero, vt vniuersa ferè Ionicorum fuit schola, corporeas potestates, grauitatem scilicet & leuitatem, raritatem & densitatem, eiusmodique alia, rerum naturam esse affirmauerunt. Stoicorum autem natio spiritum quendam artificio praeditum & constantem, vndique sparsum, & omnia tranantem, & permeantem, naturam rerum esse voluerunt. Fuerunt etiam qui animum ipsum naturam esse dicerent. Quos non immerito diuinus reprehendit Plato, tanquam eos qui res vel infra naturam, vel supra naturam constitutas & positas, pro natura ipsa nimirum ponere contenderent. Essentiam enim quandam mediam inter corpus & animum naturam esse voluit Plato, quae animo quidem ipso idcirco inferior esse censeretur, quoniam & a corporibus inseparabilis est natura, & circa corpoream distrahitur molem, & cum illa diuidi searique nata est: cum indiuiduus omnino existat animus, & a corporum mole suapte vi separatur. Praeterea neque in seipsam natura reflectitur, neque seipsam cognoscit: quod sane proprium peculiareque animorum esse censeretur. Corpora autem omnia superegredi & eminere non immerito naturam asserit, quoniam omnes illorum possident rationes, vniuersaque prolifico generat foetu, & a superioribus proxime procedens causis, tum omnem corporeum exornat compositumque globum: tum vinculi etiam vices post animum ipsi vniuerso non ab re praestare censeretur: quod obrem non esse quiddam quod Deus esse perhibetur: cum ad materiae coniunctionem accedat & conpulsam: non tamen a diuina penitus potestatis seiugari, cum ab ipsis vere entibus & vbertim affletur, & vndique ab eisdem collustretur. Et vt breuiter ex retro dictis aliquid colligere valeamus, huiusmodi naturae descriptionem esse voluit Plato: Natura est substantia siue essentia incorporea, a corporibus inseparabilis, illorum in se continens rationes, & ad se ipsam respicere non valens. Aristoteles autem, & peripateticorum omnium post illum schola, cuiusque rei formam ab illa inseparabilem, eiusdem esse naturam voluisse videtur, a qua sane illius proprietates & actiones & opera, tanquam a perenni quodam fontis initio emanare censerentur. Quapropter principium eam motionis & quietis esse definit, eius scilicet in quo est primo, per se, & non per accidens. Quo sane in loco si recto iudicij examine ista perpeditatur res, non admodum profecto a perceptore suo dissentire videtur Aristoteles, nisi quod hic physice magis rem hanc explanat & explicat: ille metaphysice eandem ipsam rem definire videtur modo. Caeterum naturae ipsius determinata essentia, ad partitionem iam nostram reuertamur: in qua primum certe erat illud, quoniam prima rerum naturalium censeantur esse initia. Qua certe de re inter antiquiores physicos varia, & quorundam etiam inter se pugnantibus fuere sententiae. Namque illi qui primi se physicos cognominari voluerunt, quorum planè secta a Milesio exorta Thalete, Ionica fuit denominata, solum materiale principium posuisse videntur. Verum in hoc ipso non vulgaris inter illos fuit dissensio. ipse etenim dogmatis huius assertor Thales aquam illud esse voluit. Anaximander autem, & is Milesius, Thaletisque (vt aiunt) aetherem id esse principium asseueravit: quauis de Plutarchi sententia in symposiacis quaestionibus & is aquam rerum esse principium
- 20
- 30
- 40
- 50
- 60

Philosophiae diuisio. Theoricum. Practicum. Diuinum. Physicum. Mathematicum. Naturalis negotij prologia. Variæ de naturae essentia opiniones. Antiphon. Ionicorum schola. Stoici. Naturae essentia de Academicorum sententia. Naturae definitio vt voluerit Academicus. Naturae definitio ex Aristotele & peripateticorum sententia. De rerum naturalium principijs diuersae antiquorum sententiae. Thales Milesius. Anaximander. Plutarchus.

Anaximenes.
Diogenes.
Hippias.
Hippo Rhegi-
nus.
Oenopion.
Anaxagoras.

Democritus.
Epicurus.

Stolci.
Plato.

Aristoteles.

Poeticus Pro-
sus.

De rerū natu-
raliū essentia.
Caput. iij.

Tria entium
genera.

pium voluerit, hominesq; in piscibus genitos & coalitos extra postea in aridam fuisse proiectos. Anaximenes vero, & Apolloniatas Diogenes, aërem. Hippias Metapontinus ignē id esse voluit principiū: Hippo vero Rheginus duo miscuit adduxitq; primus. Ignem enim & aquam id esse dixit principiū. Oenopion autem Chius, ignē & aërē. Solus vero ex illa schola Anaxagoras Clazomenius mētē posuit diuinam, quam *νοῦν* appellauit. sed & ipse ad homiomerias suas, id est ad eiusdē generis portiunculas, crebro delabatur, illisq; plurimū adscribere videtur: vt interdum mens illa quam maximis alioqui extollit laudibus (vt quidā inquit) *οἰαρι*, & ferias agere videatur. Democritus autē & Epicurus, alijq; ei dogmatis complures, atomos suas, id est indiuidua ob soliditatē corpuscula, rerū esse principia voluerūt. Stoicorū vero natio omnia quatuor elemēta. Verū Plato Atheniensis, quī ob ingenij excellentiā, & cūctarū bonarū artium omnimodā peritiā ab omnibus merito diuinus cognominari meruit, cū solerti mētis acie perspexisset hęc quæ antiquiores dixerūt, a principijs emanare potius, q̄ ipsa rerū esse principia: diuinū altius exerēs & attollēs caput, post vnū illud & ineffabile omnino, ab omnibusq; incōprehensibile penitus, duplices primus oriū attulit causas: *πείρασ* scilicet, & *ἀπείροσ*: quæ nos finitatē & infinitatē in præsentia nūcupemus. Hęc duo ille principia vnus virtute momēto & libere omnia in se & a se producere & efficere voluit. Quæ autē ab ijs producta fuere modo quodā prodeūtia & mēsurā, ordinē nimirū retinere suū dixit: ita vt alia quidē prima entium essent, alia vero media, alia vero extrema, & infima etiā nonnulla iure esse cēserentur. Quāobrem in omnibus entium generibus, & præcipue in naturalibus, quæ certe sensu dignosci percipi q; possunt, adumbrata horū vestigia principiorū quodā modo præmonstrari. per vnitatem enim suam, fixāq; & stabilem formarum essentiam, primæ imaginem finitatis præ se ferre videntur. Per illorum autem ad singularia progressum, generandi q; facultatem, infinitatis supremæ simulacra non cæcis (vt aiunt) & mente obtusis declarare sanē possunt. Ex quo pfecto cuius liquidō patere potest, res naturales, sicut entia omnia, ab illis duobus post primum principijs, Academicorum decretis & produci omnino, & in esse etiam conseruari suo. Quam præceptoris sententiam sequutus Aristoteles, physice magis illam vt alia pleraq; moderari aggressus est: siue vt commodius perciperetur ab omnibus ijs qui ad illum haud facilē ascendere poterant apicem, siue fortasse vt nouē cupiens author esse scētā, noua etiam & inusitata adducere placita videretur. Tria namq; esse voluit rerum naturalium principia: positiua duo, materiā scilicet & formā: vnicū priuatiuū, priuationē videlicet. Quæ sanē (vt clarissime apparet) ipse etiam vidit Plato. Verū *συναιτία* isthęc, id est concausas potius q̄ causas appellare maluit, cum in priores illas & antiquiores recurrere causas plānē constaret. Certum enim est materiam ad infinitatem reduci & referri oportere, cum suapte natura informis sit, & indeterminata, infinitaq;: quippe quæ nullis formæ de sui natura circūscribatur terminis. Formā vero sub finitatis ordine collocari, & inter illa connumerari, clarius sanē est q̄ vt vllō demonstrationis indigeat lumine. Hęc enim diffluentem materiā compescit & retinet, necnon finitæ & determinatæ speciei, quęcūq; fuerit illa, participem & compotem esse facit. Quamobrem non inconcinne mehercule Poētā, qui & ipsi præclare philosophati fuisse videntur, materiæ naturam sub fabellarū inuolucris signare volentes, formas variantem, & vnde quaq; diffluentē Proteum, vinculis certe coercitum, & ad veram tandem effigiem redire coactum à Menelao & Aristeo cecinerunt. Formę nāq; essentia à diuina prodiens finitate, materiam coercet & terminat, & quasi vinculis quibusdam præpeditam ad veram speciei cuiusq; essentiam illam annectere & alligare videtur. Cæterū hoc fortasse in loco nō ab re admirari quispiam poterit, cum ego cum in præsentia peripateticū agere decreuerim, accurate adeo & diligenter Academicorum explicem & fulciam dogmata, vt nostrum hoc & præcipuum videatur esse negotium. Cui sanē ego bona cum venia breuiter responsum velim, me certe istuc non alia quā veritatis facere causa, quæ viris philosophis omnibus semper rebus antiquior sanē esse debet: cum & alioqui certō sciam Peripateticos veteres & Academicos eosdem semper fuisse habitos, & in paucis admodum à se inuicem discrepasse: quod & nos in dialogis nostris ostendimus: licet recentiores longe aliter hac de re sensisse videantur. Quamobrem cum Academicorum placita refero, Peripateticorū etiam recensere dogmata mihi iure & merito, videor. Et de naturaliū quidem rerum principijs quantum breuiter colligi potuit, in tātum sit pertractatum. Ad id igitur quod seriatim sequitur, nostra se demittat oratio. Essentiam rerum natura constantiū, quod secundum fuerat propositum caput, vltimum inter entia locum obtinere, nulla inquam inter antiquos philosophos fuit cōtrouersia. Cū enim tria entium sint genera, à quib; vniuersa (vt retro vidimus) philosophia in tres diducitur partes, & aliud quidem simplex separatumq; sit & perpetuum, eodem semper se habens modo, nulliq; subiectum motioni, & nulli obnoxiiū varietati: aliud vero materię immersum, vndiq; secabile & mortale, nullibi diutius consistens, nusq; se continens, & lubrica semper diffluens varietate: tertium autem mediū quoddā sit genus inter hęc quæ sunt prædicta, immutabili quidem ratione consistēs, ab omni q; prorsus abstractum & seiugatum motione, essentia autem ipsa non omnino à materia motuq; alienū: infimam profecto illam sedem, & extremum ordinem res naturales sortitas esse nemo est qui ambigat, quæ neque secundum essentias, neque secundum rationes suas à motu & à materia sensibili seiugatur, & abstrahūt. Medium autē locū (vt diximus) mathematicum sibi vēdicat negotiū: ex quo sanē mathematicas disciplinas medias esse, & quasi in interstitio quodā naturalis & diuinæ collocatas omnis cōsentit antiquitas. Neq; hoc ab re, mehercule, existimatū putatur. Diuina enim entia, quæ *νοητὰ* græci, nos intelligibilia dicimus, tā per esse suū, q̄ per suę rationes essentiq; cū à motu sese exerūt, tū etiā à sensibili abstra-

10

20

30

40

50

60

Resolutiua & diuisiua omniu scientiaru esse facultates.

Resolutoriam diuisiua prae- cellere facultatem.

Definitiones. Demonstrationes.

Aristoteles.

Plato.

De utilitate scientiae naturalis. Caput sextum.

De naturalis scientiae partitione. Septimum caput.

omnibus reperiri scientijs. Vbiq; enim resolutiuam diuisiuaq; reperiri certu est. nam cu scientia ipsa secundu subiectas disterminentur diuidanturq; res, ipsa etiam reru principia quasi igniculos quosda in ipsis relucere scientijs necesse est. Diximus autem de Academicoru sententia principia duo prima que post vnum sunt, finitatem esse, & infinitatem. Finitati igitur qua ex praestantiori meliori q; reru est ordine, resolutiuu nimirum adscribitur instrumentu: quod sane res ad singularia descendent, & iam iam ad infinitu tendetes, in vnum quidda via & methodo percomode colligere & coaceruare videtur. Diuisiuum autem organum ex parte infinitatis & deterioris ordinis no ab re esse ceterur, cu vnum in multa seducat & diuidat, & ad singularia vsq; descendat: quibus applicantem, postea stare iussit Plato: & hac ob causam diuisionem mathematici in infinitu pcedere no ab re voluerunt. Ex quibus pfecto no est obscuru dignoscere quenam istaru sit differentia potestatu, & que dignatio viru, quatoq; diuisoria resolutoria excellentiae superet interuallo. Illa enim ad singularia vsq; delabitur, corruptibilibusq; sese applicat rebus: haec vero quasi a copedibus soluta & libera, omnia suapte vi perlustrat & circumit, terrenoruq; sabē & cōtagia fugiēs, ad intelligibiles vsq; causas sese trāfert & erigit. Illa praeterea que collecta sunt, dissipat & dispergit: haec copulat & colligit. Illa descendit: haec ascendere nititur. Quamobrē in vltimis scientiae naturalis cōmētarijs hac diuisiua comite & duce de metallicis omnibus, & de mistorū generibus imperfectorū, conueniēti pertractatur loco: cū in primis eiusdem scientie libris de principijs determinetur & causis, que cū natura sint prima, tū & maxime entia, illorū respectu iure esse censentur, & intelligibilibus vere entibus appropinquare magis no imerito perhibentur. Caeterū huius etiā scientig vires sunt & facultates cū definitiones ipsa, tū demonstrationū rationes. Et definitiones quidem in hac peculiariter disciplina quatuor in se causarum continere debent genera. Demonstrationes autē a posterioribus vt plurimū procedere, effectusq; in causas reducere natae sunt: & idcirco quauis verae certaeque esse dicatur, non nihil tamē opinionis & coniecturae secū trahere & admistu habere videtur. Subiectae enim materiae illas cōuenire & quadrare necesse est. No absimile nāq; esse perhibet Aristoteles a rhetore demonstrationes exigere, & mathematicū cōiecturis vti permittere. Vtrūq; enim incōueniens & absurdū merito esse censetur. Et Plato in Timaeo, a philosopho quidē opinabiles & veros exigit sermones: Timēū autē, qui de intelligibilibus profitebatur se dicturū rebus, certas immobilesq; nimirū exoptulat rationes. Et haecenus de naturalis scientiae viribus siue potentijs, siue instrumentis, dictū sufficit: quāobrem ad illius iam enarrandā deueniamus vtilitatē. quod sanē penultimum dicendorum fuerat caput: quo certe in loco nescio quomodo rei ipsius manifestissima claritas officit magis, & plus mihi negotij faceffere videtur, q̄ si in re paulo ambiguiore & magis ancipiti nostraverfaretur oratio. Quae enim ars vel tā eminēs est & praecleara, siue humilis adeo & abiecta, quae huius no indigeat opera, & ei⁹ adminiculo non fulciatur? Quae rerū tam obscura scientia, quae non huius cōmercio splendet & illustratur? Quae vitae humanae ratio & facultas, quae hac adiuncta & socia ad inuestigandā pernoscendāq; veritatis semitam mirifice no adiuuetur? Et contrā quānam vitae pars & conditio quae hac no adhibita quasi amēs & oculis capta non offendet & corruat? Hac duce ars medica corporeis perspectis qualitatibus, cōplexionibusq; cognitis, cū ingruentes arcet propulsatq; morbos, tū factos & grassantes salutaribus frangit medelis, integramq; sanitatis habitudinem cū esculentis & poculentis, tum aërum locorūq; grata temperie & facile custodire, & plene reducere potest. Hac ipsa ad mathematicas disciplinas, primāq; post illas philosophiam recto itur tramite. Vbi enim desinit haec, incipiūt illae, viae q; & methodi vicem haec illis planē praestare videtur. Sed quid ego de agricultura hoc in loco, nauigandiq; peritia pluribus contendere studeā, quibus sanē in artibus maris terrarūq; cognitio, ventorūq; praeter ea & tēpestatū, quātum valeat, vel ceco (vt aiunt) est manifestum. quam rē illae cū a naturali mutuētur scientia, haudquaq; recte sine illa tractari aut exerceri poterūt. Et ad summā, omnes mechanicā artes hac duce & comite cū opera comode perficere sua, tū fines pertingere proprios apte & rite videtur. Ea autē philosophiae pars quae ad ciuilem praecipue spectat vsum, necno illa quae ad morū pertinet institutionē, ab hac sanē ipsa ordinis mediocritatisq; amorem perdiscere valent: & comodas etiā rerū generandarum opportunitates, efficaciq; tempora possunt eligere: naturisq; & moribus singulorū perspectis probos quidem & modestos fecernere, praemijsq; & laudibus illos exornare valent: infrenes autē & improbos aut amandare & expellere, aut legibus pœnifve coercere & punire queunt. Caeterum ne ego in re tam clara & perspicua plus nimio (vt aiunt) olei operaeq; consumam, ad id quod postremo adductum fuit, naturalis scilicet scientiae partitionem, librorūq; Aristotelicorum ordinem, me conuertam. Quod ex hac (mehercule) necessaria rerum diuisione sufficienter clareq; colligi potest. Physicum negotiū aut de naturalibus tractat principijs vt naturalia sunt: aut de ijs rebus quae ex ipsis constare dicuntur principijs. Primū illud de principijs, octo sanē de physica auditione libri abūde explicant & docent: quorum quinque priores (vt sunt) de principijs, tres vero posteriores de motu antiqui inscripserūt. Illa vero quae ex principijs constare dicuntur, aut simplicia sunt corpora, aut cōposita sanē, & ex ipsis constantia simplicibus. Porro de simplicibus corporibus quatuor de cēlo pertractant libri: ex quibus priores quidē duo de simplici incorruptibiliq; corpore, quod quintā Peripatetici vocāt essentiam, verba faciunt: posteriores vero duo de corporibus docent simplicibus generationi iam & corruptioni subiectis, qualia quatuor esse dicuntur elementa. De cōpositis autē corporibus, vt generabilia sunt & corruptibilia, duo de generatione & corruptione inscripti pertractāt libri. Caeterū cū cōposita huiusmodi sub Lunae consistunt orbe, in ea sanē quam agentium & patientium quidam appellauerūt sphaerā,

10

20

30

40

50

60

aut supra nos sunt cōstituta, de quibus quatuor certe de sublimibus docent libri quos Meteorologicos vocant, aut talia cōposita in loco inferiori, & vbi degūt homines, sunt collocata. Quæ rursus aut animata sunt, aut anima carentia. Et de anima quidē carentibus, in libris de metallorū lapidumq; generibus pertractari merito debuit: de quibus cū ab Aristotele (quod sciā) nihil fuerit literis traditū, ab alijs certe philosophis cū antiquis, tū recentioribus isthæc nobis notitiæ semita est indagāda. Animatorum autē cū alia quidē animalia sint & vocentur, alia vero stirpes & plātē, terraq; nascētia omnia (vt mediū illud in præsentia fileatur gen⁹, quod zoophyton græci appellāt) de illis quidē cū plene, vt ab antiquis est traditū, philosophus scripserit Aristoteles: iniuria (vt videtur) tēporis, illi sanè intercidere cōmētarij: verū legitimi eius discipuli, & scholæ successoris Theophrasti, illorū vice præclara sanè de stirpibus habemus volumina: vt nihil de illa re à nobis amplius sit desiderandū. De animalium autē genere vniuerso, & de ijs etiam quæ zoophyta appellauimus, cū quinquaginta (vt voluere nonnulli) Aristoteles cōscripserit libros, de illorum numero triceni vel paulo plures ad nos peruenisse videtur. In quorū quidē nouē recēsentis more philosophus vniuersam de animalibus plātē cōtexit historiā: in reliquis vero peculiari doctrinæ modo diuersorū circa animalia operū proprietatumve causas perferutatur & docet. Quo certe in numero illi nimirū cēsent cōmētarij, quos Parua Naturalia nostrates inscribere philosophi: quorū ego in præsentia inuertedorū explicādorūq; manus cū sim aggressus, isthæc breuiter cū de vniuerso philosophiæ ambitu, tū de illius præcipue parte quæ rerū naturas rimatur, & idcirco naturalis dicitur, meo iure præfari & prælibare volui. Cæterū quoniā in illorū ordine cōmentariorū primus de sensu & sensibili inscriptus sese offert libellus: prius q̄ ad illius exponendā seriem, & inuertēda interpretādāq; descendam verba, dū primū de antiquorū sentētia, ex illorum deprompta thesauris, mihi præmittenda esse decreui. Quorū quidē alterū partialia quædā sunt prologia huc peculiariter spectātia: in altero vero non inutilis (vt arbitror) neq; iniucundus adducetur sermo de sensus ipsius principijs: cuius titulum libellus iste cernitur præ se ferre. De sensationum quinetiā modo, & de ipsis præterea sensuum instrumentis, quæ sensiteria vocamus, quæ sanè varia lectione conquisita & à nobis collecta, hoc adiacentur in loco. In quibus cū variæ ijs de rebus veterum explicabūtur sententiæ, tū Academicorū Peripateticorūq; vel præcipue verus ostendetur cōsensus, qui hac certe in re, vt in alijs etiā pleriq; cū à se inuicē dissentire videantur, non modo non dissident, sed eadē sub diuersis tamē verbis sentire & intelligere censentur. Quod certe nos cū docēdo aliās, tum etiā scribendo pluribus in locis ostendimus, sed in dialogo præcipue illo quē de rerū vocabulis inscripsimus: item in altero in quo de animorū immortalitate Platonicas adduximus rationes. Præfationes igitur siue prologia quæ de more ab exponētibus in omnibus præmitti solent librorū initijs, nostro huic applicata libello, sunt huiusmodi: Intētio authoris: Vtilitas operis: Lēctionis ordo: Inscriptionis causa: Si legitimū authoris id est opus: Ad quam philosophiæ partē ordinē habeat. Nāq; de authoris nomine, deq; illius vita, quod certe pleriq; præfatiōtis adiungunt caput, clarior certe res est, q̄ vt longos sibi sermones expostulet: Aristotelē scilicet huius libri fuisse parētē, ex Stagiris Macedonia opido, patre Nicomacho medico, matre Phestia progenitū: qui Platonē Athenis viginti integros audiuit annos: illiusq; post mortē in Macedonia reuersus, Alexādrū Philippi, qui postea cognominatus est Magnus, tūc puerū literas docuit: quiq; postmodū Athenas reuocatus cum Xenocratē in Academia docentē offendisset, in Lyciū ipse (quod porticus nomen erat) trāsijt, ibiq; docere instituit: posteaq; ab Alexādri iam adulto euocatus, illū ad Persarū vsq; regionem prosequutus est. Quo mox vita functo in Græciā reuersus, apud Chalcidē Eubœæ urbē tertio & sexagesimo ætatis anno diē clausit extremū. Hæc igitur cursim & præcisē de illo tacta sint potius, q̄ plene enarrata: ne, id quod pleriq; faciūt, hoc in loco neglexisse videamur. Authoris autē intētio hoc in opere quæ sanè cognita ad alacritatē præcipue, discētūq; studiū nō nihil certe facit, huiusmodi esse videt, ex plere scilicet & cōsummāre de sensibus & sensilib⁹ inchoatā in libris de anima institutionē. Cū enim in illis philosoph⁹ de omni cōmuniter pertractasset anima, seorsumq; etiā de singulis illius potestatibus & viribus, quas vocāt potentias, inter quas sanè sensitiua cōnumeratur facultas: de hac ipsa, & de vnoquoq; sensu subtilissime in illis conscripsit libris. Cū autē sine sensiterij opera, id est sine sensus instrumento, in sentiendi actū exire nequeat anima: (ad sensitiuas nāq; operationes illā corpore indigere palām est) de sensiterijs etiā ipsis philosopho pertractare necesse erat: quod in hoc nimirū facit libello: in quo certe de sensilibus etiā proprijs singulorū sensuū nos planè docet, & quidnā quippiā sui existēs natura sensibile est. Aliud autem est ipsius sensibilis esse, & aliud sensibile esse. De sensilibus enim vt sensilia sunt, in libris de anima abūde nos ipse docuit: in hoc autē nos instruit libro de sensilib⁹ secūdū illorū proprias peculiareq; naturas. Ad summā igitur ipsius hoc in libello est intētio, perfectā cōsumatāq; nobis tradere disciplinā de ijs quæ ad sensus pertinetiā, & in libris de anima prælibata poti⁹ q̄ explicata, exactiorem certe requirebāt doctrinē modū, quē ad hūc (vt videtur) libellū reseruauit: de singulorū inquā sensiterijs sensuū, & de sensilibus vt talia existere animaduertuntur. Ex quibus sanè cuius palām esse potest quæ nā & quanta libelli huius sit vtilitas. quod secūdū dicēdorū fuerat caput. Per hūc enim libellum scientia de anima, quæ cū nobilissima sine cōtrouersia existit, tū ab omnibus præcipue expetenda iure censetur, finem capit idoneum. nā p̄ illa quæ in libris de anima fuere prætermissa, tanq̄ huic reseruata loco, hoc in libello exacte cōplentur, & diligētē apteq; explicātur. A libris, præterea de anima ad multiinges de animalibus commentarios descendētibus, in quibus vniuersa ferè Physiologiæ explicatur ratio, iamiam partialibus se applicans rebus, & medicæ artis prima tradens rudimenta, hic profecto libellus.

Prologia I libelli de sensu & sensibili.

Aristotelis vita cursim enarrata.

Authoris intētio.

Vtilitas libri.

ipse
solida
a que
est or
num
Duis
multa
& hanc
et obli
oluto
plicat
norūq;
a sunt,
istimis
geneti
deter
tur, &
scientiā
in hac
a post
træque
ubiectæ
à rhero
is & ab
t sermo
rū expo
trū fuit
num suo
plus mi
tio. Que
ra, & e
t & illu
scendāq;
i adhib
tis quali
ntes sal
erum lo
icas dicit
, viāq; &
igandū
p præ
mutuē
tiaz art
idētur. Et
et insti
trū gen
perspect
autē & in
ne ego in
mo addū
uertam.
ficum no
stare dicit
ant & de
scripsit.
& ex ipsi
ex quibus
ntiam, ven
pioni sub
unt & con
hūmāno
it spāni

ber expeditum præstat ingressum: & hac recte compendiariæque itur via, sine qua omnia certe inuia & salebrosa posterioribus in commentarijs offendere continget. Ordo autem lectionis, quod sanè ter-
 tio propositum fuit loco, vel ex ipsius prooemio facilè dignosci potest. Hæc enim lectio tres illos de a-
 nima aureos libellos statim consequi videtur. Quod si illi sextam inter naturalium libros, vt quidam
 voluere Peripatetici, obtinent locum: hic nimirum libellus septimum sibi iure & merito vindicare
 poterit. Cum enim de anima ipse in superioribus pertractauerit libris, cõmuni inquam doctrinæ mo-
 do, & veluti in quadam illius abstractione: in ijs quæ hic aguntur, secũdum concretionem quãdam, &
 illius ad corpus complicationem nos sanè docet, necnon secundum operationes actusque illius cõmu-
 niter resultantes. In libris autem de animalibus, qui hunc continenter sequitur libellum, de animæ in-
 uestigat operibus philosophus secũdũ eius applicationem ad singulas iam animalium stirpiũq; species. 10
 Doctrinæ igitur ordine ij merito præcedere videntur libri, qui animæ contemplantur essentiam, à qua
 nimirum actiones fluunt & opera. Hos autem iure è vestigio subsequi cõsentur illi qui cõmunes gene-
 ralesq; operationes cum animæ, tum corpori assignatas pertractare habent: quales Paruorum Natu-
 ralium omnes sanè sunt cõmentarij. Postremũ vero obtinent locum ij libri qui specialius, peculiariq;
 magis modo hæc animalium opera ad genera speciesq; descendentes perscrutari & ostendere sunt ag-
 gressi: cuiusmodi reliqui de animalibus commentarij merito esse censentur. Inscritbitur autẽ de Sẽu
 & Sensibili hic libellus, vel quoniã (vt hoc in loco inquit Aphrodiseus) sermo de sensiterijs, de quibus hic
 agitur, multum ad doctrinam confert quæ de ipsis traditur sensibus, de quibus principalis cõsiderat
 philosophus: vel quoniã sub sensus vocabulo sensiteriũ etiã conueniat intelligi. Cõsueuere nãq; veteres
 (vt inquit ille) sensus nomine duo illa ostẽdere & significare. Quod autem vere Aristoteli hic adscriba- 20
 tur liber, illiusq; legitimũ hoc sit opusculũ, vel elocutionis stylus, philosopho sanè familiaris, cuius in-
 dicio esse potest, breuis & plenus, semperq; sibi instans, & singulis ferè verbis totidem colligẽs senten-
 tias. Sed antiquorum etiam in hoc mirificus sanè est consensus omnium, qui sanè huiusmodi rem à
 superioribus veluti per manus traditam accipiẽtes, alijsq; inuicem ipsi tradẽtes, isthuc indubitata esse
 fidei voluerunt. Vltimũ autem quod præmissum est caput, ad quam scilicet philosophiæ partem hic
 ordinetur liber, clarius profecto est, q̃ vt exponi monstrariq; desideret. Certissimũ enim est libellũ hũc
 ad naturalis philosophiæ negotiũ pertinere, cũ in ipso naturales animæ corporisq; contẽplẽtur opera-
 tiones, & de sensiterijs sensilibusq; ab vnoquoq; sensui obiectis, per proprias peculiareq; cuiuscũq; na-
 turas exquisitissime perscrutetur. Ex quo omnibus etiã clarere debet librũ hũc naturalis esse particulã
 philosophiæ. Et de proloquijs quidẽ huic cõmẽtariolo pertinẽtib; vt cursim cõmemorata, isthæc in 30
 præsentia satis sufficere poterũt. Reliquũ est vt ad id quod secũdo proposueram loco, nostra se cõuer-
 tat oratio, de sensu scilicet principijs, & de sensationũ modo, sensiterijsq; etiã ipsis (quod polliciti fui-
 mus) pertractare. Quò sanè in loco cãdidus ego lectores planè admonitos velim, si paulo obscurior no-
 ster hic dicẽdi docẽdiq; modus videbit, & in plerisq; (vt accidit) fortasse offensauerint, ne aut sibi ipsis
 omnino diffidãt, aut isthæc etiã fastidiose aspĩari velint. Nã Pythagoreorũ Platonicoꝝq; præclara me
 equidẽ recẽsenda sunt dogmata, quæ certe cũ librorũ iactura, tũ præceptorũ paucitate, ne inopia dicã,
 penè interiẽre: & res in mediũ adducẽdæ quæ quoniã à philosophãdi more quo nostra nũc vtitur ætas,
 lõge sunt alienæ, eo sanè obscuriores, quo desuetæ magis nimirũ esse vidẽtur. Sed eæ ipsæ tamẽ iugi stu-
 dio, & perũgili retractatæ cura, fieri aliquãdo poterũt illustriores facilioreq;. Nihil enim adeo est ope-
 rosum & obscurum, quod non diligentia studiove quandoq; aperiatur & pateat, nitorisq; desideratã 40
 accipiat gratiã. Bona igitur cũ spe totã hanc rẽ aggrediamur. Verũ vt cõsuetã philosophãtiũ progres-
 diamur via, sensus prius definitionẽ variẽ à diueris traditã viris explicemus, vt illius perspectã natura
 facilior nobis ad reliqua postea sit progressio. Qua certe in re (vt istuc etiam à nobis obiter sit præmis-
 sum) omnes nimirũ cõcorditer cõsensisse vidẽtur, sensum non rei cuiuspiã solitariæ, sed animæ corpo-
 risq; cõmunẽ quãdã operationẽ pculdubio existere. Leucippus igitur & Democritus (vt ab antiquo-
 ribus initiũ capiamus) ceteriq; postmodũ sectæ illius assertores, qui non tantũ sensationes, sed cogita-
 tiones etiã & intellectuones ex idolorũ occurſu offensioneq; à rebus extrinsecus emanantiũ, & in nos
 incurrentiũ fieri voluerũt, sensum sanè esse dixerũt cõpulsũ siue percussionẽ occurrentiũ imaginum
 quæ à sensilibus obiectis in sensiteria primũ nostra, moxq; ab illis in animæ sensitiuã vim inferũtur. Ni-
 hil enim illã posse p̃cipere sine horũ incurſu, pulsationeq; idolorũ & imaginũ, affirmabãt. Ad quas etiã 50
 imagines illi & Deorũ notiones, & diuinãdi peritiã, necnõ somniorũ cõiecturas, & omnẽ deniq; cogni-
 tionis nostræ facultatem reuocantes, illorum externa aduẽtitiãq; impulsione nimirum omnia in nobis
 fieri constanter assuerauerunt. Quos sequutus Epicurus Atheniẽsis, & ab illorum (vt ait Cicero) fon-
 tibus hortulos irrigans suos, eiusdẽ perhibetur fuisse sententiæ. Verum isthæc ab vniuersa postmodum
 antiquitate explosa fuerunt dogmata, pluribusq; in locis philosophus hanc non immerito taxat opi-
 nionem. Empedocles autem Agrigentinus, & Heraclides ponticus, nonnunquam cum prioribus illis
 de sensus quidẽ natura conuenisse videntur: aliàs vero proprio quodam peculiariq; modo sensum
 esse proportionem quandã pororum, id est meatuum corporis ad sensilium species obiectorum, au-
 tumant: cuius certe gratia diuersi in animalibus sensationum resultare videntur modi. proportionẽ nãq;
 que illa aliter & aliter variata & cõmutata, aliàs nimirũ imagines ad alios quadrare dicunt sensus. Pe- 60
 ripatetici autẽ veteres, quos & Academicos esse recte voluit antiquitas, rebus sanè cõuenientes, diffi-
 dẽtes vocabulis, Stoicorum præterea vniuersa natio, cæterique omnes qui rectius sunt philosophati,

Lectionis or-
do.

Inscriptionis
causa.

Quod legit-
mum philo-
phi sit opus.

Ad quã philo-
sophiæ spe-
ctet partem.

De sensu pri-
cipijs, & de
sensus defini-
tione.

Leucippus.
Democritus.

Epicurus Athe-
niensis.

Empedocles.
Heraclides.

Peripatetici.
Academici.
Stoici.

sensuum communionem quādam animæ cum corpore circa externas res esse dixerūt. Animam enim ipsam ad opus eiusmodi vires suggerere, corpus verò instrumenta præstare. Vtrunque autem per imaginationes & fantasias res externas cōprehendere. Cum enim ipsum sentire, corpora quædam sit percipere, & sensus præsentia animal ipsum constituere & efficere cōseatur, merito profecto id animæ dum degit cū corpore, attribui assignariq; debet opus. nanq; sine corpore animam in mundo sanè intelligibili viuere, & non in sensili isto voluerunt. Plotinus autem inter Platonicos vir magni nominis, in quinto enneadis quartæ commentario, qui de dubijs inscribitur animæ, sensum esse dicit concordiam siue compassionem quandam (quā græci *συμπάθειαν* vocant) vitæ cōmunis vndique sparsæ, ad partes suas. Nanque illius beneficio cuncta ligante & annectente, non difficulter sanè à rebus distantibus & mouentur sensus, & conforme corpus à conformi similique patitur corpore: vt in lyre exemplo facile est animaduertere, in qua certe alia commota pulsataque chorda, nullo sanè contactu alia statim eadem harmoniæ temperata ratione, mouetur & resilit. Vult igitur Plotinus tantam esse compatiendi conformitatem inter visum (verbi causa) & ipsum visile, vt nulla alia re indigētia, dum modo nequid intercedat & impediatur, ipsa præsentia fati à se inuicem moueantur & agant. Et hæc certe sunt quæ de sensus definitione & natura ab antiquis tradita, in medium afferre & enarrare in præsentia habui. Vltimo restat loco vt de principijs ipsius sensus, & de sensationum modo, sensiterijsque ipsis breuiter aliquid dicamus: qua certe de re, vt ferè de omnibus paulo grauioribus, varia varij dixisse & sensisse videntur. Leucippus enim & Democritus & Empedocles & quicumque tā ad intellectio-
 10 nes quàm ad sensum imaginibus vti voluerunt: sensuum principia, idola illa & simulacra esse dixerunt quæ à sensilibus effluentia rebus, formamque & colores obiectorum conseruantia, in sensu incurrerēt instrumenta: quæ sanè cum idē postea animæ indicaret, sensum in nobis proculdubio sensationesve fieri esset necesse. Plotinus autem (vt retro dictum est) cum sensationes in nobis effici dixerit per vitæ
 20 communis compassionem quandam, quæ sanè ab vnica mundi anima procedere dicitur, ad portiones partesque suas, illam nimirum concordiam & conseruationem, sensuum originem & initium posuisse cōfetur. Cum enim sentire (vt inquit) corpora sit percipere, & sensus, animæ in corpore degentis esse confirmetur operatio: vis profecto ipsius animæ & actus aliquando ad corpora se porrigit & extēdit, & per vegetalem sui potestatem manifestum conformat corpus, tenue quidem illud & spiritale, quod ad externa quandoque se porrigit: ad quod cum externorum postea motiones perueniant, ad ipsam sanè animam peruenisse videntur. Et in quarto etiam eiusdem enneadis libro idē ait philosophus animā
 30 cum corpori coniuncta est, spiritali quadam vti natura, ceu quodam medio instrumento inter eam & externas res proportionem habente: ad quam naturam cum qualitates siue passionēs extrinsecus accesserint, in spiritalē puramque & animæ cognatam nimirum cōverti & euadere speciem, à qua excitam animam latentes postmodū in sese sensiliū suscitare species: & hoc certe id esse quod vulgo sentire dicunt. Animalem igitur illum spiritum hoc in loco de Plotini sententia inter sensationū esse principia sanè est confitendum: & quod species præterea à sensilibus emanātes obiectis, in spiritum illum agere habeant, qui sanè inter animam & illas medius esse censetur. Quam certe spiritus affectionem cum præsens percipiat anima, id ipsum sentire dicitur. Illud autem percipere, de Plotini sententia, nō est pati, sed potius agere, id est alio & alio modo tum patientem spiritum vegetare & fouere, & innas-
 40 tas (vt inquit Iamblichus) sensiliū formas edere & propalare. Verum isthæc omnia melius (vt arbitror) in Academicorum Peripateticorumque placitis paulopost declarari ostendiq; continget: quam obrem in præsentia hæc missa faciamus, & ad vltiora procedamus. Post Plotinum Proclus Lycius, qui successor cognominatur, ab illo haudquaquam dissentiens, sed altius quodāmodo caput exerens, hanc de sensuum origine, progressuque, & modo, necnon de sensiterijs ipsis, Platonis fuisse asserit sententiam: quam certe vt clarius percipere dignoscereq; possimus, priusquam ad illam explicandam accedamus, altius quædam non ab re diximus esse repetenda, quæ sunt huiusmodi: Animarum gradus siue ordines Platonicus quatuor esse voluerunt: & primam quidem inter alias ordinis retinere seriem mundi animam asseruerunt: postquam spherarum animas tam cælestium, quàm earum que sublimia sunt, singulos scilicet elementorum orbis regentes, secundum obtinere locum voluerunt. Tertij autem esse ordinis post illas, astrorum animas affirmauerunt: eaque insuper diuinorum genera animorū, quæ
 50 in totalitatibus (vt dicunt ipsi) continentur astrorū, statosq; illorū circuitus perpetuo sequi dicuntur. Quartum vero & postremum locum singularibus nimirum adscribere animis: circa quos in præsentia de sensuum negotio omiffis alijs generibus verba sumus facturi. Appellauerunt autem ijdem viri (vt hoc etiam obiter dicatur) supremum illum gradum, id est mundi animam, vniuersalem: infimum vero, id est partiales animas, singularem: medios vero duos animarum gradus, vt ab vniuersali solummodo, ad solum singularem, per media quædam rationalis esset descensus, mixtos quodammodo, & vtrorūque naturam sapientes esse voluerunt. Et spherarum quidem animas cum mūdane animæ totalitate sua assimilari magis & appropinquare videantur, vniuersales partiales esse dixerūt: Astrorum vero animas, Dæmonumque cæterorum, & Heroum, illis cognatas & annexas, cum ad singulares vergant animas magis, partiales vniuersales denominauerunt. Has igitur singulares animorū naturas (vt
 60 vnde digressi fuimus, reuertamur) quas à mundi anima quartum obtinere locum diximus, statis quibusdam temporum curriculis sursum manere, & rursus periodis annorū decretis, corporum (vt aiūt) desiderio, siue fati necessitate, ad inferna delabi, & ad generationem descēdere voluerunt. Quam pro-

Plotinus.

De sensationum modo & de sensiterijs.

Plotinus.

Proclus Lycius.

Quatuor animarū gradus.

a. iij.

me ten
 os de a
 quidam
 indicat
 ne mos
 lam, &
 a cōmu
 nize in
 specis.
 m. a. qu
 as gene
 n. Nam
 culatiz
 sunt ag
 e de Sen
 abus hic
 obferre
 p. vetera
 adficta
 ruius in
 es senten
 di remi
 tate esse
 arca. Ne
 bellū hic
 ur opera
 scūq; no
 particū
 isthæc in
 se cōuen
 liciti fru
 turior no
 sibiupis
 clara ne
 pia dicit
 tur atq;
 se iugi su
 o est ope
 desiderat
 i. progro
 ita natura
 t. præmō
 ne corpo
 amiquo
 ed cogno
 & in no
 magnum
 erunt. Ni
 quas eni
 q; cogno
 a in nobis
 vero) fru
 itmodum
 taxat ope
 nibus illis
 lo sensum
 orum, po
 rione ni
 mliis. Po
 tes, diti
 filosofant

fecto sententiam Academicus sine controuersia Maro ijs carminibus luculenter sanè & elegantissime expressisse videtur in sexto Aeneidis suæ libro

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Aetherium sensum, atq; aurai simplicis ignem.
Has omneis, vbi mille rotam voluere per annos
Letheum ad fluuium, Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores, supera vt conuexa reuifant,
Rursus & incipiant in corpora velle reuerti.

Cur autè hoc singularibus accidat animis, & vtrū fatali quadā necessitatis lege, quā adraſtiā appel-
lant: an libero mētis motu, cōtate appetitione, vt peculiari quodā modo soli moderentur & regant,
quod sibi munus ante descēsum cōmune cū alijs certe erat animis, & quo præterea modo, aut quando
id illis cōtingere dicatur, quæ sanè omnia plene illi subtilissimeq; explicat viri: maius pfecto est nego-
tiū, q̄ vt proloquijs quibus nunc insistimus, iure cōmitti debeat. Quā ob rē ijs omiffis questionibus, de
partialibus psequamur animis ea quæ viri illi ad propositū maxime spectātia negotiū memoriæ pro-
didere. Aiūt enim eos dū sursum degūt, intellectu quidē esse plenissimos, & solū circa intelligibilia en-
tia assiduā nauare operā, nihil mortali & caduca indigētes vita, sed puris, & à materia seiugatis, ætherijs
q; (vt inquit Maro) sensus vtētes organis: Astrorūq; animos periodis similibus consecrantes, cū illis sa-
nè vniuersum regere & tēperare mūdū. Cum autē qualicūq; de causa ad inferna deuoluūtur, & ad ge-
nerationis locū descēdere itudēt: corpora tāgētes materiæ fœditati obnoxia, quæ sanè fluxus refluxus
ue naturā, reciprocātū more sortita sunt, mortalē certe illos habere necessario secū annexam vitā affe-
rūt, quæ à secundis dijs merito illis tradi applicariq; cēsetur. In qua sanè vita sensum qui eousq; vnicus
in illis fuerat & cōmunis, ab omniq; passionis natura semotus, per varia illico sensiteria distrahi, & ab
externis nimirū affici & pati sensilibus autumāt. Quo autē hoc fiat modo, cuiusve gratia id illis accide-
re dicatur, hinc clari⁹ percipi dignoscīq; potest. Animā Platonici vt mūdā esse dicat, id est vt vnuer-
si pars sit, & mūdi (vt aiunt) ciuis, sensilis inquā huiusce in quo animalia degunt omnia, necessario sibi
annexū semper quoddā habere corpus nō ab re voluerūt. Nāq; omni prorsus carēs corpore anima, &
illius penitus cōtubernio vacās, in mūdo (vt dictū est) intelligibili viuere cēsetur. Quamobrē philoso-
phus Aristoteles hāc indissolubilē (vt arbitror) illorū cognationem volens innuere, in commentarijs de
anima recte dixisse inquit illos qui animā neq; esse corpus, neq; sine corpore esse affirmarūt. Habet igitur
tū (vt dictat ratio) sibi semper annexā corporis cuiusdā naturam anima, quod sanè illius vehiculū
eademq; appellare cōsueuerūt, à quo mūdi sanè (vt diximus) ciuis, & in mundana collocari vniuersi-
tate existimatur anima. Mūdā enim omne ordinē habere quendā, & aliquā vniuersi ipsius merito
explere debet partē. Est autē vehiculū hoc (vt perspicacissimus sentire videtur Iamblichus) ætherium
quoddā corpus æternū & immortale, animæ semper annexum, in quod ab ipsa primū anima rationa-
lem emanare vitam existimant. Diuinū enim ætheris corpus suapte natura fecundissimum est (vt in-
quit ille) ad animarū comparanda conformandaq; vehicula: & neq; in diuinis vsquam absumitur cor-
poribus, neq; confundi dissipariq; potest, sed spiritales illis affatim præparat suggeritq; vitas. In spiri-
tali igitur huius vehiculū vita, quæ ab ipsa (vt diximus) anima tāquam lumen à splendido luminosq;
procedit corpore, principiū & originem sensus & illius instrumentorū esse voluerunt. Et is nimirum
ætheri⁹ sensus est, & aurai simplicis ignis, de quibus loquutus est Maro. Animal enim diuinū cū æthe-
rio illo vehiculo quod simplicē appellat ignem, tunc esse censetur anima, cum mundi incolā illius exi-
stat causa, id est vniuersi pars, sensumq; habeat à quo animalis planè insigniri natura cēsetur. Est autē
corpus illud æternū & immortale, vt pote quod ipsi animæ à mundi opifice causa sit attributū. Nihil
enim mortaliū caducarūq; rerū fabros esse iusserit. Cum hoc igitur (vt dictū est) ætherio vehiculo ani-
mā in superiori sanè mūdo intelligibilibus solū vacare rebus Platonici voluerunt, astrorūq; circuitus
certis cōsecrari periodis, & vniuersi demum gubernationem curamq; cum eisdem diuinis moderari &
habere animis. Cæterum cum illam deorsum ferri, & ad generationem (vt diximus) delabi & fuere sit
neceſse, aliud etiam sibi aptare vehiculum, quod ex simplicibus constans elementis secundi efficiunt
dij, summa est necessitas. Quo enim modo à spiritali & prorsus immateriali diuinoq; corpore in hoc
crassum & corruptibile descendere iure posset anima, nisi aliquo intercedente medio quod vtrorūq;
nimirum naturam sapiens, vtracq; illa rite coniungeret & copularet? Aut quomodo à vita illa quæ vni-
uersum regit temperatq; mundum, ad vitam partialis huius corpusculi gubernatricem sine medijs
iusdam interuentu verisimilis est transitus & accessus? Vniuersam etenim mundi machinam Platonis
ei medijs proportionibusve quibusdam consentire sibi & correspondere non immerito voluerunt, so-
lidamq; esse per gradus, & nusquam hiulcam & interpolatam asseuerauerunt. Vt igitur id prius vehi-
culum ex ætherio corpore, vt mundi ciuis esset, anima ab omnium sanè accepit opifice, æternum qui-
dem illud & incorruptibile (vt diximus) totum lympidum, totum perspicuum & illustre: ita ad gene-
rationem itura, & iam iam ad inferna ruens, alterum capit vehiculum, quod illi ex elementorum (vt di-
cunt) sphaeris secundi applicat dij, sed neq; æternum, vt prius illud, neq; adeo illustre & perspicuum,
neq; illi sempiterno annexum, verum mortale, & separabile: in quo irrationalis nimirū collocatur vi-

Mundanā ani-
mam semper
annexum ha-
bere corpus.

Aristoteles.

Iamblichus.

Primū animæ
vehiculū.

Secundū ani-
mæ vehiculū.

ta, mortalis & ipsa, cum partibus quodammodo sit, & extensa. Quam vehiculi naturam aliquando deponere & exuere ipsa censetur anima, tardius, aut citius, periodis quibusdam, ut à philosophia, disciplinis ve, alijsq; pleriq; mysticis expiationum lustrationumq; modis fuerit expurgata. Et hoc sanè secū- dum dicitur animal, in cuius irrationali partibiliq; vita sensus quidem communis est, & vnus, sed non exacta adeo illa est vnitas, ut in priori dictum est animali, verum extensa quodammodo, & partibilis, vehiculiq; illius nonnihil referens. Cæterum secundum hoc vehiculum quod non esse animæ perpetuum, sed diuturnum retro diximus, post singularis animalis interitum cum irrationali eius vita ali- quando restare Platonici voluerunt: cum illoq; animam inferorum celebrata pati supplicia, & veterū pœnas expendere malorum dixerunt: vitarumq; varias etiam species cum illo eligere & transmittere affirmarunt. Verum cum eiusmodi postea vehiculo anima in crassum hunc materialemq; corporis decidens carcerem, tertium quoddam vehiculi terrei genus à secundis itidem dijs accipere dicitur, quod sanè sui opacitate & duritie ostreaceum Platonici appellare consueuerunt, cum primum illud æthereum siue ætherium, secundum vero spiritale siue elementare vocare sint soliti. In hoc etiam, ut in prioribus duobus, ab ipsa anima vitæ quædam resultare dicitur species, quæ & ipsa irrationalis sanè esse censetur, & omnino inseparabilis: cū illa quam in secūdo posuimus vehiculo, aliquo modo separari censeatur. In huiusmodi autē vita sensus cū patibiles sunt, tum etiā plures, & per varia diuisi sensiteria. Et istud nimirum tertium est animal, mortale sanè & corruptibile, & terrenū, ad curas laboresq; natū. cuius certe vitam cum vehiculo statim interire Platonici voluerūt. Verū de ijs ipsis plura certe & ac- curatiora in dialogo nostro quem de tribus animæ vehiculis inscripsimus, cū memoriæ sint prodita, isthæc breuiter in præsentia enarrata sufficiant. Ut igitur quæ ad propositum faciunt nostrū, breuiter colligamus: sicut tria illa quodammodo esse censentur animalia, ita tres verisimiliter esse sensus naturas existimandum est. Animal enim (ut dictū est) omne à sensu constitui, & insigniri per sensum iure cen- setur: euidentiq; profecto naturæ illius sensus est indicium. Et primus quidem sensus in primo colloca- tur animali, in illius scilicet vita, impatibilis, communis, & vnicus, vbi etiam iudiciū esse perhibetur. Secundus autem sensus in secūdo reponi constituitur dicitur animali, cōmunis quidem & ipse, verum patibilis. ibi enim ab obiectis excita conformatur species. Tertium vero sensum in tertio collocari certū est animali, iam non vnū, ut illi, sed multiplicē, & patibilē, cum per variorum motiones affectionesq; sensiteriorū proculdubio fiat, & in actum exeat. Quo etiam in loco obiter admonitū lectorem velim, quod ut tria censentur esse vehicula, ita tres esse vitæ species ab anima illis infusas, merito existimari potest. Et prima quidē vniuersalis est vitæ species, quando scilicet separata anima vniuersum cum reli- quis deorū ordinibus temperare regereq; perhibetur mundū. Vltima autem partialis, siue potius sin- gularis vitæ est species, quādo in ostreacū sese immerferit corpus anima, & vnus cuiusdā facta fuerit gubernatrix, quæ prius fuerat vniuersa. Media autē vitæ species vniuersaliter singularis siue partialis merito esse censetur: cū scilicet cum mediō sui vehiculo degit anima, & veluti generationis ciuis exi- stēs, varias deinceps vitarū sortitur differētias. Si enim post eius ab hoc terreo & materiali corpore ab- solutionē anima ad mediū illum mox redire censetur statim, summa est necessitas, prius quā in hoc mortale sese immerferit corpus, in statu illo medio aliquādo fuisse. à vita nanq; quæ vniuersum tēpe- rat regitq; mundū, ad vitam singularis corpusculi moderatricē descensum non nisi per mediū (ut di- ximus) fieri existimandū est, per vitā scilicet, quæ indifferēs certe est ad multas variasq; vitarū species.

30 Prius enim quā quiddā existat animal, esse animal est necesse. Nā cōmuniora, & vniuersalia magis, ea sanè quæ minus cōmunia sunt, amplexantur & continēt. Ut enim ab incorporeo descēsus fit in corpus, ætherium scilicet illud cum quo semper degit anima, & nusquā illud exuere cēsetur: ita ab hoc ad ge- nerationem decidens, generabile accipit corpus, id est secundum eius vehiculum, quod (ut diximus) non æternū, sed diuturnū esse perhibetur. ab hoc autem descendens etiā, & ad inferna magis se præ- cipitans, ad terreū illud vehiculi peruenit genus, id est ostreaceum hoc corpus quod regere percipitur, cuius partibilis (ut diximus) est vita, & simul cum corpore deficere interireq; perhibetur. Et hæc de sensus principijs, sensationum ve modo, & de ipsis etiā sensiterijs Proclus superioresq; Academici hæ- moria prodidere. Quam certe sententiā antiquissimā fuisse, & quasi mundo ipsi coæuam non iniuria creditū est. nāq; eā ab Aegyptiorū sapiētibus exceptā Pythagoras primū, mox Plato in Italiam Græ- ciamq; attulisse dicuntur. Peripatetici autem veteres, quos sententijs cum Academicis conuenire, ver- bis dissentire sæpenumero dictum est, de sensibus sensationumq; modo isthæc literis mandauere, sen- sus scilicet esse corporeos, sensationes autē in nobis ab externis fieri obiectis, immaterialibus quibus- dam speciebus intercedentibus, quæ sensiteria mouēt nostra: ita ut actiones quidem animæ, passiones vero corporis ipsæ sint sensationes. Quæ licet noua videatur opinio, & à supra enarrata longe diuersa sentētia, haudquaquam (ut arbitror) huiusmodi merito existimabitur, si illius medullam magis quā cortex sano mentis iudicio experiri degustareq; voluerimus. Ut autem vniuersam hanc rem seria- tim meliusve comprehendere & explicare possimus, Prisciani Lydi, viri Platonici, & magni, ut aiūt, Iamblichī auditoris, hoc in loco adducere verba decreui, ex ijs sanè cōmentarijs quos vir ille in Theo- phrastrī libellum qui de sensu, phāstia, & intellectu inscribitur, exquisitissime cōpositos reliquit. Ait enim ibi de Theophrasti sententiā quod res quæ sentitur, quodammodo instrumentum sensus mouet, id est spiritum: talisq; commotio nimirum passio est tempore loco ve diuisibilis: neq; speciei naturam habet, sed motionis: & ideo talis motio non est sensus, qui indiuidue sanè & subito per speciem agens

Tertium ani-
mæ vehiculū.

De tribus vi-
tæ speciebus
ab anima infu-
sis.

Antiquissima
de animarū
vehiculis opī-
nio.
Peripatetici.

Priscianus Ly-
dus.

ppel-
gant,
tando
negot-
us, de
a pro-
lia en-
therif
illis la-
ad ge-
fluxif
tā alle-
vnicus
ii, & ab
accide-
vnica
rio sibi
ūma, &
philofo
artijs de
abet igi-
tulū A-
uueris
merito
nerium
ationa-
t (ut in-
tur con-
In spū-
inolog
imritum
cū atho-
llus exi-
Est au-
ū. Nihil
ogenito
culo ani-
circūna
derat &
fuerit
efficiunt
re in hoc
trorumq;
quæ vn-
mediū co-
Platon-
erunt, so-
nus vni-
nam quo-
ad geno-
m (ut di-
spicuum,
ocatur

vniuersum apprehendere dicitur obiectum. Opus est igitur, inquit, vt per istam motionem & passionē ad aliquā accedatur speciē, qua media & sequestre fiat sensus. quæ certe species illius motionis est terminus: quæ cum neq; quāta sit, nec sensibiliter diuisibilis, in re nimirum prius insita esse debet, quæ ad minimam sanè redacta sit quantitatem: per quam postmodum, ad rationem animæ insinuatur, quæ nullam penitus habet quantitatem. Prius igitur in vita species illa sita est: in vita inquam animali, quæ à superiori procedit anima. Vocat autem superiorem animam, quæ separata, vel separabilis est, & vere completa & absoluta substantia, in se subsistens. Huiusmodi autem vita per corpus diffusa, licet substantia quædam existat, est tamen ipsius animalis pars, & vitale quoddam applicamentum animæ ad corpus, cum corpore diuisum, & veluti animæ quædam propagatio. Species autem circa hanc vitam secundum actum perfecta, haudquaquam ad sensum perficiendum sufficiens esse censetur, quoniam circa quoddam est corpus diuisum, neque adhuc in vnum impartibile versa est. non est igitur cognoscitiua. Verum sensibilibus ratio cognoscitiua in ipsa consistere anima, & non collocari in corpore perhibetur: quæ vna quidem est, sed non singularis, verum vnum quiddam in sese multa comprehendens, & vnicuiq; sanè eorum accommodatum. Vna enim albi (verbi causa) ratione, anima singula sentit alba, & de illis etiam recte diiudicat. Hanc igitur oportet adesse rationem si quidem futurus est sensus, quæ à vitali specie excitata, ceu à peculiari quadā re & cognata, profertur, & in mediū exit. cū qua nimirum agēs specie, quæ veluti imago similitudoq; speciei est exterioris, de sensibilibus iudicat & discernit. id enim quod iudicat, ratio certe est, & cogitatio per animā sensitiuā. Non imprimuntur autē nouæ à sensibilibus formæ in anima species: sed cum dicimus animā speciē quāpiam ab externis rebus accipere, intelligi nimirum volumus eam ad illarū præsentiam excutere proferreque in actum earū rerum species in sese repositas & latentes. Possidere autē dicitur anima rerum sensibilibus species, quoniam illarum ex sese rationes profert & explicat, non quia (vt quispiam fortasse existimare posset) ab illis formam figurationēq; aliquam, ceu à sigilli cuiusdam impressione recipere dicatur. Quam ob rem in anima quidē, rei quæ sentitur, similitudo perficitur: in instrumento autem est imperfecta illa, & cum passione miscetur & actione. Et passio quidem (vt par est) ab externis aduenit: actio vero procedit à vita. Præterea species quidem in vita est animalis: iudicium vero & cogitatio, in ipso rationis consistit actu. Res igitur externæ peculiari quodam modo instrumentum materiali quadam affectione mouere & afficere censentur. Vita vero præsens affectionem illam in immaterialem transmutat speciem, à qua postmodum excitata anima ad rationem speciei congruam proferendam, in opus exit. Anima igitur ijs quæ sentiuntur fit similis, non quidem eò quòd ab illis accipiat aliquid, sed quia per illorum agit rationem, id est impressionem apparitionemq; quandam rerum externarum. Quam ob rem anima cōtrarijs similis fieri potest rebus, non quidem quia simul patiatur contraria, sed quòd agere possit. Sensus autem ipsi secundum actionem & iudicium esse perhibentur. Ex quibus sanè cuius (vt breuiter quæ dicta sunt colligamus) manifeste patere potest, res quidem externas in animalem agere spiritum: qui omnium certe sensuum esse dicitur instrumentum, philosopho etiam attestante Aristotele in libris de anima vbi scribit omnem sensum calido indigere: id est spiritus natura. Spiritus autem cum existat corporeus, ab externis nimirum pati perhibetur obiectis. Passio vero illa nihil aliud sanè est quàm spiritus ipsius motio, qua ille ab externis sensibilibus moueri agitariq; censetur. Cum autem illa sit tempore locoq; diuisibilis, non erit vtiq; sufficiens & idonea vt per ipsam fiat sensatio, quæ per talem certe efficitur speciem quæ vniuersum indiuidue cōprehendat obiectum. Species igitur hæc quæ motionis & passionis ipsius spiritus, est terminus, in ipsa spiritus efficitur vita, quæ à superiori (vt dictum est) anima separata aut separabili vbiq; infusa & sparsa, cum vniuersum corpus, tum singulas illius partes sui præsentia viuificat. Verum nondum perfecta hæc est species in vita illa quæ sparsa nimirum est, & ad corporis sectionem diuisibilis. resilit igitur in sensitiuæ rationē animæ, quæ sanè omnium sensibilibus est vnica. Hæc enim ratio à vitali excita specie, & cum illa sanè agēs, de sensibilibus iudicat omnibus. Ad summā igitur (sunt enim huiusmodi res, vt melius imprimantur, sæpius retractandæ) motio illa quæ ab externis fit obiectis, in sensibilibus excipitur instrumentis. Huius autem finis species illa certe est quæ vitalis appellatur, quoniam in animalis vita collocatur. Ratio autem quæ à vitali suscitatur specie, ceu à familiari quadam cognataq; re, quæ cum sentire, tum iudicium ferre perhibetur, in animæ ipsius sensitiuæ potestate esse dicitur. Ex quibus certe omnibus liquido (vt arbitror) patere potest hanc de sensus sensationūve modo sententiam quā Priscianus Theophrasto, id est Peripateticis, adscribit, nō aliam profecto aut diuersam ab illa esse quam Proclus Lycius Platoni & Academicis attribuere videtur. In vltimo enim animæ vehiculo, vbi sensus per varia sensiteria sunt diuisi, motio illa & passio ab externis sanè fieri obiectis animaduertitur. In medijs autē vehiculis vita species conformatur illa quam vitalem Peripatetici vocant: vnica quidē illa, sed partibilis adhuc, & extensa quodāmodo: quæ tamen cognitione quadam, naturæq; similitudine, iudicium rationēq; excitat animæ in primo vehiculo existētem, quæ certe sola sentire & iudicium ferre censetur. Quæ sanè omnia eadē etiam esse videntur cum illis quæ hac de re Plotinus memoriæ prodidit, vt in illius enarratione opinionis breuiter retro fuit adductum. Et hæc de sensus definitione, naturæve, & de sensationum modo: sensiterijsq; ipsis strictim commemorata sufficiant. Reliquum est vt ad inuertendam explicandamq; Aristotelis literam (quod polliciti sumus) deueniamus.

Proloquiorum finis.

Vita animalis
à superiori in-
fusa anima.

Quid quod iudicare dicitur.
Animā nouas
species nō accipere.

Quomodo anima ijs quæ sentiuntur, fiat similis

Distortū epilogus.

Aristoteles.
Omnem sensum calido indigere.

ARISTOTELIS STAGIRITAE

DE SENSU ET SENSILI.

Quoniam de anima per se, necnon de potestatibus singulis quæ per partes illi insunt, pertractatum est prius: proximum est de animalibus perscrutari, & de ijs quæ vitam habent omnibus, quænam propria, & quæ communia illorum sunt opera.



VM IN ijs qui de anima peculiariter inscribuntur commentarijs, vniuersali quodam doctrinæ modo de omni communiter pertractatum sit anima, separatimque etiam de singulis illius viribus, quas potentias siue potestates vocant, quot scilicet, & quænam esse dicatur, quæve in re vniuscuiusque reponatur essentia: & in ijs præterea de sensitiua animæ potestate facta sit mentio, quænam sit illa, & in quot disterneretur diuidaturque sensus: & cum eodem etiam in loco de sensus ipsius natura sit determinatum, singulorumque potentijs, à quibus variæ procedunt sensationes: necnon qualia illorum sint opera, & circa quæ versentur, vt ad materiam illam vtiliter pertractari potuit, exquisitè & sedulo sit

10

20

30

40

50

explicatum: consequenti doctrinæ ordine Aristoteles hoc in libello de sensiterijs iplis, hoc est sensus instrumentis, conuenientes & necessarios habiturus est sermones, quale videlicet cuique sensui existat sensiterium, quibusve cõstituatur ex rebus, cum docendo, tum pro subiecta materia explicare demonstrando. Hoc autem non ab re, me hercule, facere videtur, quoniam sine sensiterio, id est sensus organo quippiam sentire haudquaquam conceditur, cum medio & sequestre corpore licet omnia fere animæ explentur opera, ita sensitiuæ nimirum animæ actus & operatio perfici & compleri censetur. In hoc etiam agit docetque libello philosophus de sensilibus ab vnoquoque sensuum cognitjs, & quid illorū singulum existens per propriam peculiaremque sui naturam sensibile esse contingit. Non enim idem sanè est ipsius sensibilis esse, & esse sensibile, id est de illorum natura quæ sentiri possunt. Quam ob rem cum in ijs quæ de anima scripsit commentarijs, verba fecerit ipse de sensilibus vt sensilia iunt, non immerito hoc in loco de eisdem per proprias peculiareque speculatur essentias. Ex quibus etiam, vt apposite hoc in loco scribit Aphrodiseus philosophus, inscriptionis huiusmodi causa, De sensu scilicet & sensili, benè perspicere dignoscique potest. Cum enim in hoc commentariolo de sensiterijs pertractetur & sensilibus (hæc nanque libelli huius vniuersa ferè est materia) id nimirum ad exactam de sensibus doctrinam conferre plurimum videtur. Si quidem animæ & corporis conueniens quædam vis & potestas ipsa est sensatio: licet non desint qui asserant (vt idem inquit Alexāder) in huiusmodi inscriptione, De sensu & sensili, per sensum sensiterium ipsum intelligi oportere. Nam sensus instrumenta, quæ nos sensiteria vocamus, priscos appellare consueuisse sensus. In proemio igitur ita inscripti libelli, & vbi ea quæ præmissa sunt, pertractari debent, statim dicit philosophus consentaneum esse postquam de anima pertractatum est prius, de animalibus etiam iplis recensere, & de ijs quæ vitam habent omnibus: de illorū præterea operibus cum communibus, tum proprijs, ijs videlicet quæ communia anima cum corpore possidet. Qua ex re, animæ profecto approbari confirmarique illa videtur definitio, in qua dictum est animam esse entelechiā, id est actū corporis physici organici potestate vitam habentis. cum omnia illius opera, aut ferè omnia, proculdubio indigeant corpore. Quæ res vel inde liquidò patere potest, quoniam animalium opera cum per sensum & intercedentibus perficiantur sensibus, aut saltē non sine illis fiant, communia animæ & corpori non immerito esse apparent. Ex supradiçtis quinetiam liquere potest cõmentarij huius cum ad præcedentes philosophi libros, tum ad consequentes, series, & lectionis conueniens ordo. Cum enim in commentarijs, de anima, vniuersali quodam modo de illa, & velut in quadam abstractione, sit pertractatum: in ijs non ab re de eadem agitur anima per complicationem quædam concretionemque quam ad corpus habet, & per ea sanè opera quæ ex vtrorūque contubernio generatim prouenire videntur. In libris autem de animalibus, qui hos doctrinæ ordine sequuntur commentarios, de animæ consyderatur operibus, vt particulatim se applicat illa in singulas animantium plantarumque species iam demersa. Cæterum istis, quæ cum ad subiectam libelli huius materiam, tum ad lectionis conuenientem ordinem non immerito spectare videbantur, necnon reliquorum etiā quæ Parua Naturalia nostri vocat, cursim à nobis hoc modo præmissis & prælibatis, ad explicandam litteram iam accedamus. **Q**UONIAM DE ANIMA PER SE &c. Duobus sanè modis hæc explicari potest littera. Aut enim intelligit de anima per se, id est cõmuniter & generali quodam modo esse determinatum, particulatimque etiam de illius partibus & viribus. In commentarijs enim de anima primum de illa fecerat sermonem, eamque definire aggressus fuerat, in primis quidem crasso quodam & imperfecto modo per ea quæ in sese possidet anima: secundo vero loco, perfectiori & exacto quodam modo: postmodum vero illius contemplatus est potestates, altricem videlicet, sensitiuam, & phantasticam, singulasque alias. Aut inquã sic intelligendus litteræ est contextus: aut, vt Alexander hic asserit

... ad
... que
... vere
... sub
... ad
... nam
... cum
... sicut
... per
... ma
... &
... alba
... &
... quæ
... uniu
... em
... us for
... logi ni
... le re
... ratio
... atio
... ei quæ
... etur &
... spem
... tur ex
... cens
... diti ex
... iuntur
... est im
... lis fieri
... si lecti
... colliga
... certe
... bi scri
... ab ex
... us mo
... & diuis
... peciem
... is ipsius
... rata aut
... ia vniu
... is lectio
... a. Hæc
... nima igit
... ibi exen
... que vi
... teie, ce
... illius sen
... de sensu
... no aliam
... denur. In
... ex nem
... vitalem
... cogn
... cistrem,
... cum illis
... ut adho
... tum cor
... quod poli

sentiendum, philosophum scilicet idcirco dixisse de anima per se pertractatum esse, quoniam in illis commentarijs de corpore non est consideratum, cum quo sanè animæ coniunctum est esse: sed de solitaria ipsius animæ natura. Quamobrem hoc in libello, inquit, de sensiterijs merito est pertractandū. Consequens enim doctrinæ de anima, ille profecto est sermo, ubi de habentibus animam agitur, & de animalibus etiam ipsis, eorumque cum communibus omnium viuentium generi operibus, tum proprijs illorum singulis speciebus: quæ profecto opera absque corpore haudquaquam esse possunt. Quo etiam in loco obiter nos Alexander admonet, idcirco dixisse philosophum de animalibus, & de habentibus vitam, id est animam: quoniam non omnia habentia animam, animalia statim esse censentur. si quidem (vt in commentarijs de anima ipse nos docuit) ipsum animalis esse, sensatione determinatum est, à qua sanè characterem accipit. Nam vis ipsa alitrix, quam nutritiuam vocant, cum ante sensitiua existere percipiatur potestatem: in quibus certe solitaria reperitur, illa nimirum animata & vitam habentia efficit, cuiusmodi sunt stirpes, terraque nascentia omnia: animalia autem haudquaquam efficere potest. Alius quinetiam non Nicocinnus sanè neque inelegans huic literæ assignari potest sensus, quod scilicet per vitam habentia, animalium intelliguntur partes, quæ viuunt quidem, cum nutriantur & alantur: non sunt autem animalia, sed animalium. de huiusmodi enim partibus dicenda sunt opera tam communia quam propria. quæ profecto res luculenter fieri videtur in ijs qui de animalium partibus inscribuntur commentarijs. Animaduertendum etiam postremo est in sectionis huius calce, dictionem praxis, quam nos inuertimus opera, non proprie admodum hoc in loco à philosopho esse prolatam, sed comuni quodam modo pro qualibet cuiusvis operatione, siue actione, seu opera. nam illa proprie dicitur praxis: quam nullum sanè ratione carens habere potest animal.

Quæ igitur dicta sunt de anima, supponantur: de reliquis verò dicemus: & de primis prius.

QUAM in principio huius statim libelli pollicitus sit, vt vidimus, Aristoteles docere nos de animalibus, & de vitam habentibus omnibus, quorum vis & forma est anima: & de ijs ipsis quantum ad opera tam communia omnibus, quam propria singulis illorum generibus & speciebus: & consueto doctrinæ ordine à communioribus prius incipere debeat operibus, posteaque ad propria deuenire, communia autem animatorum opera conueniunt quodammodo & applicantur communi & generali de anima doctrinæ: idcirco hoc dicit in loco. Quæ igitur dicta sunt de anima, supponantur. Erunt enim ceu principia quædam eorum de quibus posthac est pertractandum. Mathematicorum igitur more, cui disciplinæ in omnibus sanè philosophus mirifice addictus esse videtur, ea hoc supponit in loco, quæ in commentarijs de anima, & in illorum præcipue secundo, explicata demonstrataque fuerunt. Quo in textu non inutiliter sanè signat Aphrodisæus antiquiores trisariam appellare consueuisse eas quas Græci hypotheses, nostri suppositiones, verbum de verbo verentes, recte denominant. Et priori quidem modo suppositiones appellasse inquit indemonstrabilia propria, quæ tum dignitates & maximas propositiones, tum græco etiam vocabulo axiomata vocant, qualia mathematici in commentariorum suorum initijs, nudis & omnibus peruijs & patentibus proponere solent verbis. secundo vero modo suppositiones siue hypotheses dixisse eas quæ demonstrari quidem possunt, propriasque & peculiare habent ostensiones: verum quia temporis forsitan angustia quo minus illas ostendamus prohibemur, & nobis ad quæpiam quæ præ manibus habemus, vsui esse videntur: illas supponimus, tanquam aliàs demonstraturi. Tertio autem modo eas denominasse inquit suppositiones, quæ cum suapte natura demonstrari possint, alio in loco sint demonstrata. Quamobrem ijs ceu principijs quibusdam libere & nullo respectu quæuis suo arbitratu vti posse quæcumque in re sibi libitum fuerit. Quo profecto modo, ad ea quæ sunt dicenda, supponere in præsentia videtur philosophus illa quæ in præcedentibus de anima commentarijs fuere demonstrata. Dicendum autem esse de primis inquit prius, id est de communibus animalium operibus, & non de animalibus ipsis, vt quidam voluerunt. de illis namque vltimus doctrinæ restat locus. Nam communia isthæc opera de quibus in ijs paruorum naturalium commentarijs est verba facturum, cum generalia quædam existant, & omnibus sanè communia sint viuentibus: continenter post doctrinam de anima sunt recensenda: quibus sanè medijs ad illos qui de animalibus inscribuntur commentarios postmodum philosophus se conuertet. Quapropter nunc quidem de sensu & sensili agit: posthac de memoria & reminiscencia, de somno & vigilia, de morte & vita, & eiusmodi alijs diligenter pertractabit: vltimo vero loco de ipsis docebit animalibus.

Triplex hys
hypothesi siue
suppositionū
significatio.

IDENT VR autem quæ maxima sunt & communia & propria animalibus, cum animæ, tum corpori esse communia, vt sensus & memoria, ira & desiderium, & omnino appetitio, voluptasque insuper & dolor. Hæc enim ferè omnibus insunt animalibus: & præterea alia quidem omnibus quæ vita participant, sunt

communis: alia vero animalibus duntaxat quibusdam.



10 **Q**uoniam, ut dictum est, promiserat Aristoteles se de communibus primo animalium operibus velle pertractare, idcirco hoc subdit in textu quod maxima & precipua quæ in animalibus cernuntur opera, communia scilicet illorum omnium, & singulorum propria generum, animæ & corporis communia esse apparent, & non sunt animæ ipsius per se propria & peculiaris: quare, quasi tacite dicat, oportet nos de ipsis considerantes corporis simul illas considerare partes, quibus interuenientibus & medijs animæ in actum exeunt opera. Quod autem plurima ex animæ operibus, corpore exercentur medio, in commentarijs de anima sufficienter satis est demonstratum. Quæ vero sint maxima illa opera animæ corporis communia, in præsentia recenset Aristoteles: sensum scilicet & memoriam, necnon iram & desiderium, & omnino appetitionem, & ad hæc voluptatem & dolorem commemorando. Hæc enim omnia (ut clarissime patet) certissima sunt animalium opera, & communes animæ & corporis passiones & affectiones. de quibus ferè omnibus in libris de anima diligenter & exacte est pertractatum: de reliquis autem posthac dicetur. Quo in loco animaduertendum sanè esse duco quod sensus & desiderium, necnon voluptas & dolor, communia sunt omnium opera: ira autem & memoria, non omnibus, sed pluribus tamen accidere videntur. comprehenduntur enim hæc & veluti dependent à sensibus, ut posthac clare demonstrabitur. De appetitu autem & voluptate & dolore, quod omnibus insint sensu præditis, abunde in commentarijs de anima est declaratum. Cæterum cum ijs etiam sunt alia quædam quorum nonnulla communia existunt omnibus vitam habentibus: alia autem animalium solum generi: de quorum etiam numero quædam omnibus communia sunt animalibus: quædam non omnibus, sed ex illorum genere pluribus: quæ tamen eodem quo priora modo animæ & corpori sunt communia: de quibus sufficiens posthac habebitur sermo: in præsentia autem illa tantummodo fuere connumerata.



20 **H**ORVM autem maximæ coniunctiones solum sunt quatuor: vigilia & somnus: iuuentus & senectus: spiratio & expiratio: vita & mors: de quibus speculandum est quid quodque illorum est, & quas ob causas fieri contingant. Physiци etiam est sanitatis & morbi prima cognoscere initia: cum neque sanitatem neque morbum fieri posse constat ijs quæ vita carènt. Quamobrem physicorum ferè plurimi, & medicorum ij qui physice artem exercent magis, illi quidem ad ea quæ sunt medicine, 30 artem desinunt: ij autem ex ijs quæ de natura sunt, ea quæ ad medicinam spectant, exordiuntur.



40 **Q**UAM in superioribus dixerit Aristoteles communia vniuersaliaque animalium opera in hac esse præmittenda doctrina, ostendendumque esse illa animæ & corpori esse communia: quatuor præcipuas illorum coniunctiones hoc in textu recenset, de quibus post hunc expletum quem in manibus habemus libellum, exquisito doctrinæ modo pertractat, & illorum causas docet. Subiungitque præterea ad physicum pertinere, sanitatis & morborum prima cognoscere initia, id est ex quibusnam primis causis vicissim sanitas morbusve proueniât, & sese consequantur: ex proportionis videlicet & disproportionis mensura primarum inter se corporearum qualitatatum, caloris scilicet & frigoris, humoris & siccitatis. Quod autem de huiusmodi rebus ad illud spectet contemplatio qui animalium considerat disquirique naturas, statim subiungens ostendit, neque sanitatem neque morbum posse consistere in ijs quæ vita, id est anima carere percipiuntur. Quo in loco non ab re nos aduertere iubet Alexander, quod de quatuor quidem illis coniunctionibus quas in textu recenset philosophus, tres ab illo mirifice in posterioribus explicatæ sunt commentarijs, de somno scilicet & vigilia, de iuuentute & senectute, de morte & vita: vbi de spiratione etiam & expiratione præclari afferuntur sermones. Quarta autem illa coniugatio quæ ad sanitatem pertinet & morbum, aut omnino, inquit, a philosopho fuit prætermissa, nullique de illis confecti fuere commentarij: aut si qui fuerint conscripti, iniuria temporum intercidere, & ad manus nostras non deuenire, neque hoc ab re me hercule, quando in fine commentarij de morte & vita, necnon de spiratione & expiratione, in græcis exemplaribus exiguum quiddam reperitur, & pauculæ lineæ, quæ initium libelli de sanitate & morbo recte perpendentibus merito videri possunt. verum huic scientiæ nos fidem haudquaquam nostram adstrin- 50 gimus. quod quisque voluerit hac de re pro captu suo iudicium ferat. Cæterum ex coniunctionibus combinationibusque illis communes quidem animalibus sunt omnibus somnus & vigilia: nisi fortasse piscium quoddam est genus quod insomne esse perhibetur. quam rem in commentarijs de animalium historia quærere videtur philosophus. Iuuentus autem & senectus, mors quinetiam & vita, non solum omnibus communia sunt animalibus, sed omnibus etiam vitam habentibus. Spiratio vero & expiratio solis nimirum ijs conuenire censentur animalibus, quæ ab aëre duntaxat refrigerationem capiunt, & pul-

4
 mones habere percipiuntur. Quod autem ad naturalem pertineat philosophum prima fanitatis & morborum cōsiderare perscrutariq; initia, vel inde liquidò patere posse dicit. namq; & plurimi physicorum ijs ipsis de rebus conscripsisse videntur, in illisq; suas de rerum natura contemplationes terminasse: vt Democritus fecit, & Plato. Et de medicorū numero quicūq; eruditiores elegatiorese sunt habiti, ab huiusmodi rebus artis suæ principia literis mādare cōperūt, vtpote quæ in medio naturalis scientiæ, & medicæ artis interstitio sint collocata. hinc Hippocratis de elementis aureus reperitur libellus, & Galeni de primis qualitatibus eximij extāt commentarij: aliorumq; cum antiquorum, tum recentiu scriptiones medicorum pro hac philosophi sentētia testimonium dicere possunt. Ex quibus sanè philosophus corollarij nos docere videtur modo, quòd ars ipsa medica per aliquam sui partem naturali scientiæ coniungitur & copulatur, illiq; proculdubio subalternatur (vt aiunt) & subijcitur, peculiaritè ab ipsa institutionis suæ sumēs initia: eo inquā rationis modo quo perspectiuā geometriæ subiectam esse dicunt, & musicam arithmetica, & ipsi astronomiæ eam subijci affirmant artem, quæ nauigandi peritiam pollicetur. Hæc autem omnia de quibus est dictum animæ & corpori cōmunia esse, vniuersaliter retro intelligi voluit philosophus cum dixit: Videntur autem quæ maxima sunt & cōmunia & propria animalibus, cum animæ, tum corpori esse cōmunia. quod etiam clarius & expressius in sequentis literæ contextu ita probat & confirmat

QUOD autem suprā dicta omnia cum animæ, tum corpori cōmunia sint, non est obscurum. siquidem ex ijs alia cū sensu fieri contingit, alia per sensum: præterea ex illis pleraque affectiones sunt, nonnulla habitus: alia quinetiam custodiæ & conseruationes: quædam interitus & priuationes. Sensum autem medio corpore animæ inesse, & ratione clarum est, & sine ratione.

IN ijs philosophus id quod generaliter retro dixerat, narrantis sanè modo peculiariter ostēdere videtur, quòd enarrata scilicet omnia animæ & corpori sunt cōmunia, quoniā illorum sine sensu fieri percipitur nullum. nam aliqua per ipsum fiunt sensum, nonnulla vero illo existunt intermedio. Huius autem rei ratio hæc esse videtur, & hoc sanè procedere modo: omnia supra enarrata ad sensum pertinent: sensus autem animæ & corpori est cōmunis. sentite enim cōtingit per corpus. prædicta igitur omnia animæ cōmunia sunt, & corpori. Quo certe in loco ex Aphrodisei dictis aduertere conuenit, vigiliā scilicet per sensum fieri, clarissime perspicui, cum alimentum scilicet à naturali calido concoctum iam & confectū dissipatur secerniturq; & in vniuersum amandatur trāsmittiturq; corpus, neq; amplius exhalare ab illo queunt fumidæ euaporationes, caputq; petere: quamobrem à stupore illo pigritiaq; liberi iam & exciti sensus, ad propria quisq; exercenda obeundaq; opera vegeti excitantur: & hoc fieri modo per sensum & cum sensu vigiliandi opus non ab re cēsetur. Cum sensu quinetiam voluptas fit & dolor, fanitas præterea & morbus. sensu autem intercedente & per sensum iuuentus & senium fiunt. Horum enim vtrunq; cum tali aut tali sensu habitudine fieri percipitur. Ipse autē somnus non incōcinne sensus esse passio perhibetur. nā affecto sanè sensu is fieri animaduertitur, cum ab esculentis poculentisq; exhalātes fumi animalis cōscēderint caput, & à cerebri frigiditate immutati, & veluti gelu concrefcentes, pondere rursus suo inferne deuoluūtur. tunc enim accidit vt animalis ab huiusmodi humiditatibus grauētur & præpediantur sensus, nec in solita opera facile exire possint. Quiescunt igitur illi, & otium agunt, somniq; causas sua affectione animalibus afferunt. Vnde non minus eleganter quàm vere dicitur somnum animæ viuū temporaneum esse vinculum, & mortis germanum: cum vtrunq; à frigida proueniat causa: & hic quidem præpediat ad tēpus, illa vero in vniuersum sensus auferat. Somnus igitur modo prædicto passio sanè quædam & affectio sensus esse censetur: habitus autem, ipsi dicuntur esse sensus: quoniam eo quòd animalia sensum habent, ipsum etiam habere esse censentur: similiq; rationis modo iuuentus & senectus ad habitus sanè deduci possunt. Quoniam enim sensus hoc vel illo se habēt modo, aut nouella aut antiqua dicuntur esse animalia. interitus autē & priuationes, obliuiones dicuntur & mortes, sicut econtra custodiæ & conseruationes, cum memoriæ & reminiscentiæ, tum vita ipsa, necnon spirationes & exspirationes merito dici possunt. Aduertēdum etiam est & notandum quòd in stirpium genere communi quodā & non proprio modo senium & iuuentus dicuntur. Mors autem & vita de vniuersis anima præditis iure dici potest, quāuis nullū etiā sensus habuerint vestigium: quæ tamen (vt dictū est) cum sensu in animalibus esse censentur. Ex quibus manifeste sanè apparet omnia supra enarrata cum sensu esse, neq; seorsum ab illo vsquam reperiri posse: nisi forte duæ illæ quas modo recensuimus coniugationes, mors scilicet & vita, iuuentus & senectus, cum ijs quæ sensu carent, aliquo cōsiderantur animaduertiturq; modo. fieri enim isthæc sine sensu censentur. nam in sensu præditis liquidò cū sensu illæ fieri percipiuntur. Quòd autē sensus ipsi medio & sequestre fiant corpore, & in illo vires exerceāt suas, manifestum inquit esse & ratione, & sine ratione. Per rationem enim facile est docere & ostende-

Democritus.
Plato.

Hippocrates.
Galenus.

Somnum mortis germanū esse.

re quod ipsum sentire nihil aliud sanè est, quàm sensilia quæq; aliquo intercedente & ministrante sensiterio percipere & deprehendere: quod esse corpus summa est necessitas. Sine ratione autem id ipsum manifestum etiam esse videtur. oculata enim (vt aiunt) percipitur fide, sensationum in animalibus exerceri opera per quædam corporea instrumenta. Quæ res & alio etiam ostendi potest modo. Ratione quidem manifestum est quod sensus corpore medio ipsi contingunt animæ: quoniam cum sensus à sensili patiat re, vt in commentarijs de anima est ostensum, sensilia autem omnia materiam habere cõstet, & corpulenta esse: corporeum certe esse quod à corpulento patitur, & corpore indigere necesse est. Sine ratione autem id ipsum etiam palam est, experimento scilicet, & oculorum assertione & testimonio. siquidem interemptis aut præpeditis corporeis sensu instrumentis, sensuum certe interimi opera aut præpediti summa est necessitas.

CAETERUM de sensu quidem, & sentiendi ratione, & cur animalibus isthæc accidat passio, in commentarijs de anima dictum est.

CVM in ijs quæ retro adducta sunt, explicauerit Aristoteles communia animalium opera passionum per sensum fieri, & quod sensus commune quoddam est corporis & animæ, recto sanè doctrinæ ordine consentaneum. Etat determinare & nos docere de sensiterijs ipsis, prius quàm de ijs pertractaretur rebus quæ in ipsa animalium vita sine sensu fieri non possunt. prius enim communiorum & vniuersalium tradenda sanè est doctrina, quam postea sequi decet illa quæ partialium est & minus communium, quæ prioribus illis nimirum indigere videntur. Cæterum quoniam de ijs quæ ad sensuum cognitionem facere videntur, nonnulla prius in commentarijs de anima fuere pertractata, & pleraq; etiam restare apparent quæ hac de re merito recenseri debent: iccirco hoc in loco nos ad illorum memoriam transfert Aristoteles, quæ de sensu in calce secundi de anima commentarij fuere prædicta, cum de sensitiua anima, & de illius viribus & operibus est pertractatū. Verū in hoc etiam addet libello exactum de sensibus & sensiterijs & expletum sermonem. namq; cum communis animæ & corporis sensus sit res, sermo de sensiterijs merito sermoni de sensibus coniungi copulariq; debet: de quibus etiam ipsis pauca quædam in commentarijs de anima fuere præmissa: quorum (vt diximus) ratio hoc in loco exactam doctrinæ accipiet diligentiam. Passionem autem hoc in textu sensum esse dixit, quoniam ipsa sensus actio patiēdo quodammodo fieri censetur, vt in secundo de anima commentario clare est ostensum.

ANIMALIBUS autem omnibus, qua animal est vnumquodque, necesse est sensum inesse. hoc enim esse animal, & non animal, diiudicamus.

CONCISE profecto & breuiter, verum dilucide admodum per huiusmodi dicta philosophus remissici nos facit illorum quæ de sensibus in commentarijs de anima demonstrauit: quod videlicet omnibus necesse est animalibus inesse sensum. hoc enim animalia à nō animalibus determinari disjungiq; solo possunt: cum animalis ipsius ratio in sensitiuo esse consistat. Ostensum etiam in illis est quod ea quæ sensu tactus insigniuntur, haudquaquā simplicia, sed cōposita esse censentur, & in quadā cōmensurabili qualitatū quatuor primarū proportionē suū proculdubio habēt esse. Nam nisi eiusmodi existerent, profecto sensum tactus non haberent, & ab excellentium genere tactilium haudquaquam præcauere possent: quæ suarum excessu superfluentiaq; qualitatum, omnia nimirum corrumpere nata sunt animalia. Quamobrem ad illorum salutem, conseruationisq; industriam, sensus tactus illis natura datus concessusque esse videtur.

Sensus tactus animalibus propter salutem datus.

PROPRIE autem ac singulatim tactus & gustatus omnia necessario consequuntur animalia. Et tactus quidem eam ob causam quæ in cōmētarijs de anima dicta est: gustatus vero propter alimentū. suaue enim is diiudicat & molestū in esculētis: vt alterum fugiat, consectetur alterum. & omnino sapor gustatiuæ partis est passio.

NON omnibus profecto animalibus omnes traditi sunt sensus, sed duo isti præcipui, tactus scilicet & gustatus, vniuersum nimirum animalium consequi videntur genus. demonstratum enim est in calce tertij de anima libelli quod sensu tactus priuatum animal, vita etiam ipsa priuari necesse est. mediocritatem enim illam, & proportionis æquabilē modum in quatuor primis qualitatis, in quibus animalis consistit vita, amittit sanè cū interit & destruitur tactus. gustatus vero, qui alimenti genus omne cibosq; discernit & iudicat, illosq; cum appetit & admittit, tum vero abominatur

& reijcit, necessarius maxime animalium generi videtur esse sensus. si quidem sine altricis animæ opera diutius durare non potest animal. Est enim sapor ipse, qui gustatu sanè percipitur, gustatiue (vt ita dicam) virtutis quæ in animalibus est, affectio siue passio. Namq; gustatus, qui præcipuus in nobis est sensus quo alimur, circa saporis versatur & chymos, & ab ijs ipsis quodammodo affici & pati censetur. discernit enim suaue à molesto & ingrato lingua in esculentis & poculentis. saporibus namq; compatens sentire nimirum illos & gustare dicitur. Quo in loco merito nos Alexander aduertere admonet quòd huius scilicet textus litera, Et omnino sapor gustatiue partis est passio. in quibusdã exemplaribus aliũ scriptiois habet modũ, videlicet, Et omnino sapor altricis animæ partis est passio. qui ab illo iure damnatur. absurdũ est enim (inquit) dicere, à saporibus altricẽ animæ vim pati posse. nã pati à saporibus, est sentire saporis. altrices autẽ siue nutritiue animæ vires, aliæ profecto & diuersæ à sentientibus iure esse censentur. Quamobrem de Aphrodisei sententiã sanior & verior prior apparet esse litera. fertur etiã alia huius textus scriptio, hoc maxime se habens modo. Et omnino sapor est gustatiue altricis animæ partis passio. vt gustatiuũ scilicet generis ponatur loco: nutritiua vero, siue altrix animæ vis, differentie vicem obtineat: quasi dicere velit philosophus quòd sapor est passio partis animæ gustatiue quæ ad altricẽ siue nutritiua illius ordinatur partẽ. Cæterũ etsi profecto ita se habeat res, primus tamen scriptiois modus & simplicior est, & Aphrodiseo placere videtur magis.

Sensus autem qui per externa fiunt ijs quæ gressu mouentur, vt olfactus, auditus, & visus: omnibus quidem quæ illos habent, salutis insunt gratia, vt præsentiendo alimẽtum consecretentur, malaque & perniciofa fugiant.

Tactus, vt visum est, & gustatus, omnibus sine controuersia animalibus communes & necessarij apparent esse sensus: reliqui autem qui externis fiunt medijs, visus scilicet, auditus, & olfactus, non omnibus sunt communes animalibus, vt in cõmentarijs de anima est demonstratũ, sed illis videlicet quæ eo in genere perfectiora nobilioraq; esse censentur: & quibuscũq; insunt, illis salutis nimirũ causa inesse percipiuntur. Quæ etiam per loci differentias mouentur animalia, visu manifestissime indigere comprehenduntur, vt sibi cauere possint: ne dum ambulant, aut aliquò corruat, aut ad quippiam sanè offensent, seu temere illis occurrant quæ ea perdere possint. Olfactu quinetiam indigere videntur, vt peculiaria eo modo alimenta discernere & sumere valeant, & ab extraneis abstinere. Auditus præterea illis est necessarius ad salutẽ. Multa enim per sonitus & voces sentiunt & præcauẽt animalia. qui si non essent, aut non præsentirentur, facilẽ profecto illa hostibus occurrerẽt suis, à quibus male haberentur. Sonitu quinetiam & vocibus pleraq; naturalium genera de peculiaribus sæpenumero admonentur alimentis. multa namq; ex eorum numero quæ carnibus vesca nata sunt, ex sono siue stridoris crepitu aliquo animalia illa adesse percipiunt, quæ sibi ad escam naturaliter sunt accommodata & idonea, ad quæ auditione mouentur præuia, vt inde alantur, & se conseruent. Ad summam, vniuersi (vt patere potest) sensus ad animalium salutem conseruationemq; à prouida rerum natura salutariter sunt constituti.

Nis etiam quæ prudentiam habent, boni gratia insunt. multas enim significant differentias ex quibus intelligibilium agenda- rumque rerum prudentia comparatur.

Cvm omnes quinq; sensus (vt retro visum est) non nihil omnibus ad salutem conferant animalibus: illorum certe quidam multum quantum prudentie etiam conferre videntur, animalibus inquam quæ de perfectiori sunt nota, & quæ rationis & prudentie participare possunt. Quamobrem non solum necessitatis causa illis assignati esse videntur, sed etiam ad meliorem vitæ & essendi statum. Multas enim rerum (vt ait) nobis indicant differentias & varietates, ex quibus intelligibiliũ sanè & agendarum rerum prudentia in nobis efficitur. Hoc autem de visus & auditus sensibus intelligere sanè videtur, vt paulo etiam post nominatim de illis explicabit. Quòd autem sensus isti actionũ contemplationumq; nostrarũ ex diuersarum perceptione rerum prima nobis præstent initia, vel inde clarissime patere potest. visibilium enim differentie rerum mouerunt homines ad contemplationem conseruationemq; tenebrarum & lucis, id est dierum & noctium: ex quibus veluti à profundissimo exciti somno mortalium animi, ad horum inuestigandas perscrutandasque effectrices deuenerunt causas: vnde contemplatio de mundo, & de ijs quæ ab illo complectuntur omnibus, nimirũ originem habuisse videtur: in quibus postmodum stas rerũ vicissitudines animaduertentes, noctiumq; & dierum perennem eodem semper tenore processum, ad numerorum postea contemplandam essentiam (vt inquit Plato) peruenerunt: videntes præterea nocturnum sydus Lunam non eodem semper splẽ

Quomodo visus ad prudentiam facere videtur.

descendere lumine, id eius lumē non esse propriū & peculiare cognouerunt, sed aduentitiū, & aliunde mutatum. Visu quietiā, astrorum ortus atq; obitus, figuratq; & reliquas in eisdem differentias contuiti, ad illorū peruestigandas naturas se cōuerterunt: quæ licet cōmunia sint sensilia (de figuris loquor & motibus) à diuersis enim percipi possunt sensibus: quia tamen omnia corpora ideo videtur, quia quēpiam in se habent colorē, sensili intercedente proprio sensilia cōmuna percipere potest visus: quēadmodum etiam cæteri sensus. Auditus enim solo strepitu & sono ipsam dignoscit magnitudinem, necnō numerum & motū, quia huiusmodi sensilia cōmunia cū sono percipere animaduertitur. Quæ profecto rerū contēplationes (vt illuc vnde egressi sumus, reuertamur) à sensu visus in hominū excitē mētibus, illorū nimirū animos ad primæ etiā causę contēplationē ascendere fecerūt, quæ omnibus post se entiū generibus motionis ordinisq; primū est principiū. Et hactenus de intelligibiliū prudētia in nobis ex sensu visus excita & effecta dictū sit: reliquū est vt de prudētia quę in rebus gerēdis versatur, ea quę ab eodem visus sensu hominibus sunt cōcessa, breuiter etiā percurramus. Opera igitur & actus nostri cū in sensilibus sanē versentur, & singularibus quæ visu cōprehēdi dignoscere possunt, ex frequēti certe illorum diutinaq; animaduersione, ex qua experiētia nascitur, in nobis profecto gerendarū rerū prudētiam producant & ingenerāt. Cū enim longa & iugi obseruationis opera in sensilibus quibusq; vtilia & inutilia, salutaria quietiā & perniciosa animaduertimus, ex ijs vniuersalē quādam opinionis sententiāq; vim in nobis colligere cōfirmareq; poterimus: vt alia quidē eligenda esse proculdubio ducamus, alia vero esse fugienda & declinād. omni ope contēdamus. Ex quibus prudēs nimirū in nobis cōsultatio innascitur, per quā de rebus gerēdis recto mētis examine postmodū iudicare possumus. Pulchri præterea ipsius & turpis cōsideratio, ex pulchrorū turpiūq; cōtuitu corporū in nobis proculdubio efficitur. Ex quo pulchrū quidē in omnibus æque amādū esse ducimus: turpia vero omnia abominamur, & odio habemus. Quæ autē auditus etiā vtilis sit & cōmodus ad has duas prudētię species, manifestius sanē est q̄ vt pluribus explicari cōueniat. Cū enim auditus, vt alibi etiā dixit philosophus, disciplinę sit sensus, audientes nimirū percipimus & discimus ea quę cum ad rerū scientiam, tum ad morales virtutes, pertinet institutiones. Per prudētiā autem hoc in loco intelligi volumus vel iudicium ipsum, vel indagatiōem inuentionemq; veri. eius enim virtutis id muneris est proprium. Vt enim inquit Cicero, quicunq; maxime perspicit quid in re quaq; verissimum sit, quicq; & acutissime & celerrime potest & videre & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet.

Quomodo auditus ad prudētiā facit

Quid signet prudētia? Cicero.

30 **H**orum autem ad necessarios vitæ vsus melior est visus, & quidem per se: ad intelligentiam vero per accidens auditus.

40 **C**onferens adinuicē & comparans visum & auditum philosophus, quos sensus prudētię plurimum conferre retro dixerat, in illis inquam animalibus quæ prudētię sunt capacia, hoc in textu quasi diiudicando subiūgit visum quidē ad necessarios animalium vsus vtilē esse magis. siquidem ea quæ per se visus cōprehendit & cognoscit, ad animalium salutē & cōseruationē faciunt maxime. immediatius namq; ipse ostendit visus & à longē magis quæ cauere & declinare debeat animal vt cōseruetur & permaneat, & rursū quæ prosequi conueniat & appetere, vt alatur & viuatur. Visus quietiam ipse ab ipsis mouetur rebus, cū auditus à factis immutetur sonorū differentijs, quæ nimirū res consequuntur motas. Cæterū cum tot visus habeat cōmoda, auditus nihilominus ad adipiscendas scientias plus facere videtur. hoc enim medio rerū cognoscuntur historiæ, quæ vitæ profecto instructrices sunt & magistræ. hoc disciplinarū à nobis hauriuntur præcepta, interueniēteq; auditu in mentis thesauro collocantur. Per accidens autē dixit meliorē esse auditum, quoniā per se quidē solorū percipit species sonorū, per accidens autem & ex consequenti sermones admittit, & rerum demonstratiōnes, quibus instruimur & docemur. Hæc autem ideo audiri dicuntur, quia cum sono certe semper fiunt aliquo.

50 **M**ultas enim differētijs & multiugas vidēdi denunciat potestas, quando corpora omnia colore participant: quapropter & cōmunia per hanc sentiūtur maxime. Cōmunia autē appello cōformationē, magnitudinē, motum, statū, numerū. Auditus autē tantummodo sonorū differētijs indicat: paucis autem & vocis: cū tamen per accidens ad prudētiā multū quantū conferat. sermo enim audibilis existēs disciplinæ est causa, non per se, verum ex accidenti. ex nominibus enim cōstituitur. nominum autem quodcunq; signum est. quamobrem ab ortu utroq; sensu priuatorum cæci sunt mutis & surdis prudentiores.

b. j.

Quomodo visus
utilior est
auditu.

Ostendere vult hoc in loco Aristoteles quod visus quidem per se utilior & melior est auditu, & e contra auditus visu melior & comodior est per accidens, cum ad prudentiam & disciplinas omnes ex accidenti plurimum conferre percipiatur. Primum autem hoc in loco ostendit philosophus quod visus sit auditu melior. nam multiugas, inquit, visus rerum differentias nobis annunciat & ostendit. cum enim peculiare visus obiectum sit color, omnia autem vel colorata sunt corpora, vel coloris habent initia quaedam: quod ideo dictum est, quoniam perspicuorum natura corporum, que diaphana greci vocant, nullum sane habet colorem: que vero perspicuitatem habet & lucem, que omnium sunt cause colorum, initia colorum & principia iure & merito habere dicitur. Nam verus color, ut videbitur, perspicui actus est terminati. Cum igitur omnia corpora sint colorata, omnimodos cernens & percipiens colores visus, iudicare profecto & rite discernere potest quanam sibi convenientia sint & salutaria, & e contra que perniciosas, & inimicas existant: ut illa quidem prosequi & adipisci valeat, hæc autem declinare & fugere possit. Plurimas igitur rerum differentias non ab re deprehendere censeatur visus, cum omnia (ut diximus) corpora ut colorata sunt, facile intueatur. Ex quo etiam patere potest sensum hunc inter reliquos sensus communia sensilia maxime sentire & percipere. Cum enim inferiora omnia corpora superiora que comprehendat maxime, illa inter alios precipue sentire potest sensus. magnitudo enim & figura, & motus & numerus primo & proprie in corporibus reperiuntur. In rebus enim que numerari possunt, numeri primo deprehensa est natura. Numerari autem possunt illa quecumque sentiri possunt. Quæ (ut diximus) omnia visus cognoscit & iudicat. Ex visu igitur (ut retro dictum est) maxima animalium generi est comoditas, & precipua utilitas. Hoc autem non solum in ijs que ratione utuntur animalibus animaduertere licet, sed in ratione etiam carentibus omnibus visu duntaxat præditis. Auditus autem cum non multas rerum differentias cognoscere faciat, solas enim sonorum strepitusque diuersitates auditus percipit, & de illis iudicium fert, non adeo utilis & comodus esse censetur ijs que illud habet, ut visus. verum is sensus in animalibus ratione præditis non solum sonorum diiudicat rationem, sed etiam vocum sermonumque indicamenta cognoscit. Quoniam autem sermo audibilis existens in causa est ut animal disciplinæ particeps fiat: sermo vero sonus quidam est, vel non sine sono: ideo per accidens auditus in nobis scientiarum omnium non immerito causa esse censeatur. Cum enim sermo auditu comprehendatur, qui ex rerum nominibus componi consistatque perhibetur: nomina autem siue rerum vocabula, signa nimirum sunt rerum extrinsecus animæ notionem positurarum: per sermonem proculdubio illarum in nobis disciplinæ scientiarumque comparantur. Quo in loco aduertere nos Alexander iubet, quod auditus in nobis sermones ex accidenti iudicat & comprehendit, quoniam omnes æqualiter quidem audimus, non autem æqualiter omnes prolata & audita intelligere & cognoscere valemus: neque omnes sane linguæ unius & eiusdem idiomatis loquimur formula. quare obrem sermo, qui disciplinarum in nobis est causa, per accidens est audibilis (ut ita dicatur) & non per se. Non enim ut sermo auditur, sed ut sonus. Quod autem ad prudentiam magis faciat auditus quam visus, signum est, inquit philosophus, quod videmus cæcos natos prudentiores surdis & mutis. Addit autem mutis, quoniam omnis a primo ortu surdus, necessario est mutus. conformare enim sermones, qui arbitrato significant nostro, haudquaquam potest surdus. Cæterum cum istuc quidem (ut dictum esse) certum & verum esse deprehendatur: ad doctrinas tamen, contemplationumque notionem, que hominum inuentioni adscribuntur, & quas quisque ex sese repertas peperisse dicitur, plus conferre visus quam auditus non immerito censeatur. Ex rerum enim visu perceptarum admiratione ad philosophandum primi deuenire homines, & non ex aliqua sermonum auditione.

Quomodo auditus per accidens magis ad prudentiam faciat quam visus.

DE facultate igitur quam unusquisque habet sensus, dictum est prius: verum in quibusnam corporis nati sint fieri sensiterijs, nonnulli sane in ipsis corporum elementis id quaerunt. cum autem non possint quinque ad quatuor deducere sensus, de quinto optare videntur.

Cum sensibus ipsis duæ sane res deseruire cernantur, potentia scilicet quas cum virium, tum potestatum siue facultatum vocabulis sæpenumero appellare consueuimus, & instrumenta que sensiteria vocauimus: de ipsis quidem potentijs in commentarijs de anima se pertractasse dicit philosophus. quare obrem consequens doctrinae merito series esse videtur, sensiteriorum naturam explicat nemque recensere: quod hoc facit in loco. necessarium enim est illi qui de communibus animalium operibus est verba facturum, que consideratio (ut retro dictum est) statim doctrinam de anima iure consequitur, non solum de potentijs & facultatibus, sed de ipsis etiam instrumentis explicare & docere: quoniam cum communes anime corporisque ministri sint sensus ut ad ipsam vergunt spectantque animam, de illorum viribus in commentarijs de anima abunde est pertractatum. Ut autem idem corpora etiam decernunt quaedam quibus utantur, & in actum exeant, id est illa que sensiteria appellamus, recta doctrinae via mox de ipsorum natura merito explicari debet. Id igitur in presentia explere intendens philosophus, dicit quod nonnulli qui ante ipsum de sensibus sunt loquuti, unumquodque sensiterium elementorum singulis conati sunt assignare naturis. Cum autem numero quinque sint sensus, rerum vero elementa solummodo quatuor: nullam rationis inuenientes viam quoniam modo quinque ad quatuor rite conferri possent.

sent, illisq; bene quadrare, optatè visi sunt, & voto magis, quàm re ipsa & veritate perquirere, vt quinquam quãdam corporis naturã, cui quintum nimirum adscriberent sensum, reperire possent. Hoc autẽ dicere videtur philosophus, vt Alexander hic inquit, propter opinionis modũ qui hac de re in Timæo tangitur, quæ Pythagoreorum sententiã esse perhibetur, & à Pythagorico nimirum Timæo recensetur. Dicit enim eo in loco olfactuum & odorum genera mixtam quãdam habere naturã, & ex duobus quodãmodo cõstare generibus. cum enim aër trãsmutatur in aquã, aut cõtrã aqua in aërem vertitur, mediã illam intellectu potius q̃ deprehensam naturã ipsis sanè assignari odoribus, quæ aëre quidẽ corpulentiõr est & densior, aqua autẽ tenuior & subtilior. Erit igitur de illorum sententiã quintum corpus illud quod olfactui nimirũ adscribi possit, ceu fumida quædã euaporatio. nam de alijs quatuor visum quidem igni, auditum autem aëri, gustatum aquæ, & tactum terrẽ proculdubio assignauere.

Verũ omnem visum ad ignem pertinere volunt, quãdo passio-
nis cuiusdam ignorant causam. constricto enim & cõmoto ocu-
lo præfulgens apparet ignis. id autem in tenebris accidere solet,
aut palpebris superinductis. fit enim tunc etiam in tenebris.

AD visum specialiter hoc in loco accedit philosophus, quem sensum igni attribuisse visi sunt
prisci. hoc autem iccirco, inquit, quoniam accidentis cuiusdam causam ignorabant, quæ ab ipso
posthac luculenter assignabitur. Id autem accidens huiusmodi esse percipitur, si oculus com-
primatur, & ab extrinseco quopiam fortiter citòq; commoueat, claritas certe quædam splendescẽs,
& quasi ignis apparet fulgor. Id autem fit aut noctu, inquit, & in tenebris: aut clausis conuiuentibus
que oculis, nam illo etiam modo tenebræ fiunt, & in opaco est oculus: quæ res illis nimirum persuas-
sime videtur quòd visus instrumentum igni proculdubio assignari debeat.

Sed hoc ipsum alteram etiam habet difficultatem. si enim sen-
tientem, & quippiam visu percipientem non contingit latere,
necessarium certe est, se ipsum conspiciere oculum. cur igitur id
quiescenti non accidit?

Istuc, inquit, quòd confricato oculo ignis splendescere videatur, alteram etiam difficultatem &
dubitationis ansam sanè excitare videtur, quasi hoc admittens accidens, verum dubitationem
afferens quandam ijs etiã qui visum ex igne non constare asseuerauerũt. Aut, vt inquit Alexander,
cum pleriq; ob hanc dubitationis difficultatem persuasi aut coacti sint credere & concedere visum
ex igne conitare: philosophus hoc voluit in loco, ne posthac deciperentur errarentq; homines, huius
solutionẽ dubitationis afferre. Est autẽ difficultas & dubitationis modus quẽ adiungere videtur, huius
modi. Si nõ cõtingit latere se ipsum quẽpiã sentientẽ & cernentẽ, vt videat scilicet, & nihil videat, visus
tunc vidẽs necessario seipsum videt & cernit. Tunc enim nihil adest præsens occurritve aliud quod ab
ipso cerni queat. Si autẽ ipse se ipsum videt: non immerito quispiã dubitare poterit cur visus, siue illius
quiescens & non commota vis seipsam non conspiciat, commotis autem & confricatis oculis id ipsum
facere percipitur, & seipsam videre. Quo in loco recte profecto nos D. Thomas admonere videtur,
cum dicit dubitationẽ hanc ad homines sanè illos spectare qui visus sensiterium igni adscribebant. D. Thomas.
Ex Aristotelis nanque principijs nullum hac de re dubitatio eiusmodi habet locum. Cum enim sen-
sus de illius sententiã sit in potentia ad ipsum sensibile, summa certe necessitas est vt per quoddam me-
diũ ab ipso immutetur sensibile. vnde sensibili re super sensum posita, nullum effici posse sensum ipse
vult, vt in commentarijs de anima est ostensum. Verum de illorum sententiã quos in præsentia repre-
hendere vult philosophus, visus & alij etiam sensus dum actu tales existunt, sensibilia percipere censentur.
Actu autem eiusmodi existere, est sensibilibus esse similes, & principiorum habere naturam. & iccirco
de illorum sententiã visus sensiterium ex igni constabat: conclusioque sequebatur illa, vt prædicto
modo ignem oculus cerneret. Quamobrem integra adhuc philosophi restat dubitatio, cur quiescens
& incommotus oculus ignem nusquam cernat, cum alioqui commotus illum cernere dicatur.

Huiusce autem rei causæ & dubitationis, & cur visus ignis esse
videatur, hinc sunt accipiendæ. Læuia enim in tenebris nata sunt
fulgere, non tamen lucem facere. Id autem quod in oculis ni-
grum appellatur, & mediũ est, læue esse apparet. Id autem cõmoto appa-
ret.

ret oculo: quoniam tunc accidit vt vnum quasi duo fiat. Istuc autem celeritas efficit motionis, vt appareat diuersum esse a vidente id quod cernitur. quamobrem non fit hoc, nisi celeriter & in tenebris fieri contingat. Læue nanque in tenebris natum est splendescere, vt piscium quorundam capita, & sepiæ atramentum. Et oculo tarde cōmoto nō contingit vt simul appareat duo & vnum esse, videns, & id quod cernitur: eo autem modo, ipse se ipsum cernit oculus, ceu in quodam repercussu.

Cum retro (vt vidimus) duas commouerit quæstiones Aristoteles, hoc in textu sub manum (vt aiunt) vtraque soluere aggreditur, illā scilicet priorem cur visus appareat igneus esse commoto in tenebris oculo: & alteram, cur visus seipsum conspicit & cernit cōmoto & confricato oculo: qui alioquin eo quiescente se ipsum haudquaquam cernit. Cæterum quædam prius huc spectantia in præsentia præmittere videtur, de quibus in commentarijs de anima præclaros fecerat sermones. sunt autem eiusmodi, quod læuia scilicet & bene terfa corpora in tenebris fulgorem quendam ex sese emittere solent, quoniam eminentes neque depressas habent partes, sed vno tenore constantes, quæ sibi inuicem officere non possunt. A modico igitur luminis radio excitata, à quo nusquam priuatur omnino aër, fulgere & splendescere percipiuntur, non tamen lumen emittere solent. eiusmodi enim in tenebris cōspicere possumus corpora, non tamen illorū causa alia cernere valemus. Huiusmodi autem nigrum esse oculi, quam pupillam vocāt, manifeste apparet. politum namq; & læue & tersum est, & propterea bene fulgens & splendescens: quam ob rem visu facile deprehēdi potest. Ex quibus primæ ad ductæ quæstioni clara sanè patere potest responsio, quod videlicet si noctu oculus & in tenebris confricatus & commotus resplendeat, non iccirco igneum esse visum existimandū est. alia namq; melior & verior illius fulgoris est causa: pupillæ scilicet læuitas. Quāobrem autem is cernatur splendor cōmoto in tenebris oculo, qui tamen illo quiescente non apparet, quæ secunda fuerat quæstionis difficultas, inde animaduertere licet: certum est in tenebris, aut conclusis etiam oculis (quoniā eo etiam modo fiūt tenebræ) pupillam videri posse. hoc autem iccirco, quia læuis est (vt diximus) & polita. videt autē seipsam dum mouetur, & non dum quietam manet: quoniam visus, vt sensus est omnis, cum ex illorum sit numero quæ ad aliud dicuntur, ad alterum quiddā certe relationē habet. Donec igitur solitaria & vna permanet pupilla, nihil omnino cernere potest. quādo autem confricatur & commouetur, in celeri illa festinaq; agitatione, translationisq; modo, illius commutatione partium vnica existens duo quodammodo fit, videns scilicet & visa: visa quidem in cōmutatione translationeq; illa, videns autem in suo ad naturalē locū reditu. Dū quiescit igitur & manet, quia vna est, haudquaquam se videt. hæc enim est quæ videmus, nō quæ videmus. dū autē celeriter mouetur, & huc illuc trāffertur, ad locū statim rediēs suū, nimia celeritate videns fit, & visa. offendens enim fulgorē illum quē ipsa translata quodātenus effecerat propter repentinā motionis suæ celeritatem, adhuc constātem & integrū, & illum ceu ab alio effectum cernens, se ipsam cernere dicitur, tanquā si in peculiari perstans & manens loco, alterius cuiusdā corporis ibi compertū cerneret lumen. Hoc autem oclusis nimirū cernitur oculis, & in tenebris accidit, quoniam nulla opus est externa luce vt terfa læuiq; deprehendantur, cum ipsa per se causam habeant, vel potius in se gerant initia per quæ cerni possunt, ipsam scilicet fulgoris speciem, dummodo in diaphano, id est in perspicuo, qualis aëris est natura, esse reperiatur. Cæterū hoc in loco nō oscitans sanè ambigere merito posset lector, quam ob rem scilicet hæc de qua loquimur pupilla, noctu & in tenebris non videtur ab ijs qui è regione positi ad illā intentis prospiciūt oculis, quæadmodum nonnulli ex ijs quæ fulgorem habere percipiuntur, videre contingit, quorum quædam ab ipso hoc recensentur in textu: piscium videlicet quorundam capita, & sepiarū atramentum, oculiq; insuper leonū & felium: quorū etiā de numero pusilla quædā sunt animalia quæ extremo cernuntur vere, ætatisq; principio, cicindelas nostri, lāpyridas græci & *πυρολαμπής* appellāt. Cui quæstioni hoc occurrēs in loco Aphrodiseus philosophus in causa esse dicit, ne pupilla hoc cernatur modo, cōtuentiūq; se noctu oculos moueat, ab illisq; cernatur in tenebris, superinductā pelliculam, quæ splendentī pupillæ officere videtur ne extrinsecus pateat. non enim in omnibus, inquit, oculis illa similiter se habet pellicula: neq; eosdem ab omnibus fulgores læuibus & deterfis corporibus æque reddi & prouenire existimandum est. Verum alia etiam via industrius & quæsitō animus hac de re merito ambigere posset, quonā modo res eadem videns & visa ob translationis (vt ait philosophus) celeritatē esse potest, quasi alia fiat & alia? Si enim is qui cernitur fulgor, pusillo etiam temporis spatio permanere & restare posset dum trāffertur pupilla, & alia illius pars in alio diaphani reperiretur loco, existimari forsitan iure posset visum in proprio reuersum loco, & existentem in peculiari naturæ suæ situ, offendere passionem illam, id est fulgorem, eo loci vnde diductus fuerat, adhuc restantem, & illum cernere. verū quoniam id fieri nō posse videtur, neq; enim alijs id accidere percipimus corporibus quæ fulgorē ex sese reddūt, sed potius corpore splēdido remoto illius subito cessare fulgorē. Et non solū in fulgētibus hoc accidere percipitur corporibus, sed in omnibus etiam visilibus: quoniā nullus in diaphano passiue recipitur color:

Quæstio.

Solutio.

Dubitatio.

neq; quod perspicuum est magis, in luce etiã ipsa hoc euenire percipimus. simul enim in diaphano cessante videtur lux cum luminosi cessatione, remotioneue corporis ad cuius presentiam erat lux. Si igitur in omnibus id verum indubitatumq; esse apparet, quoniam pupilla poterit modo in loco sibi naturali consistens, etsi celerrime ad illum sit delata, offendere residere ibi fulgorem qui in ipsa certe est, & cum ipsa nimirum simul moueri & transferri merito censetur? Quemadmodum enim simul esse non potest, & non esse in proprio & peculiari sibi loco, etiam si celerrime illam moueri contingat, cum omnis tempore indigeat motio: ita neq; poterit fulgorem qui in ipsa sanè est, conspiciere quasi in alio residentem loco. Dicendum igitur est, vt ab Alexandro hoc in loco recte dicitur, quod id quo cernimus corpus, id est ipsa pupilla, cum magnitudine non careat quadam, in sectiones nimirum & partes diuidi secarique potest. Non igitur existimandum est quod in eiusmodi visione vnum fiat duo, siue ex vno proueniant duo, perfecta inquam & absoluta: & idem, vt idè solitariũ & vnicum, videns sit & visum. Hoc enim fieri non potest: verum recte fieri potest quod illius quora pars sit videns, alia vero pars quæ videatur: ita quod idem per diuersas sui partes & videns sit, & visum. Nam cum in oculi confricatione pupilla eo moueatur modo, vt neque secundum omnes sui partes in naturali consistat loco, neque rursus secundum se totam à proprio loci sui recedat situ: à vero non est absentiũ, id quod ex ipsa in proprio relicto loco, per poros siue meatus qui recta ad primum sensiterium visiles transmittunt species, partis illius transmittere fulgorem, quæ confricationis motu à proprio diducta loco, quasi alia quædam esse censetur: eoque sanè modo pupillam & videre seipsam, & à se ipsa conspici & videri posse, nullum (vt arbitror) est inconueniens. Videt nanque se ipsam pupilla, quia suam conspicit partem vt aliud quippiam & diuersum, cum in alio existat cernaturque loco: quæ sanè pars loci mutatione proprii pro vidente effecta est visum. Quod autem hoc in casu pupilla non alium quam proprium cernat fulgorem, vel inde patere potest, quoniam non separatam quendam & stantem conspicit fulgorem, sed transcursum cernit quendam, & quasi transeuntem fulgoris speciem. Potest etiam fieri, inquit Aphrodisius, quod confricationis illius motione pupilla totum loci sui naturalem exeat situm. cumque omnis in tempore fiat motio, in illius regressu potest pars illa quæ ad naturalem prior reuertitur locum, in illo constituta splendorem cernere partis adhuc extra proprium locum existentis, & ad illum nimirum festinantis: quam ob rem fulgor ille celerrime dilabi & transire percipitur. & hoc est, inquit Alexander, quod antiquiores illos nimirum decepisse videtur qui visum esse igneum sunt arbitrati propter fulgoris illam eo in casu apparentem speciem, existimantes omne splendescens & fulgidum igneum esse, quoniam ignis splendescit & fulget. Cæterum illam haudquaquam conuerti & recurrere, per sequelam manifestum sanè est, cum multa (vt diximus) sint fulgentia quæ igneam non habent naturam. Illud autem in litera, Ipse se ipsum cernit oculus, ceu in quadam repercussu: hunc habere videtur intellectum, quod videlicet ita est in hoc casu confricationis oculi, vt apparet in speculorum nitore, & in alijs etiam in quibus per radiorum repercussus, id est refractiones & reflexiones ipse se ipsum cernit oculus. In illis enim id quod vnũ sanè est, vt duo existit, id videlicet quod repræsentatur, & est imago illa quæ in speculo cernitur, & illud à quo ea efficitur imaginis repræsentatio: & id profecto est quod videt. nam quod oculi pupilla non ex amissum & secundum omnes sui partes eodem existens in loco cernere & videre possit, manifestum certe est ex strabonum videndi modo, & ex ijs qui distortas sanè & peruersas oculorum habent acies: qui licet peruersè videant, vident tamen.

Solutio.

Quoniam si ignis esset, vt dicit Empedocles, & in Timæo scriptum est, & videndi ratio contingeret exeunte quasi ex laterali lumine: cur nam in tenebris non cerneret visus? Nam dicere in tenebris restingui exeuntem visum, vt Timæus asserit: vanum est omnino. Quænam enim luminis est extinctio? Restinguitur nanque aut in humido, aut in frigido calidum & siccum, cuiusmodi ignis esse videtur qui in carbonaceo est genere, & ipsa flamma: quorum neutrum luminis inesse videtur. Si autem inest quidem, verum quia leuiter, nos latet: oportebat profecto per diem, & in aqua lumen restingui: in glacie vero maxime tenebras fieri. Flamma enim & ignita corpora istuc pati percipiuntur. Nunc autem nihil accidit huiusmodi.

Cum ostendisset nobis causam philosophus cur commoto & confricato oculo splendor quidam in tenebris appareat, propter quod accidens nonnulli priorum (vt retro dictum est) visum ignis elemento adscribere: in presenti declarare aggreditur textu quod neq; fieri potest vt visus ex

b. iij.



igne constet, hoc taxans in loco Empedoclem & Platonem, qui huius opinionis & sententiæ assertores sanè fuisse videntur: vt de Timæo etiam Locrensi intelligatur, cuius philosophiæ modum insecutus est Plato. qui profecto viri cum visum ipsum igneum esse dixerunt, tum ipsum videndi modum in animalibus effici, quoniam ab illo exiens procurrat lumen, vt ab accensis facibus, & à lateræ cornu lux exire solet. Si enim, inquit philosophus, visio hoc fiat modo, quid intercedit causæ cur in tenebris non videamus, & noctu cernere nobis non concedatur? consentaneum enim foret vtique noctu videre posse animal, si quidem igne constat visus, & à sese nimirum iaculatur lumen. Tangit autem hoc in casu non videndi causam, quam in Timæo suo scriptam reliquit Plato: illamque futilem & vanam esse conatur ostendere. Ait enim vir ille quòd ab oculi pupillæ procurrans lumen cum exiens offendit & inuenit exterius in aëre lumen, confortatur quidem, & vegetius redditur, permixtumq; mox illi ceu cognato & compari, in causa sanè est cur cernere possit animal. Quòd si noctu exeat, circumfusis certe miscetur tenebris, & in continentem aërem incurrens diuersum & disparem, concidit nimirum, & extinguitur. Cæterum fortasse non erit malū hoc in loco vt vniversa melius isthæc animaduerti possit res, Timæi textum ad verbum expressum apponere: qui hoc ferè se habet modo:

» Ignis certe illius qui non adurit quidem, sed illuminando suauius diem mundo aduehit, participes
 » oculorum, orbes dii fecerunt. Intimum siquidem nostri corporis ignem huius ignis germanum synce-
 » rumque per oculos emanare voluerunt, in quibus leuis congestusve vbiq; ignis huiusmodi sit, sed per
 » illorum duntaxat solidiorem angustamq; medietatem ignis purior euolet: crassior vero cohibeatur.
 » Itaq; cum diurnum lumen applicat se visus radio, tunc ea duo inter se similia concurrentia atq; com-
 » mixta, quòd oculorum diriguntur acies, ibidem in vnus iam domestici corporis coalescunt speciè, vbi-
 » cunq; videlicet tam interni quàm externi luminis sit concursus. Totum igitur hoc ob similitudinem
 » eadem sortitum passionem, cum quippiam aliud tangit, vel ipsum ab alio tangitur, motum huiusmo-
 » di ad omne corpus, perq; id ad animum vsq; diffundens, censum efficit qui visus vocatur. At postquā
 » in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius euanescit. nam in aërem sibi dissimilem erumpēs
 » permutatur atq; extinguitur, cum nullam habeat cum proximo aëre splendore carente, vt pote ignis,
 » naturæ communionem: iccirco videre desinit, somnumq; inducit. Hæc Timæus. Cæterum quòd
 » isthuc absurde dicatur, & quòd à circumfusis tenebris lumen ab oculis exiens non extinguatur, ostē-
 » dit per modum quæstionis interrogans philosophus quænam sit luminis ipsius extinctio. Certū enim
 » & indubitatum esse inquit quòd calidum & siccum, id est ignis, interimi & extingui ab humidi & fri-
 » gidi natura natum est. Contraria nanque à contrarijs corrumpuntur & intereunt, veluti in ignitis car-
 » bonibus & lignis ignem & flammam ab aqua frigida humidamq; natura restingui videmus. quorum
 » neutrum, inquit, luminis inesse percipimus, id est neq; ignem, neq; flammam. Non extinguitur igitur
 » lumen à frigido, neq; ab humido. Siue vt alio hæc litera exponatur modo: quorū neutrum luminis in-
 » esse videtur: illorum scilicet à quibus ignis extinguitur. neq; enim ab humido, neq; à frigido lumen
 » extingui percipitur: ita vt intelligatur illud, neutrum illorum luminis inesse videtur, id est à neutro illo-
 » rum lumen patitur, à quibus videlicet ignis extinguitur. sunt autem illa, frigidū, & humidum. Si autē
 » lumē exit ab oculis, nec extinguitur in tenebris, sed hebes fit, & imbecille redditur, & iccirco nos latet,
 » & hanc ob causam non fit visio, cum debile videlicet & mancum sit lumen illud, & neq; coalescat,
 » neq; ab externo compari & cognato iuuetur lumine: per diem, inquit, & in aquis necnon in glacie ex-
 » tinguetur magis, in quibus sanè temporis constitutionibus frigidum & humidum à quibus hebescit,
 » & imbecille redditur id lumen, fortiora sunt & valentiora, quàm sint in tenebris. Hoc autem cum non
 » contingat, & minime fiat, certum sanè esse constat, id quod exit ab oculis, in tenebris ab illarum hu-
 » miditate & frigiditate haudquaquā extingui & interire posse. cernit igitur in tenebris animal. quod
 » sanè voluit Plato. Fertur autem huius textus alia etiā litera, quæ, vt inquit Alexander, cum clarior &
 » rector est, tum sequenti etiā textui accommodatior, hoc se habēs modo: Quorū neutrum circa tenebras
 » apparet. quæ hunc habere videtur sensum: quorum neutrum, scilicet neque frigidum, neq; humidum,
 » circa tenebras esse apparet: aut si sunt parua & imbecilla, verum talia quæ tamen valeant lumen ex-
 » tinguere, quia scilicet tenue est & hebes, & quod facile pati possit: interdum hoc, & in aquis & glacie ac-
 » cidere videretur magis. quod tamē fieri non animaduertitur. Non igitur lumen ab oculis exiens & pro-
 » currans restinguetur in tenebris. Si autem illo non extincto necesse est videre, inquit Alexander, si ex-
 » tramittatur lumen: non videmus autem in tenebris: non extramittitur igitur lumen illud, neque per
 » splendoris (vt aiūt) exitum videre contingit. Quòd autem tenebræ non sint frigidæ neq; humidæ
 » suapte natura, à quibus duabus nimirum rebus ignis lumen extingui natum est, manifeste patere pos-
 » test, inquit ille, quoniam in arenis & calidissimis regionibus & siccis maxime locis non minus frūt
 » tenebræ, quàm in locis contratio se habentibus modo: quæ tamen loci, vt patet, natura neq; frigidæ
 » neq; humidæ esse possunt. Cæterū quoniam occasione hic à philosopho sumpta, peculiaribus quibusdā
 » rationibus redarguere conatur Aphrodisæus illorum sententiam qui visionem radiorum procurfu ex-
 » trinsecus fieri voluerunt, illius hoc in loco nihil (vt arbitror) prohibet rationes adducere. Si enim, in-
 » quit, igniti luminis procurfu & effusione in animalibus fit visio: ea quæ sub aquis sunt, nimirum
 » non cernerentur. Atqui in fontibus ad vadum perspicuis lapilli clare cernuntur, & in lympidis
 » etiam lacubus natantes pisciculi. Per exitum igitur aut extramissionem igniti luminis haudquaquam
 » fit visio. quonam modo enim, inquit, igneum illud lumen aquam intrare poterit, & non restinguis

Timæi textus.

Alia textus
litera.

Digressio.

Quòd visio
non fit extra-
mittendo ra-
dios, Alexan-
dri rationes.

Præterea hebes illud & imbecille lumen ab oculis exiens, rationabilius, inquit, interdiu quàm noctu exingui par est. quod Timæus negat. cernere enim licet paruos ignes & exilia lumina à magnis: & excellentibus euanescere & interire splendoribus. officitur namq; candelæ lumen à solis lumine: & quæ noctibus ex sese lumē reddunt corpora, die aut nō fulgent, aut obscure admodum & debiliter nitent. Quāobrē rationabile magis est, inquit, si per luminis extramissionē visio fieret, vt noctibus potius quàm interdiu animalia cernerēt. quod quia fieri non cōtingit, neq; visionē certe per procurrētes fieri radios vero est cōsentaneum. Hæc Alexander. Cæterū quoniā hoc in loco Aristoteles & Alexander & plerique alij Peripateticorum, iniuria me equidem (vt arbitror) Platonem taxare videntur, & visionem de illius sententiā effusione igniti fieri luminis per oculorum pupillas emicantis, constanter asseuerāt: idq; illi imputare contendunt, quod vir ille haudquaquam sensisse videtur: veritatis gratia, quæ à viris philosophis numinis (vt aiunt) instar semper est colenda, nonnulla in medium afferre decreui, quæ cum Platonis hac de re indubitata explicabunt sententiā, tum Aristotelis Alexandriq; retro adductas rationes verba magis carpere, quàm illius viri sensum reprehēdere & labefactare clarissime (vt opinor) ostendent. Ad manifestiorem autem huiusce rei ostensionē de visionis modo ex antiquorū sententiā nonnulla sunt alius repetenda. Duo apud antiquiores philosophos, quorū aut ex peculiaribus commentarijs, aut ex aliorum historijs dogmata cognita habemus, de videndi ratione & modo principales fuere sententiæ. Nanque alij per receptionem quandam intrinsecus siue specierum, seu imaginum quarundam, & idolorum à sensibus emanantium rebus, visionem fieri voluerunt. Alij vero per effusionem & excursum siue spirituum splendidorum & illustrium, seu luminosi cuiusdam radij & vis talis ad visiles vsque res extēsi, & illas contingentis, videndi in animalibus actum effici asseuerauerunt. Vtrique autem, & ij qui per emanationem, & illi qui per interius assumptionem, videndi opus fieri voluerunt, bifariam sunt diuisi. Nam vel per materialium corpulentarumque rerum cum influxum, tum effluxum id effici censuerunt: vel e contra per spiritualium materiaque carentium rerum ingressum aut egressum animal videre dixerunt. Et in ijs, omnium ferè quos vidimus, aut ab alijs sanè percipimus philosophorum veterum de videndi ratione & modo omnes nimirum colligi possunt opiniones. Verum vt enucleatius eæ ipsæ cum assertoribus etiam explicentur suis, animaduertendum est Pythagoram Samium primum, quod sciam, Pythagoreosque ferè omnes, quorum tum in vniuersa Græcia Asiæque tractu, tum in ea etiam Italiæ ora quæ ab illis magna est Græcia appellata, celebre venerandumque semper fuit nomen, visionem semper fieri voluisse per visui cuiusdam luminis reflexionem, & retro vnde exierat, recursum, postquam res visiles offendisset. huiusmodi enim lumen ab oculis exiens, & recta ad visilem vsque rem procurrens, illius sanè occursum repercussum, ceu à denso quopiam & terfo corpore, vibrari, & in se redire, rursusque ad oculos ferri, eorum quæ contigisset integras seruans imagines, voluerunt. Ad summam, simile quiddam esse isthuc visionis opus dixerunt, ac si quis ad quippiam suam extenderet manum, rursusque illam ad se retraheret, & ad humerum reuocaret. Democritus autem, & Leucippus, necnon Atheniensis Epicurus, à rebus quibusque per tenues corporum poros & meatus materiales quasdam effluere dixerunt imagines, quæ ad præfinitum certumque medij interstantis spatium non solum corporis qualitates conseruarent, sed formas etiam & figuras integras custodirent & retinerent: quæ postmodum per occultos videntis ingressæ meatus, non solum visum, sed fantasiam etiam ipsam ad se dignoscendum percipiendumve efficaciter excitarent & mouerent. Empedocles autē Agrigentinus, cū simulacra illa & imagines extrinsecus illatas (vt Democritus & Epicurus voluerūt) tum exeuntes ab oculis radios, & visile rei superficiē ceu manu cōprehendentes, visionis in animalibus esse voluit causas. Cui Hipparchus Nicæus astipulatus sanè esse videtur, qui vidēdi actum per visiuos quosdā radios ab oculis exeuntes, & totam visilis rei superficiem ceu manu comprehendentes, & eiusmodi apprehensionem visiuæ facultati subministrantes & nunciantes, visionis effectricem esse causam asseueravit. Chrysippus autem, & vniuersa ferè Stoicorum natio, à principali animalis parte, quam ἡγεμονικὸν illi appellant, & cor esse volunt, visiuum quendam & igneum ad oculorum vsque pupillam procurrere spiritum voluerunt, qui turbini cuiusdam figura, quem conum vocant, inde postmodum profiliens, circumfusum percutit aërem, & ad rem vsque visilem cum illo tendere nititur: & si quidem cognatum sui que similem illum forte offenderit, clarum inquam & pellucidum, rem proculdubio totam vt est percipere illum & videre posse dixerunt. sin minus, aliud quidem non cernere visile, ipsas autem tenebras quadam sui claritate res sperfas & affectas tunc sanè conspiciere & videre asseuerarunt. Voluere namq; Stoici tenebras per se videri, quas alij ferè omnes philosophi ex consequēti & per accidens percipi posse dixerunt. Aristoteles autem, & Peripateticorū ferè omniū chorus videndi opus in animalibus fieri censuerunt per specierum visilium multiplicationem quandam & ex crescentiam in medio disposito & proportione correspondente, quæ visus sensiterium ingressæ illud afficiunt quodammodo & mouent peculiaris cuiusdam motionis genere, cuius finis & terminus immaterialis quædam existit species, quæ animæ iudicium excitat. Voluere namq; illi extrinsecus positas res in spiritum agere animalem, qui omnium sanè instrumentum est sensuum: cuius passionis (corporeus namq; is est) terminus immaterialis (vt diximus) est species, à qua rationalis vita postmodum excita iudicium nimirum profert suum. Qua de re quia plura in proloquijs nostris diximus cum de sensus principijs ageremus, hæc in præsentia cur

b.iiij.

Platonis de
sensu de vi
dendi modo.Duo de vidē
di modo anti
quorū senten
tiæ.

Pythagorei.

Democritus.
Leucippus.
Epicurus.Hipparchus
Nicæus.Chrysippus
& Stoici.Stoici tene
bras per se vi
deri voluerūt.
Aristoteles &
Peripatetic.

Plato & Academici.

Luminum
συναυγία

Quid est animam sentiens
dis similem red
di rebus.

Pro Platone
ad obiecta.

sim dicta sufficiant. Plato vero Atheniensis, & omnes post illum Academici visionis actum cum Pythagora & Empedocle, & omnibus ferè antiquioribus consentientes, extrahendo fieri voluerunt, licet inter ipsos postmodum Academicos peculiare quaedam huius dogmatis diuersæque pululauerint opiniones: quas, quoniam ad propositam rem haudquaquam facere videntur, hoc in loco silentio præteriens, ad Platonis explicandam sententiam, cuius retro verba ex Timæo inuertimus, me conuertam. Voluit enim diuinus ille vir in videndi opere ab oculis lucidos quosdam effluere & emanare radios, siue luminosos spiritus eos appellare maluit, corporeos quidem illos, cum de corpore exeant, verum tenues admodum, & pellucidos, ita ut quodammodo inter corpoream incorporeamque naturam medijs recte existimari possint: hos in cognatum exeuntes aërem, actu inquam lucidum & perspicuum, quadantenus cum illo ferri, ab eoq; foueri, & robur capere. Parique etiam modo à visibili re in idem medium excerni exireque lucidos quosdam radiorum nitores. Luminis enim naturam omnes nimirum referunt colores, & lumina profecto quaedam esse censentur, qui prioribus complicati mistique radijs, & vœuti in vnum per omnia consonans corpus coalescentes, apta quadam proportionis harmonia illam nimirum luminum efficiunt cōmitionem & complicationem, quam Academics συναυγία, nos corradationem dicere possumus, à qua per sympathiam quandam, naturæque concordiam, intrinsecus commotus spiritus, is scilicet qui sensuum est instrumentum omnium, vitæ id annunciat & indicat suæ: quæ affectionem illam siue passionem spiritus in immaterialem postmodum transferens speciem, animæ iudicium excitat, & ut illa in se latentem proferat rationem illi congruam speciei, nimirum efficit. Cum igitur animam de Platonis sententia sentiendis rebus fieri dicimus similem, non profecto eò dicimus, quòd ab illis quippiam accipiat anima, sed quoniam per illorum agere rationes censetur. Et hæc sanè sunt quæ Plato de videndi modo, cum in Timæo (ut retro vidimus) tum in Sophista suo, & in commentarijs de republica sensisse videtur: quæ non modo non dissentire, sed eadem etiam esse ijs quæ hac de re Peripatetici voluere, cum in proloquijs nostris ostēderimus, non est cur eadē in præsentia repetere & inculcare contendamus. Ex quibus, ni fallor, manifestò cuius liquere potest ea quæ ab Aristotele & Alexandro contra Platonem hoc commemorata sunt loco, nuda potius carpere & taxare verba, quàm illius aliqua in parte sententiam reprehendere & labefactare. Licet enim pellucidos illos siue spiritus, seu radios ignem esse dicat, & in aërem exeuntes tenebrosos, illos extinguere & interire asserat, & consueto sermonis sui in ijs ut in alijs pleriq; vitatur modo, non tamen ex illa ignis eos censet esse natura, quæ profecto cum contraria habeat frigidum & humidum, ab illis nimirum corrumpi & interire possit: sed ignis vocabulo intelligere vult lucidos illos & veluti calentes radios, qui vitalis spiritus actus existunt quidam, quibus nulla prorsus primarum qualitatum merito censetur esse contraria: sicut neq; ipsi lumini, quod splendidi & pellucis corporis actus esse perhibetur. quam rem à principio statim retro dictæ ex Timæo literæ ipse declarat Plato cum ijs verbis scribit: Ignis certe illius qui non adurit quidem, sed illuminando suauiter diem mundo aduchit, participes oculorum orbes dii fecerunt. Quod paulo post etiam clarius ostendit, quādo ignis loco, luminis & radiorum vocabulis ea in re vitatur. Neq; mirum profecto alicui videri debet si in eiusmodi re ignis vsus est nomine Plato. vitalis enim spiritus, cuius illi actus sunt radij, totus splendescens, totus calidus est. quod ipse etiam in commentarijs de anima sensisse videtur Aristoteles cū scribit sensus omnes calido indigere, id est spiritu. sic enim legitimi omnes illius interpretes eum exponunt textū. Si igitur hoc in loco igne pro lucido illo radio (ut par est) intellexerimus, & sensum magis quàm verba pensitare voluerimus, vniuersa profecto inter hos philosophos cessabit cōtrouersia, & dissidium faceffet: & neq; frigida & humida ad videndū obstare poterit natura: neq; glacies, aquarumq; perspicui latices visionē interiment, nulli sanè contrariæ qualitati obnoxia: multoq; minus certe diurnum illi officiet lumen, à quo nimirum iuari & foueri, vegetaq; & valens effici nata est. verum quoniam semel hac in re ignis vocabulo vsus est Plato, consuetoq; translationis modo: haud mirum alicui esse debet si visus etiam cessationem propter medijs non habilem cōstitutionē, tenebrarumq; offuscationē, illius interitum extinctionemq; appellat. quamobrem illis sui reprehendendi ansam nimirum præbuisse videtur. verum radij illi quos ignis vocabulo appellat, neque intereunt (ut diximus) neq; extinguere possunt: sed officiantur & cessant, non alio rationis modo, quàm clari iactus eiactatioque luminis opaco interposito corpore impediri cessareq; percipitur. Nam de illorum ab oculis exitu, & quòd eocernant animalia modo, quod hoc etiam in loco reprehendere Aphrodiseus videtur, quoniam longiores accuratioresq; mox sermones habebimus, huiusmodi disquisitionis ratione ad id temporis reseruaata, eo vnde egressi sumus reuertamur, & ad philosophi literam deueniamus.

» **E**mpedocles autem arbitrari videtur, interdum quidem exeunte
» (ut dictum est) lumine visionem fieri. scribit namq; sic. Ceu cum
» quis progredi meditas, laternam præparauit, hybernā per noctem
» ignis ardentis lumen accendēs, splendidum cornu, omnimodi obstaculum
» flatus: quod ventorum quidem flantium dissipat spiritum: extrin-

» fecus autem extensum exiliens quantum procurrerit lumen, splendescit
 » per pauimentum indomitis radijs: sic qui in tuniculis constringitur anti-
 » quus ignis, subtilibus velis rotundam complectitur pupillam: quæ circū-
 » fluentis profundum continent aquæ: ignis autē exiliens extensius se por-
 » rigit. Et interdum quidem sic visionem fieri dicit Empedocles: interdum
 » autem per defluxus qui à rebus quæ cernuntur, fiunt.

Post enarratam examinatâque de videndi modo Platonis Academicorumque opinionem, Empe-
 doclis de visu sententiam in medium adducit philosophus: primoque illius incōstantiam taxat,
 qui aliàs quidem visionem fieri per lumen extra oculos exiens & emissum velit, aliàs autem per
 10 decisiones quasdam siue effluxiones, quas vocat ἀπορροίας, à corporibus quæ sub visu cadūt, eandem
 fieri asseuerat: ponitque heroica hac de re illius carmina. nanque certum est Empedoclem, sicut Parmeni-
 dem etiam & Melissum, antiquissimosque illos cum theologos, tum physicos, suam carminibus philoso-
 phiam conscripsisse. quæ carmina cum græce pronunciata multum leporis habeant & gratiæ, & cum
 figurarum, tum sententiarum etiam splendoribus enitescant, nescio quomodo inuersa id omne amit-
 tere & deperdere videntur decus. studuimus tamen saluis semper sententijs pro virili nostra ad illorū
 etiam verba & dictiones, vt omnibus pateant magis, pedestri oratione peruenire, & styli nostri aciem
 20 dirigere & accommodare: quæ etsi illam elocutionis non attingit gratiam, à sententiarum certe verita-
 te non aberrare conatur. Vult igitur interdū Empedocles (vt philosophus dicit) visionē in animalibus
 fieri per radiantis cuiusdam ignis ab oculis effusionem, non aliter quàm a laternæ cornu prodire solet
 lumen cum quispiam illam præparans & cōcinnās noctu quopiā ire perrexerit: quæ certe laterna irru-
 entes ventorum arcet propulsatque procellas: subtilissima autem ignis pars à nullo prohibita & præpe-
 dita exterius emicat & proflit: & illud est vere lumē. Parique modo ab oculorū tunicis & velaminum
 inuolucris cōtentus ignis, ab externis quidē cōtrarijs immunis redditur: subtilissima autē & tenuissima
 sui parte foras exilit, & per illā animalibus videndi cōceditur facultas. Hæc vniuersa ferè Empedoclis
 carminū est sententiā, quæ hoc in textu interiecta quia longum sanè faciunt hyperbaton, id est amplam
 interpositionem: idcirco superiorem replicat philosophus literam, dicens. Interdum quidem sic visionē
 fieri dicit Empedocles, id est exterius effuso & emissio lumine: interdum autem per defluxus qui à reb⁹
 quæ cernuntur fiunt, id est defluxionibus quibusdam & emanationibus à visis rebus minutarum qua-
 30 rūdam partium, quæ visui appellentes, quando aptæ conuenientesque fuerint poris & meatibus ibidē
 existentibus & repertis, illos sanè ingrediuntur & penetrant, & eo visionem efficiunt modo. Quo in lo-
 co opportune sanè nos animaduertere iubet Alexander, quæ huiusmodi etiam meminit opinionis Plato
 in dialogo qui Menon, siue de virtute inscribitur, quam etiam Empedocli adscribit: & secundum hanc
 illius sententiam colorum definit naturam, esse illam asserens defluxionem quandam siue emanationē
 corpusculorum visioni proportionatam, & sensilem. Cæterum si hoc etiam in loco quispiam boni con-
 sulēs, Empedocli iure suffragari vellet, sanè iudicij modo illius moderari cuperet dictis, visionem de
 illius fieri sententiā posset asserere, tum per visuorum exitum radiorum, tum per interni affectionē spi-
 ritus, & speciei postmodum intrinsecus transformationem, a qua (vt retro dictum est) animæ iudiciū
 excitatur. hac enim in re antiquiorū omnes consentientes sanè vidētur esse sententiæ. Sed quia dū hæc
 40 commentaremur, Empedoclea fortasse afflati musa id ipsum versibus ex eodem (vt aiunt) oleo & ope-
 ra reddere nobis contigit, idcirco hic illos subdā, vt studiosus lector non tantum de serijs, sed de ludis
 cris etiam nostris iudicium ferre possit: quem etiam præmonitum velim, vt aduertat sedulo in impres-
 sis exemplaribus græcis quædā verba de Empedoclis carminibus perperam legi circa illorum finem.

Ac veluti prudens hyberna nocte viator

Lychrum flagrantis fulgorem præparat ignis:

Ac prohibetricem ventorum hinc inde frementum

Laternam accendit, qua retropellitur euri

Spiritus efflantis, tum quanto limite fertur

Exiliens lumen, radijs loca senta relucent

Indomitis, adeo vis magna emanat ab igni:

50 Sic ille antiquus cælesti è fomite nobis

Ingenitus qui membranis includitur ignis,

Pupillam velis subtilibus vndiq; tectam

Continet, & miris communit viribus orbem:

Quæ circumfluitantis aquæ caneq; profundam

Circundant sedem: sed longe acerrimus extra

Dissiliens ignis leuioribus emicat alis.

Democritus autem quod aquam quidem dicit esse, recte dicit: quod vero videndi opus imaginem existimauit illam, non recte. Hoc enim accidit quoniam laeuis est oculus: & non est in illo, sed in vidente. reflexio enim quaedam illa est passio. Caeterum de imaginibus, & reflexione, nondum illi (ut videtur) erat perspectum. Absurdum quinetiam est illi in mentem non venisse ut ambigeret quamobrem solus videt oculus, aliorum autem nullum in quibus apparent imagines.

Post reprehensas more suorum opinioniones qui visionem igne constare voluerunt, ad Democriti Aristoteles opinionem se conuertit, quam pro parte quidem admittit & approbat: pro parte vero carpere & damnare contendit. Nam Democrito sane assentitur in eo quod dixit ille visionem ex aqua constare: reprehendit autem eum in videndi modo quo ille animalia cernere dicebat. visus est enim Democritus nihil aliud visionem existimare quam apparentiam representationemque illam imaginum & idolorum quam oculus recipere videtur. Est autem ista de qua nunc loquimur apparentia, species illa quae in oculi pupilla cernitur, & in alijs similiter diaphanis corporibus quae aliquo finiuntur comprehendunturque termino. haec enim oblatas ab aduersis & e regione positis corporibus accipiunt sane & reddunt imagines. Existimauerunt igitur Democritus, & illo antiquior Leucippus, & illorum posterior etiam Epicurus, idola quaedam, quae spectra & simulacra nostri vocant, a corporibus effluentia, & illis quam simillima, videntium oculos incurrere, & hoc sentiri percipi que modo, & visionis in nobis actum plane efficere. cuiusmodi rei clarum esse dixerunt indicium, quod semper in oculis videntium, id est in pupillis aliqua visibilium rerum cernantur imagines, huiusmodi sane declarantes rem, videndi scilicet opus ipsum esse. Cui opinioni statim occurrit philosophus dicens contingere quidem apparentias illas & imagines in pupilla cerni, quoniam laeuis & tersus est oculus: tersa autem & laeuis corpora tales a visibilibus recipere imagines nata certe esse, & non solum oculos: non tamen idcirco cernere animal: alioqui omnia etiam recipientia eiusmodi imagines & simulacra, videre etiam possent. quod falsum esse manifestissime apparet. & haec perspicua certe est contra Democritum philosophi hac de re contradictio. Caeterum litera illa, Et est non in illo, sed in vidente: reflexio enim quaedam illa est passio: praecise admodum & breuiter (quod etiam hic notat Alexander) prolata, non nihil obscuritatis huic afferre videtur loco. Quod autem dicit, huiusmodi esse videtur. Et est non in illo, scilicet ipsum videre. id est, non propter apparentiam, neque in apparentia est ipsum videre, sed in ipso vidente, id est in illo qui visivas habet vires. passio enim, id est apparentia illa, est reflexio. Apparentia namque, quam emphasin graeci vocant, passio quaedam esse censetur per reflexionem luminumque refractionem effecta in corporibus laeuis & terminatis, quae simulacra & imagines accipere & conseruare possunt in perspicuo factas medio, quales sane animalium oculi esse videtur. Quo in loco mathematice profecto & peripatetice D. Thomas hac de re philosophari videtur. Ait enim visae rei formam quae apparet in oculis, a reuerberatione repercussaque fieri, siue refractione formae ad solidum quippiam & tersum corpus offendentis, non alio sane modo, quam quo in speculorum nitoribus imagines cernimus insigniri. cum enim diaphani immutatio, id est non terminati perspicui quae a visibili fit corpore, ad non diaphanum peruenerit corpus, haudquaquam illud praeterire & transmittere valens, retro fertur, & ad pilae sane modum contra parietem proiectae retrocedit & resilit, eoque modo rei visae forma & configuratio ad partem nimirum oppositam reflecti & redire videtur. oportet autem ut eiusmodi corpora quae tales admittere & conseruare possint imagines, tersa sint & laeuis, in quibus ea cerni species & apparere possint. praeterea opus est ut quippiam finies & terminans habeant, ne praedicta illa transuerberet & pertranseat immutatio. quae profecto ambo in se habere animaduertitur oculus. Caeterum Aphrodiseus philosophus praclare admodum & necessario hoc in loco signare videtur Aristotelem hic reflexionis nomine siue refractionis aequiuoce uti, per apparentiam scilicet & imagine illa quae cernitur in oculis: verum licet ait uti illo ceu admissio iam & usurpari solito huiusmodi in re. Nam apparentia illa, inquit, non est reflexio, ut mathematici velle videtur, inter quos hac super re & philosophos non nihil est controuersiae, sed est quaedam transfusio siue obsequium & ministerium quoddam ipsius diaphani, quod aliquo patiens modo ab ipso visibili, passionem nimirum comunicat suam laeuis & tersis corporibus, quae oblatas sibi species accipere & conseruare possunt, quando, inquit, e regione visibilium fuerint collocata. A quibus corporibus, laeuis inquam, rursus ceu a principio quodam illa eadem passio veluti recens & noua visibilibus communicari censetur: quae de nouo ab illis pati censentur, quibus passionem illam ipsa prius inusserant. Quod autem istuc hoc se habeat modo, in commentarijs de anima philosophum nos docuisse inquit cum ostendit quoniam visio in nobis efficiatur modo. Passio igitur illa, inquit, quae emphasis siue apparentia vocatur, haudquaquam est vera reflexio, quanuis eiusmodi vocabulo saepenumero abuti soliti sumus. Haec Alexander. Postquam vero dixit Aristoteles apparentiam illam id non esse quod videre & cernere appellamus, sed passionem & reflexionem, eo quo diximus modo: subiungit nondum de huiusmodi apparentijs & reflexionibus

D. Thomas.

Alex. Aphro.

Quid sint imagines in oculis apparentes.

Democrito fuisse perspectum & manifestum, cum illa scilicet literis mandabat: & fortasse neque quid apparentiæ essent, ille perceperat, aut quonam fierent modo: neque si læuia corpora omnia, & oblatas feruare & continere species valentia, has recipere possent apparentias, & non solum oculi. Namque hoc fanè mirandum esset, cur illi in mentem non venerit ambigere & disquirere quāobrem cū pleraque sint corpora quæ eiusmodi nata sunt apparentias recipere, vt ipse suspicatur, & appellat idola, solus inter illa oculus cernere animaduertatur. si enim hac de re diligenter & sedulo disquisiisset, forsitan illi apparentiæ huiusmodi haudquaquam visæ fuissent posse cernere & videre, cū inanima essent multa quæ eiusmodi apparentias recipiant, non tamen cernere possent.



10 **Q**uod igitur visio sit aquæ, verum est: videre autem contingit nō vt aqua est, verum vt est perspicua: quod etiam ipsi commune est aëri: sed cōseruans magis, & firmitus recipiens aëre est aqua: propterea pupilla & oculus aquæ adscribuntur.

10 **V**erum, inquit, est & indubitatum quod à Democrito dicitur, ex aqua scilicet constare visum: ipsum tamē videre non est ex aqua, id est, nō ex ratione dependet aquæ vt aqua est, sed vt aquæ accidit diaphanum & perspicuum quiddam esse, propter diaphani namque naturam nimirum efficitur visio: & idcirco ex aqua visus esse censetur, quia ipsa est diaphana. Cæterum cum aër non minus quàm aqua sit diaphanus, non immerito tamen existimare possumus visum ex aqua constare, quoniam in statu suo magis conseruatur aqua quàm aër, qui fanè diffunditur facilè, & celeriter dimouetur, cum illa firmitudinem constantiāque aliquam ad aërem comparata habere deprehendatur. Quāobrem 20 non incōcinne dixisse videntur illi qui aërem quidem diaphanum solummodo esse dixerunt, per quem videre cōtingit: aquam vero cum diaphanam, tum etiam emphanam, id est apparitiones & simulacra conseruantem; & illas ostentantem, per quam etiam videre possumus, esse affirmauerunt: licet (vt diximus) nihil imagines illæ & idola conferant ad videndum, cum sola ad huiusmodi opus diaphani requiratur natura & præsentia, quam diaphaneitatem nostrates appellare consueuerunt. Hoc autem in loco nos aduertere iubet Alexan. quod in diaphanorum genere cum duo reperiantur extrema, & alterum quiddam illorum in corpore sit raro, & per totum perspicuo, qualis est aër: alterum autem in corpore denso & obstipio, qualia videntur esse illa quæ proprio peculiarique finiuntur termino, ceu perspicui quiddam sunt lapilli, necnon crystallum, & vitrum: inter huiusmodi extrema medium quodammodo obtinet aqua. Hoc autem idcirco, quoniam id quod recte vtrunque comprehendere & diiudicare debet extremum, in 30 vtrorūque certe medio collocatū esse oportet. si enim ex alterutro extremorum constaret, alterum proculdubio extremum à se penitus seiugatum comprehendere non posset. oportet namque (vt ipse in commentarijs de anima dixit philosophus) quod id quod sentitur, illi fanè sit simile quo sentitur. Cum igitur aqua in eiusmodi diaphanorum posita sit genere, non immerito visus sensiteriū ex illa constare dicitur.

Aer diaphanus.

Aqua diaphana & emphanata.



40 **Q**uod etiam ex ipsis clarū est rebus. corruptis enim oculis defluens apparet aqua. Et in inchoatis fœtibus splendore claritateque excellere percipitur. Album quinetiam oculi in sanguine præditis pingue & nitidum est hanc ob causam, vt inconcretus permaneat humor, propterea ex corporis partibus minime friget oculus. Nulli enim vnquam id quod intra palpebras est, obrigit. Animalium vero quæ sanguine carent, duripelles sunt oculi: quod illis pro munimento facit.

50 **C**um retro (vt vidimus) Aristoteles Democriti pro parte sententiam approbasset, qua ille scilicet visum esse aqueum asseuerauit: rationesque etiam in medium adduxisset quāobrem id merito existimari posset: hoc in-textu id ipsum ex multis accidentium experiētijs ostendere conatur. Ait enim effossis animalium oculis manifestum profluere humorem, aqueūque quiddam in eade clare emanare: quæ res eiusmodi esse oculos indicio nimirum esse potest. In fœtibus etiam nuper in vtero conformatis, quos *εμβρυα* vocat, oculos splendore & claritate excellenti conspici licet. Addit præterea quod in sanguine præditis animalibus oculi vocatum album, pingue est & nitidum, vt humori auxilietur interno, & illum obiectu suo excalfaciat & foueat, ne frigoribus nimis in glaciem coeat, visio nisque præpediatur opera. Quāobrem ea algefcere & frigere parte nulla videntur animalia. In eo autem animalium genere quæ sanguine carent, duros & rigentes oculos prouida architectata est natura, ad id protegendum conseruādumque humidum quod intra pupillam latet. Durities enim illis munimenti vicem præstare censetur.

Quoniam autem est ratione carens, quapiam egrediente re visum cernere, & vsque ad astra protendi: aut quodamtenus egressum coalescere: ut nonnulli autumant.

Cum post Platonis Empedoclisque de visu enarratas opiniones, Democriti etiam hac de re sententiam recensuisset Aristoteles, illaque partim (ut vidimus) admisisset, partim etiam damnasset, ad priorem rursus reddit opinionem, illorum scilicet qui visum igne constare volebat, eiusque actum in animalibus effici splendore quodam ab oculis promicante. Vniuersali igitur hoc in loco rationis modo taxat eorum sententiam, probatque quod aliqua ab oculis exeunte re haudquaquam fieri possit visio. Hoc enim probato, & rationibus stabilito, illud profecto ad quod sequitur hoc, visionem scilicet igne constare, nimirum perimetur. Sicut enim sequi videtur, si visio non fit per alicuius egressum rei, illam haudquaquam per reflexionem fieri posse modum: ita si per reflexionem fiat visio, per alicuius extramissionem rei fieri necesse esse sequitur. tam enim ista quam illa retroflecti & recipere videntur. Statim igitur a principio vniuersam damnat opinionem, & omnino ratione carere illam dicit. Ceterum quoniam opinio assentientium aliqua re ex oculis exeunte visionem fieri, bifariam secatur: & alij quidem id quod ab oculis exit, arbitrati sunt ad rem vsque visam dirigi & pertingere, ut vniuersa ferè mathematicorum natio, qui per radios quosdam ab oculis promicantes, & ad rem vsque visam peruenientes animalia cernere voluerunt. Ex radijs enim illis ceu turbinem quendam fieri, quem conueto diximus appellari, cuius extremus & acutissimus angulus in oculi est pupilla: basis vero ipsa rei applicat visæ, & in hoc turbinis siue conueto ambitu extremoque angulo nimirum comprehendit omnia quæ illius quadraret basi, & ab illa sanè complecterentur. Alij autem quodatenus progredi id quod ab oculis emicat lumen, voluerunt, posteaque conueto gnato comparique commisceri lumini quod extrinsecus à rebus efficitur visilibus. Itaque ex ambobus illis splendoribus vnum efficitur lumen, cuius extremum occurrens oculis visilem animæ speciem nunciat, ex quo passio nimirum fiat illa quam videre & cernere vulgo appellant: cuius sententiæ fuisse Platonem hoc in loco Alexander scriptum reliquit. Cum eæ (ut diximus) duæ de videndi modo per rei cuiuspiam extramissionem, antiquorum fuerint sententiæ: ambas (ut videretur) hoc in textu redarguere nititur Aristoteles: secundaque enixius premit, quæ visionem fieri per luminis exitum asserit, cum lumini scilicet extrinsecus à rebus visis defluentem copulatur & coniungitur: quoniam ista (ut apparet) illorum est sententia, qui visum igne constare dicebant: quam maxime labefactare & destruere conatur Aristoteles. Ceterum quoniam hoc in loco nonnullas Aphrodiseus colligit rationes contra illorum sententiam qui visionem quippiam extramittendo fieri voluerunt, ut præcipue reprehendi videatur Platonem: non erit fortasse malum hoc digressionis compendio illas omnes percurrere, ut industrius cognoscat lector quæ contra illum doctrinæ modum afferri sint solita, & quam leuia etiam, & ad dissoluendum prona & facilia sanè esse videantur, si cum retrodictis, tum etiam mox dicendis pro Platonis Academicorumque causa quispiam rectum iudicij examen adhibere voluerit. Quibus postmodum subtexere decreuimus quæ contra illorum opinionem qui visum per internam receptionem fieri voluerunt, non immerito afferri possent, vbi experientijs etiam quibusdam de videndi modo platoniam confirmare sententiam contendemus. Verum nunc ad Alexandrum conuertamur. Ait enim contra illorum opinionem præter ea quæ ab Aristotele dicuntur in textu, isthæc etiam efficaciter afferri posse. Et primo quidem quod necesse est corpus esse id quod extra procedit. Incorporeum enim de illius sententia locum moueri non potest. cum autem sit corpus id quod promicat & exit, locoque moueatur, incredibile sanè videri potest cur non absumatur & euanescat visio, cum interdum per tantum ipsum visile absit spatium, quanto à terræ globo cæli conuexus orbis abesse percipiatur. Nihil enim refert, inquit, dicere, tenuissimum illud esse corpus quod ab oculis exit. namque in tanto spatij interuallo vniuersum certe videns animal, etiam si esset maximum, quauis subtilissimis, absumptum emanationibus consumeretur & euanesceret. Nunc autem conspiciere licet nihil ex animalium corporibus diminui & abscedere, cum tamen cælum quotidie suspiciant & astra. Præterea posito, inquit, quod tenues adeo & subtiles ille existant emanationes, ut modicum quippiam & insensile ex animalium absumant corporibus: quoniam fieri potest modo ut non intereant illæ, & à quocumque extrinsecus oblato & incurrente facile destruantur & pereant. Subtilissima enim quæque corpora ad patiendum effici aptissima & procliuia, vero est consentaneum: quod tamen haudquaquam verum esse apparet, cum neque à ventorum flatibus, neque à procellarum tempestatibus à recto sui itinere neque minimum depelli videantur. Ad hæc, inquit, adeo, subtiles & tenues huiusmodi sunt emanationes, cur non etiam simili emicant & procedunt modo cum clausi & operati sunt oculi: aut quæ obrem conuientes nihil aspiciamus, subtilissimis illis corpusculis & emanationibus clausas animalium palpebras transmittentibus, & per latentes pororum angustias, quæ sudori non adeo tenui & exili corpusculo sunt peruiæ, penetrantibus & exeuntibus? Præterea quæ obrem, inquit, emanationes illæ siue radii longius procurrentes in quasdam angulorum extremitates non desinunt, ceu ferè omnia quæ quopiam emanare & tendere solent, desinere percipimus? Aqua enim iugi progressionem constringitur & coarctatur: flammæque figuras in acutum tendere & desinere videmus. Hos autem radios secus facere autumant. namque ad rei visilis illos deficere corpus, suamque ad illud se componere formamque ferunt basim. Præter hæc, si corpus est, inquit, id quod emittitur, locum quæpiam illud sanè occu-

Quod opinio
visionem per ex
tramissionem
fieri, bifariam
secatur.
Mathematici

Academici.

DIGRESSIO

Alexandri ra
tiones quod vi
sio extramit
tendo non fiat.

- pare necesse est. cum autem inane non detur & vacuum, aut corpus penetrabit corpus, & idcirco eundem simul obtinebunt locum corpora duo, pluraque etiam si plures eandem simul rem conspiciere contingeret: aut necessario antiperistasis erit, id est oppositi corporis cessio quaedam & circumstantia. Et si quidem in aere visio erit, ipsius aeris: si vero in aqua, aquae certe erit antiperistasis. Ad quod igitur illa fiet antiperistasis? Neque enim in oculum & in pupillam aquam illam quae antiperistalim patitur a radijs exeuntibus quando quippiam sub aquis positum cernimus, possibile est recipere, neque illam respiratione attrahere valemus. nam in aqua nobis respirare non datur. Quarendum igitur est, inquit, in eiusmodi aquae antiperistasi ad quidnam fieri dicatur. Praeterea vno quidem vidente, corpus illud per quod fertur conus, cono illi antiperistalim facit. Si autem duo aut tres eandem conspexerint rem, eo loci ubi conicursant illi, antiperistasis sane erit. Si igitur conus unius parti alterius conus antiperistalim faciat: vnus solummodo erit videns, ille videlicet cuius conus locum occupauerit illum qui est regione rei est visibilis: alij vero cessabunt, neque cernere poterunt, quorum scilicet conus antiperistalim patiuntur. Verum quia certum est omnes eandem simul cernere rem, conus certe illos se inuicem penetrare necesse est, & plura corpora eundem simul occupare locum, quae vnus conus pars occupat. praeterea cum omnis motio fiat in tempore, visibilium certe radiorum effusio siue exitus in tempore etiam fiet. in tempore igitur videns rem visam cernet. verum fieri non potest ut res mota aequae velociter in eodem tempore aliquod pertranseat spatium, & duplum (verbi causa) illius, aut decuplum. Videmus autem sola palpebrarum apertione vno contuitu & quae prope sunt, & quae remotissime distant. Non igitur ad videndum tempore indigere videmur: neque igitur per exeuntes ab oculis radios cernere contingit. Ad haec etiam, si multi simul, inquit, eandem rem ex locis conspiciunt diuersis, & illi radiorum conus ad rem usque visam ferantur, summa est necessitas simul inter sese concurrere illa quae feruntur: eoque modo illi se inuicem interfecabunt conus: quoniam conorum dissolui continuitatem necesse est: qua profecto deferta & soluta omnino videre non est possibile. Praeterea si qui est regione aduerso se conspexerint intuitu, quoniam inquit, modo se inuicem cernere possint, ostendere est difficile. si enim radiorum ab utrisque exeuntium conus se inuicem aduersis concursauerint iactibus, ultra progredi & extendi non sane poterunt, si equalis, inquit, potentiae, & similiu fuerint virium. quoniam hoc in casu, inquit, neuter alterum conspiciet, aut alter solum cernet alterum, ab illo nequaquam visus, si inaequalium conus illi fuerint virium. at si ambo inuicem sese conspiciant, certissima profecto corporum dabitur penetratio, quam constanter omnes negant physici. Praeterea si corpus est, inquit, quod exit ab oculis, vel aer erit, vel erit ignis. haec enim corporum apparent tenuissima. verum ratione sane caret egredi & exire aerem. nam & ante oculos est, & videntis nimirum pupillam contingit, & incassum exiret & extramitteretur aer. Neque etiam vero consentaneum est illud esse ignem, quoniam cum subtilissimus corporum sit ignis, & bene mobilis, & suaapte natura superiora semper perat: ea solummodo quae sublimia sunt, cernere contingeret: verum cernimus etiam illa quae in inferiori sunt loco, in eodem etiam temporis instanti: cum ignis vix, aut ne vix quidem deorsum ferri queat, ut qui violenter & praeter sui naturam illam patitur mutationem. Ad haec si ignis, inquit, est exiens, haudquaquam sub aquis quippiam conspiciere poterimus. omnino enim in aquis extinguitur ignis: & quo tenuior est & exilior, id ipsum citius pati percipitur: cum praeterea ratione etiam careat, ignem per pupillam quae a dominante qualitate aquea certe est, extra ferri & exire posse. Ad haec etiam, si ignis est, inquit, id quod foras exiit, oportebat quidem illum si non interditi, noctibus tamen cerni posse: noctu quinetiam in conclavi in quo plures fuerint, aerem utique collustrari, ita quod extinctis luminibus possent illi cernere & videre. Nam dicere, quod quidam solent, ignem exire in qui illum ob tenebrosi crassitudinem aeris: stultum est, inquit, & fatuum. aqua enim quae aere crassior est & frigidior, haudquaquam illum extinguere potest dum illum permeat & transuerberat visus. Quod si dixerint, inquit, antiqui illi id esse lumen, ostendendum certe erat illud esse incorporeum. tunc enim instabitur a nobis, inquit, quod neque extramittitur, neque profunditur & exit, ut dixerunt illi. omne namque lumen fieri siue adesse potius concedimus, & oculata fide conspiciamus, per quandam illius quod illustrari natum est habitudinem ad id quod illuminare collustrareque potest. Non igitur substantia est lumen, sed qualitas & habitudo quaedam. quamobrem neque luminis vlla dicitur esse motio, neque exitus, neque procurus. simul enim aspiciamus & ea quae prope sunt, & ea quae longo distant intervallo, cum vno eodemque temporis momento a luminoso corpore collustrentur illa quae illuminari splendescereque nata sunt. Quod nimirum fieri non posset si lumen corpus esset. Quae res manifeste etiam vel hinc dignosci potest. namque luminoso ablato corpore, illico abscedit lumen, & seorsum ab illo neque minimam in medio trahit moram. Et eiusmodi, inquit, rationes contra illos merito sane adduci poterunt, qui corporeum quiddam ab oculis exire, & ad res usque visas pertingere & peruenire voluerunt. Quae ferè omnia adduci etiam contra illos poterunt, qui a rebus visis imagines & idola excerni dixerunt, quae videntium incurrerent oculos, eoque modo visionem efficerent. contra quos etiam peculiaris, inquit, est ratio, quoniam de illorum scilicet sententia minime discerni animaduertique potest spatium intercapedove quae inter visam rem & videns mediam sese offert. Praeterea quoniam paterit modo videri & oculis comprehendi compactum quippiam & ingens corpus, cum secundum tantum id posse videri verisimile sit, scilicet licet quantum valens est pupilla recipere: & cum influxionum illarum moderari modum pupillae capacitatem sit necesse. valde enim laborarent idola in angustijs si visio hoc fieret modo. Praeterea cum tot inquit, taliaque in pupillam continuo incurrant corpora, cur illam non laborare & fatiscere existimari

Quod id quod extramittitur lumen esse non possit.

Quod per imaginum incursum non fiat visio.

Quae pro re-
sponfione ad
rationes sint
notanda.

debet, cū alioqui suapte natura imbecillis, & quae facile pati possit, illa corporis existat pars: Hęc Aphro-
diseus, qui hac de re in alijs etiam se plura conscripisse asseuerat. Ceterum pro responfione ad has alias
q; eiusmodi rationes, in quo etiam Aristotelica contra Platonem rite soluuntur obiecta, animaduertē-
dum esse cenfeo, visiuos illos radios, siue luminosos spiritus (vt aliquoties dictum est) qui in visionis
opere ab oculis promicare & exilire dicuntur, vt antiquorum dictant placita, non esse eiusmodi cor-
pora qualia illa quae cōposita sunt, existere videntur, & agere ad se inuicem & pati nata sunt, sed actus
esse quosdam, & species animalis spiritus ab illo exeuntes, non per resolutionem aliquam, aut cuiuspiā
discessum rei, sicut odor (verbi causa) qui exit à floribus, aut calor qui emanat ab igne, qui proprius re-
cipientis efficitur, neq; semper est continuus largienti: sed sicut lumen à luminosi praesentia corporis,
defluit, nunq̄ principium deserens suum, sed illi semper continuum & coniunctum: sic inquam radia- 10
lis ille actus nusquam à fonte discedit suo, & interit nunq̄, dummodo illud adsit quod apte cōuenien-
terq; illum recipere & admittere possit. quod idcirco dixi, quoniam si inter videns & rem visam solidū
quoddam intercedat corpus, opaca id proprietate resistens, & tenebrifica (vt ita dicam) occurrens na-
tura, videndi nimirum actui officit, illūq; sanē praepedire animaduertitur. prohibet enim lumen siue
specierum congressum, & illam quam retro diximus *συνανθήσασα* impedit: quae cum à videntis ocu-
lis, tum a visili re in medium proportionem cōueniens & aptum coniungi & copulari dicitur. Ex quo ni-
mirum liquere potest corpora quidem visiuos illos esse radios, & visiles species, cum a corporea excero-
nantur & exeant natura, & in aliqua contineantur re, & loco etiam circumscribantur quodam: verum
aliusmodi esse corpora ab ijs quae composita (vt diximus) existunt, agereq; & pati ad se inuicem nata 20
sunt. Quo in loco quoniā de huiusmodi actibus speciebusve mentionem fecimus, non immerito anima-
aduertendum esse duco, actus siue species à quapiam prodeuntes re, in triplici differentiae ratione cen-
seri: & alios quidē à materia penitus esse absolutos & seingatos, ita q; aliquid in omnia agere possunt,
& ad quantūlibet etiam spatij æquabiliter & illico agere: alios autem esse à materiali compositaque re
penitus prodeuntes, locoq; & spatijs circumscriptos: agentes quidem & ipsos, verum ad certum spatij
terminum: & non subito, sed per partes sibi inuicem succedētes: tertios vero actus siue species, eos
qui cum a composita materialiq; non prodeant re, sed à spiritali, medium inter duo illa locum tenere,
& vtrorūq; nimirum sapere naturam videntur. cum enim à corporea procedant re, & in aliquo conti-
neri illos, & loco circumscribi, & ad quoddam agere spatium est necesse. quoniam autem spiritalis sunt
corporis actus, non succedendo & per partes, sed subito illos agere nihil sanē prohibet: cuiusmodi cer- 30
te animalis esse spiritus actus illos siue species qui pro naturae suae modo ad determinatum constitu-
tumque sibi spatium illico agere possunt, manifestius profecto est quā vt longiori in praesentia de-
claratione indigeat. Quibus etiam non immerito addendum esse cenfeo, visiuos huiusmodi radi-
os, vt proprium perficiant opus, & in actum exeant suum, diaphano indigere medio, eoq; à lumine a-
ctu collustrato. Et medio quidem, quoniam per contactum non fit visio, vt eleganter in commentarijs
de anima ab Aristotele est ostensum. illuminato autem indigere illo, quoniam licet visui illi radij pel-
lucidi sint, & lumine pleni, necnon ij etiam qui spectantur colores, lumina quaedam & sint, & iure esse
dicantur: quia tamen exiguum & debile vtraq; suapte natura possident lumen, idcirco ad commune
perficiendum opus externo nimirum lumine indigere censentur. Medium autem illud non ab re dia-
phanum, id est perspicuum, requiri diximus, quoniam nō aēr ipse, non aqua, nō aliud huiusmodi quip- 40
piam visioni sunt apta & commoda, nisi quatenus in se diaphani habent naturam: quae quoniā à lumi-
ne primo perfici videtur, vt nō immerito quidam diaphani colorem ipsum dixerint lumen, & quoniā
sine lumine mancum sit, & veluti non ens ipsum diaphanum: idcirco affinitate quadam & cognatio-
ne naturae congruum cum videnti, tum visili rei in videndi opere mediū non immerito esse censetur.
Caeterum visui huiusmodi radij, siue actus, seu species, qui tum ab animali promicantes spiritu, tum
à rei coloratae forma & visili exeuntes, in medium ferri, & pro naturae suae modo iungi copulariq; di-
cuntur, eoq; modo visionem efficere: neq; ipsi commiscētur medio, neq; illius qualitates aut passiones
iure censentur, sed illi separabiliter adesse, & vt ita dicam, medio ipsi insidere, & illi adesse & adfiste-
re, nō sicut in equo (verbi causa) figura, sed vt eques equo, & eo adfistentiae modo, quo intellectualis ani-
ma separatim adesse corpori dicitur. quamobrem non succedente quadam per partes distributione, sed
subito (vt dictum est prius) & vbiq; fiunt, pro naturae inquam suae modo, vtq; illorum virtus extēdi- 50
tur, & vbiq; toti sunt praesentes, non alia similitudinis expressiori ratione, quā diurni luminis, quod
& subito fit, & vbiq; totum existit, eodemq; temporis momento & diaphanum molle penetrat, & du-
rissimum etiam crystalli transmittit corpus. & quēadmodum illud, cum diurni actus sit corporis, eatē-
nus omnibus & semper & illico adesse percipitur, quatenus nihil, illi vt adesse possit obstare videtur:
sic lucidi certe ij videntis & visae rei actus si aliquo non praepediantur modo, semper & illico in opus
exeunt suū, & videndi efficiunt facultatem. Quo in loco quia sedulus fortasse ambigere posset lector,
quasnam cum videntis ipsius, tum rei visae species siue actus dixerimus: non immerito aduertendū esse
censemus, ex Academicorum scilicet Peripateticorumq; decretis, omnem existentem rem actus quos-
dam habere suos, ceu peculiāres quasdam propriasq; sui similitudines, adeo vt existente re, illius etiam
existant actus: & illa manente, neq; quopiam mota, illi ad remotum prodeant, quo prodire nati sunt 60
modo: longius scilicet & propius, debilius & valentius, secundum speciales agentium naturas, quam
profecto rem ea quae in speculorum nitoribus apparent simulacra, euidenter indicare videntur. illa

Quid species
quopiam prode-
untes in tripli-
ci sunt differē-
tia.

Quidam dia-
phani colorem
lumen esse di-
xerunt.

Quasnam sunt
visae rei actus
siue species,
necno ipsius
videntis.

etenim (vt reflexionum hic sileatur ratio , & philosophorum potius quàm mathematicorum placitis adheremus) actus quidam esse dicuntur illorum quæ cernuntur in speculis , agentium nimirum in illud quod legitime pati potest : vbi nihil quidem materiale & corpulentum effluit & emanat (vt Democritici fortasse sensibile videntur) verum ad rei ipsius præsentiam illud in speculo apparet simulacrū ceu figurati coloris imago & effigies quædam . Si vero res abscedit illa , tunc neque perspicuum quod interioret corpus , neque ipsum speculum habet id quod prius habuerat spectrum , id est præsentis rei imaginem , quando illa è regione positum agebat in speculum . His igitur summam & veluti in transcurso prælibatis , facilis (vt arbitror) & expedita posthac ad Alexandri rationes patere potest responsio .

Responsio ad
Alex. rationes


- 10 Et primo exire quidem ab oculis aliquid in videndi opere dicendum est , sed tamen non ideo procedentem destrui visionem aut deficere contendendum . non enim materiale quippiam id est quod in videndi opere foras emitti & ab oculis emicare cõsetur , sed spiritalis quidam actus . quãobrem neque absumi potest , neque interire , quãuis longissime se porrigat , & à terræ globo ad cælivsq; conuexa extendatur : neque procellis sanè conuelli , neque ventorum flatibus dissipari potest : cum ipsi (vt diximus) non misceantur medio , neque illius passio efficiatur , sed principio cõiunctus suo , illi potius separabiliter adsit . Palpebrarum autem deiectione is nimirum præpeditur actus , quia lucidus & radiosus est . lumen autem omne à solida re officii & impediri interiecta videmus : quæ opaca (vt dictum est) & tenebrifica illi natura obstitens , vegetum illius impedit actum . Nam de emanationum modo ad angulos semper desinentiū , nec non de antiperistasis ratione , non est quispian conturbati commoueriq; debeat , cum materialium compositorūq; naturam corporum illæ tangant rationes , à quibus species eæ siue actus longe diuersi esse censentur . Parique modo de motionis successione nihil est quod ambigere debeamus . non enim ij motu indigent actus qui spiritalis sunt corporis , sed nõ impeditos subito illos agere certum est , vt illa sanè faciunt omnia quæ sola sui præsentia agere videntur id quod suapte natura efficere possunt . Et omnino rationes illæ quæ aut corporum ad se inuicem penetrationem , aut illorum localem motionem in medium afferunt , haudquaquam propositæ rei naturam tangere videntur . Quamobrem hæc certe illis vna omnibus est responsio , quæ & omnibus merito facere satis potest . Ea autem ratio quæ luminis mentionem facit , idq; nõ esse corpus cõtendit , nedũ cõtra Academicos non est , sed pro Academicis potius hoc in loco non nihil facere videtur . Licet enim actus illi siue species proprium non sint lumen , luminis tamen naturam mirum quantum sapere videntur , egregieq; illam referunt , & inter corpora & incorpoream essentiam medio quodam modo se habere censentur . Et quemadmodum retro diximus , cū
- 20 spiritalis & simplicissimi sint actus corporis , tum loco circumscribuntur & terminantur , & ad quoddam agere spatium possunt , quod sanè corporum est proprium : tum subito & non successiue agunt quod agere illis permissum est : quæ res incorporeæ nimirum cognationis manifestam ostendit potestatem . Et hæc quidem ad Alexandri rationes pro Academicis breuiter & cursim adducta sufficiant . Nam potestremque illæ rationes quæ contra eos contendere videntur qui per imaginum à rebus visis effusionem , illarumq; in videntis oculos incursum , visionem fieri dixerunt , quod Democrito & Epicuro adscribunt : valèter profecto & efficaciter pugnare videntur . Siquidem per imagines illi & idola , materialia simulacra intelligere , compactaq; voluere corpuscula . Si autem illas de quibus locuti sumus species innuere & signare voluerunt : & recte (mehercule) sensisse , & concorditer cum Academicis & Peripateticis hac in re philosophati fuisse videntur . Cæterum de incognitis & non bene perspectis , sed verbotenus pro-
- 30 latis sententiis , periculosum sanè est ferre iudicium . Quamobrem ijs omissis illorum consideremus opinionem qui per solam specierum intrinsecus receptionem videndi opus effici voluerunt , quæve cõtra illos à posterioribus Academicis afferri solitæ sunt rationes , vt polliciti fuim⁹ , recenseamus . Cæterum (vt hinc exordiamur) constare illi dixerunt viri , & manifesto etiam percipi , dum aliquid cernimus , illuc nos aspicere , & ceu visu pertingere vbi ipsum è regione positum est visile , quasi illic comprehensio fiat , & extrinsecus prospiciat anima , & non intrinsecus quippiam recipere videatur . Quæ res , inquiunt , nullam in anima formam vel factam esse , vel fieri sanè declarat . neque enim animam ex eo videre , quod impressionem admittat quãpiam , qualè à sigilli figura ceram recipere videmus . Hoc enim modo nihil foret opus vltèrius extra conspiciere , si iam in se anima rei videndæ speciem possideret , atque ob hoc ipsum q; in eam intrauerit species , cerneret : semelq; visum pfecto semper videretur . Præterea , in-
- 40 quiunt , quando interuallum rei adhibet quam videt , & quam procul videt , etiam cernit : satis indicare videtur , intra se non habere id ipsum quod cernitur : alioqui cum nihilo distaret ab illo , non tanquam procul positum conspiceret . Ad hæc subdunt non posse animam per formam siue speciem intrinsecus receptam quãtanam sit res extrinsecus posita iudicare : neque etiam omnino illam quantitatem habere , verbi gratia , quàm magis Olympus sit mons , & quàm immensum sit cælum : quippe cum forma intus recepta minime tanta esse possit . Quod vero est omnium , inquiunt , maximum , si figuras eorum quæ cernimus , intrinsecus acciperemus , non liceret sanè cernere nos ea ipsa que cerneremus , sed illorū imagines & simulacra : itaq; contingeret alia quidem esse quæ sunt in rebus , alia vero que nobis apparent . Et omnino , inquiunt , id quod peruulgatum est , & passim decantatur , non posse nos rem pupillæ impositam cernere , remotam vero & distantem posse : non per intrinsecam receptionem , sed per extrinsecam actionem videndi modum fieri declarat . Idq; multo etiam magis ad animam transferri debet . Si enim rei videndæ figuram in anima reponimus , spectrum illud siue idolum quo insignitur , illa minime cernere poterit . Opus est enim hæc duo quædam esse , quod videt scilicet , & quod videtur . Aliud

Pro Democrito
& Epicuro

Quod visio
per internam
specierum solis
modo receptæ
onem nõ fiat .

Igitur oportet esse quod videt figuram alibi positam, neq; in se iacentem. Quāobrem necesse esse aiunt visionem non quidem impositæ rei esse, sed potius nō impositæ, verum remotæ, si modo futura sit visio. Hæc illi: ideoq; constanter asseuerant videndi opus tum per exitum (vt diximus) splendentium radiorum, tum per receptionem specierum intrinsecus fieri, eo quo dictum est modo. Hancq; indubitata esse Academicorum veterumq; Peripateticorum huiusmodi de re sententiam affirmant: vniuersæque insuper antiquitatis approbato nituntur testimonio visionem hoc fieri perhibentis modo. Sed quoniā hac etiam in re astronomicam quandam ab experientia mutuam rationem, licet aliud agentem, adducere solent: age nunc & illam etiam breuiter percurramus. Voluere, inquit, Epicurus & Metrodorus, quique illorum sequuti sunt decreta, rerum omnium quæ sensu percipi possunt, veraces esse nūcios ipsos sensus, eorūq; infallibile omnino certumq; esse iudiciū.

Hinc pedalis solem quantitatis esse, aut maiorem paulo minorēve autumat: lunamq; & astra qualia quantave cernuntur, talia proculdubio esse confirmant. Contra hos igitur contendere Astronomos, visusq; fallaciam & errorem certa experimenti ratione deprehendere se inquit, quādo lunam visam ad firmamenti stellas quaspiam comparant, & sub qua potissimum sit stella è regione, perpendunt. Sint igitur (verbi causa) tres in eadē signi facie continenter positæ stellæ nostris oculis manifestæ, & in lōgitudinis quodam dispositæ ordine, ita q; quæ illarum est media, alteram quidem ceu à dextris, alteram vero à sinistris habere videatur: luna autē ad perpendiculum sub media sit stella. Tres insuper videndum ponantur oculi, qui longe inter se distātes, illā lunæ cōiunctionem de terra suspiciant. Hoc inquit in casu q; oculus quidem qui recta ad diametrū super caput videlicet suū è regione positam suspicit lunam, eam sub media esse stellam sanè iudicat. Qui vero ex obliquo lunam conspexerit oculus, ad sinistram quidem positus, illam sub stella intuebitur quæ ad dextrū mediæ lucet stellæ. E contra ad dextram constitutus oculus, contuitu cernit suo lunā sub stella sanè illa quæ mediæ stelle est sinistra. Hoc autem idcirco fieri inquit, quoniam visuales radij quo peruenire possunt semel intenti, recte procedere nati sunt, & neq; frangi, neq; in obliquum conuerti agere possunt: quæ ex re nonnullas visus cōsequi fallacias & errores est necesse. Hæc astronomi. Ex quibus manifeste liquere inquit Academici, haud alio visionem fieri posse modo, quā emicantibus ab oculis pellucidis illis radijs, siue speciebus, seu quo quispiam actus illos nomine appellare maluerit. Cuius profecto sententiæ cum mathematici fuere omnes, & perspectiui qui cum mathematicis faciūt, tum vniuersæ ferè philosophantium omnium scholæ, eorum etiam qui hac de re aliter loqui visi sunt: quorum tamen sanus mehercule intelligentiæ modus huic consentire apparet opinioni. Ipsum quinetiam philosophū Aristotelem, quantum ex illius coniectari licet scriptis, ab hac non abhorruisse sententia audacter contenderim. Siquidem plerisq; in locis in problematum commentarijs diuersorum videndi effectū naturales vestigans causas, tum spiritus ab oculis emicantis, tum procurrentis visus & exeuntis splendoris rationibus vititur & euidentijs. quod etiam in problematibus Alexander facit suis. Cæterum quia exotericos illos esse commentarios, & de aliorum sententia philosophum in illis esse loquutum quispiam contendere posset, illis in presentia dimissis, aliud legitimum magis & quod aiunt auscultatorium illius opus videamus. In ijs igitur quos de sublimibus inscripsit cōmentarijs, meteorologicis græci vocant, cum iridis, id est cælestis arcus causam, & illius circa lunam & sydera apparentiæ, quā alon vocant, visus per refractionem assignasset radijs, qui nisi promicarent, retro flecti sanè non possent, isthæc ad verbum scribit. Refractus igitur ab omnibus leuib; apparet visus. horum autem de numero aer est, & aqua. ab aere vero fit quando concretus fuerit. sepe numero autem ob visus imbecillitatem, etiam si non compactus fuerit aer, refractionem facit. quod cuidam aliquando qui parum & obtuse cernebat, contigisse videtur. Eūti nāq; illi quoddā semper præcedere videbatur simulacrū, illum ex aduerso prospectans. hoc autem idcirco illi eueniebat, quoniam retro in illum compulsus redibat visus. adeo enim imbecillis & omnino propter infirmitatem tenuis erat ille, vt speculi vicem propinquus etiam illi præstaret aer: quem propellere & dimouere non poterat, ceu longinquum, & densum. Hæc eo in loco Aristoteles. ex quibus sanè haud obscure (vt arbitror) neq; per ænigmata, sed clarissimis asserere videtur verbis, visionem per quendam ab oculis effluxum siue emanationē proculdubio fieri. Nā ipso etiam teste Alexandro (vt retro vidimus) per huiusmodi effata siue propositionem bene recurrere & reciprocari videntur, si visus non fit per alicuius egressum rei, illum haudquaquam per refractionē posse fieri: & si per refractionem fiat, per alicuius exitum & extramissionem rei illum fieri esse necessarium. Cæterum quoniam mathematice hoc etiam in loco potius quā physice loqui videri potest Aristoteles, exactam illius (vt arbitror) cognoscere possumus sententiam cum Academicorum placitis cōsentientem ex ijs quæ circa huius libelli de sensu & sensili finem scripta reliquit. Cum enim de sono & odore verba fecisset, quæ prius in medio fiunt q̄ in extremo, statim subiungit: De lumine autem alia est ratio. ad cuiusdam enim esse, lumen est, sed nō motio aliqua. Hoc autē dixit (vt illo videbitur in loco)



Aristote. i meteorologicis.

» isthæc ad verbum scribit. Refractus igitur ab omnibus leuib; apparet visus. horum autem de numero
 » aer est, & aqua. ab aere vero fit quando concretus fuerit. sepe numero autem ob visus imbecillitatem,
 » etiam si non compactus fuerit aer, refractionem facit. quod cuidam aliquando qui parum & obtuse
 » cernebat, contigisse videtur. Eūti nāq; illi quoddā semper præcedere videbatur simulacrū, illum ex ad-
 » uerso prospectans. hoc autem idcirco illi eueniebat, quoniam retro in illum compulsus redibat visus.
 » adeo enim imbecillis & omnino propter infirmitatem tenuis erat ille, vt speculi vicem propinquus
 » etiam illi præstaret aer: quem propellere & dimouere non poterat, ceu longinquum, & densum. Hæc
 » eo in loco Aristoteles. ex quibus sanè haud obscure (vt arbitror) neq; per ænigmata, sed clarissimis as-
 » serere videtur verbis, visionem per quendam ab oculis effluxum siue emanationē proculdubio fieri. Nā
 » ipso etiam teste Alexandro (vt retro vidimus) per huiusmodi effata siue propositionem bene recurrere
 » & reciprocari videntur, si visus non fit per alicuius egressum rei, illum haudquaquam per refractionē
 » posse fieri: & si per refractionem fiat, per alicuius exitum & extramissionem rei illum fieri esse necessa-
 » rium. Cæterum quoniam mathematice hoc etiam in loco potius quā physice loqui videri potest Ari-
 » stoteles, exactam illius (vt arbitror) cognoscere possumus sententiam cum Academicorum placitis cō-
 » sentientem ex ijs quæ circa huius libelli de sensu & sensili finem scripta reliquit. Cum enim de sono &
 » odore verba fecisset, quæ prius in medio fiunt q̄ in extremo, statim subiungit: De lumine autem alia est
 » ratio. ad cuiusdam enim esse, lumen est, sed nō motio aliqua. Hoc autē dixit (vt illo videbitur in loco)

quoniam ad luminosi & splendidi praesentiam corporis in toto statim medio fiat lumen. Actus namque huiusmodi corporis ipsum est lumen. & paulo post subiungit. Eadem de causa circa ipsum videre. lumen enim ipsum facit videre. innuens videlicet quod visio statim, & non succedendo, & per partes fiat. namque medio disposito & collustrato, si nihil officiat, visui radij, id est animalis spiritus species, in actum prodeunt suum. Parique modo a re visibili species veluti ipsorum colorum actus quidam prodire & promiscare dicuntur. Ceterum quia nimio plus fortasse hac in re nostra peruagata est oratio, illius hic excusum inhibeamus, & vnde egressi sumus reuertamur. Cum igitur retro (ut vidimus) dixisset philosophus ratione carere, visum exeunte quopiam fieri, & ad astra visque dirigi & peruenire, aut quodamtenus prodeuntem coherescere: haec statim subiungit.

10 **H**oc melius enim est in principio statim oculi coalescere: quod etiam fatuum est. quae enim luminis ad lumen copulatio: aut quonam hoc fieri potest modo: non enim cuiusque coalescit quodlibet. Et intrinsecum cum extrinseco quomodo: cum meningae membranula media sit.

20 **V**as de videndi modo in prioris enarratione textus tetigisse videtur philosophus opinionem: & alteram quidem mathematicorum, quam vnica tantum ratione taxare visus est cum dixit visum extendi visque ad astra. Irrationabile enim est ignea illa corpuscula ab aliquo conspiciente in tantum posse excerni, ut ad astra visque pertingere possint. Alteram vero Platonis & Academicorum, qui per luminis exitum interni, externique cum illo copulam, visionem fieri voluerunt: quam hoc in textu conatur reprehendere. ait enim quod melius rectiusque est dicere interius lumen priusquam extramittatur & exeat, lumini coniungi extrinseco iuxta pupillam, quam asseuerare quod intrinsecum lumen quodamtenus profilit, postmodumque lumini copulatur exteriori. Hoc enim signare vult illud, melius enim est in principio coniungi oculi & coalescere. Huius autem causa nimirum haec est, quoniam eo in casu nulla esset necessitas ut extramitteretur quippiam, neque spatium indigeret medio animal ut cernere posset, quod inter exiens illud lumen, & alterum illi occurrens lumen interiaceret. Hoc autem idcirco, quia quicquid exterius lumen ad videndi opus promicanti confert lumini, id ipsum proculdubio etiam conferret si illud non exiret lumen & longius tenderet, sed iuxta pupillam externo coniungeretur lumini. cur enim videndi opus exiliens efficit lumen: aut quid a lumine patitur vel accipit exteriori dum illi copulatur: si enim ab illo visibiles accipit species, earumque illius gratia sit particeps, melius profecto & firmiterius quam exterius illas acciperet. Etenim si iuxta pupillam clarum illuminatumque fuerit medium, exeunte lumine animali nihil sane indigere videbitur. circūiectum namque medij lumen visibiles poterit repraesentare illas species. si vero circa pupillam fuerint tenebrae, circūiectaque caligo, remotiusque rerum visibilibus extiterit lumen: neque hoc etiam in casu internum oportebit exilire lumen, & in tenebras exire, a quibus nimirum (ut aiunt) extinguetur prius quam ad exterius & cognatum perueniat lumen. Quamobrem (ut videtur) neque tenebris neque lumine circa pupillam existentibus ad videndi opus interni exitus luminis necessarius est. Melius igitur & verius est dicere intraneum lumen extraneo iuxta oculorum pupillas iungi & copulari: licet hoc etiam stultum admodum sit & fatuum. Quae enim luminum copula & coniunctio esse potest: Nihil enim copulari cuiquam coniungive potest nisi corpus existat, & similitudinem proportionisque habeat modum cum re illa cum qua iungi copularique dicitur. lumen autem lumini, cum vtrunque corpore careat, haudquaquam iungi copularive poterit. Praeterea certissimum est, & ipso de quo loquimur clarius lumine, quod si duo splendida luminosaque corpora aliquo inferantur, quae facta ab illis lumina in medio non copulantur neque coniunguntur. subito namque determinantur illa & abscedunt, non aliam sane ob causam, quam sola lucidorum corporum remotione. non igitur id copulatio vere dicitur luminum, sed intensio potius: quoniam medium quod illa recipit lumina, clarius tunc & illuminatum magis esse conspicitur. Praeterea, inquit Alexander, non ab re ambigi potest, cum multorum ad idem lumen dirigatur contuitus, vtrum ne omnes in idem coniungentur, & per vnicam omnes cernent visionem: aut si isthuc non est, quonam modo huiusmodi copulationis dicitur esse ratio: aut quonam cuiusque videntis est copulatio luminis ad alterius videtis lumen: Praeterea etiam quonam modo internum lumen externo copulari poterit ut visionem efficere valeant: Non enim oculus id est quod videt: neque sane pupilla est videns, sed anima, cuius sensitiva certe vis in oculi non est extremo, sed alibi: ut in ijs quae de anima inscribuntur commentarijs est declaratum. Quonam modo, inquit, duo ista luminosa copulari sane poterunt, cum mediae oculorum intercedant tunicae, quae copulationem coniunctio neque illa nimirum prohibere impedireque poterunt, si quidem corpora sunt (ut aiunt) illa lumina quae coniungi copularive properant: Si igitur ad visionem, inquit Alexander, illorum opus est coniunctione luminum: copulari autem coniungique illa per interpositas oculorum tunicas haudquaquam possunt: non continget vti que quippiam cernere animal. Appellat autem hoc in loco philosophus meningam tunicam illam siue pelliculam quae pupillam vnde quaque complectitur. sic enim illam prius appellauit Empedocles. Ad summam autem isthaec supradicta a philosopho rationis tota videtur esse vis, quod melius scilicet est dicere externum lumen interiori copulari iuxta oculum, absque hoc quod aliquid inde exeat, propter antedictas causas. verum id (ut declara-

Aliae Alexander
dicit rationes quod
neque exit ab
oculis lumen:
neque externa
copulari potest
luminum.

Responſo ad
Aristotelis
Alexandriq;
ſupradictas ra-
tiones.

De proportio-
nato ad vidē-
dum requiſi-
to interuallo.

Cur ſenes de-
prope non cer-
nāt: remotius
autem videre
poſſint.

tum eſt) fieri non poteſt, quoniam intercedentibus oculorum tunicis id fieri non poteſt. Per lu-
minum igitur coniunctionem copulationemve viſio effici non poteſt. Cæterum ne in dicta (vt
aiunt) cauſa, & parte non audita altera, quiſpiam ijs perſuaſus rationibus, quas & philoſophus hic
ponit, & Aphrodiſeus vndique colligit, contra Academiam inique pronunciet, omneſque qui promi-
cante ab oculis lumine viſionem fieri volūt, facile condemnet, interpretationis huiuſce lectores admo-
nitos velim, has vniuerſas rationes, & eiudem etiam notæ complures alias, cum ex proloquijs noſtris
quæ ab initio ſtatim præmiſimus, tum ex digreſſione paulo antè enarrata, commode diſſolui explica-
rique poſſe. ſed nihil etiā (vt arbitror) prohibet hoc in loco illis breuiter occurrere, aſſeuerantes de Aca-
demie ſententia ſplendidos illos radios, ſiue animalis ſpiritus pellucenſes actus, in videndi opere quo
nati ſunt modo, ex oculis promicare, tum vt viſilem rem vbi eſt cernere poſſit animal, tum vt de ſpa-
tij interſtitio rectè diſcernere & iudicare ſenſitiua illius viſ planè queat. Nam viſus medio colluſtrato
& diaphano indiget, à cuius lumine perficitur, eiufque nimirum vtitur etiam interuallo ad commenſu-
rationem proportionemque cum actionum, tum paſſionum quæ ad ſe inuicem videns & viſum exer-
cere cēſentur. Cū enim ſpecies naturalis corporea ſit eo quo dictū eſt modo, & cōtineatur in aliquo, &
loco circūſcribatur quopiā, non in quodlibet poſitū vbilibet agit, ſed in illud tantū quod cōmenſurato
diſtat interuallo. Et quoniam cum aliqua (vt diximus) instrumenti paſſione ſit viſio, illam certè pro-
portionatam eſſe oportet. vehementior nanque paſſio obturbat & impedit, quia incommenſurabilis
eſt ad paſſionis videlicet illius menſuram & proportionem per quam ſit viſio. Interuallo igitur opus
eſt proportionem habente: & idcirco ſpecies à re viſa pupillæ incurrentes, niſi ab interualli fuerint reſ-
fractæ ſpatio, nedum viſionem non faciunt, ſed illam hebetant potius & obturbant. Quo ſit vt colo-
rum ſplendentia valde ſimulacra ſi viſui propinquiora ſiant quàm ipſum menſuræ exigat ſpatium, vi-
ſionem ſanè impediunt, & interdum etiam illam diſturbent & mutilent. Quæ res (vt obiter etiam hoc
dicatur) luculenter profecto & commode quæſtionis illius assignare videtur cauſam, cur ſenes legendo
ſi librum oculis admouerint, non cernant: ijdēque ſi amouerint, pluſq; interiecerint ſpatij, facile diſcer-
nant & lectitent. Ea autem eſt, quoniam debilis viſiuus ille actus & imbecillis à ſenem exiens oculis, à
valentiori nimirum, & ob breuem paruāque diſtantiam efficaciori rei viſilis actu præpeditur & hebet-
ſcit: qui ſi illi à maiori diſtantia occurrerit refracto iam, & veluti caſtigato, proportionem cōiunctus ha-
bili, & harmoniæ apto copulatus nexu, ad videndi opus cum illo non immerito efficitur commodus.
Hæc igitur eſt ad viſionis effectum interualli apta commoditas, vt inter videns ſcilicet & viſum, ſiue
inter illas vtrinque emanantes ſpecies debitas proportionis fiat modus, qui profecto eſſet nullus ſi ad
oculi pupillam (vt dicit philoſophus) illorum fieret coniunctio. Nam q̄ iungi copularive poſſint ſpe-
cies illæ, nulla (vt arbitror) prohibere poteſt ratio: cum corpora quædā eo quo diximus exiſtant mo-
do, peculiarique naturæ ſuæ ratione inuicem commiſceri confundique poſſint, non eo inquam permi-
ſtionis modo quo materialia compositaque inter ſe commiſcentur corpora, ſed quo lumina plura in
idem ſimul concurrere videntur medium, & id ſimul colluſtrare percipiuntur. quæ profecto ſicut per
lucidorum præſentiam corporum, quorum ipſa ſunt actus, vel commiſceri, vel coniungi, vel copulari,
aut ſi quippiam aliud naturæ illius proprium magis eſt vocabulum, in eodem mediij ſpatio iure cenſen-
tur: ita per abſentiam eorundem corporum diſiungi ſepararique dicuntur, nulla alia neque actione in-
tercedente, neque paſſione. Et quoniam in familiari admodum & cognato verſamur exemplo, ſicut lu-
mini nullum obſtare cernitur perſpicuum, quin eodem temporis momento molle corpus penetret &
durum, ſimulque aërem trāſuerberet & cryſtallum: ita minora illa lumina cum ab oculis, tum a rebus
emanantia viſis, à nulla diaphani præpediti diſcludiq; poſſunt natura (qualis pupilla eſſe perhibetur)
quo minus iungi copulariq; & ſimul in opus prodire ſuum valeant. Et hæc pro Academia curſim nunc
elucubrata ſufficiant. quamobrem ad philoſophi literam reuertamur.



Qvod quidem ſine lumine non contingit videre, alibi pertracta-
tum eſt: cæterum ſiue lumen id eſt, ſeu aer, quod interiacet inter
rem viſam & cernentem oculum, profecto motus in hęc vi-
ſionis eſt cauſa.

Post labefactatas redargutasq; vt viſum eſt, illorum ſententias qui viſionē quopiā ab oculis exeū-
te lumine aut re quadam alia fieri voluerunt, peculiarem hac de re propriamq; philoſophus aſ-
fert opinionem: & in primis q̄ viſio quidem ſine lumine fieri non poſſit, in alijs ſe dixiſſe autē
mat: eos qui de anima inſcribuntur commentarios intelligi volens. Dixerat enim in illis colorem qui
per ſe viſilis eſt, mouere diaphanum quod actu huiuſmodi eſſet. Actu vero diaphanum id voluit eſſe
quod illuminatum exiſteret. lumen enim ibi dixerat actum eſſe diaphani vt diaphanum eſt. Siue igitur
lumen eſt id quod inter viſile & oculum intercedit & medium eſt, ſeu colluſtratus aër: motus ſanè
qui in hoc à re ſit viſili, viſionis eſt, inquit, cauſa. viſile nanq; ipſum eiufmodi naturæ eſt motiuum. Quo
in loco nō ab re animaduertendū eſſe ſignat Aphrodiſeus, philoſophū dixiſſe, ſiue lumē, ſeu aër eſt quod
interiacet, id eſt quod medium eſt: quoniam lumen viſionis eſt cauſa, & ſine aëre aut aliqua alia dia-
phani natura viſio fieri non poteſt. oſtenſum enim eſt, huius naturæ, ſcilicet diaphani, lumen eſſe actū
& entelechiam. Vtteriſ etiam eſt notandum quod ad videndi opus medium requiritur eſſe per-

- spicuum, & actu collustratum. Sunt autem quatuor precipue perspicua corpora, hæc videlicet, aer, aqua, ignis, cælum. Neesse etiam est ut id perspicuum corpus quod medium ad videndum esse volumus, perspicuum sit de eorum numero quæ termino carent. nam si terminatum esset, visiles haudquam transmitteret species, sed illas contineret. visio autem fit (ut hoc Alexander ait in loco) initians quidem in humore illo oculi quem crystallinum vocant: completa vero ubi illi sese interfecant nervi quos ὀφθαλμοὺς græci, nos visuos siue visuales appellare possumus. concurrunt enim de illius sententia ad oculi pupillam spiritus, & ad intersectum illud ubi animæ est iudicium, visiles deducunt species. Sunt autem visiles de illius sententia species, actus quidam incompleti, & veluti potentiæ quædam respectu colorum qui cernuntur. Nam quoniam utraq; sunt accidentia, colores inquam, & illorum visiles species, & sui perfectionem qualitates à proprijs sanè capere subiectis censentur: cum coloris quidem subiectum sit corpus perspicuum terminatum, quod suapte natura perfectum completumque est: speciei autem visibilis subiectum existat corpus perspicuum interminatum, non completum omnino neq; perfectum: idcirco huiusmodi accidentium genera suorum sapere naturam subiectorum videntur: & alterum quidem esse perfectum completum & terminatum censetur, alterum vero imperfectum & incompletum, & potentiale quiddam ob sui imperfectionem in se habens iure existimatur. Quoniam autem ad opposita æque se habet potentia, idcirco in medio illo perspicuo interminato, quod sui imperfectione potentiale quiddam esse censetur, uno & eodem tempore oppositæ & diuersæ inesse possunt species, albedinis verbi causa, & nigredinis: quæ in perspicuo certe terminato haudquaquam eodem in loco temporeque eodem simul consistere possunt. Est igitur visio (ut ex Aristotelis Alexandrique verbis hoc in loco quippiam colligamus) motus quidam alterationis. nam qualitas quædam est visus: & alteratio fit ad qualitatem. Annuaduertendum præterea est ex ijs quæ hoc in loco Aphrodiseus scripta reliquit, quod visio quædam est receptio speciei visibilis quæ in ipso fundatur stabiliturque videtur, non autem in oculo, ut visum est voluisse Democritum. Quamobrem non inconcinne speculum animatum à magno Alberto ipse appellatur oculus. nam sicut in speculo, videntis percipitur reflexio: ita in oculo se habere rem verè non est absimile. & in omni proculdubio visione reflexionem reperiri credendum est: non quidem quia ad videndum necessaria sit reflexio, sed ut species visiles diutius durent & perseuerent. Ad visionem enim corpus requiritur tersum, læue, & terminatum, ut videlicet species ad ipsum peruenientes non dissipentur neque diffundantur. quod speculi nobis declarat exemplum. Subiectum nanque illi plumbum illius terminat perspicuitatè, oblataq; formarum imagines dissipari diffundiq; non sinit. quæ res cum in oculo similiter contingere non immerito dicatur, idcirco non ab re ab Alberto animatum speculum, ut diximus, oculus est appellatus. Aduertendum autem est Democriti in videndi modo sententiam, ab Aristotelis opinione multum sanè distare. nam licet visionem uterque per internam quandam receptionem fieri voluerit, Democritus tamen visionem in oculis fundari existimasse videtur, & quod oculus visionis principalis esset causa, credidisse: quoniam is rerum imagines & sensilium omnium spectra siue idola recipere videbatur. Aristoteles autem visionem in vidente ipso stabiliri & fundari, id est in anima ipsa, voluit. nanque animæ illam esse actum, & qualitatem quandam, quæ affectionem siue passionem, id est visilium receptionem specierum consequi sanè videtur, ex quo visionem animæ ipsius de receptis speciebus esse iudicium existimavit. Quæ tamè visio cum reflexione fit quædam, ut dictum est prius. Nam sicut à speculi orbe reflexio est ut se ipsum possit oculus contueri: ita in omni visus reflexione proculdubio esse censetur, ut alius scilicet videre possit. Quam sanè reflexionem ex materiæ necessitate fieri autumant, cum tamen ad visionem non requiratur. Isthæc posteriores Peripaterici de videndi modo & opere, occasione ab Alexandri sententia sumpta, licenter satis innovasse videntur. Cæterum quoniam principalis hac de re contemplatio ad commentarios de anima spectare censetur, idcirco hac in præsentia disquisitione perscrutationeque omissa, ne plus nimio in ijs immoremur, ad philosophi consequentem literam nos conuertemus.

Quid visio de
Aristotelis &
Alexandri sententia.

Magnus Albertus.

Oculus speculum animatum.

Rationi certe consentaneum est, ut quod intra est, aquæ adscribatur. Perspicua enim est aqua, cernitur autem sicut extrinsecus non sine lumine, ita & intrinsecus. Perspicuum igitur oportet esse, & aquam necesse est esse, quando non est aer. non enim in extrema oculi parte anima & illius est sensiterium, sed in intima. Quamobrem perspicuum esse, & luminis capax quod intrinsecus est oculi, necesse est. Quod etiam ex ijs quæ contingere solent, palam est. Nam quibusdam in prælijs secundum tempora vulneratis, ita ut oculi meatus absunderentur, visæ sunt offundi tenebræ, ceu extincta lucerna: quoniam perspicuum, & ea quam vocant pupillam, ceu laterna quædam exsecta esset.

Superiori in textu Aristoteles illius assignare videtur causam, cuius paulo ante solummodo signa posuerat, visum scilicet à prædominante elemento esse aqueum. Rationi enim consentaneum est, inquit, ut id quod intra oculum est, id est pupilla ipsa, sit aquea. est enim medium inter pupilla inter videns & rem visam. Hoc autem idcirco, quoniam perspicua est aqua, & lumen per se totam recipere valens. Oportet autem ad visionem quemadmodum externum ita internum medium lumine esse collustratum, usque ad sensitivam videlicet animæ potestatem. quamobrem perspicuum id non minus quam externum esse medium necesse est. Aquam igitur necessarium est esse, quando non est aër. Et hoc sumere videtur in loco philosophus, id quod intra oculum est, aquam esse: vel quia illud aërem esse dixerat nemo: vel quia cum in anatomicis sectionibus, tum in vulneribus casu factis id esse aquam manifeste apparet, & non aërem: vel quoniam medio intrinsecus perspicuo posito, melius convenientiusque est id esse aqueum quam aëreum, cum firmior sit aqua & stabilior, & ad conservandas species aptior quam aër. Aqua enim (ut dictum est retro) non solum diaphanum quiddam est, sed etiam emphaticum, id est suapte natura apta & idonea acceptas retinere & reddere imagines, ob quandam naturæ suæ stabilitatem, aëris scilicet respectu, qui fulvis & dissipabilis sui natura esse percipitur. Cum autem subiungit non in extrema oculi parte esse animam, causam signare videtur quamobrem ad videndi opus intrinsecum medium oportet esse perspicuum. non enim in extrema, inquit, oculi parte est anima, aut illius sensitiva potestas. Si enim in extremo esset oculo anima, nihil profecto interno indigeret perspicuo, cum solummodo externum sufficere perspicuum posset. Non est autem anima & sensitiva illius vis in extrema oculi parte. nam in alijs etiam sensiterijs similiter se haberet, & hoc non esset modo consensatio seu iudicium animæ aliquod: cum alia ipsius pars in alia corporis delegata esset parte: neque etiam nobis concessum esset diversis iudicare sensiterijs quæ sensilia essent diversa, vnum non habentibus quiddam solitarium quod omnia vndeque reciperet & iudicaret: ut in commentarijs de anima sufficienter est declaratum. Quemadmodum enim, inquit Alexander, si seiugatorum & ad se inuicem separatorum hominum alius quidem videret, alius vero audiret, & gustaret alius, non posset ille qui audit, iudicare ea quæ vident & gustant illi: ita si in nobis discrimina naturæ seiunctæque essent illæ animæ potestates, haudquaquam rectum de sensilibus iudicium ferre posset animus. Quod autem spatium illud usque ad animæ sensitivam vim sit perspicuum, experimentorum quorundam testimonio confirmare contendit philosophus. Cum enim in bellorum, inquit, discrimine sæpenumero contigerit ut plerique in temporibus vulnerati, ita ut pori illi & meatus qui ad oculos perveniunt, & in quibus diaphanum illud esse perhibetur, penitus absunderentur, illico visum amiserint, statimque illis ceu extincta lucerna tenebræ sint obortæ: manifestum profecto est, intrinsecus positum medium oportere esse perspicuum. Pupilla enim veluti laterna quædam est, per quam omne internum collustratur medium ad sensitivam usque animæ vim, extrinsecus scilicet intercedente lumine. Cuius quum vulneribus, aut quo alio casu soluitur continuitas, ab extrinsecis nimirum lumine illius cessat illustratio. evanescit igitur & veluti extinguatur internum lumen. non accideret autem huiusmodi quippiam si extremo cerneremus oculo. Quamobrem certissimum esse apparet quod extrema oculi parte non videmus, neque animæ ipsius sensitiva potestas in ipso est oculo: & idcirco intrinsecus positum medium ad sensitivam usque animæ vim perspicuum esse oportet.

Quod iudicium
anima non in
singularibus
sensiterijs.



Quamobrem si in ijs contingit ut diximus, manifestum est quod oportet hoc reddere modo, & assignare vnumquodque sensitivum elementorum unicuique: ut oculi quidem visiva potestas aquæ adscribatur: aëri autem sonorum sensitiva: igni vero

odoratus.

Ex hoc loquendi modo manifestum cuique esse potest non placuisse philosopho instrumenta sensuum elementis adscribi debere singularis. Verum quoniam ab antiquioribus ita erat per manus traditum, idcirco dicit, si oportet hoc reddere modo, visionem quidem, id est visum sensum aquæ sanè attribuendum esse: auditum autem aëri, in quo nimirum omnes fiunt soni: odoratum vero igni. Certum autem est philosophum hoc in loco ex peculiari propriaque sententia isthæc non proferre, cum in commentarijs de anima asseruerit nullum sensitivum ex solo igne, aut ex sola terra posse constare. quo etiam in loco odoratum in aëre vel in aqua esse posuit. Sub conditionis igitur nunc loquitur modo ut nobis ostendat se non ex certa animi sententia isthæc affirmare velle.



Quod enim actu odoratus est, id potestate odoratum est. Sensibile nanque operari facit sensum: idcirco necesse est ipsum esse id quod potestate erat prius. odor autem fumida quædam est ex

halatio. huiusmodi vero exhalatio ab igne est.

Cum in præcedentis literæ contextu de aliorum sententia dixisset philosophus quinam sensus quibus assignari adscribiq; debent elementis, hoc in loco ostendere intendit odoratum igne constare. Est autem quod dicit, huiusmodi. Quod actu est odoratum, illud potestate est odoratum. Visio enim antequam videat, potentia est visiva: & auditus est potentia auditiva antequam audiat: & odoratus igitur potentia est odorativus antequam odoretur. Est igitur odoratum, id est instrumentum odoratus potentia, id quod est actu odoratus dum actu est. Sed odoratus actu idem est quod odorabile actu, sicut visus actu idem est quod visibile actu, & auditus actu, quod audibile actu. Sensibile enim sensum facit agere & operari & actu esse. Quod est igitur actu odorabile, est potestate odoratum. Sensitivum namque potentia est id quod est sensibile actu: alioqui nihil ab illo pateretur. sed actu odoratus, & odorabile actu, fumosa est exhalatio. huiusmodi autem exhalatio siue euaporatio, ab igne sanè est: ut ex ijs quæ sursu halant, manifeste apparet: quæ tunc præcipue odorem reddere sentiuntur, cum cremantur. Flores quinetiam ipsi in aère calido, & in eiusmodi terrarum cælique plagis odoratiores existunt, veluti in sursu quodam in fumidam euaporent exhalationem, quæ fumida exhalatio via quædam est (ut videtur) & transmutatio ad igneam naturam. odoratum igitur, id est odoratus instrumentum, igne committitur censebitur. Hoc autem in loco non inutiliter D. Thomas notat dictum esse à philosopho, odorem esse fumidam exhalationem, non idcirco quod exhalatio fumida ipsius sit essentia (hoc enim in commentarijs de anima improbatum fuit & exploratum. namque longius odor diffunditur, quam quo fumida pertingere & peruenire possit exhalatio) sed idcirco dictum est, inquit, quia fumida exhalatio in causa sanè est quare sentiatur odor: quæ, inquit, fumida exhalatio siue euaporatio ab igne certe est, aut à quapiam calidi natura. Odoratus autem est non propter ignem, sed propter caliditatem, quæ profecto igni primo inesse videtur.

D. Thomas.



Quamobrem odoratus sensitivum ei proprium est loco ubi cerebrum est. Frigidi enim materia, potestate est calida. Oculi quinetiam constitutio hunc ipsum habet modum. à cerebro namque conformatus est oculus. id autem ex omnibus corporis partibus frigidissimum est, & maxime humidum.

Posteaquæ nobis Aristoteles declaravit quoniam modo demonstrare quispiam posset odoratum igne constare, ut quod antiquiores fecerunt, suo arbitratu facere posset, singulis scilicet elementorum naturis singulares adscribere sensus: non enim (ut diximus) hac de re placita sua nunc refert philosophus, cum ijs contraria, ut diximus, & pugnantia in ijs quos de anima inscripsit commentarijs manifeste conscripserit: cum illa inquam præmiserit, idem etiam nunc alia via conatur ostendere, odoratum scilicet igne constare. Ea autem ostensionis est ratio, quoniam odoratus sensitivum iuxta cerebrum collocatum constitutumque esse percipitur. oportet namque calidam materiam esse frigidam. frigidissimum autem suapte natura inter omnes animalium partes esse cerebrum nemo est qui ambigat. Tale igitur erit potentia odoratus, & potentia odorabile, ipsum est odorativum: erit igitur hanc illius est rei cuius dicitur esse potentia: potentia autem odorabile, ipsum est odorativum: erit igitur hanc ob causam ipsum odorativum materia odorabilis rei. Frigidum vero materia est ipsius calidi, & est frigidum illud quod odorativum est, quia à cerebro originem trahit, & circa cerebrum est. Odorabile igitur calidum sanè esse perhibebitur. Si autem hoc verum est: odoratus actu calidus utique est, & hoc dixerit modo odoratum igne constare, haud male utiq; dixerit. Potentia enim calidi est frigidam materia, id est quæ ex frigido est. Aduertendum est autem non ostendere in præsentia philosophum sensitivum odoratus igne constare, quoniam id constanter damnat: sed ipsum odorabile, & ipsum odoratum actu existentem alia à calidi natura provenire. Quo in loco ad clariorem prædictorum intelligentiam non ab re animaduertendum esse censeo, quod quemadmodum est sensibile actu, ita sensitivum est potentia. Sensibile enim operari & agere facit sensum. Sed sensibile actu in odore à dominante qualitate est igneum. Fumida enim est euaporatio, vel non sine fumida euaporatione siue exhalatione. nihil enim hic de vocabulis ambigendum est. quæ fumida euaporatio à calidi certe fit natura, & idcirco ab ignea quadam vi. Sensus igitur odoratus potentia est à qualitatibus prædominio calidus & igneus. Sed quod est potestate calidum, actu est frigidum. Sensus igitur odoratus actu est frigidus: quod etiam experientia ipsa liquidò patere potest. Carunculas enim illas quæ à sui figura mamillares appellantur à medicis, ubi odoratus effici dicitur sensus, exortum suum à cerebri habere substantia, & illi coniungi, oculata percipitur fide. quæ certe pars in animalibus cum frigidissima, tum maxime humida esse animaduertitur. Parique rationis modo sensus visus, qui à prædominante qualitate aqueus esse censeatur, cum cerebro

Caruncule mamillares appellatae.

c. iij.

Cerebri & cordis discordia
conseruatur
animal.

iungi copularique manifeste videtur. Sunt enim (vt recte dicunt medici) duæ in animalibus partes longe diuersæ, & inter se contrariæ, cor scilicet, & cerebrum: hoc quidem frigidissimum, illud vero calidissimum. quæ cum natura contra se agant, & inuicem patiantur, illarum sanè perenni discordia vniuersum nimirum perstare & conseruari percipitur animal. Cordis namq; caliditas, cerebri frigiditatem corrigit & emēdat: contra frigiditas cerebri, cordis caliditatem castigat & temperat. Quamobrē est videre q̄ ex hominum genere quicumq; paruum habent caput, cuius sanè figurę habitu Herculis staturas ferè omnes esse conspicimus, ij nimirum excellentis sunt audaciæ, periculorūq; contemptores, & vitę prodigi: quoniam in illis haudquaquam cerebri sufficit frigiditas cordis superfluentem corrigere caliditatē. Subiungit etiam postmodum philosophus oculorum generationem & constitutionē eundem habere modum. ex cerebro enim & à cerebro frigidissima & humidissima (vt dictum est) animalium parte, originem habere suam percipiuntur oculi. huiusmodi autem esse censetur aqua illa qua certe media fit visio. Quamobrem clarum est, inquit Alexander, non igne sed aqua duos istos constare sensus, visum scilicet & odoratum. siquidem à cerebro ambo originem trahere videntur suam: qua de re pro parte etiam in ijs quæ sequuntur, philosophus pertractabit, cum ostēdet, quoniam odoratus sensiterium circa cerebrum est, vt locus certe ille ad symmetriam proportionemque reduci possit propter quam sentire valeat, oportere odores & olfactilia omnia esse calida: huiusmodi autem fumidā illam euaporationem siue exhalationē esse, de qua in præcedenti dictum est litera. Cæterum, inquit Alexander, si quispiam hoc in loco ea quæ retro dicta sunt, retractare voluerit, illorumq; rememorari, nō immerito ambigere poterit visus sensum esse calidum, & ab igne procedere. Nam visuum quod potestate & visus est, & actu visile: actu quidem frigidum est, & potentia calidum. Dictum est enim retro q̄ illud quod potestate est visuum, visus & visile actu est. Sed visuum est potentia calidum. nam actu est frigidum, cū à cerebri natura originem trahat suam. Visio igitur & visile actu, calida & ignea sunt. Frigidum enim (vt retro de odorabili & odoratiuo dixerat) est potentia calidi. Quamobrem, inquit Alexander, manifestum est exercitij potius gratia, q̄ vt placita proferret sua, isthæc philosophum huiusmodi de re in præsentia recensuisse. Vel ambo, inquit, visus scilicet & odoratus, ad cerebrum quod frigidum est, diuerso referuntur modo. Olfactile enim vt est frigidum, olfactile est. Quamobrem vt est tale sensiterium, potentia calidum dicitur. Visuum autem non dicitur visuum vt est frigidum, sed vt est humidum, & diaphanum potestate. Diaphana autem actu, color & lux esse perhibentur. Hac igitur via posset, inquit, visus sicut olfactus igni attribui & assignari: verum per diuersas illius qualitates, olfactus nāq; igni merito attribui poterit in quantum à calido & igneo prouenire percipitur, visus autem vt à claro lucido & perspicuo efficitur. Quæ duę qualitates in igne sanè esse deprehēduntur. Quāobrem sicut fieri non potest vt sine calore olfactile sit actu, cum fumida (vt dictum est) sit euaporatio, aut non sine fumida existat euaporatiōe: ita fieri non potest vt visus actu sit sine splendore & lumine.

Quomodo visus & odoratus per diuersas vtroq; qualitates igni adscribantur.

Actus autem, potestas terræ est. Gustatiuum vero, tactus quædam est species: & idcirco iuxta cor, ipsorū est sensiterium, gustatus inquam, & tactus. Cerebro enim oppositum est cor, & omnium est partium calidissimum. Et de sensitiuis quidem corporis partibus hoc determinatum sit modo.

Postquam de visu & odoratu pertractauit Aristoteles, & dixit quibusnam assignari possint & debeant elementis, si sensus illos de antiquorum sententia quispiam sic assignare contenderet, hoc in textu de duobus alijs loquitur sensibus qui animalium generi præcipue sunt necessarii, actu scilicet, & gustatu, qui sanè tactus quidam esse perhibetur, quibusnam adscribi assignariq; debeant elementorū naturis: statimq; pronunciat terræ elemento illos assignari oportere: ita q̄ ex quatuor primorum corporum naturis, terræ quidem tactus assignetur & gustatus, aquæ autem visio, aëri auditus, odoratus vero igni. Cæterum non cessat hoc etiam in loco Alexan. inculcare, manifestum esse non ex propria animi sententia philosophum isthæc proferre, sed vt ad aliorum opiniones apto persuadendi modo arguere videatur. in commentarijs enim de anima manifeste nobis ostendit fieri haudquaquā posse vt sensiteriū quippiam ex terra constet. quamobrem animalium partes illæ quæ à qualitatis prædominio sunt terræ, haudquaquā sentire posse, quales capilli sunt, & vngues, pili quinetiam & ossa. quo etiā in loco gustatū humido cōstare demonstrauit, & propter humidā fieri naturā. Exercitij igitur gratia (vt videtur) de gustatu & tactu hæc asserit, inquit, vt in priorib⁹ de visu fecerat & odoratu, ostēdēs videlicet quonā quispiā modo illorū qui autumāt elementorū singulis singulos assignari sensus, ad huiusmodi confirmandā sententiā verisimiliter & apparenter arguere posset. Quāobrem hæc prosequendo subiungere non dubitat. Et idcirco iuxta cor, ipsorum est sensiterium. nam cum retro dixerit odoratum igne constare, & ideo circa cerebrum illius esse sensiterium: frigidum enim materia est calidi, & omnino contrarium contrarij materia esse censetur: non immerito subiungit organa duorum sensuum, tactus scilicet & gustatus, circa cor esse: quasi velit dicere q̄ in ijs etiam sicut in prioribus illis sensiteria ad sensus & sensilia eodem se habent modo. Cum igitur horum sensiteria sunt calida (cor

namque calidissima in animalibus est pars) operatio nimirum ipsorum & sensilia propria, actu erunt frigida: cum eorum sensiteria huiusmodi potestate esse censeantur. Terram igitur, & terrea omnia que ob sui soliditatem suamque resistantiam bene tangi possunt, sensus tactus iudicabit & perpendet. Hoc autem in loco animaduertendum esse censeo quod sensus tactus a prædominante elemento proculdubio est terreus, & primo principaliterque constituitur & fundatur in corde, quod (ut aliquoties diximus) inter reliquas animalium partes est calidissimum, & idcirco densum est, & bene compactum, & sanè terreum, ut calori contraire & resistere, illumque bene continere & conseruare possit. Calidi namque natura est rarum facere, & dissipare. Cæterum non solum in corde initium est & veluti stabilimentum ipsius sensus tactus, cum inde omnes etiam exoriantur nerui: sed principium etiam & origo est cor reliquorum sensuum. quam rem innuere philosophus volens, in secundo de anima libello scriptum reliquit sensitium omne cum calido esse, id est ad omnes sensuum actus vitales requiri reperiri que spiritus: qui sanè subtilissimæ corporis sunt partes, ex purissimo & defecatisimo sanguine geniti in cordis ipsius substantia, ad omnia sensuum opera proculdubio concurrentes, & perquam necessarij. Quam ob causam clarissime patere potest omnium fundamentum & originem sensuum esse cor. Ex quibus etiam consequenter liquere potest quod esse duo sensitua principia in animalibus, cor scilicet & cerebrum, nulla est necessitas. Sensitium namque principium in corde præcipue est collocatum, vbi certe fons & origo est caloris & vitæ. Nihil enim est, nedum sensitium, sed etiam viuens, quod calore careat innato. A cordis quinetiam fonte in organa trium circa cerebrum sensuum constitutorum, sensitua impertitur vis & potestas: qui etiam per extrinsecus posita media eam ob rem immutari excitari que censeantur: cum ipsum cor tactum & gustatum per coniuncta copulataque sentiens media, sibi proprio peculiarique quodam reseruauerit modo. Quod autem istuc eo ut dictum est se habeat modo, vel inde animaduertere licet. Namque ab ipso corde, in quo sensitua nimirum animæ reponitur vis, ad cerebrum triplices ascendere videntur pori, qui & a cerebro rursus deferri conspiciuntur. Vnus quidem ad oculos rum orbes: alius autem ad aurium loca: tertius vero ad ipsas nares, a quo vires sumit olfactus, & in opus exit suum. Gustatus autem & tactus ab ipso statim existunt corde. Quamobrem quibusque circa cor lætis partibus, valde dolere animalia percipimus: quæ nimirum illico intereunt si qua per contactum læsio ipsi inferatur cordi.

Cor omnium origo sensuum.

DE sensilibus autem per vnumquodque sensiterium, ut de colore, sono, odore, sapore, & tactu, generatim quidem dictum est in ijs quæ de anima, quod scilicet illorum sit opus: & quid per vnumquodque sensiterium sit operari. Quid autem illorum quodque dicendum sit, ut quid color, aut sonus, aut odor, aut sapor, simili que modo de tactu, considerandum est: & primum de colore.

Postquam retro (ut visum est) de singulorum sensiterijs organisque sensuum verba fecit philosophus, consequenti doctrinæ ordine ad sensilium ab vnoquoque sensu perscrutandam naturam se conuertit. non enim in præsentia de comunibus agere sensilibus intendit. Generatim autem, id est vniuersaliter dicit in commentarijs de anima pertractatum fuisse quænam singulorum sensilium sit operatio. & addit quinam sunt vniuersales de illis habiti sermones, quod sensus scilicet & sensiteria quodam ab ipsis sensilibus afficiantur modo: & quod operari & agere per vnumquodque sensiterium, est sensilium recipere species a materia seiugatas: & quod sensus actu, idem est cum sensilibus ipsis. isthæc omnia generatim & vniuersaliter fuisse præmissa nunc scribit: in præsentia autem restare ut de sensilibus ab vnoquoque sensu perceptis per peculiare propriasque quorumque naturas verba faciat. non enim idem est illorum esse, & sensilia esse. Commune enim est omnibus esse sensile, cum aliquo percipiuntur sensu. propria autem cuiusque & peculiaris est natura & substantia, per quam alia ab alijs disiungi, & inter se differre censeantur, & non ab eodem admittuntur comprehendunturque sensu. Illud autem, simili que modo de tactu, idem vult ac si diceret, de tactili quod tangi potest. Tactus enim sensus est, tactile vero sensile. Sed primum quidem de colore pertractare pollicetur, qui visu sentitur, idcirco (ut opinor) quoniam visus inter alios nobilior est sensus, spiritalisque maxime.

Illorum igitur vnumquodque bifariam dicitur, actu scilicet, & potestate. Quomodo autem color actu & sonus eadem sint, vel diuersa a sensibus qui sunt actu, ut a visione, & auditione, in commentarijs de anima dictum est. Quid autem eorum vnumquodque existens sensum efficiat & actum, nunc recenseamus.

c. iij.

DE sensilibus per proprias peculiareſq; illorum naturas verba facturus Aristoteles, diuisionis illius nos admonet quæ in commentarijs de anima fuit præmiſſa, quòd bifariam ſcilicet vnum quodque ſumitur ſenſile, actu ſcilicet, & poteſtate. In quib⁹ nimirum etiam dixit q̄ actu ſenſibile quodammodo idem ſenſui actu eſſe cenſetur, & quodammodo diuerſum. Dictum eſt nanq; q̄ numero quidem vnum ſunt, ſenſus actu, & ſenſile actu: ratione autem ſunt diuerſa. alia enim ratio eſt ſenſilis actu, & alia ſenſus actu. Quando vero dicit, Quomodo autem color actu & ſonus, ſupplere ſanè hoc oportet modo, color actu ſenſilis, & ſonus actu ſenſilis. Præciſus nāque ille & mancus eſt ſermo, & idcirco ad integrum eſt reducendus. Colores nanque & ſoni plurimi poſſunt actu conſiſtere, qui tamen neque cernantur, neque à quopiam audiuntur. Quamobrem non dicentur h̄ utique cum ſenſibus actu ſuis iſdem eſſe. Veruntamen non poſſunt ſenſilia huiusmodi actu talia eſſe, videlicet color actu ſenſilis, & ſonus ſimiliter actu ſenſilis, ſine ſenſu. De ijs (vt ſanè fecit) in commentarijs de anima ſe pertractaſſe ſe nunc dicit philoſophus, quomodo ſcilicet ſenſilia actu eadem cum ſenſibus actu ſint ſuis: & quoniam modo etiam ſint diuerſa. Deinde ſubiungens ait, Quid autem illorum vnūquodque. quoniam cū pertractaſſe ſe dixerit in cōmentarijs de anima de ſenſilibus actu, nūc de vnoquoq; illorum pertractaturum ſe pollicetur vt ſunt poteſtate ſenſilia: quod alterum ſanè erat ſuperioris diuisionis membrum in qua dictum fuit q̄ vnumquodq; ſenſile bifariam ſumi poteſt, actu ſcilicet, & poteſtate. Quæ res clariffime patere poteſt, inquit Alexan. ex ijs quæ ſtatim ſubiungit: Quid autem illorum vnumquodque exiſtens ſenſum efficiat & actum. innuit enim nobis, & veluti admonitos nos eſſe vult ſe poſthac de poteſtate ſenſilibus pertractare velle.

Quemadmodum igitur dictum eſt de lumine in illis, q̄ ſcilicet eſt color perſpicui per accidens: nam quoties igneum quippiam ineſt perſpicuo, illius quidem præſentia lumen eſt: abſentia vero, tenebræ.

Quod lumē ē
perſpicui color
per accidēs.

Reuiter hoc in loco nos meminiffe philoſophus admonet eorum quæ de lumine in commentarijs de anima dixerat, q̄ ſcilicet color eſt per accidens ipſius perſpicui lumen. in illis enim oſtendat q̄ lumen actus eſt perſpicui vt perſpicuum eſt, & tanquam illius color, non ſimpliciter autem & per ſe color, ſed per accidens, tum quia ipſum perſpicuum nihil paſſum lumen recipit, ſed per habitudinem quandam quam ad luminofum habere dicitur corpus, tum quia illud proprium & peculiare non habet, vt aliorum colores ſunt corporum, qui certe in illis ſtabiliter perſtant & remanent. Lumen vero in perſpicuo nō hoc ſe habet modo. adeſt enim vel abeſt, vt corporis luminofi ad illud eſt habitudo, per præſentiam inquam, vel abſceſſum. quod proſecto veluti ſe ipſum exponens ſubdit philoſophus, dicens, Quoties igneum quippiam ineſt perſpicuo, illius quidem præſentia lumen eſt, abſentia vero, quam priuationis ſignauit vocabulo, ſunt tenebræ. Ex quibus liquidò apparere poteſt, lumē, ſi quidem perſpicui eſt color, per accidens id eſſe, & non per ſe. Palam eſt etiam quomodo lumē in habitudine quadam ad diaphanum conſiſtere dicitur, quando luminofi præſentia corporis eſt lumen, abſentia vero tenebræ exiſtunt. Deſectiuum autem & mutilum hoc in loco hunc eſſe ſermonem, & cōciſam literam inquit Alexāder: quamobrem hoc ſuppleri modo neceſſe eſt. Quemadmodum igitur dictū de lumine eſt in illis, ſupponatur videlicet, aut maneat, aut admittatur, ſiue eiufmodi aliud quippiam: vt poſt continenter litera legatur, nam quoties igneum quippiam, & quæ ſequuntur.

Quod autem vocamus perſpicuum, non eſt aëris aut aquæ, aut aliquid ſic appellatorum corporum proprium, ſed communis quædam natura & poteſtas, que ſeparata quidem non eſt, in ijs autem eſt, & alijs etiam ineſt corporibus, ijs quidem magis, illis vero minus.

Volens philoſophus hoc in loco de colorum pertractare naturis, non ab re illorum nos rememorare voluit quæ in commentarijs de Anima de lumine dixerat, q̄ ipſum ſcilicet primo & maxime color exiſtens (ſiquidem per ipſum alios cernimus colores) non in alia fit q̄ in ipſa diaphani natura: probans per hoc & oſtendens q̄ huiusmodi natura colorum eſt receptiua. Sumens igitur hoc in loco de illis, lumen, quod ſanè eſt color, in diaphano fieri: conſequenti doctrinæ ordine quænam huiusce diaphani ſit natura quæ colores recipere nata eſt, oſtendere contendit, & in quibus illa reperiatur: quæ in corporum genere quæ perſpicuitatem in ſe continent, differentiæ exiſtat modus, ex coloratis inquam corporibus er illuminatis. Nam illa quidem proprium habere colorem dicit in ſui extremo collocatum. quæ vero lumen ſe totis accipiunt & admittunt, neque hoc habere modo colorem cenſentur, neque ſibi proprium quem habent, ſed extraneum habere percipiuntur. Quod enim

vocamus, inquit, diaphanum, propria non est aëris aut aquæ natura, quorum color per accidens lumen est, & fieri dicitur, neque alicuius sic appellatorum corporum, ut perspicui quidam sunt lapilli: sed est communis quædam natura, & vis siue potestas, non separabilis, neque per se existens, quæadmodum neque alia sunt potestates: sed in ijs quæ perspicua appellamus, nimirum existens: aërem intelligere volēs & aquam, & alia scilicet corpora de quibus hanc diaphani naturam dicere & prædicare possumus. Verum in ijs quidē magis, in alijs vero minus: cum tamen omnia sanè corpora hac participēt potestate. hoc autem in loco elegantissime mehercule & vere Platonice nos aduertere D. Thomas iubet, quòd scilicet in genere visibilis communiter accepti aliquid se habet ut actus: aliquid autem ut potentia se habere dicitur. & id quidem quòd se ut actus habet, lumen est: quod in cælesti corpore primo esse censetur, & ad inferna etiam usque corpora deriuatur: illud vero quòd se habet ut potentia in hoc genere, id certe est quod luminis est susceptiuum. Quod quidem in triplici naturæ ordine esse perhibetur: & primus quidē ordinis gradus luminis susceptiuorū, eorum sanè est quæ lumine vndiq; & omnifariam sunt repleta: itaque alterius receptiua nō sunt qualitatis: quæ etiam lumē ex se emittere reddereque possint: quod primo & maxime ipsi competit Soli. Ista autem lucendi proprietas per aliquos descendens graduum ordines, & ad ipsum perueniens ignē, ad nonnulla vltius deriuans corpora, tandem deficere animaduertitur, quæ certe sui imbecillitate luminis alio lucere nequeunt tempore quàm noctibus. Et iste nimirum primus ordinis est gradus eorum quæ lumen recipiunt, lucereque dicuntur. Secundus vero suscipientium lumen est gradus eorum quæ de se actu lumen non habent, verum se totis susceptiua sunt luminis: qualia diaphana dicuntur esse corpora. Quo etiam in ordine naturæ nonnulli censentur esse gradus. Et primo quidem hæc in cælesti corpore reperitur proprietas: secundo autem loco in elementari ignis natura qui in proprio constitutus est orbe: tertio in aëre: quarto in aqua: quinto etiam in terrenis quibusdam corporibus propter aëris aut aquæ abundantiam in illorum mistione repertam: cuiusmodi lapilli sunt quidam, crystallum quinetiam, & vitrum, cæteraque eiusdem notæ. Infimus autem luminis suscipientium gradus in terra esse censetur: quæ quo plus à cælesti distat corpore, eo minus luminis capax esse perhibetur. In extrema enim sui parte & superficie illud solummodo recipit, cum exteriores nimirum illius partes sui crassitudine & opacitate internis officiant & obstant partibus. obumbrant enim illas, neque lumen ad eas peruenire sinunt. Quauis autem in solis ijs corporibus quæ medijs sunt ordinis, perspicuum & diaphanum sint nominata, nihil tamen prohibet perspicuum id omnino merito dici posse, quod luminis est susceptiuum, quomocumque id suscipere videatur: de quo hic philosophus loqui existimatur, cum dicit perspicuitatē in ijs quidem magis, in illis vero minus inesse.

D. Thomas

Tres luminis
susceptiuorū
gradus.

Quemadmodum igitur corporum necesse est aliquid esse vltimum, ita & huius.

CVM retro dixisset Aristoteles perspicuitatem esse naturam & vim quandam ab vniuerso corporum genere secundum magis & minus participabilem, prosequitur, ut nonnunquam solet, mathematicorum more, sumendo vnum quod alibi est demonstratum, quòd corporum scilicet ut corpora sunt, aliquem esse terminum esse necesse, quoniam nullum infinitum est corpus. Is autem terminus, & extremum hoc, superficies sanè esse dicitur. Est igitur superficies corporū terminus: perspicui vero terminus color esse censetur. quæ obrem corporis etiā terminus color esse dicitur: qui profecto non se iugatus à superficie solitariusque corporis erit terminus, sed veluti in ipsa & cū ipsa terminus existens superficie. Quemadmodum enim adinuicem se habet corpus & diaphanum, ita etiam illorum se habere terminos esse censendum. Porro in illis non aliud quidem esse corpus dicitur, aliud autem diaphanum à corpore se iugatum: sed corpus est ipsum diaphanum dum huiusmodi habet potestatem quæ sanè colorum est susceptiua. Est autem ipsius terminus superficies tali colorata modo. Quapropter conuenienter utique dicitur, ut quidem corpus est, pro sui termino superficiem habere: ut autem eiusmodi est corpus, id est diaphanum, terminum illius esse colorem. Natura enim in ipsis corporibus quæda est ipsa perspicuitas, quæ colores sanè recipere nata est. Nā sicut caliditatis, frigiditatis, humiditatisque & siccitatis, densitatis quinetiam & raritatis corpora magis aut minus participare possunt, quæ sunt potentia ab illis haudquaquam separabiles: sic ipsius perspicuitatis magis & minus participare certe nata sunt. Quemadmodum etiam in omnibus ijs quæ in alijs nata sunt fieri, animaduertere contingit subiectum quiddam subiacens & substratum aptitudinem habilitatemque habens ad eiusmodi suscipiendas formas, quod sanè illis veluti materia est quædam, verbi causa in magno & paruo, graui & leui, necnon aspero & leni aliquid certe subiacet & substernitur quod materiæ nimirum proportionē & analogiam habere videtur: ita de colorum differentijs & contrarietatibus sanè diiudicare & admittere oportet: esse scilicet subiectam & suppositam quandam naturam quæ illas deferat. siquidem non de per se esse huiusmodi colorum differentiæ & contrarietates, sed in alijs nata sunt fieri. Huiusmodi autem in corporibus esse perspicuitatem, & diaphani naturam, manifestum sanè est. Namque ut diaphana sunt corpora, colorum certe susceptiua esse censentur. Non est autem hæc natura in omnibus æquabiliter corporibus, sed quibusdam magis, alijs vero minus inesse percipitur, sicut corpora etiā ipsa inter se nimirum distare videntur. Namque alia quidem terminis claudi finiri que, pleraque vero nullis coar-

DIGRESSIO

De communi
perspicuitatis
natura de A.
lexandri sententia.

etari componi; terminis conspiciuntur. A quibus sanè corporum differentijs colorum non ab re dif-
 ferentiæ nascuntur. Quo in loco animaduertendum sanè est quod Alexander hic notat, quòd illa scilicet
 diaphana vocantur corpora proprie, quæ visioni sunt peruia: quod etiam etymologia signi-
 ficat nominis. *φῶς* namq; id est lucem habentia interpretari possunt. quamobrem diaphana proprie
 sunt illa quæ per totum & se totis lucis accipiunt admittuntque splendorem, & quorum sanè color
 est lux, quæ visilibus vniuersis vt cerni possint est in causa. Huiusmodi autem interminata esse perci-
 piuntur diaphana, quæ lucem se totis accipiunt ceu colorem quendam suum, cum proprium peculia-
 remq; non habeant colorem. Interminata enim corpora sicut proprium in se non habent terminum,
 sed ab extraneis terminantur corporibus: ita neq; proprium habent colorem per quem apparere cer-
 niq; possint. Præterea subdit etiam vir ille quòd interminata corpora magis existunt diaphana: quia
 minus terra participare censentur: terminata vero corpora, quia magis terra participant, minus con-
 stat esse diaphana. Minimam namq; perspicuitatis essentiam in terræ corpore non immerito esse cen-
 sendum est. Inter omnia autem corpora maxime id perhibetur esse diaphanum, quod ipsum quidem
 haudquaquam cernitur, alijs autem omnibus vt cerni possint est in causa, omnia collustrare natum,
 diuinus inquam ignis. Secundum autem proportionem quasdam vicinitateq; & affinitatis modos ad ip-
 sum, alia etiam perspicuitatis participare dicuntur corpora, magis minusve: & magis quidem aër ipse
 quæ continenter subiectus est, & iccirco statim & illico ad luminosi præsentiam corporis lumine re-
 pletur vniuersus: secundo vero loco aqua: ultimo autem terra: quamobrem minima in illa perspicuita-
 tis censetur esse natura. Nam quæcunq; sui soliditate terrea existimata, diaphana esse cernuntur, hæc
 si quis bene examinabit & perpendet, aquea magis deprehenduntur esse, quàm terrea: ceu translucidi
 quidam sunt lapilli, crystallum quinetiam, & vitrum, huiusmodiq; alia complura. Diaphana igitur om-
 nia propter affinitatem quandam (vt diximus) naturæq; cognationem ad primum diaphanum,
 huiusmodi esse non immerito existimantur. Aër etenim ipsi quodammodo cognatus est igni, cum na-
 tura sui, tum situs lociq; vicinitate: & iccirco illico collustrari natus est. Aqua vero, ignis pabulum esse
 censetur. in omnibus enim ijs quæ comburi cernimus, humiditates quasdam flammis pabulum escæq;
 suggerere & subministrare conspiciamus, ignemq; ipsum tantum perseuerare, quantum sanè in se suffe-
 cerit à quo alitur humor. Quam etiam rem ab exhalate in vstionis opere fumo manifeste sanè digno-
 scere possumus. Terra autem cum ab igne natura locoq; sit remotissima, minimū (vt dictum est) per-
 spicuitatis habere videtur, & iccirco oppositum quiddam luminis, & illius in se continere priuationem
 percipitur. Neq; igitur lumen in se admittit terra: & quibus miscetur corporibus, illis nimirum ad per-
 uiam luminis receptionem penitus officit. Quamobrem in aëre fumus, flammaq; etiam ipsa ex viridi-
 bus excita lignis, visui officere videtur & splendori: quoniam multas terreas & crassas secum mistas
 conuehant partes. Cornu autem arte quadam perspicuum redditur, quoniam à prædominio aqueū
 non ab re esse censetur. Quod vel inde liquidò patere potest. Cornua namq; facillè mollescunt, & tan-
 quam cera quaslibet paruo negotio formarum recipiunt imagines. Quamobrem, inquit Alexander,
 illa maxime perspicua inter alia censenda sunt corpora, quæ primum & maxime visilem recipiunt co-
 lorem, per quod alij cernuntur colores: quod ipsum esse lumen nulli est dubium: quæ etiam cum inter-
 minata sint, illud se totis recipere videntur. nam nihil in se habent quod sanè illi officere valeat. Quo-
 niam autem huiusmodi corpora tum interminata, tum humida quodammodo existunt omnia, neq;
 bene quod recipiunt continere possunt: iccirco neq; patiendi colorari, neq; patiendi illo priuari dicuntur.
 quamobrem luminoso discedente corpore, cuius nimirum præsentia collustrari visabantur, in pri-
 uatione statim luminis remanet. quod si retinere possent, semper sanè splendens essent & clara. Alios
 quinetiam huiusmodi corpora recipiunt colores, neq; à quibuscunq; naturæ cognatione & affinitate
 facillè immutari sunt nata. Quæ autem solida sunt corpora, & plus terræ habent: neq; visui peruia exi-
 stunt, neq; similiter sunt diaphana, neq; lumen se totis recipere valent. non enim proprius illorum lu-
 men est color. Habent vero peculiarem quempiam colorem, cum solida sint, & illum bene conseruare
 & retinere possint: quæadmodum à principio ex tali videlicet vel tali perspicuorum corporum ad se in-
 lucem commixtione illum suscepisse creduntur. Cerni autem possunt commixti luminis gratia, quod
 principalissimum (vt dictum est) & maxime visile esse perhibetur: verum ipsum lumen vt proprium pe-
 culiaremq; sui colorem recipere nequeunt: sed quantum perspicuitatis participant, tantum colorata
 dicuntur & existunt. Quæcunq; autem illorum de numero diaphana sunt magis, luminosum habere
 colorem videntur, cum huius in se coloris habeant causam. illis autem vicina & affinia sunt alba: & ad
 summam, quæcunq; magis visiles in se habent colores, magis censentur esse diaphana. Atra vero & ni-
 gra perspicuitatis priuatione huiusmodi esse perhibentur, cum nihil aliud existant tenebræ, quàm cor-
 poris collustrare valentis remotio & abcessus. Et hæc est, inquit Alexander, ipsius natura coloris &
 diaphani: quod in omnibus nimirum reperitur corporibus. qui circa huiusmodi quæ modo recensui-
 mus, aliquatisper euagatus, rursus ad priorem regreditur literam. Verum ego in præsentia antequam
 ad illam me conuertam, de natura diaphani & luminis nonnulla in mediū adducere statui, quæ Theo-
 phrastus (vt aiunt) in commentariolo de sensu fantasia & intellectu sensisse perhibetur: Priscianiq; Ly-
 di eius legitimi expositoris verba subtexam, vt quid de hac re peripatetici cum Academicis senserunt,
 clare dignoscere possimus. Sunt autem Prisciani Theophrastum explicantis hæc ad literam verba:

Quænam igitur est natura diaphani, id est perspicui oculisq; peruij: nō enim sufficit dicere inesse hoc aëri

Proprie dia-
phana dici
quæ visui sūt
peruia.

Primum diapha-
num diuinus
ignis.

Aqua quodā
modo ignis
pabulum.

Quæ maxi-
me perspicua
sunt corpora.

& aquæ, ætheriq; & solidis nonnullis corporibus. necesse autē est, inquit, vel passionem quandam, vel dispositionem affectionemq; esse diaphanum. hoc enim penitus est in corpore: corpus autē sic in corpore esse non potest. Si autem passio est vel dispositio quædā, à quonam fiat, inuestigabimus. aut enim ab vno, aut à pluribus simplicium corporum forsitan prouenire videbitur: tamen hoc fieri nequit. hæc enim simplicia, scilicet aër & aqua, sunt diaphana: terra autem diaphana est per ignem: immo vero & composita corpora omnia, quatenus omnia sunt colorata. Color autem diaphani terminus. Affero igitur diaphanum non esse passionem dispositionemq; ab aliquo corporibus illatam, sed esse speciem quandam conciliatricem eorum quæ in generatione sunt corporum ad luminis perfectionem percipiendam, itemq; præbentem eis aptitudinem quandam ad lumen suscipiendum, & ad tenebras subeundas: siue hæc alterutrum participans per essentiam, siue per vices vtrunque, siue simul ambo per aliquam mixtionem. Diaphanum quidem quod est in igne, lumen habet essentialia: diaphanum vero quod est in terra, tenebras habet essentialia. Quæ obrem sicut ignis est luminificus, sic est tenebrifica terra. ipsa enim (vt ita dixerimus) tenebra non est priuatio, sed ipsa quoq; est actus. verum nunquid errauimus modo in terra ponentes diaphanum, si modo luminis susceptiuum sit ipsum diaphanum? Sed non errauimus. hoc enim (vt diximus) non solum luminis, sed tenebrarum etiam susceptiuum est. Præterea terra quoq; colorata est: color autem ipsius est in corporibus terminatis diaphani terminus: quapropter & in terra diaphanum est: ibique non solum tenebrarum per essentiam susceptaculum, sed quodammodo luminis. nam tenebras quidem suscipit in profundo, in terminis vero lumen, si modo colores sunt lumina quædam, atque si ipsa quoq; terra superficie suscipit lumen. Diaphanū autem aëris atq; aquæ vicissim amittit vtrunq; quod sanè ratione magis propria diaphanum appellare solemus. Diaphanum vero quod corporibus inest compositis, ambo illa capit comixtione. Non debemus igitur percontari à quonam simplicium corporum diaphanum oriatur. Species enim neq; ab elementis, neq; omnino à corporibus vllis efficiuntur. quapropter quæ non secundū essentiam speciem sibi vendicant luminosam, hæc lumine indigent quo cernantur: ignis autem, lucētiaq; similiter, nequaquam indigent: quippe cū per essentiā speciei luminosæ ad hoc ipsum sufficientis participia sunt. Hæc Priscianus. Deinde paulopost ostendens quomodo lumen non sit in diaphano ceu qualitas eius, sed adsit potius tanquam illuminantis actus, sic scribit. Proinde Iamblichum sequens neq; corpus esse lumen existimo: neq; sicut Peripatetici, corporis alicuius passionem vel qualitatem. Lumen enim esse suum non habet in aère. nam aère moto permanet lumen, & aère multifariam permutato lumen suo in se impetu inde discedit, seruatque interea indissolubilem cum causa sua comixtionem: ipsa quinetiam huius simul tota præsentia per omnia accipere id valentia simul facta & subito, præsentia scilicet eo quod illuminat: & iterum abeunte, repentina defectio luminis nullum, ibi sui vestigium relinquentis, argumento nobis esse potest lumen non esse aëris passionem. Passiones enim, veluti calor, & huiusmodi, neq; accedunt subito: & igne verbi causa summoto, calor eius exiguum saltem sui speciem in passo relinquit. Constat præterea ipsius luminis actum esse à corporibus separatū, quia neq; successione gradatim procedente, neq; permutatione subiecti vsquam accedit, neque ad certum quempiam terminum cohibetur, sed diffundit se ipsum quousq; offendat aliquid quod possit accipere: neq; vnquam lumina adinuicem confunduntur & componuntur. Quo igitur modo lumen actus diaphani nominatur? Profecto non vt passio quædam, neq; vt perfectio eius in eo veluti in subiecto facta, sed tanquam separabiliter ipsum perficiens. Nec luminosus hic actus aliquando fit diaphani, sed efficit potius vt diaphanum sit ipsius, permanens ipse interim illuminanti continuus, atq; cum illo vndiq; circumductus. Hoc igitur ita summam commemoratū sit, ne forsan sicut in alijs partibus aliquid effici solet, similiter lumen in aliquo fieri vel suscipi suspicemur. Hæc Priscianus: in quibus breuiter (vt videtur) vult diaphanū neq; corpus esse, neq; dispositionem passionēve aliquam à quopiā simplicium effectam corporum, & talibus illatam corporibus: sed naturam quandam & formam ab omnibus participabilem corporibus secundum magis & minus, quæ illis aptitudinem præbeat ad lumen suscipiendum, & inuicem tenebras. non enim vult tenebras luminis esse priuationem, contra Peripateticos, sed imperfectum quendam actum illas esse. Quadrifariam autem determinat corpora naturæ huiusmodi participantia. Nam quibusdam diaphanis corporibus lumen esse scribit essentialia, sicut diuino igni: quibusdam vero tenebras essentialia, sicut terræ, internis inquam illius partibus, & centro. Nonnullis autem vicissim vtrunque adesse, aëri videlicet, & aquæ: quæ tum lucentia, tum tenebrosa fiunt: alijs vero vtrunque commixtione inesse, vt omnibus coloratis corporibus, inter quæ terra etiam secundum sui superficiem reponitur, cum sit secundum illam colorata. Illa vero proprie dici diaphana ex communi loquendi modo asserit, quæ vicissim lumen accipiunt & tenebras. Et hæc de diaphani natura. Lumen vero neq; esse corpus, vt Epicurei voluerunt: neq; diaphani passionē aut qualitatem, vt nonnulli Peripateticorum dixerunt: sed actum quendam corporis diaphani, qui ab illo separabilis est, & veluti assistens ipsum perficere censetur. Est igitur diaphani actus hoc modo: cæterum hic luminosus actus nunquam fieri diaphani dicitur: sed diaphanum esse illius perhibetur: quemadmodum anima neque corporis esse, neque in illo contineri dicitur: sed corpus animæ esse, & ab illa contineri affirmatur. Lumen igitur diaphanum perficit, ipsum interim illuminanti continuum, & vndiq; cum illo circumductum. Iccirco superior adducta litera hoc se habet modo.

Quadrifariam
 determinari
 corpora dia-
 phani natu-
 ræ participā-
 tia.

Qualis diapha-
 ni actus sit
 lumen.

Quemadmodum igitur corporum necesse est aliquod esse vltimum, ita & huius. Luminis quidem natura in perspicuo est interminato.

Quo in loco philosophus dicit quod quemadmodum corpus ut est corpus, necesse est ut aliquod habeat terminum, & quiddam extremum (nullum enim infinitum est corpus: corporis autem terminus est superficies) sic ipsius perspicuitatis quidam profecto erit terminus: & corporum ut perspicua sunt, aliquod erit extremum, quod sane idem numero cum corporum termino esse censetur. Illorum namque quae vnum sunt numero, fines etiam & termini vnum sunt numero. Non erunt autem vnum ratione eiusmodi termini, quoniam neque ratione vnum est esse corpori, & esse perspicuo. Corpora enim adinuicem non dicuntur secundum magis & minus: diaphana autem & perspicua secundum magis & minus & dicuntur, & esse censentur. Corporis igitur ut corpus, superficies terminus est: diaphani autem ut diaphanum, terminus est color. Quamobrem superficies & color idem quodammodo, & non idem esse censentur. Nam idem numero sunt, non idem vero ratione. Quod autem color sit diaphani terminus corporis, ex hoc patere potest, quia secundum quod cernuntur corpora, secundum id colorem habent. Cernuntur autem secundum sui extrema, illa igitur extrema colorem habent. Est igitur perspicui terminus ipse color, ut est perspicuum. Hoc autem intelligendum est non de perspicuo interminato, sed de terminato, quod secundum sui profunditatem huiusmodi non dicitur esse. Caeterum ipsius naturam luminis in perspicuo dicit esse interminato. interminatum appellans perspicuum, quod humidum est, & vndique visioni peruium, nullum proprium habens terminum: cui densum sane opponitur corpus, quod in praesentia corpus tantum appellat: ceu densitas ipsa in corporis natura comprehendatur. Ostendit igitur in ijs coloris differentiam & luminis philosophus, necnon perspicuorum corporum in quibus isthaec reperiuntur. Lumen enim in perspicuo existit interminato, quod nullo sane clauditur circumscribiturve termino, neque in seipso peculiare propriumque habet extremum, verum ab extrinsecis semper finiri terminarique videtur corporibus. Quemadmodum igitur talia nullum proprium habent terminum, ita neque proprios peculiareque habere colores censentur. Namque colores (ut dictum est) extrema sunt corporum, vel in extremis cernuntur corporibus, quae sane nullo extrinsecus comprehendente peculiaribus clauduntur terminorum amplexibus & circumferentijs.

Superficies & color idem sunt numero: diuersa ratione.

Quod autem illius quod in corporibus est perspicui, extremum sit quiddam, palam est omnibus. quod vero id sit color, ex ijs quae accidunt, est manifestum. Color enim aut in extremitate est, aut extremum. quam ob rem Pythagorei superficiem colorem vocabant. Est autem in extremo sane corpore, sed non est corporis extremum.

Coloris inuestigare volens naturam philosophus, palam esse dicit omnibus non minus ipsius perspicui quam corporis aliquem constitui terminum oportere, qui non immerito color esse censetur. Quoniam enim in densis & terminatis corporibus perspicuitas reperitur, terminatis profecto & finitis illis perspicuitas etiam in illis reperta terminabitur sane & finietur. Idem enim terminus & extremum corporis erit, & perspicui corporis, cum in idem (ut dictum est) numero in eiusmodi corporibus extrema concurrant. Quae autem hoc extremum sit color, ex accidentibus esse manifestum philosophus dicit. nam color est in extremitate corporis, ut est corporis extremitas. Sensu enim percipitur extremis corporum residere colores. Quod autem isto res se habeat modo, Pythagoreorum etiam testimonio & autoritate confirmat, qui superficiem, quae corporum est extremitas, colorem vocauerunt, cui tamen sententiae hoc in loco moderari videtur philosophus dicens colorem quidem non esse superficiem, sed esse in superficie. nam quantum quiddam est superficies, color vero est quale: & omnia sane superficiem habere censentur corpora, non omnia autem esse colorata dicuntur. Praeterea neque si vna superficies est, ideo vnus est color. possunt namque contrarij in vna superficie inesse colores. Verum etiam quod corporis ut est corpus, color non est extremitas, sed diaphani corporis: ipse posthac ostendit philosophus, necnon quod in corporibus ipsa perspicuitas natura quaedam est quae colores recipere nata est.

Quod superficies non sit color ut Pythagorici dixerunt.

Verum eandem oportet censere naturam quae coloratur extrinsecus, intrinsecus etiam colorari. Apparent autem aer & aqua colorata, quoniam splendor talis est. Sed in ijs quidem, quoniam in interminato est, & de prope accedentibus, & a longe,

neq; aër, neq; mare eundē habent colorem. In corporibus vero nisi id quod continet, mutationem faciat, determinata est coloris apparentia.

Intendens ostendere philosophus colorem non esse extremitatem corporis, sed in illius extremitate constitui & collocari, & quod est extremitas non secundum quod illud est corpus, sed ut est diaphanum corpus: ostendit primo quod in densis & solidis corporibus perspicuitas ipsa colorū est receptiua, eandem inquiring oportere existimare naturam in solidis & densis corporibus colorem esse recepticem, & in ijs quæ sine densitate & soliditate esse aliqua conspiciuntur: ut sunt aër & aqua. Propter quod ostendit perspicuitatem colorem esse suscepticem. Exterius autem dixit illa colorari, quoniam ab aliquo extrinsecus illuminantur & colorantur, colorem non habentia proprium. nanque illa quæ proprium habent colorem, ab interiori colorari dicuntur, quoniam in se ipsis coloris sui causas habent. Quo in loco signanter dixit apparere & videri aërem & aquam colorata, quia huiusmodi interminata perspicua suapte natura non sunt colorata. Quamobrem subiungit, Quoniam splendor talis est. Quæ litera duplicem habere potest intellectum. vel enim splendor, id est lumen, & radiorum reflexus qui in aëre & aqua ab alijs fiunt corporibus, tale quiddam est, id est color ipsorum est nam splendores & reflexus in aëre & aqua fiunt sæpe à sole, & ab alijs etiam corporibus sole intercedente, quæ illa colore quodam inficere videntur. Aut sic inquam illa intelligenda exponendaq; est litera: aut, splendor talis est, id est lumen quod fit in illis, tale quippiam est, id est ceu color quodammodo illorum: aut quoniam splendor talis est, id est perspicuitas talis est, scilicet quæ colores nata est recipere: ita quod per splendorem intelligamus ipsam perspicuitatem. Manifestum igitur est quod huiusmodi natura in omnibus corporibus colorū est susceptiua. Subdit postea philosophus, & dicit: Sed in ijs quidem in interminato. ostēdens quanam sit differentia perspicuorum terminatorum, & interminatorū, quæ extrinsecus colorari dixerat. In perspicuis enim interminatis, quoniam eiusmodi sunt, & quoniam patiēdo colores non recipiunt, non idem apparet color neq; splendor idem quando propius illa conspexeris, & quando remotius. Secundum enim habitudinem quandam vel posituram videntium & conspicientium per illa visibiles res, in illis varij diuersiq; apparent colores: qui etiam permutantur alijs quando, quoniam illa in se ipsis illos qui apparēt colores sanē non habēt, ut de prope vel à longe quispian illa conspexerit. In perspicuis autem terminatis secus esse videtur. Firmi nanq; & stabiles sunt colores, quoniam esse suum non habent in fieri, sicut priores illi, sed perspicuis insunt illis vere ut cernuntur. Quoniam autem in ijs etiam terminatis perspicuis quæ proprios (ut dictum est) & peculiare habent colores, nonnunquam aut crassioris ratione intercedētis aëris, aut tenuioris, aut magis minusve collustrati, quoniam aliæ & aliæ sunt habitudines luminis ad colores, aliās aliæ in coloribus apparent diuersitates, ut in columbarū cernitur ceruicibus, & in plerisq; alijs videre contingit: iccirco referuate admodum & diligenter subiunxit philosophus quod in perspicuis terminatis determinata est coloris apparentia, nisi aliquando id quod continet, mutationem faciat: id est nisi medium ipsum immutationis sit causa, coloremq; transmutari faciat, in perspicuis scilicet terminatis. Sæpenumero enim in ijs diuersus à primo apparet color, à continentis natura aëris vel calidiori vel algentiori facta, vel omnino à tali à qua nimirum coloratum corpus pati quippiam & affici possit.

Manifestum igitur est quod idem & hic & ibi capax coloris est. Propterea perspicuū in quantum corporibus inest (inest autem aut plus, aut minus) ut colore participant omnia, sanē præstat.

Post differentiam assignatam quæ videtur esse inter corpora perspicua terminata, & eadem interminata, quantum ad colorum receptionem: manifestum esse inquit quod eadem natura terminatis, quam in interminatis perspicuis colorum est receptiua: & hæc sanē ipsa est perspicuitas. In quantum igitur inest corporibus perspicuitas, in tantum colores inesse perhibentur. Hæc autem natura (ut retro vidimus) alijs quidē corporibus inest magis, alijs vero minus, cum tamē omnibus proculdubio insit corporibus.

Quoniam autem in extremo est color, in huius sanē erit extremum. iccirco color, perspicui in corpore determinato erit extremum.

Cum retro dixisset quod in natura perspicui insunt colores, nunc addit quod in fine & in termino huius naturæ colores nimirum esse percipiuntur, sed non in corporis termino, ut terminus est corporis, quemadmodum Pythagorei voluisse videntur. Quod autem color sit in termino perspicui, ut manifestum quiddam sumere hic videtur Aristoteles. Secundum enim extremitatem sui quæq; visibilia sunt corpora: quod cernitur autem, color certē est. Color igitur in extremo est & termino perspicui terminati: & iccirco subiungit: iccirco color &c. Si enim corpora secundum

fui extrema videntur: secundum quod autem vnūquodq; visile cernitur, illud certe est color illius, & perspicua terminata visilia sunt: terminus igitur, & vltimū terminatorum perspicuorum, vt perspicua sunt, erit color. id autem quod in profundo est corporis, potestate dicitur coloratum, quemadmodum etiam potestate est visile. Sicut enim visilia se habent ad esse, sic ad colorari se habere censentur. Omnis enim color suapte natura visilis existit, quāuis illius esse in hoc non existat. Lumen autem non est simpliciter color, neq; ad coloris reducitur rationem: quoniam diaphanum neq; habet ipsum, neq; illud recipit intercedente passione aliqua.

Ipsorum etiam perspicuorum, vt aquæ, & si quid aliud huiusmodi est, quibusve proprius apparet inesse color, in extremo similiter omnibus inest. 10

Confirmare & ostendere cupiens philosophus quod extremitas perspicui est color, subdit quod in ipsis etiam perspicuis interminatis, aëre scilicet & aqua, si quispiam proprius apparuerit color, is profecto in illorum apparet extremo, & in illo sanè cernitur. lumen enim illorum non est color, quoniam illorum non est proprium & peculiare, verum à corpore prouenit & dependet lumine solo. Erit igitur coloris definitio illa, quæ retro est adducta: extremitas scilicet perspicui in corpore terminato. Neq; profecto obstare videtur (vt recte D. Thomas inquit) id quod retro dictum est, colorem scilicet non esse extremitatem. illud enim dixit de corporis extremitate. nunc autem de perspicui loquitur extremitate, quod appellat corporis qualitatem, sicut calidum & album. Quapropter color non est in genere quantitatis sicut superficies, quæ sanè corporis est extremum, sed in genere est qualitatis, sicut est perspicuitas, quoniam extremum, & id cuius est extremum, vnus certe sunt generis. Quāuis autem idem sit numero extremum perspicui, & corporis extremum, ratione tamē sunt diuersa, vt retro est dictum. Quo in loco etiam non immerito est animaduertendum, essentialia coloris principia esse duo: perspicuitatem scilicet, & lumen, quæ nimirum ad omnes colorum concurrunt species. Quoniam autem res omnes extra animam positæ, & omnia certe mixta horum participare videntur principiorum, iccirco omnia corpora colorata esse censentur. Quod autem ijs participant principijs corpora omnia, inde liquidò patere potest: omnia nāq; mixta ex quatuor sanè sunt cōposita elementis, quorum de numero aër & aqua sunt perspicua: ignis vero luminosus: & iccirco omnia euis modi corpora actu in superficie sunt colorata: in profundo autem potestate sunt colorata, quoniam potestate etiam sunt visilia. Corpora autem perspicua interminata non censentur esse colorata, quoniam internum non habent colorem. ab extrinseco enim lumen accipiunt ceu actum quēdam, & perfectiorem suam: quod sanè per accidens illorum dicitur esse color. Si qui autem alij in illis apparent colores, haudquaquā firmi & constātes esse cernuntur: neq; ijdem certe de prope & à longe apparent. quæ sanè res in perspicuis terminatis alio à seipsis termino, terreo scilicet & crasso, haudquaquam esse percipiuntur. lumen enim in se habentia isthæc perspicua in sui substantia, proprios nimirum & peculiare habent colores, secundum maiorem vel minorem cum luminis ipsius tum perspicui participationem. Vnde de Auerrois sententia aër igni commixtus claro, colorem efficere dicitur album: densus autem & turbidus ignis terræ commixtus, atrum nimirum producere colorem censetur. Qui certe duo (vt ait) colores ceu fundamenta quædam & principia omnium sanè aliorum censentur esse colorum. Ad summam igitur color est perspicui extremitas in corpore terminato, vel in extremo perspicui. Nā in corpore interminato est ipsa perspicui extremitas. in huiusmodi nāq; perspicui extremitate actus est perspicui: & actus perspicui ipsum est lumen. color igitur in ipso perspicuo interminato est ipsum lumen, licet non proprie. Ex hoc igitur apparere potest doctrinæ modo quod in perspicuo interminato, vt sunt aër & aqua, & huiusmodi alia pleraq; proprii non inueniuntur colores: quoniam per inuersionem & remissionem luminum diuersi in illis & varij apparent colores. Nāq; lumen (vt retro dictum est) illorum est color, non sanè per se, sed per accidens. 30 40

H sanè accidit ipsi inesse perspicuo huiusmodi quippiam quod in aëre facit lumen: contingit etiā non inesse, sed priuari. quē admodum igitur ibi hoc quidem lumen, illud vero tenebræ: ita in corporibus fiunt album & nigrum.

Cum de duobus perspicui generibus retro verba fecisset Aristoteles, colorisq; insuper definitionem adduxisset, hoc in loco diuersitatis intendit nobis assignare causas ex quibus variæ colorum apparent species. Dicit igitur, quemadmodum lumen in perspicuo interminato ceu quidā existens color, sui præsentia id colorare & illustrare conspicitur, quo postea recedente tenebræ statim in eodem fiunt perspicuo, sola scilicet luminis illius priuatione: ita est videre, inquit, in perspicuis tero 50

Coloris definitio.
D. Thomas.

Essentialia coloris principia duo: perspicuitas, & lumen.

Auerrois.

minatis. Quibuscunq; enim clara fuerit & ignea eo in genere naturæ constitutio, à qua sanè colorari nata sunt: hæc profecto & colorari censentur magis: & magis certe conspici possunt, ad hoc quòd determinatum etiam habent colorem, & illius permanètem apparentiam, quoniam illius in sese causam habent. Et hæc profecto corpora illa sunt quæ album habent colorem. Nix enim quoniam aqua constat, & plurimum in se aëris continet, quæ ambo sanè sunt diaphana: iccirco candore excellere videtur, ob concussi videlicet commoti; ad se aëris conflictatione huiusmodi in illa resultante colore. Motus etenim aërem cōpingit, & in idem redigit, qui coactus in nubem illius postmodum frigiditate constipatur & coit, huiusmodiq; iugi commotione quem cernimus nimirum trahit colorem. In quibus autē terminatis diaphanis talis non reperitur natura, aut certe minus de eiusmodi inest natura, hæc certe nigri & atrii apparent coloris, ceu omni priuata colore, pari similitudinis proportionem, sicut in perspicuis terminatis, in quibus à sola luminis absentia tenebras fieri aliquoties diximus. Cæterum hoc in loco notanter D. Thomas asserit hunc literæ contextum non esse simpliciter & ut verba sonant intelligendum. namq; huiusmodi adducta rei similitudo haudquaquam amuffim (vt aiunt) quadrare responderet; videtur. Non enim quemadmodum in perspicuo interminato luminis illud sola illustrat præsentia, & clarescere facit, sola vero tenebras efficit absentia: ita in perspicuis terminatis præsentia & commixtio igneæ naturæ splendescens & luminosa efficit illa videri alba: nigra autem illa luminis apparere facit absentia. ceu in nigro colore nihil sit luminis. id enim verum non est. namq; in nigro aliquid esse luminis summa est necessitas, siquidem cerni potest. Sine lumine enim fieri non potest ut aliquid cernatur: & alioqui hoc etiam modo nullam ad albedinem nigredo haberet contrarietatem, cum scilicet eiusdem non participarent naturæ, sed pura esset priuatio ipsa nigredo, sicut tenebra luminis est priuatio. Intelligendum igitur est, inquit, nigredinem in mixtis fieri non per omnimodam luminis absentiam, sed propter illius exiguam quantitatem. In illis enim mixtis quæ nigra sunt, minus inter omnes colores luminis esse censetur: sicut econtra in albis mixtis plurimum luminis inter reliquos colores iure esse perhibetur. Verum hoc in loco non ab re animaduertendum esse iudico, hunc textum commode & præclare pro Academicis facere posse illis qui voluere tenebras puram non esse luminis priuationem, sed imperfectum quendam actum, ad quem, necnon ad illius contrarium suscipiendum, perspicui interminati indifferenter se habere naturam diximus. Nam sicut contraria sunt albedo & nigredo, circa idem fieri nata perspicuum, terminatum videlicet, & utraq; sunt positivæ species: ita lumen & tenebræ ambo positivæ rationabiliter esse dicentur: & contraria itidem esse, circa idem nata fieri subiectum, non simul, sed successiue, perspicuum scilicet interminatum. Hoc autem in textu notat Alexander videri velle Aristotelem, colorum in corporibus differentias non fieri ex intensione aut remissione perspicuitatis in illis. nam alios dicit colores per præsentiam vel absentiam amborum proportionaliter fieri, præsentia scilicet luminis, vel absentia, quod illustrare, & omnibus colorem præstare natum est. Aut, inquit Alexander, ex ambobus utiq; colorum fient differentia: à perspicuitate scilicet, & à luminis præsentia, eo quòd vel magis vel minus hæc inesse reperiantur. Secundū enim mixtionem prædictam in corporibus solidis magis & minus perspicuitatis reperietur, & magis etiam & minus illuminabuntur.

D. Thomas.

Quòd tenebra non sit priuatio luminis.

DE alijs autem coloribus nobis dicendum est, prius tamen diuidendo quot fieri modis contingit illos. Contingit autem iuxta se positus albo & nigro, ita ut eorum neutrum ob paruitatem cernatur, ambo autem iuncta videantur, sic fieri. id enim neque album, neque nigrum esse potest. Quoniam vero necesse est quempiam habere colorem, illorum autem neutrum esse potest: mixtum quiddam, colorisq; speciem diuersam esse necesse est. Et hoc profecto existimare licet modo plures esse colores quàm album & nigrum.

Postquam retro, ut visum est, Aristoteles dixit quòd in solidis durisq; corporibus mixtio & præsentia luminis in diaphano albū efficiebat colorem, illius autē absentia nigrū, proportionaliter sicut in diaphano interminato illustrationes fiunt & tenebræ à præsentia vel absentia corporis luminosi: consequenti doctrine ordine de coloribus quærit medijs inter album & nigrum, quoniam fiant modo: & quoniam illorum fieri commixtione videntur, illos in præsentia exponit modos per quos ex albi & nigri mixtione varij effici & resultare possunt colores. Contingit enim, inquit, album & nigrū iuxta se posita sic quòd illorum neutrum de per se ob exiguam sui paruitatem discerni videriq; possit, iunctim autem ambo cerni queant, efficere sanè aliam quandam coloris apparentiam. Videmus enim aliqua quæ seorsum quidem & separatim existentia, ob sui paruitatem à quodam interualli non cernuntur spatio, quæ tamen videri contingit si eiusdem generis aliqua illis applicentur & hæreant: quod in

milij (verbi causa) contingere videtur grano. id enim quodam intercedente spatio oculorum certe fugit obtutum: cui tamen si plura interim addantur grana, ex eodem spatij interstitio speciem ostendet suam. Pari igitur modo ex applicatione coniunctioneque albi & nigri quæ singulatim ob paruitatem sui discerni non poterat, totum id coniunctum videri cernique poterit. Cum autem omne quod videtur, secundum aliquem videtur discerniturque colorem, nequeunt autem illa exiguitate sua per proprios videri colores: secundum aliam nimirum coloris cernentur videbunturque speciem.



Mltos autem proportionem. tria enim ad duo, & rursus tria ad quatuor: & per alios numeros iuxta se inuicem consistere contingit: alios autem nulla omnino proportionem, sed excessu defectuque incommensurabili.

Si ex albi nigrique commixtione alij generantur efficiunturque colores, multos, inquit, & diuersos sane effici contingit per alborum nigrorumque proportionem inuicem coniectorum, quæ prius de se sui paruitate non cernebantur. alius enim efficietur color si ambo æqualia fuerint illa: & alius profecto si alterum superauerit alterum: & hoc per aliquam excessus defectusque proportionem. Si enim albi ad nigrum, vel contra proportio fuerit, sicut se habent tria ad duo, quæ sesquialtera appellatur, aut sicut tria ad quatuor, quæ sesquitercia mathematici vocant, variæ certe & diuersæ colorum efficiuntur species. aut si aliquis ibi non reperiatur proportionis modus, sed excessus solummodo & defectus inter illa incommensurabiles, adhuc variæ colorum resultare cernentur species. Pro cuius intelligentia literæ non ab re hic D. Thomas notat, atque ipsum etiam in decimo primæ philosophiæ commentario testem citat philosophum, quod ratio mensuræ primo quidem reperitur in numeris, secundo vero in continuis qualitibus, & ultimo etiam loco in qualitibus transferri potest, ut vnus qualitas ad aliam aliquis reperiri potest excessus aut aliquo intensiōis modo, sicut dicitur aliquid alio magis album: aut quapiam extensionis via: quemadmodum dici solet, hæc albedo illa est maior, quia scilicet maiorem colorat occupatque superficiem. Animaduertendum præterea quod omnes in numeris proportionem ad se inuicem commensurabiles & rationales existunt, quoniam omnes vnica sanè mensuræ communicant natura, quæ ipsa est vnitas. Resoluuntur enim omnes & redeunt ad numeri vnitatem, seu ad indiuiduum quippiam, ultra quod procedere non datur. Quamobrem omnes numerorum proportionem rationales certe esse censentur. Quod tamen de continua quantitate secus esse animaduertitur. Quia enim illius proportionem ad indiuiduum quiddam non resoluuntur, illas sanè esse commensurabiles non est necesse. Quapropter reperire contingit quasdam inter illas quarum vna aliam excedit & superat, quæ tamen communem aliquam non habent mensuram, quæcumque tamen continuæ quantitates proportionem ad se inuicem habere videntur, secundum aliquam numerorum proportionem illam certe habent, earumque proculdubio vna est mensura communis: verbi causa, si quantitas vna cubitorum sit trium, altera vero quatuor, vtraque nimirum cubito mensurari potest. Et hoc etiam modo in qualitatis genere, & coloribus ipsis fieri contingit, aut proportionem inquam, aut solos excessum & defectum, id est multos contingit esse colores medios secundum diuersas proportionem. contingit enim album iuxta nigrum constitui secundum proportionem quam habent duo ad tria, vel quæ tria habent ad quatuor, aut numerus quispiam alius ad alium habet numerum. Aut etiam illa penes se esse collocata contingit secundum nullam numeri proportionem, sed solum secundum incommensurabilem quandam abundantiam vel defectum.



Et eodem isthæc se habere modo existimandum est ut consonantiæ se habent. Qui enim in exactissimæ proportionem numeris sunt colores, quemadmodum ibidem consonantiæ, gratissimi profecto esse videntur: ut purpureus, & puniceus, & alij id genus pauci: quam etiam ob causam consonantiæ sunt paucæ. Qui autem non sunt in numeris, alij sunt colores.

Quoniam de numerali retro proportionem secundum quam colores fieri contingit, mentionem fecit philosophus, per illos autem proportionem modos harmoniæ fiunt & consonantiæ: iccirco de illis breuiter admodum hic commemorat philosophus. Quemadmodum enim, inquit, in ipsis diuersitas est consonantijs secundum numerabiles proportionem, excessus scilicet & defectus, grauis & acuti soni, variisque habet denominationes, quæ enim consonantiæ se habent sicut duo ad vnum, diapason appellatur: quæ vero ut tria se habent ad quatuor, vocatur diatessaron: vbi autem nullam habuerint proportionem ad se inuicem soni, nullus sanè efficietur consonantiæ modus,

D. Thomas.

In quibus mensuræ reperitur ratio.

nullusque resultabit concentus, sed quod percipitur, inconcinnum certe est & dissonum, auditur tamen & comprehenditur) ita certe est in albi nigrique applicatione, quae sui (vt dictum est) paruitate ex aliquo spatio separatim videri non possunt, coniunctim autem bene cerni possunt. Varias enim & diuersas inde colorum resultare species est necesse, vel secundum numerales proportionales, si quidem ibi reperiri eas contigerit, vel secundum excessum & defectum incomensurabiles. Et quemadmodum in sonis & vocibus vbi reperitur proportio, ibi sane consonantiae apparet: vbi autem nulla est proportio, dissonantiae nimirum efficiuntur: ita in huiusmodi albi nigrique applicationibus siue mixtionibus proportionem aliquam habentibus colores certe fiunt delectabiles, oculisque grati & suaves, quales purpureus in primis & puniceus, alijque eiusdem notae plerique, qui se inspicientes oblectant & demulcent. Vbi autem illorum sine aliqua proportione fuerit applicatio, colores nimirum efficiuntur ingrati, qui nullam se conspicientibus iucunditatem amoenitatemque praestant. Paucos autem esse iucundos & delectabiles colores eandem ob causam vero consentaneum est, propter quam paucae etiam in musicis sunt consonantiae, quae enim harmonice concinant, paucae sunt proportionales. Quamobrem non immerito notare videtur Proclus Lycius in suis in Platonis Timaeum commentariis, quod non aliunde Pythagorici harmoniae consonantias quam ex numeris accepisse videntur: non autem ex omnibus, sed ex multiplicibus, & superparticularibus appellatis. Diatessaron enim in sesquitercia asserunt esse proportionem: diapente autem in sesquialtera: diapason vero in dupla. Rursum diapason & diapente in tripla: disdiapason autem in quadrupla. Nam diapason simul & diatessaron illis non consonare videbatur, quoniam ex multiplici superpartiente (sic enim appellantur) proportione constitueretur, ea videlicet quae est octo ad tria. medium enim illorum sunt sex, quae ad minorem quidem numerum comparata proportionem faciunt duplam: ad maiorem autem, subsestertiam. Verum isthaec quoniam ad alios spectant artifices, & alterius sunt speculationis, hactenus dicta sufficiant. Caeterum quoniam hoc in loco philosophus Aristoteles delectabiles visuque gratos colores a numerali albi & nigri inuicem mixtorum proportione effici dixit: contra vero foedos & ingratos constitui, quoniam nulla illorum proportione consentitur: harmonicarumque similitudine consonantiarum hac in re perspicue videtur: non malum mihi esse videtur, quid de hoc Galenus sentiat, recensere. Physicas enim huiusce rei causas tangere videtur magis, & corporeo visus instrumento conuenientiores. Cum enim ea quae corpori secundum naturam sunt, grata sane illi sint & commoda, contra vero ingrata & tristitia quaecumque praeter naturam existunt: nil mirum etiam si leuis & repentina ad naturam restitutio & reditus, si forte aliter se habuerit, illud demulceat & oblectet: sicut diuersa ad contrarium retractio male afficit & conturbat. In ijs igitur quos de accidentium causis inscripsit commentariis vir ille, ceruleum colorem iccirco oculis ad inspectandum gratissimum esse dixit, quoniam eo conspecto languescens alioqui reficitur foueturque visus, eiusque praesentia ad id quod secundum naturam illi est, suavis & citus fit recursus. Contra autem molestissimum oculis splendidum esse colorem, vt Solis iubar, quoniam illorum substantiam dissipat & resoluunt: & ad id quod praeter naturam est, agit. Parique rationis modo albus color, vt in niue cernitur, quoniam plurimum in sese splendoris habet, ingratus molestusque oculis esse percipitur. Discernit enim & disgregat illorum essentiam, quam congregando & uniendo nulla adhibita vi, post ceruleum fuscus reficit & fouet color. Niger autem color cum oculorum essentiae sit contrarius, quoniam congregat & uniat, haudquaquam tamen suavis esse percipitur: quoniam violentius & agrestius (vt ita dicam) id ipsum agere videtur, quam illorum natura exspectat. Quod cum ita sit, minus tamen oculis molestus nigerrimus est color, quam is qui est splendidissimus, non naturae suae gratia (contrarius enim, vt diximus, est perlucidae oculorum essentiae) sed quia congregando, quoniam violentius id faciat, minus sane officit quam splendidissimus dissipando facit color: & alioqui cum crassarum valde partium nigerrimus sit color, tenuissimarum autem splendidissimus: actuosior certe & efficacior non immerito splendidissimus esse censetur color: ad agendum autem ineptior & hebetior est nigerrimus. Cum igitur illorum uterque, vt dictum est, actione sua oculis sit molestus & ingratus: is certe qui actuosior est, qualis est splendidissimus, non immerito molestior esse percipitur. Quo etiam in loco praclare admodum idem recenset author, voluptates doloresque singulorum indicans sensum, easque ad se inuicem comparans, quod in visionis sensu non manifesta adeo expressaque voluptatis & doloris existunt inditia, sicut in alijs est videre sensibus. Tactus enim & gustatus vehementes cum dolores tum voluptates sentire percipereque animaduertuntur: similique modo, licet minus, olfactus & auditus. Huiusce autem rei causa esse videtur, in visus quidem essentia partium tenuissimarum exacta subtilitas, quae neque in disgregatione & dissipatione, neque rursus in concretione (ab ijs enim immutari partibus natus est visus) violentum quippiam & nimis asperum pati possunt. Dissipatus enim & disgregatus visus, quoniam subtilium (vt diximus) est partium propter peculiarem sui naturam, quae quo ducitur, nullo negotio sequitur, & nulla intercedente resistentia ex se ipsa eum tendit, haudquaquam excellenter uti sentitur. Rursum idem concretus & compactus, neque sic vehementer afficitur, ob eam quam retro adduximus causam. Congregans enim quicquid illud fuerit, propter partium crassitudinem suam haudquaquam actuosus & efficax iure esse censetur. Imbecillis igitur & debilis illius est transmutatio. Quamobrem circa visum (vt dictum est) non immerito cum voluptates, tum dolores haudquaquam excellentes fieri percipiuntur. Secus autem in alijs est videre sensibus, cum instrumentorum essentias suorum crassiores corpulentioresque habeant. propter sensu inferiorum enim crassitudinem corpulentiamque utraqueque passiones, voluptas inquam & dolor, vehementes admodum & excellentes in illos facere impressiones animaduertuntur. In auditu etenim voluptas & dolor expressiora valentioraque praebet indicia, quam in visu, quoniam illius corpulentior est essentia.

Proclus Lycius.

Diatessaron.
Diapente.
Diapason.
Disdiapason.

Digressio.

Galenus.

d.j.

Splendore namque siue lumine crassior sanè est aer. Rursum in olfactu e ipsæ passiones vehementiores, expressioresque sunt quàm in auditu, quo fumida euaporatio crassior pinguiorq; est, quàm purus impermixtusque aer. Aeris enim odoratus, sicut euaporationis olfactus esse perhibetur. Pariq; rationis modo in duobus reliquis sensibus animaduertere licet. Tactus enim quoniam in solido constat corpore, cuius crassissima planè censetur esse substãtia, excellentissimas has sentit passiones: & cum voluptatum vehemèter illecebris diffunditur, tum dolorum vexatur angustijs: à quibus etiã si modum excesserint, nonnunquã interire corrumpiq; solet. Gustatus autem cum quidam sit tactus, eiusdem non immerito censetur esse notæ: minus autem excellenter illas sentit passiones q̄ tactus, quo in corpulenta minus essentia constare percipitur. Humidæ enim naturæ dicitur esse gustatus: sicut solidi (vt diximus) corporis est tactus. Verum de ijs hæctenus: nunc ad sequentem textus seriem reuertamur.

A Ut certe omnes in numeris esse colores: & alios quidem ordine dispositos: alios nullo ordine: & hos ipsos cum minus puri fuerint, quoniam non sint in numeris, tales fieri. Vnus quidem colorum constitutionis modus hic est.

Quia retro dixerat colores non adeo gratos & delectabiles, vt sunt purpureus & puniceus, huiusmodi esse & apparere quoniam non sunt in numeris, iccirco ceu retro dicta retractans, Vel omnes, inquit, colores in numeris, id est in numerali aliqua proportione sunt, ex albo & nigro ad se inuicem vel mixtis vel applicatis resultantes. Cæterum ex huiusmodi applicationibus quædam sunt ordinatim dispositæ, à quibus prouenientes colores grati nimirum & delectabiles existunt. nonnullæ autem sunt inordinatæ & vagæ, ex quibus colores sanè tristes & iniucundi fiunt. Itaq; colorum diuersitas quantum ad visus spectat oblectamentum & tristitiã, penes numeralè nõ attendetur proportionè albi & nigri ad se inuicem complicatorum: aut secundum vnus ad alterum non cõmesurabilè excessum, vt retro dixerat, cū semper scilicet talis applicatio in aliqua numerali reperiatur proportione: sed penes ordinatã vel inordinatã illorum attendetur applicationè. Possunt enim decem (verbi causa) ad quinque varijs diuersisq; applicari modis, secundum quam applicationum varietatem varij nimirum efficiuntur colores. Vocat autem non puras applicationes quæ nõ sunt similes: puras vero quæ per totum sunt similes. Idè autem est dicere inordinatas, & ordinatas: verbi gratia si iuxta duo alba vnum iaceat nigrum, & iuxta alia duo rursum vnum, eorq; applicationis modo vniuersa cõsetur & cõset mixtio illa siue applicatio, huiusmodi profecto ordinatæ dicentur & erunt applicationes, & puræ. Non puræ autem & inordinatæ merito vocabuntur applicationes quæ isto non fiunt modo: verbi gratia si iuxta duo alba duo fuerint nigra, & rursum iuxta totidem alba tria fuerint nigra, rursumq; vnum nigrum iuxta tria fuerit alba, eorq; semper modo inordinate per vniuersam albi & nigri procedatur applicationem. Concludendo autem subiungit philosophus quòd hic quidem multitudinis & colorum constitutionis vnus est modus, quando scilicet duo sunt secundum subiectum colores, qui tamen ratione fiunt multi: & applicatione mixtioneq; tali vbi diuersitas & multitudo ipsorum secundum fantasiã solummodo est & apparentiam, non secundum essentiam, rerumq; ipsarum esse. Quam colorum generationem siue constitutionem ex permixtione hoc fieri modo nonnulli autumant.

Alter autem, cum per alterutrum apparent, quemadmodum facere interdum pictores solent, cum alium colorem euidentiori alio superinducunt, si quando in aqua quippiam, aut in aere quod appareat, efficere cupiunt. Atque vt sol, qui de per se quidem albus cernitur, per caliginem autem vel fumum puniceus apparet: multi autem sic erunt colores eodem quo dictum est modo. Proportio enim quædam sanè erit eorum qui in superficie sunt, ad illos qui in profundo existunt. Quidam autem in nulla penitus erunt proportione.

Postquã exposuit (vt retro vidimus) Aristoteles illorum sententiã qui intermedios colores ex diuersis albi cum nigro applicationibus constitui efficiq; dixerunt, quos secundum fantasiã & apparentiã, & non secundum substãtiam vtriusq; esse fieri diximus, secudã rursum in mediũ affert de coloribus opinionè, quæ etiã intermediorum constitutionè colorum ponere videtur secundum fantasiã esse solummodo, cum secundum essentiam album sint tantum & nigrum. Huiusmodi autem videtur esse sententiã illorum qui intermedios effici colores voluerunt varios & diuersos, eorq; album & nigrum diuersimode possunt per se inuicem & se ipsis medijs cerni & conspici, ex quo fantasia nimirum mediorum efficiatur colorum.

Ostendit autem quomodo colores per se inuicē possunt aspici & videri, variorūq; fantasiam efficere colorū. Quēadmodum enim, inquit, pictores colorē aliquē substernētes manifestiorem & euidentiore, postea vero superinducētes quēpiam aliū colorē non adeo manifestū & efficacē, alterius fantasiam coloris, tertij scilicet cuiusdā, apparere faciunt, verbi causa sicut cum volūt in aēre aut in aqua quippiam apprensens pingere: ita in intermedijs coloribus esse non ab re cēsendū est. quā etiam rem solis exemplo confirmare conatur. Sol enim, inquit, ipse puro existēte aēre albus sanē apparet. q̄ si per nebulosū caliginē fumoq; cōspiciatur aēre, puniceus certe videtur. Cū enim superimpositus color à supposito differēs fuerit colore, illorū sanē neutrius integra saluatur fantasia, sed quod idē resultat & apparet, aliud quidā est ab utriusq;. Et hoc etiā modo, inquit philosophus, multi poterūt fieri & esse colores secundū albi & nigri varias proportiones, si vnū scilicet per aliud cōspiciatur & appareat. Si enim manifestius fuerit & clarius quod in profundo est album, q̄ id quod in superficie est nigrū: alia profecto coloris efficitur fantasia, quā si cōtrā se habuerit res, sicut alia & alia colorū resultabit effigies & fantasia si illa fuerint æqualia. Hoc autē secundū varias semper excessuū proportiones: aut etiam si excessus defectusve inter illa non fuerint aliqua numerali proportione signati, idem nimirū contingere videbitur. Quod autē hęc opinio à præcedenti sit opinione diuersa, manifestum est, inquit Alexander. ibi enim appositio sumebatur & applicatio albi & nigri quæ per se ipsa visilia nō erant. Hic autem constitutio siue applicatio eorundem introducit, sed quæ tamen cerni vtrāq; per se possint: quorum vnum quidem superinducitur, alterum vero substernitur.

Absurdum igitur est dicere, vt veteres voluerūt, colores defluxus esse quosdam, & talem ob causam videri. omnium enim de illorum sententia per contactum sensationes fieri necesse est.

Post adductas geminas illas opiniones per quas plurimorū apparentias colorū ex contrariorum mixtione siue applicatione, albi scilicet & nigri, fieri retro dictū est: illorū sententiam referre aggredditur philosophus, qui visionem per quosdā à visis rebus defluxus fieri voluerunt. Idola nāq; illi vniformia quædā cōtinuā à re visibili effluere volebāt, & in oculis videntiū ingruere, quæ sanē vidēdī actū efficerēt. Huius autē assertores (vt retro dictū est) opinionis fuere Democritus & Leucippus: qui etiā voluerūt intermedios effici colores per cōiunctionē & applicationē albi & nigri, quæ per se quidē inuisibilia essent, coniunctim autem cerni possent, fantasiamq; alicuius intermediorū redderent colorū. Quin & Empedocles etiā visionē hoc fieri modo asseuerasse videtur, vt retro etiā est ostensum. Quod autem huiusmodi opinio falsa sit & absurda, & animal hoc videre non possit modo, in præsentia philosophus vniversali quādā ostendit via: visionemq; docet per idolorū effluxū fieri haudquaquā posse. Si enim sic, inquit, in nobis fieret visio: per contactū vtiq; efficeretur. nam ideo fieret, quoniam emanātia illa à visibili re corpuscula, oculos cōtingerēt nostros, & quodā percuterēt modo. nō autē subiungit in præsentia illud philosophus, quod sanē sequi videtur. est autē huiusmodi: si per tactū fieret visio, illa tactiles vtiq; perciperet qualitates. nihil autē illarū cōprehēdere aut percipere videtur. nō igitur per cōtactū sit visio. Præterea si à re visibili simulacrorū cōtinuus est effluxus: quāobrē diutius visibile illud perseueret, res sanē mirāda est. Cū enim tot cōtinuo defluxiones emanēt, assidueq; tantū corpusculorū abscedat, illud certe interire & absumi necesse est. Hęc & alia cōplura huiusmodi hoc colligit in loco Alexander. illorum taxās sententiā, qui visionē per idolorū defluxus & emanationes fieri voluisse vidētur. Quo quo minus ego omnia in præsentia recenseam, breuitatis sanē efficit studiū: cum & alioqui si quispiā illa perspicere & examinare fortasse voluerit, hūc ego à fonte melius & vberius, quā à riuulo haurire illa posse contenderim. Cæterū vt hoc etiam veritatis causa dicatur, sicut rationes illæ validæ sanē sunt & efficaces, si idola eiusmodi, & rerum simulacra solida & corpulēta illius assertores sententiæ esse voluerunt: ita profecto futiles sunt & imbecilles, si species & formas à re visibili prodeuntes, simulacra illi & idola suo arbitratu appellare voluerunt, corporaq; etiam illa esse dixerunt, quia tum à corporibus emanare dicuntur, tum etiā loco circūscribi finiriq; cernuntur. Et ad summam, si eo quo Academicus loquuti sunt modo de visuius radiorū iactibus, & de ipsa etiam luminis natura, isti de idolis & simulacris suis loqui & scribere voluerunt, non perperam sensisse videntur. Mirifice enim ij viri hoc videntur modo cum Academicis & veteribus Peripateticis conuenire: quorum cum multa inter se dissonent verba, miro tamen (vt sæpe ostensum est) quadrant consensu. Omittis igitur huiusmodi omnibus, quid subiungat philosophus videamus.

Quamobrē melius cōtinuo est dicere sensationē fieri, quia sensus interstitiū à re sensibili moueatur: quā cōtactu & defluxionibus.

Postquā retro (vt visum est) præmisit Aristoteles absurdū & irrationabile esse visionem fieri per idolorū simulacrorūq; defluxiones à rebus visis ad oculos vsq; nostros peruenientes, quoniam omnis hoc modo per contactum fieret visio, nullaq; re ij sanē duo distinguerētur sensus, tactus

scilicet & visus: & cum ante ostendisset visionē nullo fieri posse modo per extramissionē, cōsequēti doctrinæ ordine propriā peculiaremque huiusmodi de re ponit sententiam, quam in ijs quos de anima inscripsit commētarijs nimirum probasse videtur. Asserit igitur quod satius multo est dicere medium inter videns & rem visam interuallum moueri, idque visionem efficere, quàm idolorum defluxiones huiusmodi sensationis causam præstare. Manifestò enim apparere ipsam aliquid à visilibus pati visionem dum cernit & aspicit, & non agere quippiam extramittendo: passionem autem illam non fieri dum simulacra recipit, aut idolorum defluxiones à visilibus obiectis emissas, sed cum diaphanum inter oculum & rem visam medium actu existens huiusmodi (est autem actu tale cum est lumine collustratū) à re visili mouetur, id est à coloribus ipsis. Colores namque huiusmodi mouere censentur diaphanum, eo scilicet modo quo à luminosi præsentia corporis idem moueri percipitur. Motum igitur à colorum natura diaphanū, illorum species pupillæ impartire, quæadmodum ipsum prius illas susceperat. Pupillam autem existentem perspicuam, eaque natura illas accipientem species, per medium postea porum qui & ipse plenus est & perspicuus, & internum appellatur medium, illas ad primum usque sensiterium, ubi fit iudicium & visio, transmittere & demandare. Quo in loco non ab re animaduertendum esse censeo rim per motum hic alterationis mutationem philosophum intelligere voluisse, & non localem motionem, ut supra dictum est. huiusmodi namque alterationis motus ad qualitatem nimirum esse censetur, id est ad visilis formam speciei.

Visiois modus secundum Peripateticos.

In ijs igitur quæ iuxta se inuicē collocantur: quæadmodum magnitudinē non visile, ita non sensibile tempus accipere necesse est, ut accedentes lateant motiones, & vnū videantur esse, quia simul apparent.

Subobscurus profecto est & difficilis huius literæ intellectus, quoniam præcisus est & breuis. Hoc autem (ut arbitror) explanari potest modo. Cum retro adduxisset philosophus illorum sententiā qui intermedios colores effici per albi & nigri appositionem applicationemque dixerunt, visionemque insuper affirmauerunt per idolorum fieri defluxiones à rebus visilibus, consequenter nunc subiungit sic opinantes necessario sequi, quod sicut accipiunt & supponunt suapte natura magnitudinem aliquam esse non visilem: ita etiam non sensibile supponere illos tempus necesse esse. omnis enim motus proculdubio indiget tempore, quod sanè illius esse mensura censetur. Quæobrem defluxiones illæ à rebus quæ videtur, quæ non sine motu fieri, & ad oculos usque peruenire dicuntur, in tempore videlicet & ipsa fiēt. Hoc autem tempus, inquit philosophus, non sensibile esse illos dicere summa est necessitas. statimque huius rei causam subnectit, ut scilicet lateant motiones peruenientes, & vnum appareant esse. Quoniam enim secundum opinionem sic fieri visionem dicentium, ipsa paulatim fit visio: quatum enim ex ipsius idoli figura accipere potest pupilla, tantum videre dicitur, secundum quascunque (ut ita dicatur) ingressiones & introitus: videtur autem oculus vnica apprehensione & veluti vno contuitus ictu vnum cernere & aspicere: necesse profecto est tales incurfus, & ingressus huiusmodi, qui tempore certe fiunt, latere nos, ita quod simul fieri videantur. quæobrem non sensibile illos ponere oportet tempus. quasi hoc dicat in loco philosophus, quod omnibus quidem qui visionem per simulacrorum defluxiones fieri dicunt, tempus non sensibile ponere est necesse. Verum eos qui ad hoc etiam addunt intermedios effici colores per albi & nigri applicationem & appositionem: quæ de per se quidem non sunt visilia, coniuncta autem videri possunt: duplex consequitur error. namque illis non solum opus est ponere tempus non sensibile, ut ante dictum est: sed magnitudines etiam non visiles.

Hic autem nulla est necessitas: verum is qui in superficie est color, cum immobilis sit, & à supposito moueatur, haud similem faciet motionem: quæobrem diuersus apparet, & neque albus, neque ater.

Post explosam dicentium opinionem intermedios colores propter applicationem & appositionem albi fieri & nigri ad se inuicem coniunctorum, ex ijs quæ retro sunt dicta ad eam consequentibus absurdus subiungit philosophus dicens: hic autem, id est in opinione & sententia dicentium diuersas colorum apparere species eo quod per se inuicem cōspiciantur, & hoc permisceantur modo, nulla prædictorum inconuenientum reperitur necessitas. Color enim, inquit, qui est in superficie, à colore qui illi subiacet, motus, aliam sanè visilem apparere facit speciem: & omnino secundum varias subiectorum differentias variæ visilium colorum apparent species. Quod autem ista opinio de intermediorum generatione colorum ex huiusmodi resultate mixtione, melior & verisimilior sit quàm prior illa enarrata, ostendit statim subiungens philosophus: Quæobrem si non cōtingit magnitudinē aliquā esse non visilem, sed omnē ab aliqua cerni cōspicique distātia, hæc profecto secunda opinio in hoc melior accommodatiorque est quàm prima illa quæ magnitudines & corpora non sensilia ponit & asserit, & imperceptibile tempus asseuerat: quorum neutrum esse verum, in ijs quæ sequuntur, manifestò perspicere licebit.

Quam ob rem si nullam contingit non visilem esse magnitudinem, sed quamlibet ex certo distantiae cerni spatio, huiusmodi certe colorum quaedam erit permixtio: illoque etiam modo nihil prohibet ijs qui à longe spectant, communem quendam apparere colorem. Nullam autem esse non visilem magnitudinē, in ijs quæ sequuntur, est considerandum.

Cum retro dixisset philosophus illā esse rationabilē circa intermedijs colores opinionē, quæ illos ex superpositione unius ad alterū fieri asseuerabat, & quoniā per alterutros cernerentur, & quodā cōmiserentur modo: iccirco varias diuersarū species apparētiarū nobis repræsentare volēs subiungit dicēs, si nulla est non visibilis magnitudo, supplendū, hæc secunda opinio poterit & ipsa utiq; causam afferre videri aliquam colorū ad se inuicem permixtionis, cum prima illa haudquaquā id efficere possit, cum magnitudines supponat non visiles: ita quod istæ superimpositio duorum colorū, albi scilicet & nigri, varias colorū faciat apparētijs: & hoc modo aliqua erit mixtio. Nam ipse posthac aliam adducet colorum mixtionem magis vram & propriā. Hæc enim secundæ huius opinionis mixtio diuersorum apparentias efficiens colorum, ab aliquo certo distantiae interuallo sanè videtur efficere: imo à remotis, & non de prope. Nam quod non sint magnitudines suapte natura non visiles, & quod ex talium applicatione corporū variæ colorū mixtionis & apparentiæ fieri nequeant, inferius se dicturū pollicetur philosophus. Alius quinetiā literæ huius esse potest intellectus. Illoque etiam modo nihil prohibet & c. quod prima scilicet illa opinio de non visilibus magnitudinibus iuxta se positis, mediōrum generationem colorū ad commixtionis cuiusdam causam deducere possit, cum ijs videlicet qui à longe conspexerint albi & nigri per se non visibiliū applicationē, medijs quidā apparentiæ videatur color. Cæterum insufficiens & erronea illa est opinio, cum non visiles supponat magnitudines.

Si autem mixtio est corporum, non solum eo quo quidam arbitratur modo, cum scilicet iuxta se inuicē minima collocentur, quæ à nobis sensu percipi nequeant: sed omnifariā, & omnino: quæ admodū in ijs quæ de permixtione, in vniuersum de omnibus est pertractatū. Illo namque modo hæc solū permisceri cēsentur, quæ secari cōtingit ad minima: ut homines, equos, aut semina. Hominū namque minimus, est homo: sicut equorū, equus. Quāobrem illorū iuxta se inuicē positione utrorūque permixta est multitudo. Vnum autē hominē vnico permisceri equo non dicimus. Quæcunq; vero minutatim non secantur, horū certe hoc fieri modo mixtionem non contingit: sed quia vndequaque cōmiserentur, quæ certe maxime cōmisceri nata sunt. Quo autē hoc fieri maxime possit modo: in ijs quæ de commixtione diximus, ante est determinatum.

In ijs quæ superiori in textu recēset philosophus, suā nobis de colorū cōmixtione recētere videtur sententiā: cui profecto eo rationabiliter est assentiendū magis quā duabus illis prioribus hac de re opinionibus, quo illæ non mixtionē colorū, sed fantasiā & apparentiā mixtionis cuiusdam inducere videbantur: & ideo nullam intermedijs coloribus subsistentiam aut stabilitatem & firmitudinem dabant. Aristotelis autē opinio verum mixtionis certorum colorū tradit modū, & permanentem habentiū essentiā. Istæ autē vera est colorū cōmixtio, quæ corporū nimirum mixtionē sequi cēsetur. Si enim, inquit, nō solū mixtio est corporū secundū illorū ad se inuicē applicationē & appositionē, quæ admodū antiquiores suspicati sunt physici, iuxta se positis videlicet nō sensilibus minimis quæ de per se nobis sunt occulta, sed reperitur quædam etiā alia totorū secundū se tota cōmixtio, omnifariā & vndequaque miscibiliū, ut in commētarijs de generatione & corruptione demonstratū est: huiusmodi sanè corporū cōmixtionem colorū etiam sequi mixtionē est necesse. & ista profecto vera & permanēs colorū erit mixtio, non fantasiā sequēs, & solūmodo apparens: ut illæ priores sunt mixtionis. Etenim illis qui per corporum applicationē minimorum maxime illorum fieri mixtionē voluerunt, confiteri necesse est ea solum ad se inuicem permisceri nata esse, quæ in minima diuidi secariue possunt. Huiusmodi autem illa sanè esse cēsentur, quæ ad vnum numero ex aliqua speciei natura derivare possunt, quod posthac non amplius diuidi secarique in quippiam potest simile. quāobrem indiuisibilia istæ

& vere indiuidua hoc censentur esse modo. Id autē contingere dicitur corporibus cum solidis & duris, tum dissimilium etiā partium, quæ heterogenea græci vocant: vt in hominibus est videre, & equis & canibus, & quibuslibet etiam seminū speciebus. In prædictorū namq; singulis, & huius etiā notæ aliorū compluriū, est quiddā vnum numero quod sua in specie minimū non ab re esse cēsetur, quoniā scilicet in sibi simile secari & diuidi amplius non potest. Homo enim in homine diuidi nō potest, sicut neq; equus in equū. similiterq; de alijs singularibus quæ indiuidua vocamus, eadē sanē videtur esse ratio. In huiusmodi igitur quæ hoc indiuisibilia dicuntur modo, de illorum certe sententia fieri potest mixtio. Homines namq; equis & canibus, cæterisq; eiusmodi multis hoc misceri possunt modo. Similiq; mixtionis ratione triticum hordeo & milio & auenæ permisceri potest. In leguminibus quinetiam, & alijs seminū generibus idem permixtionis erit modus, si minima ad se inuicē multa, id est si varia & diuersa ad se inuicē applicētur grana. nō enim vnus, inquit, homo vni cōiunctus equo misceri de eorū dicitur sententia) aut si vnū tritici granū vnico solitarioq; hordei applicetur grano. Multa enim esse oportet quæ applicatione huiusmodi permisceri dicātur, quorū tamen omnīū integra seruetur essentia. Cæterū quæ cūq; inquit, nō sic diuidūtur determināturq; corpora, sed mollia videlicet & humida sunt, cōsimiliūq; partiū, quæ homogenea græci appellant, hoc permisceri non dicuntur modo, quia scilicet in illis minimū reperiri nequit. illorū igitur minima, quæ nulla sunt, sic applicari vt illi voluere, nō poterunt. verū in ijs per totū, & se totis dicitur esse cōmixtio: quæ etiā proprie sola misceri dicūtur: de illisq; profecto eiusmodi peculiariter prædicatur passio. Quo autem modo se totis ista permisceri possint, pertractasse se dicit in ijs cōmentarijs quæ de generatione & corruptione inscribūtur: quo sane in loco de mixtione per totum exquisitos habuit sermones. Scribit namq; ibi, quoniam eadem permiscendorum est materia, quōd vtrunq; certe in vtrunq; agit, & vicissim etiam patitur. Cum igitur æqualium huiusmodi fuerint virium, ita quōd alterū non excedat superetq; alterum, vt in peculiarem scilicet illud vertere possit speciem, sed simul agentes & patientes æqualiter perseuerent: tunc ab vtriusq; sanē excellentias minui & hebetari quasdam per quas à se inuicem differebant, & in vnā quandam tertiam ambo commixta permutari transireve speciem, vero consentaneum est: verbi causa, aqua & vinū ad se inuicem commixta tertiam quandam speciei alterius essentiam efficere visuntur, quæ neq; merum vinum est, vt prius ante mixtionem fuerat: neque aqua, vt ante erat. Vniuntur enim ista, & bene permiscuntur: quoniam humida sunt, & indeterminata. Et isthæc certe secundum se tota mixtio vocatur, & proprie dicitur esse commixtio, quam græci *μείσις* appellant, nos contemperantiam, & se totis commixtionem denominare possumus.

Quæ sunt vera
& propria
mixtio.

CAeterum quæ nā sit necessitas vt commixtis corporibus ipsi etiā permisceantur colores, palām certe est: præcipuamq; insuper hęc esse causam cur multi existāt colores, & non si superinducantur, aut iuxta se inuicē constituentur. non enim à longe quidē, de prope autē minime vnus & idē cōmixtorū apparet color, sed vndiq;. Multi quinetiā erunt colores, quoniā multiplici proportionis ratione quæ inter se inuicē confunduntur, permisceri contingit. Et hęc quidem in numeris, illa vero solūmodo per excessum. Eorū modo erūt alij, quo & de ijs qui iuxta se inuicē sunt cōstituti, & de ijs qui superinducūtur, dicere contingit. Verū de ijs quæ miscuntur, alibi est pertractatum. Cur autem colorum terminatæ sint species, & non infinitæ, necnō saporum & sonorū, posthac dicemus. Quid igitur est color, & quam ob causam multi sunt colores, dictum est.

VEram hoc in loco intermediarum colorum causam nobis affert philosophus. Sic enim, inquit, commixtis corporibus, secundum se tota videlicet, & mixtione illa quæ miscibilium propria esse censetur, colores etiam qui in mixtis reperiebantur corporibus, ad inuicem se totis permisceri necesse est, quemadmodum & reliquæ corporum illorum passiones: istocq; modo contrariorum permixtiones colorum, veras & indubitatas intermediarum esse colorum causas certum est. Nō enim retro dictū est illā ad se inuicē colorū applicationē neq; superpositionē alteri in alterū, colores efficere plures vere subsistentes posse, sed solas diuersorū apparētias colorū. In hoc autē proprio cōmixtionis modo multæ secundum veritatē colorū efficiūtur differētie. quod sanē ostēdit philosophus cū dicit. Nō enim à longe quidē, de prope autē minime. Qui enim fantastici sunt colores, aliter à remotis apparēt, & alij: diuersi autem de prope, & non eodem videntur habitu. Hoc autem iccirco, quia verum & permanentem non habent colorem, solidamque subsistētiam: illi autem qui ex tali corporum mixtione resultant colores, eandem proculdubio conseruare videntur speciem de prope, & à remotis.

Quinetiã adiungit q̄ hoc insuper modo multæ colorũ efficiuntur differẽtiã, quoniam eã corporũ mixtiones & colorũ secũdũ diuersas fieri possũt proportionũ rationes cũ numerales & harmonicas, tum secũdũ exuperantiã solũmodo & defectũ, nullo proportionis intercedẽte modo. Quãobrem hoc etiã modo colores cũ gratos & delectabiles, tum tristes & ingratos resultare verisimile est: quẽadmodum in superioribus retro dictũ est opinionibus. Subdit præterea post hæc dicta philosophus, se posthac causas allaturũ cur colorũ terminatæ sint species: similiq; etiã modo sensiliũ aliorũ, saporũ videlicet & sonorũ, necnõ odorabilium & tactiliũ, quæ huiusmodi sanè esse cẽsentur, quoniã fines & extrema sensilium omnium sunt terminata & definita: quæ res vel inde liquidò dignosci potest, quoniam omnium sensilium contraria sunt extrema. Contraria autem sunt illa quæ in eodem genere posita maxime videntur distare. Quæ autem in eodẽ genere maxime sunt distantia, per illud terminari nimirũ dicuntur genus. Sunt igitur omniũ sensilium extrema terminata, quamobrem in media erunt etiam terminata. in medio enim definitorum infinita esse non possunt. Omnium igitur sensilium species terminatæ proculdubio reperientur. Verũ hac de re philosophus se posthac verba facturum pollicetur: qui concludendo postmodum ceu quodam breui epilogo more suo subiungit, se de colore, quidnam sit, necnõ cur plures colorum sint species, sufficienter pertractasse.

De sono autem & de voce dictum est prius in ijs quæ de anima.

Cum propositum fuerit philosopho de sensilibus pertractare, de coloribus quidem qui sunt visiles, iam se verba fecisse retro dixit. De sono autem & voce in ijs quos de anima inscripsit commentarijs, hoc in loco se pertractasse commemorat. In illas enim dixit sonum ipsius sonori actũ esse. Est autem sonorus aër: actus vero ipsius, & eius operatio, prout est subiectum sonorum, à tali efficitur percussione talium corporum à quibus ipse, motus aër & illatus frangi sanè perhibetur & dissipari: quod tunc certe efficitur, cum motio in ipso, quæ a tali efficitur percussione, celerior contingit esse q̄ ut frangi & dissipari possit. Vox autẽ est percussio spirati aëris ab anima quæ in vocalibus operatur instrumentis, ad illam quam medici asperam vocant arteriam, cum aliqua confecta fantasia. De huiusmodi igitur re quoniam in commentarijs de anima, in secundo scilicet abũde pertractauit ipse, iccirco in præsentia nos ad illa remittit. Cur autem de sensilibus istis perscrutatio, de sono videlicet & voce, ad commentarios spectat illos: hæc (ut arbitror) est causa, quoniam eadem videtur esse ratio generationis sonorum, & immutationis organi auditus ab ipsis sonis. Quomodo autem & qualiter ipsa sensuum immutentur instrumenta ab ipsis sensilibus speciebus, ad doctrinam de anima non ab re pertinere videtur.

Quis sonus,
& qui vox
& quo fiant
modo.

De odore vero & sapore nunc est dicendum. eadem enim ferè est passio, quanuis non in eisdem eorum est vtrunq;. Clarius autẽ saporum nobis est genus quàm odoris. Huius autem rei causa, quoniam pessimum animalium omnium hunc habemus sensum, & horum etiam qui nobis in sensuum: exquisitissimum autem tactum ex reliquis animalibus. Gustatus nanq; tactus quidam est.

Cum de olfactili siue odorabili & sapore post sermonem de coloribus pertractaturus sit philosophus, quorum alterum odoratu, alterum sentitur gustatu: in principio statim nobis assignat causam cur de ijs ipsis iunctim verba facere intendat, dicens: Eadem enim ferè passio est. quoniam, ut ipsi placet, odor & sapor, ceu diluto & expresso siccò quod in saporibus reperitur, in ipso humido nimirum fieri cẽsentur. non in ijsdem autem dixit, quoniam sapor in aqua maxime esse percipitur: odor autem in aère, licet etiam in aqua fiat. Vel dixit, Eadem enim ferè est passio, quoniam vtrunq; permixtione planè efficitur sicci cum humido secundum quandam à calido terminationem. non tamen eorum vtrunq; omnino in eisdem est, quoniam siccum magis sequitur odor, & iccirco non sine fumida euaporatione fieri cẽsetur. Sapor autem magis consequitur humidum. Vtrunq; vero passio nem appellat, quoniam in tertia qualitatis specie vtrunq; reponitur: hæc autẽ passio vel passibilis qualitas denominatur. Cũ dixit igitur philosophus q̄ horum duorũ eadem ferè est passio, id est quòd ista duo per similitudinem efficiuntur passionẽ, subiungit q̄ nobis manifestiora clarioraq; saporũ sũt genera q̄ odorũ, huiusce statim rei adducens causam, quoniam scilicet pessimũ odoratus habemus sensum, non modo omniũ qui in nobis sunt sensuum, sed etiam inter reliqua animalium genera pessimum: exquisitissimum autem & optimum sensum tactus habemus, cum omnium qui in nobis sunt sensuum, tum inter cætera etiam animalia accuratissimum & certissimum. Quamobrem cum plures tactiliũ cognoscamus comprehendamusq; differentias, minime tamen calorũ frigorũq; excessus pati & perferre possumus, quòd alia sanè faciunt animalia, quoniã exacta in nobis sensus illius est temperies, quæ de facili nimirũ à quibusq; superfluentibus excellẽtib;ve sensilibus ledi corrumpiq; potest. Gustatus autẽ,

Cur homo inter reliqua animalia tactiliũ excellentias perferre non possit.

d.iiiij.

vt in commentarijs de anima dictū est, quidā esse tactus censetur. Cæterū hoc in loco non ab re animaduertendum esse D. Thomas iubet, hominē scilicet inter reliqua animalia pessimū habere odoratum, necnon ad reliquorum etiam sensuum suorum cōparationē obtusissimum, quoniam is sensus à calido perficitur igneo: ipsius autem instrumentum iuxta cerebrum est, quæ frigidissima sanē animalium pars, & in homine ad corporis quantitatem, & ad aliorum etiam respectum animalium, maxime esse percipitur. Certissimum autem & absolutissimū habet tactum hominum genus, hāc ob causam. Cū enim ea ex quibus animalium constant corpora, tactilia existant, calidum scilicet & frigidum, humidum & siccum, aliq; huiusmodi quæ ista ceu primaria consequuntur, haudquaquam fieri potuit vt sensus tactus ab omni prorsus tactili qualitate esset immunis & liber, sicut pupilla ab omni colore: sed tactus oportuit instrumentum esse in potentia ad tactiles qualitates, sicut medium in potentia est ad extrema, vt in secūdo de anima cōmentario demonstratur: & ideo oportuit vt sensus tactus tāto esset certior, quāto corporis cōplexio magis est temperata, & ad mediū vergēs magis. Huiusmodi autē cōplexionis modus in hominū maxime specie reperitur propter nobilissimas operationes quæ diuino huic animali debētur. Habet igitur homo inter reliqua animalū genera certissimū tactū, & ideo exactissimū gustatū: qui tactus quidā esse cēsetur. Ex quo etiā sequitur q; tanto esse qui spīa mente aptior existimatur, quanto melioris certiorisq; esse tactus reperitur. quæ sanē res in ijs qui molles habent carnes, vera esse animaduertitur, vt in secundo de anima commentario à philosopho fuit expressum.

Molles carne,
apti mente.



Quæ certe natura vt sit insipida exigit. Cæterū necesse est aquā in se omnia saporum habere genera, quæ propter paruitatem sentiri nequeant (vt inquit Empedocles) aut talem illi inesse materiam, tanquam saporum seminarium: & omnia quidem ex aqua fieri: alia autem ex parte illius alia.

Coniunctim de sapore & odore superiori in textu propter cōsimilem illorum naturam se pertractaturum proposuit philosophus: hoc autē in loco de saporibus verba facere prius aggreditur, dicens quod aqua quidem ex sui natura insipidam esse exigit, & sensu gustus haudquaquam bene perceptibilē, hoc enim tanquā omnibus clarum & manifestū in præsentia sumit. videmus namq; quod inter quarum species illæ certe meliores purioresq; existimantur, quæ nullā in se saporis odorisq; habēt apparentiā: & omnia etiam simplicia corpora huiusmodi esse debēt, vt ipse alibi declarauit, & posthac etiam dicit. Quoniam autē saporū genera in aquea fieri maxime videntur natura: gustatūq; etiā per talē operari naturā certissimū est: abiq; humido enim aqueo gustatus esse non potest, vt in cōmentarijs de anima est declaratū: in præsentia quærit quo fieri possit modo id in ipsa aqua. Verum prius de more suo antiquorū hac de re affert sententias, quas reprehendens & taxans, suā postmodum de huiusmodi re opinionē recēset. Vel enim, inquit, vt Empedocli placuit, necesse est aquā in se omnia saporū omnium habere genera, id est omnes saporum permixtas species, insensiles autē ob sui paruitatē, qua sensum effugiunt omnē, ita quod per minima quædā disseminati in illa saporis reperiantur omnes, & vndiq; sparsi. Si quādo vero forte cōtigerit vt plerūq; cōsimiles partes à calidi potestate vel aliqua alia vi cōmotæ in vnum quippiā conuenerint, & in certū adunatæ confluerint locū, tum sensilē sanē saporis illius efficiunt speciē, similiq; etiam modo alios & alios resultare apparereq; saporis: secundum quod alia & alia prius insensiles saporū portiunculæ ad se inuicē coniunctæ sensilē quendā conflauerint aceruū. Aut igitur oportet, inquit, saporis ex aqua hoc fieri modo, aut necesse est aquā non quidē in se actu semper saporum habere species, sed ipsam veluti saporum esse materiam quandā. Illud autē tanquam seminarium & saporū panspermiā dixit aquam, significans omnium in se habere saporū generatiuam potestatem, & veluti feminales illorum rationes: non autem secundum eandem suā partem omnium esse saporum susceptiuam. illi enim qui omnia in omnibus mixta esse dixerunt (vt Anaxagoras fuisse perhibetur) ex omni omnia per secretionē generari voluerūt, & concretionē. Non autem ex eadem parte effici volunt diuersa. Ex eodem enim mixto secretionē quidē ossiū verbi gratia, & adinuicem cōcretionē, ossa dicunt fieri: ex neruorū itidem secretionē & concretionē, neruos: sed non ex ossium secretionē neruos, aut contrā ex neruorū secretionē fieri ossa. Eodē modo aquam saporū materiā esse dicit, non q; ex quacūq; ipsius particula quicūq; efficiatur sapor: sed q; ex hac illius parte verbi causa hic generatur sapor, dulcis videlicet: ex illa vero alius, videlicet amarus: & ex alia alius: ita quod aqua ex sui habilitate & conuenientia ad omnes saporū producēdas species accipi & intelligi debeat: vt omnes quidem fieri ex aqua dicantur, alius autē ex alia ipsius producatur parte: & secundum aquarū differētias siue substātiās, seu varias digestionē diuersorū fieri saporū species, quoniam in aqua omnium sunt corpuscula generatiua saporum: non autem eadem in omnibus aquæ partibus: sed in hac quidem illius parte corpuscula sunt verbi gratia dulcis generatiua saporis: in alia vero quæ amarū sanē producunt saporē. Ea; rationis via de alijs saporū speciebus est dicēdū: istosq; modo saporis quidem omnes proculdubio ex aqua fient tanquam ex materia quadam propria & peculiari, quando ex aqua omnes

Quæ de saporibus senserit Empedocles.

Anaxagoras.

existunt sapores: non autē, eo quō diximus modo, quicumque sapor ex quacunque illius fiet parte: quia nō omnis aquæ pars saporum omnium in se generatiua habet corpuscula. Poterit autem hoc etiam in loco Democriti opinio recenseri, qui atomos, id est indiuidua propter soliditatem corpuscula, omnium elementa esse rerum voluit. Quod autē hæc opinio alia sit ab Empedoclis retro dicta sententia, manifestum est. Secundū enim Empedocle saporum actu in ipsa aqua præexistere censentur: secundum autē istam posteriorem opinionem, saporum quidē præexistunt semina, ipsi autem posterius ingenerantur & fiunt secundū habilitatem & conuenientium partiū aquæ ad ipsos.

Democritus.

Vel nullum in aqua esse discrimen, cum efficiens sit in causa, vt si calidum & solem quispiam dicat.

Tertiam hoc in loco ad superiores illas de saporum generatione addit opinionem philosophus, quæ incertum est an vllum habuerit assertorem: hoc tamen modo sentire quispiam & dicere posset, aquam quidem nullam in seipsa saporum habere differentiam, quæ ex hac videlicet ipsius parte dulcis generetur sapor, ex illa vero proueniat amarus: similique rationis modo in alijs saporum speciebus. Cæterum illam quidem esse saporum omnium materiam, ipsum autem efficiens differentiarū esse causam eorum quæ in illa sunt saporum, veluti si quispiam solem efficientem illam esse asserat causam, aut generalius etiam calidam ipsius naturam id esse maluerit saporum omnium principium. Secundum enim maiorem minoremve digestionis caliditatem, variasque concoctionum differentias, saporum in aqua varias & multum inter se distantes efficere species.

Tertia de saporibus opinio quæ assertorē non habet.

Verū ex ijs, vt Empedocles dicit, valde manifesta est falsitas. perspicimus enim à calido decerptorum pomorum immutari saporum, siue soli, seu igni exponantur illa: vt appareat nō ab aqua trahere eiusmodi factos, sed in ipsis pomis permutatos, & tempore exhalantes, cum austeros ex dulcibus, tum amaros, & omnimodos factos. excocti quinetiā ad omnia saporum genera (vt ita dicatur) transmutantur.

Post enarratas tres illas superiores de saporum generatione sententias, in primis Empedoclem redarguere aggreditur philosophus, illiusque hac de re opinionem manifeste damnat falsitatis. Si enim in aqua, inquit, actu præexistunt saporum, stirpibusque ipsæ & plantarum genera, quoniam ab aqua illos deducunt, & contrahunt, varia in peculiaribus quæque pomis saporum præ se ferunt genera: quorum differentia ab attracta nimirum existunt aqua: oportebat utique quando non amplius illos plantæ ab aqua possunt attrahere, nullas profecto in pomis saporum postmodum fieri permutationes, sed illos restare & permanere saporum qui à principio ab aqua fuerunt attracti. Nunc autem videre & manifestò percipere licet, post decerpta ab arboribus poma, si constituentur in sole, ab illius certe caliditate varie & multifariam permutari: ex quo perspicue patet ab aqua saporum non effici: illud vero quod dicit philosophus, ablati pericarpis, id est ipsius fructus inuolucris, vel intelligi potest, inquit Alexander, fructus illos varie à sole permutari: cū inuolucra scilicet & tegumenta ipsorum fuerint ablata: quæ admodum in auellanis nucibus & castaneis est videre. Vel dixit, inquit, ablati inuolucris, id est fructibus ex arbore collectis & decerptis. Auferuntur enim fructus ex arboribus, illorum inuolucris quæ illos continent, ab arboribus euulsis. Sunt etiam, inquit, nonnulli fructus qui in pericarpis suis sunt ingrati & insuaues cum decerpuntur, tempore autem mitescunt, & gustatui fiunt accommodati. Ex quo apparet, inquit, quod humiditas in illis saporosa per varias saporum diuersitates & species permutatur, & non quia extrinsecus quippiam ab aquæ natura accipere dicantur. Hæc ille. Cæterum pro claro dictorum intellectu animaduertendum esse censeo, quod apud græcos duo ista reperiuntur vocabula καρπός & περικάρπιον. Et καρπός quidem (quem fructum nunc dicimus) proprie id esse censeatur, quod semen aut nucleos vulgo appellant: in quibus vis sanè stirpium plantarumque generatiua collocatur: quam obrem ne iniuriæ facile sint obnoxia, prouida natura in pomorum illa abdidit gremio, & cum cortices & inuolucra varia, tum pomorum vocatas carnes illis circumdedit. & ista vt plurimum esui non sunt accommodata. Quod autē ex pomorum corpore isthæc comprehendit & circumdat semina, περικάρπιον græci appellauerunt: idque certe est quod in pomorum genere manditur, & varios pro sui natura refert saporum. Quod sanè quia verū circumdat circumplectiturque fructū, & munimenti illi vicem præstat, idcirco istiusmodi inuenisse videtur nomē. Nō ab re igitur in nostra interpretatione pro pericarpio pomū inuertimus, quod apud nostros generale est vocabulum omnibus ijs qui ex arboribus nascuntur fructibus. Is igitur præmissis, clarior (vt arbitror) Aristotelis est textus. ablati enim & decerpti ex arboribus pomis, varios in illis fieri saporum percipimus, siue soli illa, seu igni exponantur, cū tamen nihil tūc

Alexander.

Quid carpos & quid peris carpon.

amplius ex aqua attrahere valeant. Ceterum sapes etiam ipsi ad ignem apposti, varij omnimodiq; efficiuntur, multasque permutare animaduertuntur differentias, qui tamen eo in casu ab aqua trahere videntur nihil. Vinum quinetiam hoc rationis modo, necnon alias humiditatum naturas ebulliendo efferuescendoque manifeste sapes permutare, perspicuum est.

Similique modo seminarium esse aquam & materiam nō est possibile. Ex eadem enim videmus, tanquam ex eodem alimento, diuersos fieri sapes.

Post redargutum (vt vidimus) Empedoclem, ad secundam de saporibus opinionem se conuertit Aristoteles, quam nonnulli Anaxagoræ adscribunt, similiter impossibile esse asserēs aquam materiam ponere tanquam saporum seminarium quoddam, siue, vt Anaxagoræ vocabulo vtamur, panspermiam quandam ad huiusmodi rem aptam & conuenientem, ita q; ex alia illius parte alius sapor efficiatur. Videmus enim, inquit, q; varij ex aqua efficiuntur sapes, quemadmodum ex eadē alimenti natura varia conflatur & fiunt corpora, neruus verbi gratia, & os, & caro, & venæ: & hoc accidit quoniam illa quæ aquam attrahunt, à se inuicem differunt: quemadmodum si plures iuxta se inuicē constitutæ fuerint arbores, stirpiūque diuersa genera, vt vitis verbi causa, & ficus, & olea. aut etiam in eodem arboris trunco alij nimirum & diuersi fiunt sapes, quoniam alia & alia sunt partes quæ ex eadem nutriuntur alunturq; aqua. Alius enim foliorum est sapor vnus & eiusdem arboris, à corticis ligniq; saporibus: necnon ab illo qui gustatur in pomis. Quinetiam eiusdem pomi solitarie accepti alius est acerbi sapor, & alius mitis iam & maturi. Quamobrem omnino hæc de saporibus opinio haudquamquam vero quadrare & consentire videtur.

Restat igitur aquam sanè permutari, quoniam quippiam patitur. Quòd autem non solum à calidi virtute hanc accipiat vim aqua, quam saporem vocamus, manifestum est. Humidorum enim omnium tenuissima est aqua, & ipso etiam oleo, licet illud lentore suo extendatur magis. Fragilis enim est aqua: quamobrem manu seruare aquam difficilius est quam oleum. Quoniam autem calefcēs aqua nihilo plus crassescere videtur, manifestum est aliam esse causam. Sapes enim omnes crassitudinem habent magis: calidum autem est concausa.

Ad tertiam reuoluitur opinionem philosophus, quæ (vt diximus) hac de re nō immerito posset adduci, licet adhuc cognitum non habeat assertorem & patronum: aquam scilicet ipsam ad varias saporum qualitates indifferenter se habere: ipsius autem motuum & veluti exagitationum, siue sol, seu calidorum aliud quippiam fuerit, diuersorum in rebus esse causam saporum. Hanc igitur taxat opinionem, quoniam à sola asserit caliditatis vi varios in aqua sapes generari & effici. adiuuans enim, inquit, & veluti saporum concausa ipsum potest esse calidum, non tamen per se saporum esse censetur efficiens & solitaria causa. quod ostendere philosophus cupiens, hanc declarando rem sumit q; aqua tenuissima est inter omnia corpora sic humida, id est in genere humidorum, quæ vim diluendi habent. quamobrem, inquit, non crassescit per se aqua cum calefit. q; si non crassescit, vt manifeste percipitur, neque per se etiam quacunque intercedente excafcatione aliquem producere potest saporum. omnes enim saporum differentia crassitudinem sanè quandam sibi videntur exposcere. Quoniam autē dixit aquam corporum esse subtilissimam sic humidorum, id est abluere valentium: oleū, inquit, extēditur magis, & aquæ supernatat, non partium sanè subtilitate suarum, naturæque tenuitate, sed propter glutinosum quendam lentorem, & viscositatē quandam quā possidet. quamobrem extenditur magis, & in aquæ superficie natat videtur. Quòd autem aqua humidorum corporum sit tenuissima, ex huiusmodi declarat accidēti, quoniam excafcata & ebullita, postquam feruor ille resederit, nihilo plus accepisse crassitudinis quàm ante habuerit, sanè deprehenditur. omnes autem saporum omnium species aliquam proculdubio habere crassitudinem perspiciuntur. Quamobrem si excafcata & feruescens aqua non crassescit, non erit vtique per se calidum saporum efficiens causa, illorum qui in aquæ calidum, non vt effectrix sanè propriaque efficiet causa, sed vt concausa quædam operari & efficere iure censetur.

Calidū saporū
concausa.

Quicunque autem in pomis sunt saporibus, iidem in terra etiam esse percipiuntur. Quocirca veterum plerique physiologorum talem dixerunt esse aquam, qualis terra est per quam illa permeat. id autem potissimum in falsis declaratur aquis. Sal enim, terræ quædam est species. Quamobrem quæ per cinerem colatur aquæ, qui sanè amarus est, amarum reportant saporibus: eodemque modo in alijs. Nonnulli quinetiam amari sunt fontes: plerique aciduli saporibus: alij vero omnimodos saporibus alios in se habentes. Quapropter non immerito in terra nascentibus saporibus maxime fiunt genera.

- 10 **H**oc in textu philosophus veluti manifestum & omnibus peritum istuc sumere videtur, quotquot scilicet saporibus sunt qualitates, omnes proculdubio in terra reperiri. Ex quo nimirum ostendere intendit solam aquam ad saporibus generationem variorum non sufficere: sed quoniam multum ex terra per quam fluit, abstergere & secum reportare videtur, ideo in illa varios apparere saporibus. Et ad huiusmodi ostensionem rei, cum antiquorum testimonijs utitur physiologorum affirmatiuum tales esse aquas quales permeauerint terrarum species, ceu aqua saporibus ex illa quam perfluit terra, certe capiatur: tum etiam compluribus experientiarum nititur euentijs. Videmus enim, inquit, scaturientes alibi cubi falsos aquarum latices, quæ ideo sunt tales, quoniam per falsuginosam deriuantur & fluunt terram. Sal autem, terræ quædam est species, per quam percolata aqua falsum nimirum contrahit saporibus. Et omnino qualis, inquit, terræ fuerit qualitas, tales aquarum per illam fluentium saporibus efficientur. Amara enim apparent aquæ, si amaram permeauerint terram: & bituminis sanè saporibus reddent, si per bituminosos terræ defluerint tractus: & eodem modo sulfureæ, si per sulfureas terræ venas labentur. quam sane rem experimento comprobatur aquarum quæ per cinerem colatur, quarum certe amarus est sapor, quoniam cineres sunt amari. Quocirca, inquit, hanc ob causam plures forsitan aquarum apparent differentias. Multi enim amari sunt fontes, alij vero saporibus acuti, secundum varias terrarum per quas defluunt, differentias & proprietates. Qua de re à Theophrasto in libello qui de aqua inscribitur, præclari sanè habentur sermones. Quapropter, inquit, rationi est consentaneum, saporibus in terra nascentibus, id est stirpibus & herbarum speciebus quæ ex terra educuntur, cum humido præcipue fieri aqueo. Stirpes enim & terra nascentia omnia suscipiunt & ad se trahunt aquam, quæ terræ per quam defluerit (ut dictum est) sibi impressos secum deportat saporibus: non quod suapte natura saporibus sit terra, inustasque in se gerat qualitatibus species aliquas (nullum enim simplicium corporum sui natura est saporibus) sed quia ex tali vel tali mixtionis modo sicci cum humido, talis nimirum vel talis à calido efficiatur qualitatibus differentia. Aqua igitur per se tales non habet saporibus: pari que rationis modo neque terra illos habere censetur: verum ex huiusmodi sicci cum humido mixtione pati dicitur aqua, & saporibus in se differentias recipere. Quo in loco non ab re animaduertendum esse censeo, nihil obstare id quod retro dictum est, aquam scilicet talem referre saporibus, quales perflueret terras, huic quam modo protulimus sententiam, terram scilicet per se nullos habere saporibus: cum omnia simplicia corpora insipida esse exigant. nam per varios terrarum tractus diuersaque illorum genera defluentes aquæ, eas nimirum secum reportant qualitates, quæ non in ipsa simplici existunt terra, sed in commixta coniunctaque humiditatibus quibusdam quas sinu semper suo continet tellus, à quibus (ut par est) defluentes postmodum aquæ varijs saporibus qualitatibus inficiuntur.

Humorem enim, ut alia omnia, à contrario pati natus est. Porro contrarium siccitas est: propterea quippiam ab igne patitur. Sicca namque ignis est natura: verum ignis proprius est calor: terræ autem siccitas: ut dictum est in ijs quæ de elementis. Ignis igitur ut ignis est, & terra ut terra, nihil agere aut pati nata sunt: neque aliud quippiam. Quatenus autem illis inest contrarietas, eatenus omnia agunt & patiuntur.

- 50 **P**ostquam retro dixit Aristoteles quod rationabiliter aqua à terra patitur, & illius impressionem recipere censetur: rei huiusce veram subdit causam, quod humidum scilicet à sicco contrario natum est pati: quemadmodum alia contraria à suis patiuntur contrarijs. Humido enim contrarium est siccum. Primo autem siccum est terra: ignis quinetiam siccus est: quamobrem ab igne etiam patitur humidum. Cæterum ignis quidem primo est calidus, secundo vero est siccus: terra autem primo est sicca,

Theophrasti
de aqua libellus.

Nullum elementum
saporibus.

secundo est frigida. Patitur igitur humidum non modice ab ipso igne, & idcirco ad saporum in illo generationem multum quantum ipsum confert calidum, & non solum terræ natura. Isthæc autem pertractata fuisse dicit in libris de elementis, intelligens (vt opinor) commentarios de generatione & corruptione. In illis enim multos & præclaros habet sermones de quatuor primorum corporum, quæ elementa vocantur, naturis & essentijs: quo etiam in loco refert secundum quod illorum quodlibet in speciem maxime reponatur, quod terra scilicet magis à sicco quàm à frigido, aqua vero magis à frigido quàm ab humido, aër autem magis ab humido quàm à calido, & ignis à calido magis quàm à sicco. Cum igitur dixisset quod contraria à contrarijs nata sunt pati, quamobrem humidum patitur à sicco, ignis autem siccus est: subdit quod ignis vt est elementum, simili quod rationis modo terra & aqua & aër neque facere, neque pati nata sunt. Substantiæ namque existunt: nihil autem substantiæ est contrarium: vt in prædicamentorum libello fuit ostensum: facere autem & pati, in contrariorum sanè reperitur natura. Quamobrem non immerito subiungit, neque aliud quippiam, nullum enim corpus vt corpus est, aut facit quippiam, aut patitur. Secundum autem quod in vnoquoque contrarietas inexistit aliqua, secundum id agere & pati nata sunt illa. contrarietas autem inest aquæ ad terram secundum humiditatem, etenim terra primo (vt dictum est) sicca censetur: ad ignem autem secundum duos contrarietatis modos, secundum siccitatem scilicet, & secundum caliditatem. Aqua enim frigida est & humida, sed primo frigida: ignis vero calidus & siccus, sed primo calidus. Ex quibus, inquit Alexander, facile quispiam philosophi hac in re sententiã dignoscere poterit, non enim philosopho corpora ad se inuicem agere & pati videntur, vt voluere Stoici: neque rursus incorporea, vt velle censentur Platonici: verum in se inuicem agere & pati corpora existimat secundum illas quas in se continet contrarietates, quæ proculdubio in corpore esse censentur. Media igitur quodammodo, inquit, hac in re Peripateticorum videtur esse sententiã inter Academicos & Stoicos. Cæterum non immerito hoc quispiã in loco sic ambigere posset. Si aquæ ipsius esse in frigido consistit & humido, ignis autem esse in caliditate constituitur & siccitate: quomodo aqua in quantum aqua non est igni contraria? Siquidem hæc per illa constitui, & in speciem maxime reponi dicuntur: sed non vnum quiddam sunt, inquit Alexander, ignis, aut aqua, non enim species & formæ solummodo existunt: sed in illis subiectum est quiddam eas in se habens qualitates: cum quo subiecto hæc quidem est aqua, ille vero est ignis. Inclinationo enim in illis & naturale momentum, quod $\rho\omicron\omega\tau\eta\mu$ græci vocant, non est primum contrarium, non enim quæadmodum leuissimus est ignis, ita grauissima censentur esse aqua: sed esse suum illa cum materia habent, quæ in vtrisque est vna. Cæterum alia etiam via dubitat Alexander, & contra philosophum hoc insurgit modo: Ignis vt ignis est, non agit, vt hic Aristoteles asserit, sed vt calidus est, sed ignis est per se & primo calidus, & characterem accipit in speciebus collocatur per caliditatem: ignis igitur vt ignis est, agere dicitur, cum illius caliditas forma sit sua. Sed ad huiusmodi statim occurrens rationem, hæc subdit Alexander, quod ignis duobus accipi potest modis, duobus significare potest, aut solummodo speciem & formam: & hoc modo aliquod habebit contrarium, & actuosus sanè erit & efficax, aut compositum signare potest quiddam ex materia scilicet & forma: istoque modo nullum habet contrarium, eadem enim in omnibus est materia: & hoc modo actuosus non dicitur esse ignis. Cæterum quia (vt patuit) Alexandro videtur proprias & peculiare elementorum qualitates eorundem esse formas substantiales: huiusmodi contra illud insurgere potest dubitatio, nullo posse modo cõtendens formas esse substantiales elementorum qualitates: Substantia & accidens ipsum ens contrario diuidunt secantque modo: quamobrem inter se distant maxime: sed qualitates sunt accidentia: hoc enim est in confessis: non possunt igitur esse substantiæ, formæ namque substantiales in substantiæ reponuntur genere. Præterea substantialis forma sensu percipi non potest, ipso attestante philosopho in tertio de anima libello, vbi scribit quod ipsum quod quid est, id est forma & species, intellectus est obiectum, sed elementorum qualitates sensu percipiuntur: non sunt igitur substantiales formæ. Quamobrem philosophi succurrens dicto D. Thomas, peculiari ad huiusmodi obiectum responsioni, istuc præmittit, quod caliditas quidem per se inest igni, & ignis per se dicitur calidus, non quia substantialis illius forma sit caliditas (forma namque sensu percipi non potest) sed quoniam proprium est & inseparabile illius accidens, formam consequens substantialem. Et quia naturalis actio alicuius est alterantis contrarij, idcirco ignis sua agit caliditate, cui sanè aliquid est contrarium: non autem formæ illius substantiali aliquid est contrarium, nisi improprie quispiã, et largo (vt aiunt) modo id ipsum accipere velit, quo certe modo dici potest magis perfectum minus perfecto esse contrarium: quæ contradictionis ratio in numeris etiam reperiri potest, sed non est (vt diximus) propria isthæc contradictionis via, cum non sit sub eodem genere positum, maximeque sub illo distantium & semotorum. Verum hæc responsio, dubitationis alterius non immerito industriò lectori ansam ad se impetendam præbere poterit. Si enim in elementis substantialis forma actionis non est principium, sed accidentalis forma, cum ex igne verbè causa alius generatur ignis: secundum prædictam sententiã caliditas præcedentis ignis ignem generat & efficit posteriorem: istoque sanè modo accidentalis forma substantialem producit & generat formam: quod absurdum nimirum & erroneum esse censetur: cum nihil scilicet ultra proprium agat gradum, & supra vires operetur suas: propter quem sanè rationis prædictæ modum, posteriorum quidam imaginati sunt quod in generatione ignis, caliditas ignis generantis & producentis, ignis caliditatem generati producit & efficit: forma vero substantialis generantis ignis, formam producit substantialem ignis geniti: cupientes scilicet axioma illud & dignitatem saluare, quod nihil videlicet ultra gradum agit proprium, & vires

Stoici.
Academici.
Peripatetici

Alexandri
dubitatio.

Responsio.

Alex. dubita.

Responsio.

DIAGRESSIO

Quod substantiales elementorum formæ non sunt illorum qualitates contra Alexandrum.

D. Thomas.

Contra D. Thomæ rationem

superat suas. Quæ sententia (vt arbitror) falsa & absurda nõ immerito existimari potest. Ex illa etenim sequitur qd id quod generatur, compositum scilicet ex materia & forma, non est vere vnum: quo nihil potest esse absurdus. Cum enim duorum agentium, & diuersis operantium motionibus, non idem sanè sit terminus: formaque substantialis in igne generante, & illius caliditas, duo certe sint agentia, & diuersis operentur motionibus, quorum alterum quidem materiam disponit & alterat, alterum vero substantialem subito producit formam: non idem profecto vtriusque erit terminus: sed naturale compositum illius sanè generationis est terminus. non igitur vnum & idem vere ipsum erit compositum quod à duobus agentibus diuersimode prouenire censetur. Et hæc sanè Aristotelis contra Platonem est ratio in nono primæ philosophiæ commentario. Quamobrem nonnulli posteriorum philoso-

- 10 phantiũ voluere omnes substantiales formas à supernaturali quadã produci causa: agensq; naturale alterando solũmodo, formæ præuias preparare dispositiones: inter quos Auicenna (vt videtur) & Algãzes, ambo Arabes, fuisse perhibentur, qui viri actiuorum & passiuorum sphaeræ, quam sub lunæ reponunt orbe, quandam præsidem ponunt intelligentiæ mentem, quam colchodeam appellant, quæ materiam tam sensibilem q̄ intelligibilem à naturalibus dispositam præparatãq; agentibus, componere & conformare censetur. nihil enim agentia ista inferiora aliud facere existimant, nisi quod ad inducendã dispositionem pertinet formæ. nam materiam præparatã & concinnatã ab illa sanè formarum datrice illico substantiales accipere formas secundum præmissas asserunt dispositiones. Cæterũ quoniam isthæc opinio Academicum sanè redolet dogma, quod idearum esse confirmat essentias, illasq; inferiorum omnium generationis esse asserit causas, & qd à virtute primum incorporea omnis certe emanat prouenitq; actio: ideo in præsentia illam missam facio, cum alioqui non multum huiusmodi pertractatio ad propositum spectare negotium videatur, potiusq; præmissæ difficultati de D. Thomæ sententia respondere tentemus, supponendo tamẽ prius id quod in primo de generatione & corruptione ostenditur commentario, qd vnũquodq; scilicet agit vt actu est. Cum igitur esse ipsarum elementarium qualitatum à principijs dependeat essentialibus, & à suis formis substantialibus, virtus etiam agendi ipsis nimirum competet qualitatibus à formarum substantialium virtute. Non est autem inconueniens qd aliquod agens virtute alterius vltra gradum agat proprium, & suas interdum vires excedat. Serra enim & ascia tectũ domus fabri virtute efficiunt, quod tamen supra ascia ferræq; vires & gradum esse censetur. Quodcũq; enim alterius agit virtute, illi simile quippiam facere percipitur cuius agit virtute. Ad summam igitur, nihil est absurdum quippiam supra gradum agere propriũ alicuius virtute superioris & excellentioris, aut illi sanè æqualis quod efficitur & generatur. Et hoc recte dicuntur modo qualitates elementares substantiales producere formas suarum substantialium virtute formarum. Quo etiam in loco animaduertendum est qd omnis actio proprie dicta, contrariorum proprie est: & inde prouenit qd quando ignis in lignum agit ignem sibi similem generando, tũc ignis agere non dicitur, sed caliditas: & ignem genitum produxit caliditas, ignis tamẽ intercedente forma, cuius proprium accidens est caliditas. istoq; modo accidens substantiam producere potest, media tamen (vt dictum est) substantia. Caliditas enim velut instrumentũ agit virtute principalis agẽtis, id est substantiæ. Cum autem bifariam instrumentum dicatur, vt in secundo de anima scribitur commẽtario, aliud scilicet primum, & aliud secundum, & primum sanè illud sit quod per peculiarem agere potest formam, nullo alterius suffragante aut requisito adminiculo: secundum vero sine primo nihil possit agere, verbi causa dolabra per se nihil potest agere nisi dirigatur à fabro lignario: ita in proposito caliditas primum est instrumentum in generatione ignis. Agit autem & producit ignis formã suã mediante substantia, quæ idem est cum ea, id est in eodem reperitur subiecto, & idem conficiunt indiuiduum: necnon etiam interueniente cælestis virtute corporis: quoniã omnes hic inferius agentes, corporis diuini respectu instrumentales iure & merito esse censentur. instrumentales in quã secũdũ primũ modum secundum quem instrumentum accipi posse dicimus. Ex quibus cuius clare patere potest qd accidens substantiam producere valet sua (vt dictum est) mediante & interueniente forma, quando caliditas quæ in generante reperta est igne, substantialem geniti ignis producere potest formam. Palam etiam est quomodo Academicorum intelligenda est propositio illa, nihil scilicet vltra proprium gradum viresq; agere suas posse. Verum iam ad philosophi literam redeamus.

Auicenna
Algãzes

Colchodeam
mens.

Dicti Aristoteles
moderatio secundum
D. Thomam.

Duplex ista
mõtorum natura.

Corpus celeste
in inferiora
agere.

- 50 **Q**uemadmodum igitur qui colores & sapes in humore diluunt, talem efficiunt aquam: eo natura modo siccum & terreum, & per siccum & terreũ calidi agitans & percolans vi, qualitate quadã ipsum afficit humidum.

Cum retro (vt visum est) dixisset Aristoteles rationabile esse humidum à sicco pati: est autem hoc quidem in terra, illud autem in aqua: hoc subiungit in textu quoniam modo humidum à sicco in saporum generatione patiat. Quẽadmodum enim, inquit, colorata corpora aut sapida in humido diluentes aqueo, illam colore inficere videntur aquam, & aliquo modo sapidam reddere: simili

rationis via naturam facere existimandum est. Humidum enim aqueum per siccum destillans terreum, illudque diluens, caliditate adiuuante varios nimirum reportat saporum. illud autem, Eo natura modo siccum & terreum, defectiuus certe est sermo. Subaudire enim oportet, diluit ipso humido. Illud autem, & per siccum & terreum, expositiuum est, & id videtur interpretari quod subaudiri diximus oportere, quod natura scilicet siccum cum humido proluit, & in eiusmodi proluuie siue percolatione calidi nimirum utitur vi: quod mouens, id est alterans & compingens ipsum humidum, illud quale quiddam efficit, id est sapidum facit. Saporum igitur a philosopho causa hoc assignatur in loco, percolationi & abluitioni illi adscripta qua siccum terreum ab humido proluitur aqueo, cum calor scilicet moueat & permutet, illudque compingat & constipet. Ex quibus manifestum esse percipitur terram ipsam actu saporum non habere quos aquae impertiat, verum ex tali colatura proluuieque humidi aquei per siccum terreum calido ipsum alterante & digerente compingenteque, in ipso humido saporum differentias generari. Si enim actu in se saporum haberet terra, ab illaque eos caperet aqua, haudquaquam sane perciperetur alios a stirpium genere alio produci saporum, cum omnia eadem alantur aqua. Sed quoniam secundum suscipientium diuersitatem stirpium (ut experientia docet) varij efficiuntur & apparent saporum, qui a se receptae moderantur aquae: nullos in terra proprios & peculiare praexistere saporum manifestum est. illo namque modo Anaxagorae de panspermia siue seminario vera esset sententia, quam retro vidimus improbatam. Non habet igitur terra actu saporum quos aquae (ut diximus) impartire possit, in se praexistentes, sed illi percolatione fiunt humidi aquei per illius siccam naturam, interueniente & cooperante calidi vi. Quapropter si qui forte apparuerint in terra saporum (ut retro dixerat philosophus cum ait saporum qui gustu percipiuntur in pomorum generibus, in terra etiam reperiri) erunt utique illi ex permixtione siccum cum humido, calido adiuuante eo quo diximus modo. Habet enim in se terra calorem & humorem semper inter se confusos & commixtos.

Terra actu saporum non habere.

HT hoc est sapor, ea scilicet quae a praedicto sicco in humore fit passio, gustatus qui potentia est, immutatrix ad actum. Deducit enim sensitium ad id quod potestate praexistebat. Sentire nanque ipsum non ut discere est, sed ut speculari.

Cum in praecedenti dixisset textu philosophus cur humidum aqueum fiat sapidum, & quo id fiat modo, hoc in loco saporis subdit definitionem, quem passionem dicit esse inuistam & impressam humido aqueo a sicco terreo: gustatus qui in potentia talis est, alteratiua & immutatrix, & ad actum deducitricem. Qua in definitione per illud quod dicitur, Sapor est passio, & ipsa intelligitur caliditatis effectio. Passio enim illa in humido aqueo a sicco inuista terreo, non est absque calido cooperante. Mouetur autem gustatus ab ipsis saporum differentiis de potentia ad actum, quoniam sapor ipsum operari facit gustatum, & actu esse. Quia igitur gustatiua praexistit potentia, idcirco dicitur sapor gustatum ex potentia ad actum deducere. Non esse autem saporum gustatiuae causam potentiae, per illud quod statim subiungit philosophus videtur ostendere, dicens. Non enim ut discere, sed ut speculari ipsum est sentire, quasi dicere velit quod sensitua non efficitur & generatur potentia in ipso sentiendi opere & actu, quemadmodum in discendo efficitur disciplina, sed potentia praexistit in esse suo, & postmodum ad actum reducitur ab ipsis sensibiliu speciebus: sicut in ijs qui actu specularunt, qui eorum quae prius didicerant, & quorum scientiam iam possident acquisitam contemplationibus, dum id agunt, non im merito vacare dicuntur. Qui autem sensus sint potentia, & qui actu tales, in commentariis de anima est pertractatum. Ceterum hoc animaduertendum est in loco quod in ipsius definitione saporis particula adiuncta fuit illa, Gustatus qui potentia est, immutatrix & alteratiua ad actum: ut propriam saporum differentiam assignaret. namque non omnis passio in humido facta a sicco, merito dicitur esse sapor, quoniam colores ipsi si in humore similiter diluantur, passionem certe recipiet & reportabit humidum illud corpus. Odores quinetiam hoc fieri censentur modo, a sicco videlicet natura in humido, operante aere: quorum tamen neutrum dicitur esse sapor: quamobrem recte profecto additum est proprium ipsius saporis. Est enim passio humidi aquei sapor a sicco effecta terreo, interueniente calidi potestate, gustatus immutatrix, & illius deducitrix de potentia ad actum. Quod autem siccitas terrea generationis saporum existat causa in ipso humido aqueo, manifestum esse asserit Aphrodiseus ex variis aquarum pluuiarum differentiis, quae nimirum fiunt per commixtionem terrei sicci cum aqueo humido. Aquae enim pluuiiae hyeme dulcissimae perhibentur esse: aestate autem minus suaves: autumno vero minime: rursus flante Borea bonae & potabiles sunt aquae, quae profecto austrinis tempestatibus amariores salioresque existunt. Praeterea in alluionibus & inundationibus dulces apparent, in siccitatibus autem salae & amarae. Hyemis etenim tempore cum humida existat terra, purae & impermixtae a sicco terreo exhalationes ascendunt: aestate autem cum non humecta sint adeo quae iuxta terram sunt loca, cum exhalationibus simul terrae ascendunt superfluitates quae aquas sane inficere possunt. Caloribus enim & exustione tunc squallent omnia, & in puluerem vertuntur. Partim rationis modo flante Borea potabiles fiunt aquae,

Saporis definitio.

Quod siccitas terrea saporum sit causa, ex Aphrodiseo digressiuncula

quoniam à frigidis humidisq; locis is sanè fiat ventus: contrà flante accidit Austro . per arentes nancq; & sole perustos terrarum tractus ille ad nos perueniens ventus, multum quātum ex terra secū defert natura. Et in siccitatibus similiter plurimum terræ in sublimè rapitur, & ideo ea in constitutione falsæ apparent aquæ. Cuius sanè contrarium in proluuijs inundationibusq; cōtingere non immerito animaduertitur. Rationi igitur consentaneū esse videtur, ita omnes saporum fieri species in humido, scilicet sicci permixtione expressioneq; terre, digestionē concoctioneq; addita, à calidi vi & potestate facta. Nonnunquā autem præpedita à frigoris vi digestionē, saporē interire corrūpiq; videntur. Frigiditas enim absumit, & immodice humectādo siccitatem dissipat quæ in ipso permixta reperitur humido. supfluens nāq; illa & excellenter inualefcens, sapida nimirū cōgelat & adstringit corpora, que resoluto postmodū gelu humescunt, & cōputrescunt, interdumq; etiam exsiccantur. Inest enim saporibus humiditas, sed non per secretionem disiunctionemq; illius a sicco factam virtute calidi, tales dicuntur saporē, sed per concretionem coniunctionemq; potius coquente constipantemq; calido factam. Quod autē in ijs quæ digeruntur, superfluens reperitur humiditas: ex hoc manifeste patere potest. Soluta nancq; & præpedita in illis digestionē, sensu percipere contingit cum humida effecta illa, tum etiam cito putrescentia. Multaq; præterea pomorum genera in frigidis nascentia locis, neque mitescunt omnino, & ad maturitatem perueniūt, neq; si propius illi accesserint, peculiare suosq; habent saporē, vt illæ quæ apud Britannos nascuntur vix, quæ ad iustam maturitatem cæli terrarumq; vitio haudquaquā peruenire posse dicuntur. Ex quo perspicuum est calidum digerens & concoquens cum in illis, tum in alijs etiam pomorum generibus veram sanè saporum omnium esse causam. Cæterum quoniam paulo ante de Aphrodisi sententiā diximus q; superfluens frigus sapida cōgelat adstringitque corpora, quæ gelu postmodum resoluta humescere & cōputrescere animaduertuntur, interdumq; etiam exsiccati videntur: non ab re esse duxi de naturalium quæstionum nostrarum commentariolo problema quoddam in medium adducere, cum alioqui proposito quadret negotio, & accidentium prædictorum mediocriter (vt arbitror) probabiles assignare videatur causas. Hoc autem se habet modo. Cur poma si gelauerint, post solum gelu tum proprios deperdunt saporē, tum etiam cito putrescunt, quædam vero arida fiunt? An quia superfluens frigus, siccum quod in illis humido erat commixtum, dissipat, & calorem herberat, illaq; immodice humescere facit? Saporē autem nō in secretionē disiunctioneq; humiditatis à sicco, sed in concretionē potius cōiunctioneq; illorum à calido facta certum est generari. Marcescere autem post gelu solent poma, quoniam superfluens in illis humiditas, neq; à calido moderata, neq; sicco bene permixta, facillè putrescere nata est. Arescūt autē nonnulla quæ exigui sanè & tenuioris sunt succi, ipso humido propter frigus cū calido exhalāte. Verū de ijs hæcenus: quamobrè ad Aristotelē redeamus.

Cur gelu putrescāt poma & interdū arida fiant.

Quod autem non cuiusque sicci, sed nutritiui, saporē vel passio vel priuatio existunt, hinc accipiendum est,

Cum retro (vt visum est) dixisset Aristoteles saporē esse passionē factam in humido aqueo à sicci terre nature, calido cooperante, gustatu immutatricem, & illius de potentia ad actum deductricem: hoc ostendit in loco q; non ab re sanè illa adiuncta est particula quæ in extrema fuit definitione appositā, scilicet immutatrix gustatus de potentia ad actum. non enim omnis in humido effecta passio continuo sapor esse censetur. Odor nancq; à sicco etiam fit in humido, vt infra ostendit ipse, qui tamen non est sapor. Præterea alimentum omne, vt patet, tactile est: non tamen vt tactile est, alere & nutrire cōsetur, verum per passionē illam per quā est gustabile. Quod ostendere philosophus volens dixit in litera, non omnis sicci, sed nutritiui. hoc sanè vsus nomine nutritiui, gustabilis loco. Cum autem dixit quod saporē passiones sunt nutritiui, subdit, aut priuationes vel carentiæ, intelligens per priuationē nutritiui, ipsius videlicet dulcis carentiā. Hoc enim solo (vt inferius ostendit) nutritur animal. Cuius cum amarus certe sapor, tum falsus priuationes esse censentur: qui licet sint gustabiles, alere tamen & nutrire non dicuntur. Quemadmodum enim in colorum genere cōtrarium maxime visibili, id est albo, id quod nigrum est, esse censetur, quod tamen est visibile: ita in saporibus ipsis id quod maxime & primo gustabile est cōtrarium, gustabile etiā existit. Maxime autē gustabile illud est quod est nutritiuū maxime: quod sine cōtrouersia dulcis est sapor. Huius inquam priuatio, amarus scilicet sapor, & ipse sanè est gustabilis. Vniuersaliter enim Aristoteli consuetum est è contrariorum numero illud quod in peiori deteriorique collocatur ordine, priuationis nomine appellare. Quoniam autem dulce, & illius contrarium amarum, gustabilia sunt & saporē, & ex illorum tali vel tali commixtione omnes nimirum alij proueniunt saporē, quemadmodum intermediæ colorum species ex albi nigriq; mixtione generantur: idcirco in præsentis literæ contextu vniuersum gustabile genus nobis voluit significare philosophus, contraria in saporum genere, ex quibus omnes constant saporē, dulce scilicet & amarum, innuendo magis, quàm exprimendo.

Solo dulci nutritur animal.

Quod neq; siccum absque humido, neque humidum absque sicco. Nutrimentum nanque animalibus neutrum illorum solitarium est: sed ex illis mixtum. Et oblatis animalibus alimenti

no remanet
odo sicum
um. & pe
vire. q; na
nimirū vi
scidū est so
rioni illi ab
uer, illudq;
non habet
in calido ip
emim actu
stipium ge
nemium et
recepta mo
lo nāq; mo
nprobatur.
ilheres, sed
re calidi vi
saporē qui
mixtione sicci
norē semper
fit pas
cit enim
nanque
quo id fiat
npressam
ricem, &
telligitur
cooperā
re ipsum
apor gu
per illud
ari ipsum
ndi opere
& postmo
quæ priu
nt, non im
de anima
ris particu
iam saporū
sapor, quo
umidū illud
re aere: quo
ipsum sapor
gustatus in
nis saporum
n plauram
emim plus
rurum fias
illiores: ex
salia & ato
no exhalato
& exhalato
s sunt aqua

ea quidem quæ tactu sentiuntur, accretionem sanè faciunt, & diminutionem: horum autè causa, quatenus calidum fuerit & frigidum id quod offertur. Hæc enim accretiones faciunt, & diminutiones.

Quòd neque siccum de per se, neque humidum solitarie alant & nutriant, hoc sumit in textu philosophus ceu manifestum, & omnibus clarum. Alimentum enim in quadam horum mixtione constare censetur. Defectius autem à principio statim literæ hic videtur esse contextus, cuius integra & còpleta (vt arbitror) sequela hoc adduci potest modo. Neque siccum absque humido, neque humidum absque sicco, sapor scilicet est, aut alimentum. ostendet tamen posthac philosophus in ijs quæ sequuntur, quod non omnis ex horum commixtione facta passio continuo sit sapor. oblatum enim animantium generi nutrimentum tactile esse constat: & hanc sanè ob rem à philosopho dictum est gustatum tactus esse speciem, quoniam & ipse tactilium contrarietates percipere potest & sentire. Cæterum alimentum vt tactile est, alere & nutrire non dicitur, non enim alimentum ipsum vt est calidum vel frigidum, durum aut molle, aut huiusmodi quippiam contrariarum habens qualitatum, alere percipitur: sed vt gustabile est, & sapidum. Alimentum enim vt tactile est, cum accretionis causa, tum diminutionis ijs quæ inde aluntur, esse censetur. vt enim calidum est & frigidum alimentum, applicari & secerni dicitur. Hæc namque duo concoctionis & cruditatis sunt causæ: quorum concoctio quidè applicare sanè facit, & incrementi idcirco dicitur esse causa. Cruditas vero & indigestio diminutionem nimirum efficere censetur, & dispositionem illam quam ἀτροφία medici appellant, nos tabem dicere possumus: cum corpus videlicet non alitur, sed absimitur & tabescit. Caliditas enim & frigiditas oblatorum esculentorum & poculentorum aut adiuuant aut impediunt naturalem animalium calorem: qua ex re cruditates in illis aut concoctiones consequuntur, & digestiones: ex quibus accretiones (vt diximus) eueniunt & diminutiones. Quamobrem secundum hanc humidum à sicco passionem, cum tactile etiam existat alimentum, non dicitur esse sapor, neque alere & nutrire censetur. Aliud enim est alere, & aliud accretionem efficere. Potest autem alio etiam modo alimentum vt est tactile, augmenti causa non immerito existimari: quoniam quod tactile est, corpus esse censetur. obstans enim & resistens tactile esse dicitur, in quibus ipsius corporis esse còstituitur, & à quibus prima etiam corpora in speciem reponi censentur: per corpusculorum autem quorundam applicamenta & remotiones, cum incrementa, tum decremента fieri percipiuntur. Quapropter alimentum vt corpus est, augmentum præstare dicitur: nam vt tactile est, non necessario esse censetur corpus. Vt corpus igitur est, incrementa præstabit, nam vt corpus est, quântum quiddam est: quantum autem alij additum quanto, augetur sanè facit. Hæc autem de re in commentarijs de generatione & corruptione abunde est pertractatum. Accretionis igitur & diminutionis causam esse alimētum manifestum sanè est, vt est calidum vel frigidum, & omnino vt tactile est. Hæc enim, inquit, accretiones & diminutiones faciunt. intelligere volens vel simpliciter calidum & frigidum, vel ex tactilium numero calidum & frigidum: secundum quã passionem in humido factam, à sicco in animalium genere gustandi sanè efficitur virtus, vnde ali & nutrirī possunt: à qua etiam passione saporum certe fiunt differentiæ. Secundum quid igitur alere quippiam dicitur: Vt gustabile videlicet est, & non vt tactile.

Alit autem id quod profertur, quoad gustabile est. omnia namque dulci aluntur, siue simpliciter, siue permixtim. De huiusmodi autem re in commentarijs de generatione & corruptione determinare oportet. Nunc autem quatenus cogit necessitas, de illis est prælibandum.

Quòd gustabile quidem vt huiusmodi est, solum nutriat & alat, paulo ante est declaratum. Quòd autem dulci alantur omnia, ideo verum esse censetur, quoniã maxime gustabile ipsum est dulce. Simpliciter autem dixit, vel permixtim, ceu nullum sine dulci possit esse alimētum. Si vero simpliciter dulce non fuerit, sed permixtum alimentum, ex illius sanè contrario erit permixtum: quod ipsum est amarum. Sicut enim mox ipse dicit, quoniã dulce cū sit nutritiuum, maxime superferri & supernatare natum est, idcirco còmixtione is profecto indiget sapor, vt còmode nutrire alereque valeat. Supernatare enim id sanè cèsetur quod dulce est, quoniã leue est, & sursum ferri natum: & hanc ob causam nutrire potest maxime. Subiūgit postmodum philosophus propriū de ijs sermonem, quomodo scilicet & quibus alantur animalia & augmentum capiant eis, ad còmentarios de generatione & corruptione pertinere. Scripsit autè de augmentatione quidè peculiariter in illis còmentarijs philosophus: de alimēto autè in libris de animalium generatione. Quamobrem accuratiorè de ijs sermonem ceu ad propriū & peculiarem locū ad illos remittit còmentarios. Verū non inutiliter mehercule hoc in loco huiusmodi de re D. Thomas notare videtur. Dicit enim quod cibaria potusque qui animalibus

Cur gustatus
tactus sit ipse
caus.

Concoctio in
crementi, crus
ditas decre
menti causa.
Atrophia.
Tabes.

Alimentum vt
tactile est, au
gere perhibe
tur.

65
Esculentia ad
duo conferre.

apponuntur, ad duo quædam illi deferuire videntur, ad augmentum scilicet, per quod ad quantita-
tem magnitudinēq; deducuntur perfectam: & ad nutrimentum, per quod animalis conseruatur sub-
stantia. Ad generationem quinetiam iisdem faciunt cibi: verum istuc iam ad ipsum non pertinet indiui-
duum, sed ad illius speciem conseruandam. Esculenta igitur & poculenta cum de sensilium existant nu-
mero, vt tactilia sunt quædam, augmenta sane efficiunt & decremenra: quoniã calidū (vt dictum est)
& frigidum augmentum faciunt & decrementum: ita q; calidum proprie augescere faciat. eius enim
est dilatare & diffundere, & in maius corpus dare, ceu à centro ad circumferentiam rem ipsam mouen-
do. Frigidi autem ratio est vt diminutionē efficiat, quoniã illius est constringere & compingere, veluti à
circumferentia ad ipsum centrū rem ipsam coarctando. Quapropter in primæua ætate animalia plu-
rimo crescunt & augentur calore, quæ senectutis certe tempore decrescunt & minuuntur, vniuersisq; cõ-
trahuntur membris propter frigiditatem, & innati hebetudinem caloris, ad frigus, id est ad mortem ex-
tinctionemque festinantis.

Calidū auget
frigidum mi-
nuit.

Alidum enim auget, & alimentum affingit: & leue quidem attra-
hit: salsum autem & amarū ob grauitatē relinquit. Quod igitur
in exterioribus corporibus externus facit calor, id in animalium
stirpiumque natura internus planè efficit: & idcirco dulci aluntur. Alij au-
tem alimento commiscetur sapor eodem sanè modo quo salsum &
acidum condimenti gratia. Hoc autem ideo, vt diducant id quod in dul-
ci nutritium est nimis & redundans.

- 20 **I**n hoc literæ contextu ea sanè philosophus confirmare videtur quæ superius dixerat: calidū scilicet
augmentum facere in animalium corporibus. Calidū enim cum digestionis concoctionisq; sit causa,
necnon cibos conficiat, suisq; applicet locis, ceu naturalis cuiusdam structuræ architectus & faber
omnia certe digerit & cõponit. ab ipsis enim humiditatibus quod dulce & leue est attrahit, & amarū &
salsum relinquit ob eorum grauedinem ad nutriēdi opus ineptam. Ex quo perspicere licet animalium
excrementa grauia esse & terrea maxime, quæ amara etiam & salsa esse perhibentur, propter secretas
& seiuatas ab eisdem calore cooperante dulces & subtiles partes, quæ nutriendo & augendo corpori
fuerunt addictæ. Quod autem ipse calor dulce attrahat & leue, amarū autem relinquat & graue, ceu
manifestum & omnibus cognitū in præsentia sumit philosophus: quod alioqui ab ipsis exhalationum
modis, quæ continuò in vniuersi natura fieri conspiciuntur, perspicuum & clarū esse potest. Quod enim
30 exterior in mundo efficit calor, partium halitus subtilium & leuiū attrahendo, crassas autem & graues
dimittendo partes: hoc nimirū in animalium corporibus internū efficit calidū. Ex oblatiis enim attrahit
cibis quod leue est & dulce, & illud animalium corporibus applicat & adstruit: id autē quod graue est &
amarum aut salsum, dimittit, qualia sunt excrementa omnia. Si enim illa quæ restant, salsa sunt & ama-
ra: nō immerito id quod attrahitur, cõtrario se habet modo. leue namq; est & dulce. Et istuc etiã in cau-
sa esse poterit cur dulci animalia alantur, neq; ea sola, sed omnia etiam viuētia. id enim solum attrahi-
tur, & ab ipso applicatur calido, quod non solum & simpliciter leue esse censetur, sed leue simul & dul-
ce. quæ res patere etiam potest ab ipsis exhalationū modis. omnes enim aquæ pluuiæ dulces sanè sunt
licet à mari plurimæ dicantur ascendere. ibi namq; humoris est plurimum. De huiusmodi autē in com-
mentarijs de sublimibus quæ meteora vocant, abunde pertractatum est. Dulcis igitur sapor primo nu-
40 tritiuus censendus est: alij autē omnes saporis condimenti admittuntur loco, & non quia suapte natu-
ra sint nutrientes: simili ferè modo quo salsi & acidi recipiuntur saporis. Quemadmodum enim
hos duos condimenti gratia admittunt homines, & dulci commisceri cupiunt, vt illius propter gustus
excellētiam factam satietatem obtundāt, & hebetem reddant: ita reliquas saporum species necessita-
tis huius causa dulci commisceri non ab re existimandum est, vt illius scilicet redūdantem, & nauseam
efficientem comprimant sanè & cõerceant potestatem, illumq; condiant & contemperent modo quo
nutritioni conducatur maxime.

Quod solum ma-
triat dulce:
alij saporis
pro cõdimenta
to faciunt.

Vemadmodum autem colores de albi & nigri sunt mixtione,
ita & saporis ex dulci & amaro. Et proportione quidem, eo q;
tum magis, tum minus illorum vnusquisque suscipiat, siue per
50 quosdã mixtionis numeros & motiones, seu indefinite. Quæ-
cunque autem ex illis mixti voluptatem faciūt, ij solum in numeris. Pin-
guis igitur dulcis est sapor. Salsus autē & amarus ijdē ferè sunt. Acris vero

minutis
quod of-
in rem plu-
um mixtione
e contextu
siccum ab
har philoso-
e sapor. obla-
philoso di-
ere potest &
m ipsum vt
us qualitatē
rioris causā
entum, appli-
coctio quæ
minutionem
tabem dico
& frigiditas
alium calori-
tiones (vt di-
, cum tactu
m est aliter
menti causā
resistens ta-
i in speciem
m incremē-
præstare dō-
a præstabit
facit. Hac
tionis igit
, & omni
l simplici-
nē in hu-
ollunt: à
cetur: Vt
ia nau-
uiusmo-
one de-
est præ-
trati. Quod
sum est dul-
limētum. Si
ontrario est
ium, maxi-
mode nutri-
m ferri nati-
s sermone,
os de genera
committatis
de is sermo
et mebrantē
i animalibus

austerus, & acerbus, & acidus, in mediocritate consistunt.

Cum retro dixisset Aristoteles dulce esse nutritium, illius vero contrarium & priuatum amarum esse saporem, hoc in textu ostendere intendit omnes intermedios sapes ex horum commixtione contrariorum generari, non alio rationis modo, quam quo ex albi nigrique permixtione omnes intermedij efficiuntur colores, & hoc secundum proportionatam horum contrariorum permixtionem, ut in colorum speciebus dictum est fieri. Sapes autem delectabiles & suaues per numeralis modum proportionis maxime fieri & constare: contra insuaues & ingratos cum nulla numerali effici proportionem, sed per excessus solummodo & defectus quosdam surdis proportionum constantes modis: quemadmodum de colorum speciebus retro est pertractatum. Quo tradito & explicato saporum recenset species philosophus: ostenditque quinam contrarijs illis & extremis merito applicari debeant, & cum illis facere censentur: quive de illorum numero contrariorum praedictorum commixtione resultent. Pinguem enim saporem cum dulci facere inquit, & ex illius esse ordine iure censeri. & idcirco maxime nutritiuus existimatur. Salsus autem iuxta amarum reponitur: eiusque esse ordinis perhibetur. Acris vero & austerus, & acerbus siue stipticus, & acidus siue acutus, in illorum nimirum reponuntur medio. namque ex praedictorum mixtione contrariorum fieri animaduertuntur. Caeterum hoc diligenter animaduertendum est in loco, quod philosophus quidem (ut vidimus) octo saporum faciens species, extrema inter se contraria maxime distantia duo facit, dulce scilicet & amarum: & ex intermediorum numero pingue quidem dulci applicat, salsum vero amaro: reliquas vero saporum quatuor species horum in medio collocat, acre videlicet & acerbum, & austum & acidum. Quod voluisse etiam legitimum eius discipulum Theophrastum palam est. In sexto enim de stirpium causis commentario cum septem proprie saporum discrimina connumerasset, quae hoc in loco a philosopho sunt enarrata: pingue dixit cum dulci facere, & non esse per se saporem. Galenus autem inter medicos vir magni nominis, in suis de simplici medicina commentarijs, cum eisdem saporum referat species quae hic a philosopho recensentur, in extremis contrarijs cum illo non conuenit. extrema enim ponit contraria acre & acidum, intermedia vero reliqua illa quae philosophus ponit. Qui tamen cum hac in re a philosophi sententia desciscere videatur, illicque contraria sentire & dicere, haudquaquam id facere animaduertetur si recto iudicij examine Aristotelis illiusque hac de re consideretur & perpendatur intentio. Galenus namque ut medicum agens, qui artifex sane est sensu omnia iudicans & perpendens, ad tactiles respiciens qualitates, acre & acidum in saporum genere non immerito duo esse voluit extrema. namque secundum caliditatem acre iure censetur extremum, ut acidum secundum frigiditatem alterum extremitatis non ab re tenere videtur locum. Aristoteles autem physico magis procedens modo, de saporibus verba faciens, non ad tactiles illorum respexit qualitates, sed ad gustabiles, a quibus saporum sane species peculiariter characterem suum sumere censentur: & idcirco supra enarratum illis assignasse ordinem videtur, in gustabili ponens genere extrema illa quae suapte natura talia sunt, dulce scilicet & amarum. Non igitur ij (ut arbitror) discordant viri, sed per diuersos intentionis modos hac de re diuersimode scripsisse videntur. Animaduertendum praeterea est quod in Timaeo suo Plato septem solummodo saporum connumerat species, hoc autem idcirco (ut arbitror) quoniam pingue cum dulci ponit, asserens vinctuosum quidem cum suauitate dulcem efficere saporem: sine suauitate autem, pinguem & insipidum. Huiusmodi autem in saporum speciebus utitur ordine. nam extrema & ipse secundum tactiles ponit qualitates, acre scilicet & acidum, ut Platonius facit Galenus: & iuxta alterum quidem illorum extremum quod excellentem praese fert caliditatem, acre videlicet, ponit amarum: iuxta quod ponit salsum. Penes vero alterum extremum, acidum scilicet siue acutum, quod sane superfluentem indicat frigiditatem, acerbum siue stipticum ponit: iuxta quod austum collocat. Septimam vero sedem, id est medium, dulci assignat sapor, tum quia inter caeteros est nobilissimus, & gustatui gratissimus, & idcirco sicut cor in homine, & sol in vniuerso inter errantes stellas, ita in saporum iste ambitu medium iure obtinet locum. Tum etiam quoniam ad refractum quoddam caliditatis frigiditatisque temperamentum commensuratis deductis qualitatibus, & praecipue alat, & naturae vel solus vel maxime sit amicus & commodus. Sunt autem (ut istuc etiam obiter dicatur) saporum praedictorum notiones in pomis fructibusque quibusdam luculenter manifestae. Dulcis namque sapor in melle praecipue esse percipitur, & in mitibus maturisque uuis. Pinguis autem in ijs quae oleosa & vinctuosa esse censentur. Acidus autem in aceto percipitur, & in ijs quae suapte natura acuta acidaque existunt. Acerbus autem, quem stipticum appellauimus, in siluestribus deprehenditur piris, quae nunquam mitescere solent, nec non in sorbis & mespilis ante maturitatem. Austerus autem in quibusdam vini generibus percipitur maxime. Salsus in sale est, & in salitis rebus. Amarus in felle & absinthio deprehenditur. Acer autem sapor in pipere & zinzibere & sinapi aliisque eiusmodi dignosci & percipi potest. Caeterum non me fugit Plinium secundum in naturali historia saporum sane numerum augere. tredecim namque illos esse vult: quos etiam recenset: dulce, suaue, pinguem, amarum, austum, acrem, acutum, acerbum, acidum, salsum, & praeter haec genera alium vnum in quo plures sentiuntur sapes, ut in vinis. namque in ijs & austerus, & acutus, & dulcis, & suaues, omnes alieni, ut ille ait. Alterum itidem in quo sit & alienus quidem, sed & suus quidam & peculiaris, ut in lacte: quoniam (ut ille ait) inest ei, quod tamen iure dici non potest, dulce & pingue & suaue, obtinente lenitate, quae & ipsa in saporis succedit vicem. Quo in loco animaduertendum esse

Octo saporum species.

Theophrastus

DIGRESSIO VNCVLA. Galeni sententia de saporibus. Non dissentit ab Aristotele Galenus in saporum ordine.

Quae in Timaeo de saporum speciebus dixit Plato.

Quod inter sapes primarium locum obtinet dulce.

Saporum animaduersiones in pomis & fructibus.

Xiiij saporum esse species de Plinio secundum sententiam.

arbitror, ad illa decantata & ab antiquis posita saporum genera Pliniū tria ista addidisse cōposita potius, quā simplicia: vnū scilicet in quo omnes saporis sunt alieni, vt in vinis: aliud vero in quo saporū species istæ sunt alienæ, pingue scilicet & dulce. lenis autem est proprius, quem saporis locum obtinere dicit, vt in lacte. quæ saporis species prioribus computata duodecim, numerum sanè supradictum triū & decem efficere videtur. Verum si quis simplicia saporum genera considerare voluerit, quæ neq; concurrant, neque aliud cum alio facere ponatur, octo (vt dictum est) solummodo, siue potius septem illa proculdubio esse comperiet.

A Equales enim ferè saporum & colorum sunt species. Septē namque vtrinque species, si quis (vt recta dicitur ratio) fuscum nigrū quiddam esse posuerit. Restat igitur flauum quidem albi esse: quemadmodum pingue est dulcis: puniceum vero, & purpureum, & viride, & ceruleum in intermedio albi & nigri esse.

Postquā ostensum est intermedijs saporibus eo fieri modo ex dulcis amariq; commixtione, quo in intermedij fiunt colores ex albi & nigri commixtione: hoc ostendit in loco philosophus saporum colorumq; alteram etiam similitudinem ex vtrarumque numero specierum, quas sanè vtrinque septem esse asserit: vbi oportet falsum de per se sumere saporem, & non illū amaro coniungere. Sunt autem saporum species istæ, dulce cū sibi applicato pingui: acre: austerū: acerbū: acidū: falsum: amarū. Colorum autem species (vt dictum iam est) sunt istæ: albū, flauū, puniceū, purpureū, viride, ceruleum, nigrum. aut si flauum albo iungatur, ante nigrum ponatur pullum, quod cum liuiditate quadā nigrescere videtur. Vt autem manifestam illorum ostendat similitudinem philosophus, dicit quod quemadmodū in saporibus iunctus est pinguis sapor dulci saporis, amarus autem ipsi falso, ita in coloribus flauus color cum albo numeratur, pullus vero cum nigro. Quamobrem animaduertendum esse inquit Aphrodiseus quod species quidem colorum & saporum sunt æquales, verum non videntur esse septem, vt hic philosophus asserit. Nam si in saporibus pingue quidē dulci coniungatur, falsum vero amaro: sex tantum saporum erunt species. Si autem neque pingue cum dulci copuletur, neque falsum cū amaro, octo certe apparebunt species. Parique modo in coloribus etiam esse videtur. Si enim flauum cum albo faciat, & pullum cum nigro, sex tantum colorum erunt species. Quod si neque flauum cū albo, neque pullum cum nigro iungantur, sed de per se constituentur, rursum octo etiam colorum erunt species. Quamobrem vt septem relinquuntur species, opus est vt in coloribus & similiter saporibus illorum vnū quod extremis iungitur, de per se sumatur, alterum vero alteri iungatur extremo: verbi causa in coloribus si de per se & ab albo seiugatus color ponitur flauus, pullum nigro iungi necesse est: aut contrā, si niger à pullo distinguitur color, vt septem scilicet restent species, flauum albo iungi oportet: similique rationis modo in saporum speciebus de pingui & falso dicendum est.

Reliqui autem ex ijs sunt mixti.

Hoc idcirco dixisse videtur philosophus, quoniā nonnulli fiunt colores non solum ex albi & nigri mixtione, vt dictum est, sed ex medijs etiam ad se inuicem colorum mixtione. quāobrem infiniti quodammodo censentur esse colores: & idcirco dixit, reliqui autem colores ex horum scilicet medijs fiunt commixtione: cum primarij scilicet & principales ij sint quos recensuimus.

Et quemadmodū nigrū albi est priuatio in perspicuo, ita falsum & amarum dulcis in nutritiuo humido: quamobrem omnium que cōburuntur, amarus est cinis. ab illis enim potabile exhaustū est.

Cum dixisset saporum colorumq; mixtiones similiter fieri, & totidem vtrorūq; esse species, alio etiam rationis modo horum nobis similitudinem ostendit. Quemadmodū enim, inquit, nigrū albo est contrarium, & illius priuatio quedam in corpore dicitur esse perspicuo: ita amarum siue falsum ipsius priuatio censetur esse dulcis in humido nutritiuo. Ex quo patere potest, inquit Alexander, illud quod retro est premissum, cum dicebatur quod non omnis succi, sed nutritiui saporis sunt vel passio vel priuatio. per priuationem enim ipsius dulcis illic, quod solum ostenderat esse nutritiuū, amarum & falsum saporis intelligit. quam rem non animaduertentes, inquit, antiquorū quidā expositorū, absurde hanc literam sunt interpretati. Euidēs autē apposuit signū hic philosophus quod amarus sapor dulcis sit priuatio, cineris qui ab exustis remanet corporibus, saporē, qui proculdubio amarus esse percipitur, quoniam ab ignis calore omne sanè potabile, id est dulce, ab illo exhaustū prorsus euauit & exhalauit.

e. ij.

Saporum & colorum species vtrinque septē.

Alex. Aphrodiseus.

Democritus autem & plurimi physiologorum qui de sensibus pertractarunt, absurde sanè faciunt. sensilia enim omnia tactilia esse volunt. Atqui si istuc hoc se habet modo, manifestum certe est quod aliorum vnusquisque sensuū tactus est quidā. Quod autem hoc fieri non possit, haudquaquam difficile est animaduertere.

Democriti de
saporum colorumque
generibus opinio.

Contra Democriticos.

Quae sensilia
sunt communia.

Cum retro (vt visum est) dixisset philosophus quod alimentum quauis tactile sit: non tamen vt tactile est, alimentum esse dicitur, sed vt gustabile est: hoc in loco Democritum nonnullosque alios antiquos physiologos reprehendere aggreditur, qui voluisse videntur omnes sensationum modos tactus esse quosdam: & per contactum omnes sanè fieri sensus. hoc autem idcirco, quoniam omnia existimabant sensilia esse tactilia. istuc autem idcirco euenire asserbant, quoniam per quosdam à sensilibus rebus defluxus, simulacrorumque in sensiteria incursiones & ingressus, sensationes fieri existimabant, cum illa secundum figuras & magnitudines mouerentur, asperitates quinetiam & leuitates, aliasque huiusmodi imaginum illarum differentias. Album enim & nigrum, dulce & amarum, redolens praeterea & foetidum & omnino sensilia omnia, nulla alia differre volebat re Democritus, qui figuris quibusdam & magnitudinibus, asperitatibus etiam & leuitatibus. Sensilia namque qualia videntur à singulis percipi sensibus: quoniam in singulis eorum sensiterijs idola illa & simulacra incurstantia per contactum nimirum agerent, diuersasque illas efficerent sensationes, secundum varias aliorum sensuum diuersitates. omnia enim sensilia propria ad communia reuocabat sensilia Democritus. namque leue album esse dixerat, nigrum vero asperum: nigri idcirco fieri existimans obscuritatem, quoniam inaequales in illo partes sibi inuicem officerent, atriumque inde efficerent colorem. In albo autem partium leuorem esse in causa cur claritas vndique & aequabiliter dispergeretur, à qua albus sanè efficeretur color. Sapores quinetiam varios ex varijs fieri figuris voluisse videtur Democritus, & dulce quidem saporē ex rotundis & leuibus fieri figuris, amarum autem & acidum siue acutum ex asperis & acutis. Cum enim vniuersas vir ille res ex atomorum fortuito concursu fieri voluerit, non ab re secundum varias atomorum figuras & formas, varias etiam saporum fieri species voluisse existimatur. Ex quo sequitur, inquit philosophus, quoniam sensilia omnia sunt tactilia, & sensationes per contactum fiunt omnes, quod omnis sensus sit tactus, & solummodo sensus sit tactus: quod fieri non posse manifestum est, tum quia omnes ferè alij sensus per medium sentire videntur extrinsecum, tactus autem solus & gustatus vt quidam est tactus, per medium intrinsecum: tum etiam quia si omnes sensus essent tactus, omnes nimirum tactiles singulas sentirent qualitates. Nunc autem magnum quidem & paruum videmus, asperumque & leue cernimus: calidum autem & frigidum, humidum & siccum visu haudquaquam percipere possumus, quae tactiles in primis sunt qualitates: contra vero tangimus quidem ista, album vero & nigrum tangere non valemus: sicut dulce & amarum neque cernimus, neque proprie tangimus. Parique rationis modo de odoribus est videre generibus. Praeterea si visus est tactus, similiter si olfactus & auditus tactus existit, superimpositis utique sensilibus certe sentirent & perciperent, quando per contactum sentire dicuntur. nunc autem illorum nullus hoc sentit modo. distantibus enim indiget & interuallis quibusdam medijs. non sunt igitur hi sensus tactus: quamobrem alias oportet esse naturas, & non huiusmodi figurarum varietates, vt in animalium genere sensationes fieri possint.

Praeterea etiam communia sensuum omnium usurpant pro proprijs. Magnitudo enim & figura, & asperum & leue, acutum quinetiam & obtusum quae in corporum sunt mole, communia sunt sensuum: etsi non omnium, visus saltem & tactus. Quamobrem in ijs falli possunt: in proprijs autem non falluntur, vt visus in colore, & auditus in sonis.

Alium (vt videtur) Democriti philosophus recenset errorem, necnon aliorum etiam antiquorum physiologorum in ijs quae de sensibus scripta reliquisse censentur, quoniam scilicet omnes illi vsi sunt sensibus communibus vt proprijs singularium sensuum. In commentarijs autem de anima praemissit quamam de sensilium numero sint propria, & quae communia, & quod sensus quidem ipsi circa propria non falluntur sensilia, qui tamen circa communia falli certe possunt. Sunt autem sensilia communia (vt ibi dictum & ostensum est) magnitudo & figura, quae hoc etiam connumerantur in textu: motus praeterea & numerus, & status, & interuallum siue distantia. hoc autem in loco adiungit philosophus magnitudini & figurae leuitatem & asperitatem vt communia sensilia. Praeterea acutum & obtusum quae in corporibus reperiuntur, ceu figurae non essent: quoniam fortasse (vt Alexander hic scribit) sub figurae definitione non cadunt. Dixit autem acutum & obtusum quae in corporum sunt mole, ad eorum differentiam vt reperiuntur dicunturque in sonorum diuersitate & saporum, quae propria esse censentur sensilia, & non communia. Voces namque siue soni acuti & obtusi auditu percipiuntur, & ita denominati appellati que sapes gustatu planè dignoscuntur: obtusum autem & acutum in corporibus, & in molem quampiam ha-

bentibus, & à visu & à tactu percipi dignoscere possunt: quamobrem nō iniuria sensilia vocantur communia. Subiungit postmodum philosophus signum quoddam & rationis euidentiā, curnam isthæc communia esse sensilia censeantur: quoniam, inquit, circa huiusmodi sæpenumero falluntur sensus & errant, qui tamen circa sensilia propria haudquaquam falli errareque possunt.



Vidam autem propria ad ista referunt, vt Democritus. Album enim & nigrum, hoc quidem asperum esse vult, illud vero læue. ad figuras autem saporis refert. Atqui vel nullius, vel certè visus magis est cōmunia dignoscere. Si igitur magis est ipsius gustatus, exquisitissimi autē est sensus circa vnumquodque genus diiudicare quæ sunt minima: oportebat sanè & alia communia gustatum sentire maxime, & in alijs etiam figuris iudicij esse exquisitissimi.

Adhuc Democritum vrgere nō cessat philosophus, qui (vt retro dictum est) colores album & nigrum, quæ sunt propria visus sensilia, ad læue deducebat & asperum, quæ visus & tactus cōmunia sunt sensilia. Quāobrem de illius sententia sensile commune cum proprio sensili ipsius visus idem sanè erit. Rursum ipsius gustatus propria sunt sensilia saporum omnes species: ipsas autem ad figurarū deducebat formas Democritus. quāobrem quæ sunt gustatus propria, saporum scilicet species, rursum fiunt communia visus & tactus. Hoc autem de illorū sententia inconuenienti & absurdo ostendit, quod sensilia videlicet propria, sensilia sunt cōmunia, subiūgit philosophus quod sensilia cōmunia vel nullius sunt sensus, id est ad nullū peculiariter illorū cognitio pertinet sensum: vel si ad aliquem spectare censeantur sensum, ad visum utique magis spectare videbuntur. quod idcirco (vt opinor) dixit, quoniam multitudo & distantia siue interuallum, quæ communia esse sensilia censeantur, aut non percipiuntur tactu, aut nō adeo bene percipiuntur, vt visu percipi dignoscere censeantur. Cæterū, inquit, si gustatum & non visum quispiam cōtenderit cōmunium esse sensilium maxime perceptiuum & capax, cum exquisitissimi sensus circa aliquid sit illius sentire & diiudicare minima quæque, gustatus autem de illorum sententia cum sentit, tum etiam iudicat minimas figurarum species, quas nullus sanè alius deprehendere potest sensus: saporis enim (vt retro visum est) Democritici ex figuris constare voluerunt: qui autē non solum in saporibus ipsis, sed alijs etiam in rebus figurarum reperiuntur genera: quod minimas sentit figuras, maiores certe facilius expeditiusque sentiet, quæ magis deprehendi percipi que possunt: sentiet igitur gustatus cubos & trigona, eiusmodique aliarum figurarū omnimoda genera. quod absurdius profecto est, quam vt pluri indigeat reprehensionis ostensione.

Cōmunia sensilia ad visum maxime spectare.




Mnia præterea sensilia contrarietatem habent, vt in colorum genere, nigro album cōtrarium: & in saporibus, dulce amaro. Figura autem figura contraria nulla est. Cui enim ex multangulis contrarius est circulus: iam vero cum infinitæ sint figuræ, infinitos etiam esse saporis necesse est. Quam enim ob causam hic quidem sensum faciet sapor, ille autem facere non potest: Et de sapore quidem & gustabili satis dictum. Aliæ nanque saporum passionis in ea philosophiæ parte quæ de stirpibus est, peculiarem perscrutationis habent modum.

HAc etiā rursus rationis via ostendit Aristoteles quod figuræ neque sunt visiles, neque gustabiles omnino vt sensilia propria. omnia enim, inquit, sensilia propria cōtrarietatem habere videtur quandam. In visu nanque & coloribus album & nigrum sunt cōtraria: in gustatu vero dulce & amarum: in auditu autem acutum & obtusum, quod graue musici vocant: in tactu vero calidum & frigidum: in olfactu etiam contrarietatis quoddam reperitur genus. Figura autem figuræ contraria reperiri potest nulla. Quamobrem si in gustabili genere est contrarietas, in figuris autem nulla est contrarietas: non erunt sanè figuræ gustabiles, neque omnino sensilia propria. Quoniam vero plerique in figuris etiam reperiri contrarietatem asseuerarunt, circularem asserentes figuram contrariam illi esse quæ angulos habet: idcirco quodam quæstionis interrogationisve modo illud subiungit philosophus, cui scilicet ex multangulis contrarius est circulus: quasi dicere & affirmare velit nulli profecto esse. Cum enim æquabili nature lege vni vnū debeat esse cōtrariū: cui multangularū, inquit, figurarū circulus inuenietur contrarius: Non enim magis huic quam illi iure & merito erit contrarius, cum mul-

Circulo nulla figura contraria. Aequabili nature lege vni vni cōtrariū.

tae & ferè infinitae polygoniae sint figurae. Praeterea contraria omnia in vno esse debent genere à se inuicem maxime distantia, & seiuigata: sed polygoniae figurae à circulo non distat maxime: neque circulus viceuerfa ab aliqua polygonia maxime distat figura. nam quacunque assignata & posita, alia nimirum semper reperitur, quae magis & plus distare animaduertitur, cum figuræ ipsæ sicut numeri ad infinitatem usque augeri & excrescere possint. Circuli igitur ad aliquam multangulam siue polygoniam figuram nulla est contrarietas. Ceterum quod ipsi etiam circulo nihil sit contrarium, & circulari motioni nullus contrarietatis opponatur modus, pluribus sanè & euidentissimis ostensum est rationibus in ijs qui de caelo & mundo inscribuntur commentarijs. Rationem igitur breuibus colligendo ita dicamus. Sensilia contrarietatem habent: nulla figura contrarietatem habet: nulla igitur figura est sensilis: proprie scilicet & peculiariter ab aliqua sensus natura. Ad idem quinetiã philosophus alia rationis occurrit via, quae huiusmodi esse videtur: si sapes sunt figurae, figurae autem infinitae sunt à se inuicem differentes, secundum Democriti opinionem: sapes etiam esse infinitos à se inuicem differentes necesse est. Et quoniam admittere quispiam statim posset infinitas saporum esse species, & ut infinitatis declinaret inconueniens, addere etiam dicto, illas esse non sensiles: idcirco illi rationabiliter occurrens philosophus, propter quid, inquit, hic quidem sentitur sapor, ille vero non sentitur. huiusce nanque rei rationem, & diuersitatis causam illos reddere summa est necessitas.

Contrari.



Sensile n. figura

In extrema postmodum textus litera breui concludens epilogo philosophus se de sapore, & de gustabili, id est de sapore qui ut est huiusmodi, gustabilis certe est, sufficienter dicit pertractasse. Hoc enim in loco huiusmodi sanè conueniens est doctrina. Aliae vero saporum passiones & differentiae, proprietates quinetiam & generationes, effectionesque magis peculiare & propinquae pertinent, inquit, ad physiologiam de stirpibus, & plantarum generibus. Verum, inquit Alexander, Theophrasti quidem de stirpibus scripti extant commentarij, Aristotelis autem non extant.

Idem etiã modo de odoribus intelligere opus est. Quod enim in humido siccum efficit: id alio facit in genere sapidum humidum in aëre similiter & aqua. Horum autem commune omnium nunc quidem perspicuum dicimus. Est autem odorabile non qua perspicuum, sed qua sapidæ siccitatis dilutium absterfiumque est.

Post expletum de saporibus sermonem, consequenti doctrinae ordine ad pertractandum de odoribus accedit philosophus: statimque à principio id nobis declarare aggreditur, quod retro se facturum promiserat cum de saporibus loqui coepit. namque ibi ita scripsit, de odore & sapore dicendum est. se res enim eadem est passio: non in eisdem autem vtriusque illorum est. Dicit igitur eodem terè modo oportere intelligere odores constitui & effici, quo sapes fieri retro est ostensum. Sapes enim siccitas efficit terrea quodam commixta & diluta modo ab humiditate aquea, calido scilicet cooperante. Pari, inquit, modo humidum quod iam in se habet saporem cum sicco permixtum in aëre vel aqua, odorem efficere natum est. Dixit autem in alio genere, quoniam in huiusmodi non fit odor ut sunt humida, aut ut sunt perspicua, aut in quantum saporum sunt susceptiua: sed in quantum alia quadam participare censentur natura, quae ipsos nimirum recipere potest odores: quam sanè naturam proportionaliter quispiam *διόσμορ* appellare posset, id est odorabilem, vel odorem susceptiuam. Aqua enim & aër ut diaphana sunt, colorum susceptiua esse dicuntur. Aqua vero ipsa sua corpulenta humiditate, quae à sicco pati nata est terreo, saporum susceptiua esse censetur. Odores autem recipere dicuntur ambo secundum aliam quandam vtriusque communem potestatem, quam nunc genus aliud vocat: vel in alio dixit genere, odorabile scilicet. non enim idem genus est odorabile & gustabile. Cum autem dixerit in aëre & aqua odores à sapidâ fieri siccitate, quoniam vtriusque est communis perspicuitas: subiungit non idcirco in illis odores fieri quia perspicua sunt, secundum quae talia sunt: verum ut dilutiua & absterfua sapidæ siccitatis existunt. Quemadmodum enim siccitas terrea ab humore diluta aqueo, calido cooperante saporum efficit species: ita sapidâ siccitas in illis quodammodo diluta odores efficere censetur. Quo in loco non ab re animaduertendum est quod illud quod sapidam prius appellauerat humiditatem, quam in aëre & in aqua dixit odores efficere, in praesentia sapidam appellat siccitatem, & hoc idcirco, quoniam ex vtriusque sapes fieri dicuntur, ex siccitate scilicet terrea, & aquea humiditate, ut retro ostensum est. Siccum enim nondum in se saporem habens, si diluatur & permisceatur humido, calido coadiuuante saporem quidem efficit: odorem autem non efficit absque aliquo existens sapore. Verum siccum sapidum humido aqueo permixtum odores proculdubio efficit. Quod autem ab humido siue sicco sapidis, odorem efficiatur species (nihil enim refert quodcumque illorum dixeris) ostendet quidem in ijs quae sequuntur philosophus. manifestum autem est ex hoc etiã, quoniam omnia odorabilia saporem habent. Sepenumero enim eo solo olfactu sapes cognoscimus & percipere possumus, vel marcidarum, vel exustarum, vel acidarum rerum, & eos similiter sapes discernimus qui

Odores post sapes esse.

ex decoctionis condimentique modis fieri percipiuntur. Bruta quinetiam ipsa odorum recipiunt species, ut illis conuenientes & proficuos, aut incommodos & noxios reportant sapes. Quæ certe res liquidò nobis indicare significareve potest odores à saporibus originem planè suam deducere, & secundum varietates illorum & mutationes commutari, & varios effici.



10 **N**on enim solum in aëre, sed in aqua etiã odora existit vis: quod ex piscibus & ostreaceo genere est manifestum. olfacere nanq̄ videntur, cum neque sub aquis sit aër (superemicat enim si fuerit) neque ipsa respirent. Si quispiam igitur & aërem & aquam ponat humida, erit certe odor sapidæ natura siccitatis in humido: huiusmodiq̄ etiam ipsum est olfactile.

20 **C**um retro dixisset philosophus quòd id quod facit siccum in humido, id ipsum in alio facti genere sapidum humidum in aëre & aqua: nunc ostendit quonam modo in vtrisque illis fiunt odores. non enim solum in aëre (ut quibusdam videtur) existunt odores, quoniam solus respiretur aër, & per respirationem sanè inspirationemque odores percipiuntur: sed in aqua etiam variæ odorum efficiuntur differentia. quam rem palam quidem faciunt cum piscium genera aliorum, tū ea sanè quæ dura circumdantur testa, quæ ὄσρακὸδερμα græci appellant, quæ solo (ut aiunt) olfactu a remotis etiam naturales & sibi commodas percipientia & appetentia escas, ad illas nimirum accedere percipiuntur, neque aëre sub aquis existente, neque ipsa respirantia, cum sub aquis degant, & in profundo etiam, pulmonibusque careant. Quòd enim hoc carentia viscere spiritum non trahant, neque emittant, ab ipso ostensum est philosopho in commentarijs de respiratione inscriptis. Quòd vero aër sub aquis non reperiatur, ipse nunc asserit dicens: Superemicat enim aër. Quinetiam clarum est & cuius manifestum, aërem scilicet & spiritum si in profundo fuerint, emergere statim, & superne ferri. Si enim vtrè quispiam inflatum vi sub aquas ferat, ibique illum soluat & comprimat, aër profecto exhibit, & superna petere aquarum manifeste videbitur. Post hæc subiungit philosophus dicens: Si autem non solum aqua est humida, sed aër etiã humidus est, erit utiq̄ odor natura quædam in humido ipsius siccis sapidis: id est, olfactile sanè erit passio quæ ab ipso facta est sicco sapido, ut huiusmodi est, in humidi natura.

Odoris definitio.



30 **Q**uòd autem à sapido isthæc prouenit passio, ex ijs quæ odorem habent, quæve illo carent, manifestum esse potest. Elementa enim odorem non habent, ut ignis, aër, terra, aqua: quoniam ex illis cum sicca, tum humida, insipida sunt, nisi commixtū quippiam saporem faciat. Et idcirco mare odorem habet, quoniam saporem & siccitatem habet: salque nitro odorator est: quod sanè defluens ex illo indicat oleum. nitrum vero terreum est magis. lapis præterea caret odore. insipidus enim est. Ligna odora sunt, quoniam saporis: & horum aquatica, minus. Metallorum quinetiam aurum odore caret. insipidum enim est. æs autem & ferrum sunt odora: cum vero exustum fuerit humidum, omni odore carent scorix. Argentum vero & stannum nonnullis quidem odoratoriora existunt, alijs vero minus odora. aquea enim sunt.

40 **C**um in prioris literæ contextu dixisset philosophus odorem naturam esse quandam siccis sapidis in humido diluti: hoc in loco id ipsum pluribus etiam declarare contendit modis, ostendens non à simplici sanè sic odores generari, sicut retro fieri sapes dixerat, sed à sapido sicco. id autem per hoc, quòd omnia quæ odorem habent, saporem etiam habere quendam percipiuntur: & quæcunq̄ non habent saporem, neque odorem habere vllum videntur. Simplicia enim corpora odorem non habent, quia nullum habent saporem. Terra nanque & ignis per se, quanuis sicca existant, nullum habent odorem: similique modo neque aër, neque aqua, licet sint humida, quoniam horum neutrum aliæ quem præ se fert saporem. Siqua vero ex horum, inquit, numero aliquæ præ se tulerint saporem, simplicia utiq̄ nō erūt, sed alicui extraneæ cōmixta naturæ. Mare enim humidū existēs sapore habet salsum,

e. iij.

quoniam cum quadam siccitatis permixtum est natura: quamobrem quendam etiam peculiare refert odorem. Similiter & sal, quod terrae censetur genus, odorem habet, quoniam est sapidum, & alijs sapiditatem praestat. siccitatem enim suam humiditati commixtam habet. Magis autem inquit sal odorem saporemque habere, quam nitrum, quoniam siccum in illo humido permixtum est magis. nitrum namque plus terrae habet, cum sal humore superfluat, quod, inquit, ostendit utique effluens ab illo oleum. aut ex hoc indicare volens sal in se plus humoris continere, quam nitrum: aut ostendere cupiens sal habere saporem. Defluens enim a sale oleum amari est saporis. Sed lapides etiam, inquit, sine odore percipiuntur esse: quoniam sine sapore sunt. Ligna vero odoris simul & saporis cuiusdam proculdubio participare deprehenduntur. Quaecumque autem ligna humida sunt magis, aut aquosis humectisque nascuntur locis: & minus sapida certe sunt, & odora minus. In metallorum quinetiam generibus ea quae odorem non habent, neque saporem habere percipiuntur vllum, ut aurum purum: odorem autem habere quae saporem habent, ut aes & ferrum: & idcirco neglecta rubiginem contrahunt. Quod autem parum in se aquae habeat aurum, vel hinc deprehendere licet, quoniam ex omnibus metallorum generibus corruptioni minime est obnoxium. non enim, ut alia ferè omnia, corroditur, aut rubiginem sentit, qui corruptionis cuiusdam est modus, cum indigesti mutatione fiat humidum. Quamobrem aeris & ferri aerugines male olent, quoniam inter reliquas istae metallorum species plurimum indigestae & non bene decoctae humiditatis in se habere censentur. Aurum autem cum siccius est, tum politius, & tersum magis, duciturque & extenditur magis inter reliqua metallorum genera, non quia plus habeat humiditatis, sed quia illam coctam magis habeat & digestam, necnon optimo mixtionis modo confusam, & arti facilem parentem. Quod autem aurum sine odore sit, & sine sapore, sensus hoc in loco testimonio philosophus utitur. Scoriarum quinetiam excrementa omnium, nullum sane habent odorem, quoniam in illis ignis vi omnis est consumpta humiditas, cum qua omnis nimirum evanuit sapor. Quae ex re odorem esse cum sapore, & in sapore, clarissime patere potest. Argentum autem & stannum nonnullis quidem inquit esse odoratio-
ra, alijs vero minus odorata. nam auro quidem haec metallorum genera odoratio-
ra, aere autem & ferro minus sunt odorata, quoniam in illis plus est humiditatis, & non similiter permixtae cum sicco, ut in aere & ferro. Caeterum hoc in loco ambigendo inquit Alexander. Quoniam modo si sapor & odor simul unum sunt, fieri & produci poterit odor a siccitate (ut dictum est) sapida? An, inquit, dictum non est primo quidem esse saporem, postmodum vero hoc effectu hac vel illa in re ipsum sane efficere odorem: sed dictum est sapidam siccitatem, & non simpliciter siccitatem, causam esse in aere & in aqua huius passionis quae vocatur odor, ita ut ambo simul sint, odoris autem causa ipsa existat siccitas sapida? An efficiens quidem, inquit, odorem est sapor, recipiens autem aliud est? Aer enim cum suapte natura nullum habeat saporem, odoris susceptivus efficitur, & aqua similiter, a sapida siccitate: quamobrem efficiens odoris causa, huiusmodi inquam sapida siccitas, in alio utique erit. Quae admodum enim ipse color disponit & afficit diaphanum: ita supra enarratas illas naturas afficit sapor. Et ut visio sine perspicui natura effici non potest, ita neque ipse odoratus sine illis naturis. Sapor igitur est in habentibus ipsum: odor vero in habentibus saporem: verum in ijs solum fit: quia in illis solum & per illa olfactus & odores fieri nata sunt.

Oleum amarum
a sale defluens
est.

Cur aurum aeru-
ginem non contra-
hit: contra aes
& ferrum aeru-
ginem sentiunt.

Alexandri
dubitatio.

Responsio.

Plerisque autem fumida euaporatio odor esse videtur, quae terrae & aeris est communis: & omnes in hoc conveniunt de odore. Quamobrem dixerat Heraclitus, si omnes res fumus fierent, quae nares illas dignoscerent. Caeterum de odore conveniunt omnes, quibus quidem ut exhalationem quandam esse illum: alij autem ut euaporationem: nonnulli vero utrumque. Est autem exhalatio humiditas quaedam. Fumida vero euaporatio (quemadmodum dictum est) communis aeris & terrae: & ex illa quidem conflatur aqua: ex hac vero terrae species quaedam.

Postquam retro (ut vidimus) de efficiente odoris causa perscrutatus est philosophus, hoc in textu ostendere aggreditur quidnam sit odor: dicitque antiquorum quosdam physiologorum de illo habuisse opinionem, quae esset videlicet fumida quaedam euaporatio, quae terrae communis esset & aeri, eleuata quidem a terrea siccitate, sed non pertingens ad aeris tenuitatem: ex quorum numero Heraclitum fuisse asserit, qui sane dixerat, si omnia entia in fumum evanescerent & abirent, quae nares certe de illis bene diiudicare possent, quasi fumus proprium olfactus esset sensibile. Cum autem dixit quosdam physicos voluisse odorem esse fumidam euaporationem, subiungit physicos ipsos trifariam circa odorum naturas disternatos & diuisos fuisse, & alios quidem exhalationes esse quasdam odores existimasse: alios vero euaporationes: nonnullos autem utrumque. Quid autem illorum utrumque sit, & quam ad se inuicem isthaec differentiam habeant, statim subdit. Exhalatio enim dicitur humidus quidam vapor esse ex aere & aqua: cuius sane ad aquam est permutatio: euaporatio autem (& est illa quam retro fumidam appellavit euaporationem) aeris & terrae

Heraclitus.

Physicos trifariam circa odorum naturas fuisse diuisos.

aliquid in se habere censetur) ex qua terræ quædam efficitur species, quam cadmiam & fuliginem vocant, aliæque pleræque eiusdem notæ differentiæ.

Sed neutrum illorum esse videtur. Exhalatio enim aquæ est: fumida vero euaporatio in aqua fieri haudquaquam potest. odorant autem (vt dictum est prius) ea etiam quæ in aquis degunt. Præterea euaporatio eo dicitur modo, quo defluxiones. Si igitur illæ minus recte se habent, neque hæc sanè recte se habebit.

Cum prædixisset Aristoteles quidnam sit exhalatio, & quid euaporatio, subiungit quod illorum neutrum odor esse potest, quemadmodum existimauerunt illi: & ostendit etiam quamobrem id illis contingat. Exhalatio enim, inquit, aquæ esse dicitur: quamobrem in aëre non erit huiusmodi odor exhalatio: sed odor in aëre etiam est: & suapte natura odore carens est aqua. Fumida autem euaporatio non potest in aqua fieri, atqui odores etiam in aqua fieri percipimus. illorum igitur neutrum odor esse potest. Præterea fumida illa euaporatio à quacunq; eleuatur re, effluxioni certe cuidam & emanationi non ab re assimilari videtur. quemadmodum igitur illi qui visionem per defluxus fieri quosdam a re visa voluerunt, haud recte sensisse visi sunt: (necesse enim erat cum emanationes illæ corpulentæ essent à visilibus defluentes, paululum quid temporis posse perdurare, visiliaque ipsa dissipari & interire) ita qui odores euaporationes esse dixerunt, haudquaquam recte dixisse videtur. Nam cum illæ ceu defluxiones existant quædam, cito absumi & interire odorabilia necesse est illa: ipsa autem huius oppositum docet experientia. à paruis enim interdum corpusculis licet animaduertere odores effici valentes, & in illis longo etiam temporis spatio conseruari. Quemadmodum enim in quibus fumida euaporatio est manifesta, illa cito consumuntur & pereunt, vt sunt thuris & myrrhæ aliorumque eiusmodi euaporationum genera: ita & omnia similiter breui interirent odora si odor inquam per fumidam fieret euaporationem: quæ non aliud profecto quam defluxio quædam ab odoro corpore esse censetur. non absumuntur autem (vt pater) res odore. non est igitur odor fumida euaporatio. Præterea (vt retro etiã dictum est) sensationes & olfactus ipsi contactus essent quidam, si odor per defluxus à re fieret odora. ostensum autem est illud fieri non posse: quamobrem ista etiam de fumali euaporatione in odoribus opinio, absurda & inconueniens non immerito esse videtur.

Quod fumida euaporatio non sit odor.

Quod igitur id quod in aëre, & quod in aqua est humidum, à sapida siccitate accipiat quippiam, & afficiatur, non est obscurum. Etenim aër suapte natura humidus est. Præterea si eodẽ modo in aëre sicut in alijs humidis ceu dilutum efficit siccum, clarum certe est quod odores saporibus proportionem conuenire necesse est. Quod profecto in quibusdam contingit. Acres enim & dulces sunt odores, necnon austeri & acerbi & pingues. Amaris autem putridos proportionem respondere quispiam recte affirmare posset. Quapropter vt illi ægre potantur, sic iniuste odorantur. Manifestum igitur est quod illud quod in aqua est sapor, hoc in aëre & aqua odor est: & hanc ob causam frigus & congelatio sapes obtundunt, & odores euanescere faciunt, quandoquidẽ calidum quod architectatur & mouet, frigus & gelu interimunt.

Postquam retro (vt visum est) declarauit philosophus quod neque exhalatio, neque fumida euaporatio sunt odores, quoniam odores in aëre & in aqua fieri videntur, illorum autem neutrum in ambobus illis: quod supra dixerat, hic repetit, quod in ambobus scilicet ijs, aëre inquam & aqua, odores à sapida generantur siccitate. vbi etiam dicit aërem suapte natura esse humidum, quod alijs plerisque dixit in locis, principaliter autem in commentarijs de generatione & corruptione inscriptis. Subditque postmodum quod si similiter siccum in humido dilutum sapido aliquando odores videtur efficere, & in aqueo humido saporem: (in aqua enim, vt dictum est, ipsius ablutio siccæ, sapor est: & rursus in humido, qualia sunt aër & aqua, ablutio & colatura sapidi siccæ, dicitur esse odor) si igitur siccum vtroutrouque est effectiuum, saporis scilicet & odoris, & siccum etiam sapidum efficiens dicitur esse causa: manifestum, inquit, est quod proportionem respondere debent odores saporibus, si verum est quod dicitur,

quoddam siccum sapidum in aqua dilutum & in aëre, odores efficiat. secundum enim saporum differentias odorum etiam resultabunt differentiae, si quidem ex illis in se fieri dicuntur. Si enim in aliquibus quipiam consequatur aliud, quo modo se habet praecedens, illo etiam se habere modo consequens necesse est. Quomodo autem id contingat, subdit philosophus, dicens quod odores reperiuntur dulces, acres, austeri, acerbissimi, nihilo secius quam saporibus, unoquoque odorum habente & seruante proportionem ad peculiarem suum saporibus. Putridarum quinetiam rerum odores hoc modo proportionem sane habere poterunt ad amaros saporibus: quod ostendit dicens quod quemadmodum saporibus amari sunt difficiles & ingrati, & graeci potantur (illos enim natura respuit & abhorret) ita putridarum odores rerum foedi & insuauis sunt olfactui. Quae philosophus hoc sumens in loco ut manifesta & omnibus clara, per haec illa quae prius dixerat confirmare contendit, quod scilicet illud quod in aqua est sapor a terrea effectus siccitate, id certe in aëre & in aqua est odor a siccitate factus sapidus. Quod autem utrorumque causa sit caliditas (namque idem efficiens constitutum est saporibus esse & odoribus) ex hoc ostendit philosophus quod sumit, frigiditatem scilicet & congelationem saporibus similiter & odores interimere. Calidum enim quod saporibus efficiens esse dicitur, a frigiditate & congelatione destruitur, quae etiam permixtionem in illis prohibent & digestionem: quibus euanescentibus & interemptis, rationabiliter saporibus primo, postea vero odores qui ab ijs fiunt, cessant & intereunt.

Cur gelu non minus odores quam saporibus interimitur.

Species autem rei odorabilis duae sunt, non enim, ut quidam asserunt, nullae sunt odorabilium species, sed proculdubio sunt. Determinandum autem est & quo modo sunt, & quo modo non sunt. Aliud enim horum genus per saporibus (ut diximus) est ordinatum, & cum suaue, tum triste per accidens habet. Quoniam enim illius quod alit, sunt passiones, appetentibus quidem suaues illorum sunt odores: saturis autem, & nullius indigentibus neque odores sunt suaues: neque id quod odores habet alimentum, eisdem suaue est. Quae ob rem in se quidem (ut diximus) ex accidenti suaue & triste in se habent. quapropter omnium communes sunt animalium. Odorum autem nonnulli per se suaues sunt, ut florum: siquidem magis aut minus nihil ad escas inuitant: neque ad appetentiam quicquam conferunt: sed contrarium efficiunt magis. Verum etenim est quod in Euripidem cauillatus est Stratis, cum lenticula coquitur, unguenti nihil infundito. Atqui nostri temporis homines tales in poculis odoribus miscentes vires, assuetudine vim voluptati facere contendunt, ut a duobus suauitas proueniat sensibus, ut una ab unico.

Stratis in Euripidem.

Cum retro dixisset Aristoteles odoribus differentias proportionis cuiusdam modo saporibus consequi species, hoc in loco antiquorum quosdam non immerito redarguere intendit, qui dixisse videntur non esse diuersas odorabilium species per se subsistentes, quemadmodum in reliquis passibilibus. Visibile namque & audibile & gustabile diuersae sane a se inuicem sunt species. Voluere enim illi quod haec quae odoribus apparere esse species, neque sunt illae, neque per se subsistere possunt, sed a saporibus transferuntur speciebus. odor namque dulcis, & austerus, & acerbissimus, ab eisdem sane transferuntur saporibus, & secundum gustabilem differentias nomen inuenerunt. quam rem falsam esse & veritati dissonam ostendere volens philosophus hoc in textu asserit duas esse odorabilium species, & differentias duas: & alteram quidem ipsos sequi saporibus, per quam in se quidem odoribus dulces dicuntur & pingues, illi autem amari & austeri: pariterque rationis modo de alijs illorum differentijs, proportionis similitudine quam ad saporibus differentias habent, appellatis, a quibus videlicet transumptiue sunt denominati. Est autem haec odoribus species gustabilem & nutritiuum suapte natura consequens saporibus, & ab illo nimirum effecta. Declaratum enim est retro quod odor a sapido efficitur siccus, quod fit a nutritibili saporibus. Et hanc odoribus speciem inquit philosophus habere in se suaue & triste per accidens. per respectum enim ad alimentum, a quo isti nimirum emanant odores, huiusmodi esse dicuntur. ijs enim animalibus quae alimento indigent, & id appetunt, iucundi profecto sunt & suaues esculentorum odores: saturis autem, cibique repletis, iidem certe ingrati & insuauis sunt odores. Praeterea quibus aliqua sunt grata pulmenta, eisdem odores inde emanantes grati esse videntur: contra quibus ingratae aliqua sunt escae, ijs certe illarum iniucundi sunt odores. In huiusmodi igitur suaue &

Due odoribus species & differentiae.

Quae odoribus species in se suaue & triste per accidens habet.

triste (vt dictum est) per accidens esse percipitur: quod ij etiam afferere videntur qui nullas odorum per se reperiri species voluerunt. Quod etiam odorum genus cum in saporibus reperitur qui alunt & nutriunt, non ab re omnibus commune animalibus esse dixit philosophus. omnia enim animalia alimento sanè indigent, & conuenientium sibi esearum odore qualitates percipere censentur. Altera autem odorum species & natura per se subsistentiū est, in qua suaue & triste non vt in priori per accidens, neq; merito saporis nutritiui, sed per se inesse videntur. Huiusmodi autem est species in qua odores qui ex floribus sentiuntur, non immerito reponi censentur: similiq; modo omnium fragrantia odoratorum, quæ ad alimentum indigentiam nihil conferunt, sed tam saturis quàm cibo vacuis æque suaues esse videntur. Quod autem huiusmodi odores nihil esearum condimentis conferre videantur, sed interdum obesse dicantur magis, & illa sæpe corrumpere, Stratidis comædiarum scriptoris philosophus pro testimonio cauillū adducit, qui Euripidis in condiendis concinnandisq; carminibus nimis accuratam & fastidiosam taxans diligentiam, dixit, cum lenticula incoquitur, non infundendum esse vnguentum, nihil enim illud ad altricem quæ in saporibus reperitur, potestatem, conferre sanè posse: quinimo sæpius obesse solet, & illam præpedire. Quauis inquit sua ætate nonnullos secus facere consueuissit, qui veluti nature vim inferre volentes, ob luxuriam corruptosq; mores in poculis cum vino varios miscebant odores, assuetudineq; ipsa voluptati vim afferre contendebant, pretiosamq; & suauem huiusmodi potandi licentiam efficere conabantur, & ex vnico sensu, duorum sanè voluptates percipere sensuum, gustatus scilicet & olfactus, lummo studio nitebantur. Ex quo nimirum palam esse potest voluptatem illam, si vlla reperiri potest, & illorum suauitatem, neq; sanè probandam esse, neq; naturæ conuenientem, sed aduentitiam & quæsitam, corruptoq; mentis iudicio assuetudine quadam praua effectam & resultantem, ita vt videri magis quàm constanter subsistere censeatur.

Qui odores per se suaues sint, vel tristes.

Stratis comis c. Euripides.

Odores pulmentis non conferre: nonnisi quam vero obesse.

Hoc autem odoris genus homini est proprium, cum illud quod saporibus est applicitum, alijs etiam (vt dictum est) animalibus competat. Et illorū quidem species, quoniam ex accidenti suaue & triste habent, per saporis determinantur: huius autē minime, quoniam eius natura suauius per se est, vel tristis.

Hoc, inquit, odorabilis rei genus, hominum speciei peculiare sanè est, & non commune reliquis animalibus, quemadmodum odorabile illud quod à saporibus prouenit ad alendum accommodatis. illorum igitur odorabilium, quoniam suaue & triste per accidens in se habent, diuidi determinariq; inquit species per saporum differentias. illius autē quod homini est proprium, quoniam nullam ad saporis habet relationem, non diuidi per saporum species & varietates ac differentias, cū per accidens in se non contineant suaue & triste. In quibus verbis intelligere vult philosophus quod illius quidem prioris sunt species, quoniam saporum à quibus tales fiunt odores, existunt species, ad quarum sanè diuisiones odores certe determinantur illi. odoris autem qui per se vel suauius est vel tristis, non esse species, quoniam non habet is cum quibus simul secetur & diuidatur. Dixerat enim retro (vt vidimus) quoniam modo odorum sint species, & quo modo non sint: vel potius quod illius quidem non sunt species de per se, sed si sunt, per accidens sanè sunt. suaue enim & triste, quæ sunt primæ & præcipuæ differentia in ipsis, per accidens esse videntur. Huius autem secundi odorum generis quod suaue & triste per se continet, erunt utiq; species per se. Primo namq; suaue & triste illi insunt, ceu prima quedam, & hoc per se, & non per accidens, vt in priori illo odorum genere. Postmodum aliæ etiam insunt species quæ in suaui & tristi comprehendendi nimirum & contineri censentur, quæ sanè multæ sunt: neq; quipiam obstare videtur quod illarum pleræq; careant nomine. secundum enim varietates florum, & odoratorum genera, variæ sanè odorum percipiuntur differentia: nec minus in vnguentorum diuersis mixtionibus animaduertere licet, quæ arte sanè fiunt, vbi variæ compositionum diuersitates, varias nimirum & omnimodas odorum efficiunt species.

Cum autem homini proprius talis existat odor, in causa est cerebri frigiditas. Cum enim suapte natura frigidum sit cerebrum: sanguisq; qui in eius continetur venulis, tenuis sit & purus, & qui de facili algeat, & propterea ciborum exhalatio ob loci naturam refrigerata, fluxionum morbos afferat: talis profecto odorum species hominibus ad sanitatis subsidium est attributa. nullum enim aliud præter hoc illius est officium.

76
Cum retro dixisset philosophus quòd odorum species illæ quæ per se suaue & triste habere cense-
 sentur, propriæ & peculiare hominum sunt generi, huius etiam rei causam in superioris con-
 textu literæ subiungit. cum enim, inquit, frigidissimum in animalibus partium sit cerebrum, &
 homini inter cætera animalia pro corporis proportione illud sit maximū, circumiecta nimirū frigefa-
 cit loca, & purum maxime subtilemque sanguinem habet, qui in angustiis contentus venulis, sui tenuita-
 te & puritate cito frigescit, cum alioqui modicus etiam existat. quamobrem internarum sensationum
 vegeta præpediuntur opera. ad huiusmodi igitur læsionis subsidium, suppetiasque ferendas, extrinsecus
 sanè talia odorū genera solers machinata est natura, quæ auxilio imbecillibus illis partibus esse possit.
 à frigiditate namque cerebri (vt inquit ipse) fluxiones & rheumatica deueniunt incommoda & morbi.
 Cum enim ab esculentis poculentisque eleuati exhalationum fumi & vapores caput petant, à loci illius
 algore postmodum frigescentes & condensati, pondere suo ad inferna deuoluuntur, destillationesque &
 pituitas necnon eiusmodi varijs efficiunt morbos. Ad huiusmodi igitur subsidium incommodi, varios
 (vt dictum est) natura produxit odores, qui locum illum superfluenter algentem exalfacere, & ad sa-
 lubre reducere temperamentum possint. nihil enim aliud operis odores habent huiusmodi, quam vt
 algentem diffundant cerebri naturam, illiusque temperent humiditatem, & illi circumiecta loca saluari
 demulceant temperie. Odorum enim huiusmodi ferè omnium natura cum sicca esse perhibetur, tum
 molli etiam temperata & distincta caliditate: & quanto in illis fuerit magis calidi commixta vis, eo
 plus fragrantis illos reddit odores. Ad summam, iucundus in illis odor à calidi fieri proportione cense-
 tur, humiditatem in ipsis bene coquentis. Quamobrem in calentibus & siccis locis odoratiores nascun-
 tur flores: calida quinetiam & sicca tellus si modico conspergatur imbri, mirificos ex sese reddere dici-
 tur odores, calidi scilicet virtute quam sinu continet suo, à qua subtiles ea in cõstitutione & sicca ascen-
 dunt exhalationes. Contrà autem ingrati & iniucundi fiunt odores cum propter frigus, tum superfluens
 ti etiam humore qui non belle digeri & confici à calido potest. & hanc ob causam, Theophrasto au-
 thore, in Aegypto minus odorati sunt flores, cum ob Nilii inundationes & incrementa superfluenter
 terra madefcat.

Odorum vtilitas.

Terra suauis odor.

Cur in Aegypto non odorati sint flores.

Istuc autem manifestum fit, quoniam suauis plerumque cibus cum
 siccus, tum humidus, morbosus est. Suauis autem per se odor
 quoquo modo se habentibus, semper (vt ita dicatur) est salubris.

Quòd sanitatis quidè & incolumitatis gratia odores hominibus proprii, & non alterius rei causa
 à rerum natura sint constituti, hoc ostendit in loco philosophus, dicens quòd odores quidè sua-
 ues & grati qui in saporibus reperiuntur, quos per accidens retro dixerat suaue & triste in
 se habere, sæpenumero morborum existunt causæ. Caput enim petentes, plerumque illud
 sanè replent: quemadmodum ab odoratis vinis huiusmodique esculentis videre contingit. Suauitas au-
 tem ab ijs odorum speciebus quas per se eiusmodi appellare dignum est, semper ferè & ubique salubris
 esse percipitur: & cum in alijs plerisque temporum circumstantijs, tum vel maxime in pestilentibus aëris
 constitutionibus vtilissima & magnopere conferens esse perhibetur.

Proprii & per se odores semper salubres.

Hæc ob causam per spirationem fit non omnibus, sed homini-
 bus, & ijs que sanguinè habent quadrupedibus: quinet iam ijs que
 aëreæ magis sunt naturæ. Cum enim propter caloris in se reper-
 ti leuitatem sursum ad cerebrum ferantur odores, locus certe ille salubrius
 se habet. Odorum namque vis suapte natura calida est.

Cum retro dixisset Aristoteles hominum esse proprium generi huiusmodi sentire & percipere
 odores qui per se tales & sunt, & esse dicuntur, hoc ostendit in loco quoniam modo illud pro-
 prii vocabulum intelligi debeat. Non enim id proprium intendit quod solum homini compe-
 tit, sed id quod homini maxime competere censetur: quoniam quibusdam etiam, inquit, sanguine
 præditis, talium est sensus odorum propter causam quam inferius assignabit, vt quadrupedum spe-
 ciebus, & ex animalium genere ijs quæcunque spirare percipiuntur. hæc autem asserit aëreæ magis
 participare nature. Cum enim odores ij eleuati in ipso spirandi opere ad cerebri regionem ascen-
 dunt, caliditate & siccitate sua illud temperant & demulcent, & omnino salubrius & vegetius red-
 dunt. Odor enim fragrans & suaue olens (vt diximus) natura sui est calidus, & à calidi virtute nimirum
 effici & inolescere dicitur.

AD duo autem natura spirandi utitur opere: ex proposito quidem ad pectoris auxilium: præter propositum autem ad odorem. Spirante enim animali, ceu ex traiectu per nares efficitur motio. Hominis autem naturæ proprium est eiusmodi odorum genus: quoniam pro magnitudine amplissimum & humidissimum animalium omnium habet cerebrum: & eam ob causam solus (vt ita dicatur) inter reliqua animalia & sentit, & delectatur florum taliumque id genus odoribus homo. commensurata enim illorum est caliditas & motio ad superfluentem loci illius humiditatem & frigiditatem. Alijs autem quæcunque pulmones habent spirandi opera, alterius odorum generis sensum concessit natura, ne duo sensiteria faceret. Sufficit enim quando sic respirant, vt hominibus vtriusque olfactilis, ita ijs alterius solum attributus sensus. Quæcunque vero non spirant, quod quidem olfactile sentiant, manifestum certe est. Pisces enim, & insectorum genus vniuersum, exquisite, & de lōge propter altricem odoris speciem sentiunt multum etiam à peculiari esca remota: vt apes in melle faciunt, magnarumque genus formicarum, quas scni-pas quidam vocant, & ex marinis purpuræ, & pleraque alia eiusmodi propter odorem acute præsentiant escas. Qua vero re sentiunt, non eque est manifestum.

Quemadmodum in alijs quibusdam natura eadem utitur re ad plura opera, verbi causa lingua utitur ipsa cum ad cognoscendas percipiendisque saporum species, tum ad conformandos dearticulandosque in hominum genere sermones: simili modo respirationis opera ad duo quædam manifeste vti videtur: primo quidem & sui principali intentione ad cor refrigerandum, & ea quæ intra pectoris thoracem collocata sunt: quæ sanè res per inspiratum fieri aërem percipiuntur. Secundo autem loco ad odores percipiendos. Spirantibus enim animalibus quemadmodum in traiectu quodam & transitu aër commotus mouet certe & aperit illa quæ semitam præteruectis præstant odoribus: & hoc planè modo odorandi causa spiratio esse censetur. Maxime autem proprium odorum genus quod per se huiusmodi esse dicitur, hominibus peculiare & conueniens esse dicit, & illo præcipue homines delectari: quoniam inter reliqua animalium genera secundum corporis sui proportionem maximum habet cerebrum hominum genus: & iccirco illi cõtiguis & propinquas partes habet frigiditas, & externo multum indigentes auxilio. Alijs autem, inquit, animalibus quæcunque spirant, & pulmones habent, extrinsecusque subsidio indigent aliquo, huiusmodi odorum nullus adest sensus: respirando autem odorum genus alterum sentiunt, illud scilicet quod à nutritiuis prouenire saporibus dictum est retro. & ijs ipsis in respirando talium sensationem odorum concessit natura, ne duo in illis sensiteria fabricaret & efficeret: vnum videlicet per quod spirarent, alterum vero quo odores perciperent. Vocat autem hoc in loco iure suo sensiteria, lato sanè vocabulo, illa etiam quibus animalia spirant instrumenta. Quemadmodum enim, inquit, hominibus media & intercedente spiratione duo illa odorum genera solum præstare videntur sensum: ita illis scilicet animalibus reliquis de quibus supra dixerat, eadem respirationis opera vnus solum generis fit sensatio: illorum videlicet odorum qui altrices & nutritiuos sequuntur saporibus. nam quoniam illa, inquit, quæ alterum odorum sentiunt genus, spirare videntur: sufficit sanè illis respiratio ad odorum quos sentiunt perceptionem. Ea vero quæ non spirant animalia, quod quidem inquit odores percipiant, palam est. Siquidem marinæ purpuræ quæ conchis vescuntur, ad illarum mirifice mouentur odores, conchyliorumque quorundam vtuntur genere ad illarum capturam ijs quibus id curæ est. Aliæ quinetiam marinæ beluæ à longe ad peculiare sibi escas accedere videntur, nulla sanè alia re quàm odoribus inuitatæ. Id quod etiam in genere insectorum animaduertere licet, vt apes, & formicæ, reliquaque id genus palam faciunt. Qua vero re, aut quo sensiterij instrumento sentire & olfacere dicantur eiusmodi animalia, & quo id fiat modo, non esse inquit manifestum.

Quamobrem iure quispiam ambigere posset quam re odores sentiant. siquidem spirantibus olfacere vno contingit modo. hoc enim in ijs quæ spirant, apparet omnibus: illorum vero spi-

Naturam vna
re plerunque
vti ad duo.

Marinæ be-
luæ odores
sentiunt.

te habere ob
spontaneis cum
centum, de
vniuersi frigiditas
de loco vniuersi
in sensum
as, ex vniuerso
us esse potest
oda & motio
nt, a loci illius
tillanoneque de
mmodi, vniuerso
acere, & ad lo
modi, quæm vt
a loca salubrit
thibetur, tum
mixta via, in
portione cõ
atiores nescio
e reddere dico
& sicz alio
um superfluo
ophralto ad
superfluentur

ibus cum
r se odor
salubris

us rei causa
quidè suas
& triste in
tunc illud
auitas au
salubris
tibus aëris

hominibus
m ijs que
se reper
salubris

& percipere
do illud pro
mini compo
nit, sanguis
upedium spo
aëreæ magis
torem alio
vegetus res
tate nimirum

rat nullum, cum tamen sentiant: nisi forte quispiam præter quinque alius est sensus: quod fieri non potest. olfactilis enim rei est olfactus: illa autem id sanè sentiunt: verum non eodem fortasse modo, sed spirantibus quidè quod superiacet velut operculum, remouet spiritus: quamobrem nō sentiunt nisi spirent. ea autem quæ non spirant, id sanè non habēt: quemadmodum in oculorum natura percipere licet. Siquidem animalia quædam palpebras habent: quæ nisi diducantur, cernere nequeunt. Quæ autē duros habent oculos, illas non habent: ea propter nullo illas remouente indigent: sed pro videndi facultate illico cernunt.

CVM retro dixisset Aristoteles animalia quædam non spirantia odoratum habere, & illius gratia de longe ad peculiare moueri escas: hoc in loco non immerito ambigit vtrum ne aliud quiddam olfactus habeant instrumentum, genusque olfaciendi sit diuersum & aliud in illis præter hoc quod in spirantibus animalibus spirandi efficitur opera & adminiculo. Hoc enim odorandi genus, vt apparet, spirantibus dum spirant inesse videtur: illa vero animalia non spirant: quamobrem non hoc videntur olfaciendi habere genus. Neque solummodo quinque esse sensus, sed aliū quēpiam necesse est esse sensum quo huiusmodi olfacere cernentur animalia. Statimque post huiusmodi dubitationem adductam subdit fieri nō posse, dicēs animalia illa alium habere sensum præter illos quinque: cuius etiā impossibilitatis illico causam refert. olfactilis, inquit, rei sensus olfactus est, & non alius quispiam sensus. Quamobrem si huiusmodi animalia conuenientes sibi escas & commodas odore percipiunt, olfacient quidem & ipsa: verum non idem olfaciendi modus erit in omnibus: sed spirantium quidem generi inspiratus aer aperire dicitur, vel certe remouere ab odoratio illo poro per quem odorum fit præteruectio & transitus, illud quod velut operculum quiddam illi superiacet, quoniam spirantia olfacere aliter nequeunt animalia, nisi is per inspirationem sibi pateat aditus. non enim quo inspiratus peruenit aer, ibi odoratus esse dicitur, sed in ipso transitu & præteruectione inspiratus aer particulam illam quæ olfactui deseruit, habilem & aptam proprio efficit officio. Quod autem ibi non existat odoratus quo inspiratus peruenit aer, manifestum est: quoniam non solum naribus, sed ore etiam spiramus, & tam à naribus ipsis quàm ab ore inspiratus aer ad eundem sanè peruenit locum: non tamen odores percipimus cum ore solum spiramus: sed cum naribus spiritum trahimus, illos sanè sentimus, propter illam quam retro adduximus causam. Spirantia igitur animalia quoniam partē illam opertam habent, alio quo illam diducente & recludente indigere sanè videntur: quod inspiratus nimirum aer efficere censetur. Quæcumque vero non spirant, patentem apertumque locum habere illum par est, ita vt nullo indigeant referante & operiente: nullumque profecto est inconueniens odorantia animalia circa olfactus instrumentum eiusmodi habere differentiam, namque id ipsum circa visionis operam animaduertere contingit. Ex animalium enim generibus quædam genas & palpebras habent, quibus non adaperitis & eleuatis fieri nō potest vt cernere illa possint. nonnulla vero nihil impositū & obstans habent quod illorum operiat oculos: quemadmodum sunt illa quæ præduros habent oculos, & iccirco nullo adaperiente & id obstaculum remouente indigere percipiuntur: verum nullo extrinsecus auxilio, oblata sibi vt videre possint, & illis à natura est concessum, illico cernunt & vident.

SIMILIQUE modo reliquorum animalium nullum, nullos per se male olentes odores moleste fert, nisi forte perniciem afferant. à talibus enim nonnulla interimuntur: vt plerumque homines qui ex carbonum halitu grauedinē incurrunt, & sæpenumero pereunt, ita reliqua animalia à sulfuris bituminosorumque vi exanimantur. Quamobrem id incommodum declinare solent, cum de ipsa per se odoris foeditate nihil curent (atqui multa ex terræ nascētibus graueolentiam habent) si quispiam illis ad gustatum esumve conferat.

CVM superius odorabilia in duas determinasset partes siue species philosophus: & alteram quidem nutritium saporum consequi genus dixisset, in qua iucundum & triste per accidens aliter reperiri: illamque omnibus inesse animalibus quæ odoratum habent, affirmasset: alteram autem esse per se odorabilem, quibus suaue & triste suapte natura inessent, quæ à solis percipi digno

Quod sensus odoratus non est ibi quo inspiratus peruenit aer.

- scilicet; posset hominibus propter enarratas superius causas: hoc subiungit in textu quod nihil maleolentium, quæ ipsis per se suauibus contrariantur odoribus, & in tristifico reponuntur genere, & per se huiusmodi esse censentur, ab alijs sentiuntur percipiunturque animalibus præter hominē, quoniam neque illos sentiunt odores qui per se suauis delectabilesque existunt, nisi illorum quippiam, inquit, per se scilicet tristium maleolentiumque olfactibile, suapte natura animalis illius fuerit corruptiuum. Quæ admodum enim nutritiuos & salutare odores, qui suauis sanè & redolentes existunt, per accidens sentire dicuntur: ita tristes & maleolentes per accidens sentire perhibentur, quoniam illis scilicet sunt contrarij. Sentiunt enim illos non ut maleolentes & foedos, sed ut noxios & pestilentes: sicut priores sentiunt non qua beneolentes, sed qua salutare & nutritiuos. Subdit postmodum philosophus quoniam modo eiusmodi odores animalia illa interimere possint. Ut enim
- 10 homines, inquit, à carbonum accensorum fumo nonnunquam grauedinē incurrunt, & aliquando etiā eam ob causam suffocantur & intereunt, non ab odore ipso, sed ab exhalatione quæ ab ipsis ascendere & caput replere & occupare dicitur, à qua, obstructis sanè spiritus meatibus, strangulantur: ita animalia quædam à sulfuris bituminosorumque vi solo suffitu intereunt: quamobrem odores illos declinant & fugiunt ut noxios & pestilentes, non ut foedos & maleolentes. Sic serpentes cornu exusti nidorem & suffitum ferre non possunt, fumumque à polij hærbæ exusta mirifice fugiunt, non quoniam huiusmodi res maleoleant, sed quoniam illarum odor ipsis perniciosus sit & pestilens. Non ab re igitur hoc in loco isthæc adduxisse videtur philosophus, quoniam nonnulla percipiuntur animalia malos declinare odores qui huiusmodi alimenti non sunt gratia, sed per se ipsos tales existunt: & ideo videri poterat vero consentaneum, quod id quod per se tristes fugeret odores, per se etiam suauis appeteret. Quamobrem declarauit animalia illa per se malos odores declinare: non quia maleoleant, sed quia noxij sunt, & illis pestē perniciemque afferunt: sicut interdum suauis appetunt odores, non quia huiusmodi sint, sed quia nutritiuos & salutare existunt. Signum autem adducit non fugere animalia foedos odores qui per se tales sunt, quoniam cum in hærbarum generibus multæ reperiantur maleolentes & foetidæ hærbæ, has quidem animalia declinare & respuere videntur: illas vero nedum non cauere, sed etiam profectui & appetere. Ex quo clarissime patere potest quod suauis & triste, bonos quinetiam & malos odores, secundum salubre quiddam animalia, & naturæ suæ conueniens: & contra secundum pestilens quippiam, & naturæ disconueniens, cum declinare, tum appetere censentur: non ideo quia per se odores illi tales existunt. Etenim animalibus solummodo illi suauis sunt odores, qui ad gustatum & alimentum naturæ proprium & cognatum facere videntur: illi autem insuauis & ingrati, qui illis aliquo nocere possunt modo. Animaduertendum autem est quod litera illa, nisi quippiam illis ad gustatum esumve conferat, quæ in superioris calce textus in antiquis exemplaribus reperitur, alio etiam scribitur modo, videlicet, si quippiam illis ad gustatum esumve conferat. quem nos apposuimus: cuius talis videtur esse intellectus, quod animalia quidem nihil per se malos & foedos curant odores, dummodo illis sint esui gustatuique accommodati. illud enim, Atqui multa ex terræ nascentibus graueolentiam habent, per paræthesin & interpositionem legendum est. Cæterum statim, inquit Alexander, hic dubitatio emergit huiusmodi. Quam ratione in præsentia hæc adducat philosophus, qui in secundo de anima commentario de olfactu verba faciens dixerit hominem inter reliqua animalia pessimum hunc habere sensum. Quin etiam paulo ante cum de saporibus esset pertractaturus, causam adducens cur saporibus nobis magis cogniti ipsis sint odoribus, subiunxit: quoniam hunc sensum inter reliqua animalia pessimum habemus: &
- 20 inter reliquos etiam sensus nostros hebetiorē. nunc autem, inquit, velle videtur philosophus nos omnium olfactibile primas cognoscere differentias, suauis scilicet & triste: & hoc per se talium: cum reliqua animalia solummodo per accidens isthæc ipsa dignoscere & deprehendere possint, in illis videlicet odorabilium speciebus quæ in nutritibili genere saporum species consequuntur. Cui occurrens dubitationi Alexander inquit, superius dixerat philosophus, & in commentarijs etiam de anima scriptum reliquerat, hominum genus pessimum habere odoratum, quoniam illorum sanè odorum quos alia sentiunt animalia, quos per accidens suauis & triste habere dixerat, pessime sentiens est homo. non enim talem in hominibus impressionem illi faciunt odores, qualem in reliquis facere videtur animalibus: neque ex æquali distantia spatio hominis odoratum mouent, ab eis deique sentiri & percipi possunt, ut à nonnullis alijs animalibus. Quamobrem si etiam genus illud quod per se habere suauis & triste dicitur, reliqua
- 30 sentire possent animalia: neque in illo etiam primas ferret homo: nunc autem illud sentire & percipere haudquaquam sunt nata.
- 40
- 50

Serpentes cornu exusti nidorem fugiunt.

Alia textus litera.

Alexandri dubitatio.

Responsio.

Um autem impares sint sensus, isque numerus medium habeat: odorandi sensus medius sanè esse videtur, cum tactibile, cuiusmodi gustatus & tactus est: tum eorum qui per aliud sentiunt, qualis visus est, & auditus: quamobrem olfactibile nutrientium passio est quædam. Hæc autem in eodem sunt genere, quo & audibilis res est, & visibilis: propterea & in aëre & in aqua odorantur: & hanc ob causam olfacti-

le commune quiddam horū est vtrorunq; quod & tactili inest, & audibili & perspicuo. Quamobrem nō sine ratione assimilatum est siccitatis esse in humido & fusili ceu infectionem quandam & loturam.

Quomodo olfactus inter sensus reliquos se medijs.

Post enarratas olfactilium species duas, & quonam modo in illis percipiendis diuersimode ad reliqua animalia se habeant homines: hoc in textu olfactus ordinem ad alios sensus declarare vult philosophus. ostendit enim quōd medijs quodammodo inter tactiles est sensus, gustatum scilicet & tactum: & inter eos qui aliud quiddam habere per quod fiant, requirūt medijs, vt sunt visus & auditus. id autem eleganter sanē ostendit. nam cum omnis impar numerus medijs quiddam habere dicatur: sensuum autem impar sit numerus: rationi profecto consentaneum est inter quinque sensus alij quem medijs esse sensum. Quo autem modo olfactus inter illos sit medijs, statim subiungit: Vt igitur, inquit, olfactile gustabilius dicitur esse passio saporum, qui sanē vt gustabiles sunt, tactiles etiam esse censentur: olfactile ad ea quæ sensu tactus percipiuntur, commune quiddam habere censendum est, & quodammodo in tactilium genere constitui. In eo enim genere, inquit, sunt ea quæ alimentum præstant. Ostensum est nanq; in secundo de anima commentario gustatum esse quendam tactum. verum rursus etiam participat ipse olfactus eorum quorum ij qui per quoddam medijs fieri dicuntur sensus, manifeste participare videntur, vt sunt visus & auditus, quoniam & ipse in aëre & in aqua fieri percipitur: vt illi certe fiunt. In literæ autē contextu cum dixit audibili, & subiungere debuisset visibili, illius vice subiunxit perspicuo: quoniam per illud actu visio fieri cernitur. Subditq; postmodum quōd non sine ratione dictum est ex talibus & hoc fieri modo ipsos odores. ambo enim illa in eius definitione comprehenduntur, tactilia scilicet, & ea quæ medijs indigent quodam odorem enim ponimus nos à siccitate fieri sapida (hoc enim addi oportet) in ipso humido, ceu tincturam & infectionem quādam & loturam. Dixit autem non sine ratione assimilatum esse, propter vocabula illa infectionis & loturæ. non enim id ad vnguem esse videtur, sed ab illis translatum qui per lotionem humidum tinguunt & inficiunt. non enim lotura proprie in aëre dicitur. Humidum autem, & id quod diffunditur, pro eadem sumere videtur re. Aqua enim & aër diffunduntur ambo, & humida sunt ambo: aut humida quidem est aqua: fusilis vero & dissipabilis est aër: quem vel ideo appellat fusilem, quoniam ex halitibus & euaporationibus est aër, quæ sanē illorum ex quibus emanat profusione fieri dicuntur. Profunditur enim & ad maius extenditur aqua cum in aërem trāsmutatur, quoniam tenuior aqua est aëri: quamobrem maiorem etiam obtinet & occupat locum. Vt igitur odorū generatio à sicco est, id autem tactile esse dicitur: secundum hoc tactilis esse naturæ censetur olfactus. Vt autem in humidis fieri percipitur, in quibus visio & auditus, secundum hoc erit vtiq; commune quiddam cum ijs habens sensibus qui per quoddam fieri medijs perhibentur.



Quonam modo ipsius olfactilis connumerandæ sunt species, & quo modo non, hætenus sit expositum.

Hoc cōcludit in loco philosophus id quod retro dixerat, vtrum scilicet odorū species aliquas ponere oporteat, aut nullas. Intelligitur autē hæc litera vel quōd illi odores dicantur habere species, quos saporum consequi genera diximus. quot enim saporum fuerint species, tot certe odorum illos consequentium species esse non ab re iudicabimus. per relationem enim ad illos inter se varias habere constabit differentias. illi vero odores, quos per se huiusmodi retro esse diximus, & suapte natura suaue vel triste possidere, in species non dicentur determinari. Vel sic inquam hæc intelligenda est litera, vel magis (vt retro etiam diximus) quōd in illis quidem odorum speciebus qui saporum species consequuntur, nullæ sunt per se subsistentes species, vt voluere nonnulli: in illis vero in quibus per se suaue & triste insunt, quos solos dixerat sentire homines, quædam profecto reperiuntur species. Suaue enim & triste in ijs per olfactilium sunt diuisa naturam, & specie à se inuicem differre videntur. In quibus autem idem nunc quidem est suaue & delectabile, aliàs vero insuaue & ingrātū: huiusmodi certe specie differre non censentur: quemadmodum se habere videntur odorum species illæ quæ saporum differentias consequi perhibentur. eadem enim res esurientibus & famelicis suaui esse videtur & beneolere, quæ saturis putida apparet & ingrata. Non sunt igitur in illis distinctæ (vt videtur) species: in veris autem odoribus qui per se huiusmodi existunt, species certe sunt distinctæ.



Quod autem Pythagoreorum quidam dixerunt, ali videlicet animalia quædam odoribus, rationi non est consentaneum. Primo nanq; videmus cibos omnes compositos esse oportere. Ea enim quæ aluntur, simplicia non sunt: quāobrem ciborum fiunt excremēta aut in

ipsis, aut extrinsecus, ut in stirpibus. Præterea neque aqua ipsa solitarie alere potest nulli commixta. Corpulentum enim quiddam quod constituitur, esse oportet. Multo autem minus rationabile est aërem fieri corpulentum.

Postquam retro (ut visum est) supra enarrata colligendo ostendit philosophus quoniam modo odorum oporteat ponere species, & quo modo non oporteat: hoc in textu nonnullos antiquorum, quos Pythagoræ sectatores fuisse scribit, taxare contendit: qui animalia (ut ait) quædam solo alio odore dixerunt: ex quo apparere potest opinionem sanè illam quæ voluit quod odorabilia ut talia sunt, alant & nutriant, hoc in loco illum Pythagoreis imputare. Cæterum nonnulli etiam antiquorum medicorum huius fuere sententiæ. Refert quinetiam in naturali historia sua Plinius secundus, ad extremos Indiae fines ab oriente circa fontem Gangis Astomorum esse gentem sine ore, corpore toto hirta, vestiri frondium lanugine: halitu tantum viuètem & odore quem naribus trahât, nullum illis cibum, nullumque potum, tantum radicum florumque varios odores attrahere, siluestriumque malorum quæ secum portant longiore itinere, ne desit olfactus: grauiore paulo odore haud difficulter exanimati. Quod autem ratione careat id quod antiquorum nonnulli dixerunt, odore scilicet animalia posse alii & viuere, hic ostendit philosophus, primo asserens quod alimentum omne esse compositum esse necesse. talia enim sunt illa quæ nutrire & alere possunt. Præterea nullum simplicium corporum alere posse asseuerat: quod etiam in secundo de anima dixerat commetario, ubi est adiunctum quod stirpium etiam genus non sola alitur aqua. Signum autem euidentis non esse simplex quippiam ipsum alimentum, subiungit ab excrementis superfluitatibusque sumptum: quæ sicca sanè esse & humida conspiciuntur. In animalibus etenim ea quæ intrinsecus fiunt excrementa, quæ postmodum egeruntur & exeunt, huiusmodi sanè esse apparent. In stirpibus autem extrinsecus fieri excrementa dicit: quæ sunt utique vel gummi ab illis stilantes lachrymæ, vel corpuscula quædam terrea & cinerea, quæ circa stirpium radices esse conspiciuntur. Foliorum quinetiam & corticum quædam in terream naturam conversiones & desinentiæ, cuiusmodi esse censentur. Excrementa autem non ab re in ipsis extrinsecus fiunt stirpibus, quemadmodum etiam pomorum fructuumque digestionem & concoctionem extrinsecus in illis fieri percipimus, & non intrinsecus, ut in animalium genere fieri contingit. Excrementa quinetiam mitescentium pomorum extrinsecus fieri animaduertitur, ut lanugines quædam, aliisque eius notæ complura. Si igitur alimentum simplex non est corpus: aër autem in quo fit odor, corpus est simplex: odores certe, & ipse attractus odorandi officio aër, minime alere poterunt. Simplicem namque recipiunt aërem & quæ spirant omnia, & quæ odorantur. Addit quinetiam supradictis philosophus quod neque aqua ipsa per se alere quicquam potest: cuius rei statim subdit causam, quod oportet scilicet alimentum non nihil in se habere compacti & constantis. Aqua autem per se & suapte natura nihil compacti habet & solidi. non potest igitur illud alere quod ex alimento compactum & corpulentum fieri oportet. Quamobrem agricolæ agros stercoreant, simumque stirpium radicibus apponunt & exaggerant, simulque aqua permiscunt cum irrigare cupiunt, quoniam corpulenti solidique quippiam illuc descendens penetrat, & alit. Alio autem modo neque aluntur arbores, neque proprios afferre possunt fructus. Quod si aqua, inquit, per se alere non potest, minus profecto aër ipse poterit subtilior & tenuior ipsa existens aqua, & minus corpoream suscipere valens molem. Plurima autem odorum genera in aëre fieri percipimus. Ratio autem ista (ut videtur) per locum est a maiori: qui negatiue sanè concludere animaduertitur: si aqua videlicet non potest, minus utique poterit aër.

Ad hæc autem, quod omnibus inest animalibus alimenti capax locus, vnde trahens accipit corpus. At odoris in capite est sensiterium, & spirabili cum halitu ingreditur: iccirco ad respirantem perueniet locum. Quod igitur alimento olfactile ut olfactile est, nihil confert: clare patet. Quod verò valetudini, & ex sensus testimonio, & ex retro dictis est manifestum. Quamobrem quod sapor est in altrici re, & ad ea quæ aluntur: hoc est ad valetudinem olfactile. Et hoc certe modo de vnoquoque sensiterio sit pertractatum.

Hæc est alia rationis via, modusque alius per quem ostendere philosophus aggreditur quod nullum sanè odoribus alatur animal. omnibus enim, inquit, animalibus quidam ciborum capax & receptiuus est locus a reliquis alijs partibus sepositus & seiugatus: & is sanè venter est qui iniectos recipit cibos & potus, quos postmodum concoctos & confectos reliquis corporis partibus distribuit & impertit, corde primum sanguinem purum generante, & in vniuersum corpus diffundente. Si igitur venter, inquit, alimentorum est susceptiuus omnium, a quo tanquam ab indeficiente quodam diligentis patrifamilias penu omnia alia quod sibi competit recipiunt membra: spiritus

f. j.

Plini⁹ secūdo.
Astomorum
natio.Quæ stirpium
sunt excremēta.Cur agricolæ
agros stercore
rante.

Odores in ani-
mi defectu
conferre.

Quod odor
res per se ad
incolumitatē
conferant.

autem & odor ad ventrem non perueniunt: non erit profecto ex alentium numero ipse odor. Quod autem ad ventrem non perueniat odor, neque omnino eo loci quo peruenit cibus & alimentum, ostendit philosophus dicens sensiterium ipsius odoris iuxta cerebrum esse, & olfactum spiritu intercedere fieri, id est spirandi officio, & tali euaporatione. Inspiratum autem aëre siue spiritum non peruenire ad ventrem, quo omnia feruntur esculenta & poculenta, sed ad thoracem & pulmones, palam certe est. Quamobrem siue ad caput feruntur spiritus, ubi olfactus est sensiterium: siue ad pulmones inspiratus ille descendit aër: non utique ex alentium genere iure & merito esse censetur odor, cum ad requisitum & conuenientem non accedat locum, id est ad ventrem ipsum, qui sanè alimentis & escis sepositus & secretus à natura est. Si autem homines interdum nonnulli in animi defectu, quem syncopen vocant, quibusdam recreari & respiscere odoribus videntur, non hoc utique valens & certum existimari debet signum odores posse alere & nutrire. non enim tali in casu odor solum aut alimentum id efficere possunt: sed aqua interdum frigida conspersa effœtas & cadentes reuocare potest vires, illasque colligere & vnire, ita ut resolutus iam & deficiens respiscat homo. succussiones quinetiam & plagæ illos sanè excitant, quæ tamen alere nequeunt. Ita odores ipsi non quia nutriant & alant, sed quia vitales confortant spiritus, illosque excitant, in animi defectibus non nihil conferre videntur. Concludit igitur philosophus quod odorabile ut odorabile est, alere non potest. additum autem est illud, ut olfactile siue odorabile, quonia per accidens olfactile alit, cum ipsi alimento (ut retro dictum est) esse olfactile accidat. Quæ autem olfactilia quæ per se huiusmodi sunt, multum quantum hominibus ad valetudinem conferant, & sensus ait testimonio comprobari. nam qui talibus utuntur odoribus, incolumiores sanioresque in ijs maxime quæ ad cerebri naturam spectant, esse conspiciuntur, & morbis carent nonnullis: & in pestilentibus præcipue aëris constitutionibus præseruatur. & etiã ex ijs quæ retro dicta sunt, liquido patere posse dicit. odorum enim suauitas & fragantia, quæ illis propter contemperatam caloris mensuram bene digerentem & moderantem inesse censentur, ea quæ circa cerebrum sunt loca frigida sanè & humecta, contemperare & diffundere mirifice possunt, & omnino salubriora illa vegetioraque reddere. Est autem, inquit, proportionabiliter quodammodo, ut sapor in altrici re, qui illius complere censetur defectum, ut appetentius scilicet admittantur cibi, & melius postmodum coquantur & applicentur, ita odor ad sanitatem & incolumitatem, qui sanè peculiari sua caliditate id quo indigere videtur homo, planè adimplere censetur, ad remedium scilicet & auxilium immodicæ (ut dictum est) & superfluentis frigiditatis & humiditatis in cerebro existentium.

Dabitur autem quispiam, si omne in infinitum diuiditur corpus, nunquid etiam sensiles passiones, ut color & sapor, & odor, & sonus, grauitas quinetiam, & frigidum, & calidum, & læue, & asperum, & molle? An hoc fieri non potest? Sensationis namque illorum vnum quodque est effectiuum. Ita enim denominantur omnia, quoniam sensum mouere possunt. Quamobrem si ipsa potestas, & sensum etiam ipsum in infinitum secari necesse est, & omnem magnitudinē esse sensilem. Fieri enim non potest ut album quidem cernatur, non autem sit quantum.

Sensiles in
corporibus
passiones.

Post expeditum (ut vidimus) de sensiterijs sermonem, & de ijs sensilibus quæ ab vnoquoque singulatim percipiuntur sensu, nisi de tactu & auditu, de quibus sufficienter satis in commentarijs de anima est pertractatum: hoc in textu dubitationem philosophus adducit quandam doctrinæ de sensilibus valde congruentem & vtilem, quæ huiusmodi esse videtur. Cum enim omnium ferè philosophantium constans sit opinio in infinitum corpora secari diuidique posse, quaerit veramne passiones quæ illis insunt corporibus, & sensiles ab omnibus appellantur passiones, in infinitum cum ipsis diuidantur secanturque corporibus. Sūt autem huiusmodi sensiles vocatæ passiones in corporibus repertæ, colores scilicet & sapes, odores, soni, leuitates, grauitates, frigiditates, caliditates, humiditates, siccitates, asperitates, læuitates, & quæcunque aliæ tactiles sunt contrarietates. Quærit igitur hic philosophus vtrum eæ sensiles passiones in infinitum cum ipsis corporibus diuidantur, aut istorum tandem cessare dicatur diuisio, cum ipsa corpora dissecta in infinitum perdurare possint: ita quæ eo processu modo quædam reperire sit corpora quæ harum in se nullam habeant sensilium passionum. Hac autem de re non immerito ambigere videtur, quonia quocumque ex ijs posito, absurdum sanè videtur quiddam & incoueniens consequi. Si enim eæ sensiles passiones in infinitum cum corporibus secantur suis, cum illarum vnaquæque sensum certe mouere nata sit, vnaquæque enim illarum simul est id quod est, album scilicet vel nigrum, calidum vel frigidum, & sic de alijs, & est sensilis: quod autem est sensile, sensum nimirum mouere potest, & ipsum de potentia ad actum deducere: & iccirco ob huiusmodi potentiam sensilia dicuntur esse. non enim omne sensile, actu dicitur esse sensile: neque illico ad sensibile esse, in actu di-

estur esse sensus: sed bene simul sensibile est, & potestatem sensum mouendi habere censetur. Namque si hoc res non se haberet modo, minime id esse sensibile diceretur. Si inquam ex sensibiles passiones in infinitum cum corporibus secantur suis, & potentiae ipsarum ut motrices sunt sensuum, in infinitum proculdubio diuideretur, ipsorumque sensus in actu diuideretur etiam in infinitum. Omnis igitur magnitudo erit, id est omne corpus hoc modo sensibile, & omnis magnitudo sensibilis siue visibilis: verbi causa, quaelibet corporis pars erit visibilis. Omne autem quod cernitur & videtur, cum aliqua magnitudine videtur. Visio namque cum sit cum instrumento corporeo, non potest nisi magnitudinem cernere, aut id quod in se magnitudinem habet. omnis igitur magnitudo erit visibilis & sensibilis. fieri enim non potest ut quippiam album cernatur quod non sit quantum. Quobrem si in quapiam magnitudine color erit qui est visibilis, magnitudo certe illa erit visibilis & sensibilis: hocque modo nullum erit corpus quod sui exiguitate sensum effugiat. Caeterum in confessis est quaedam corporis particulas omnem effugere sensum. non habet igitur omnis corporis pars sensibilem passionem, quoniam ipsa etiam magnitudo illam in se continens esset utique sensibilis.

Non omnem corpoream partem esse sensibilem.

Sed autem non hoc se habet modo, quippiam continget esse corpus nullum habens colorem, neque grauitatem, neque aliam id genus passionem, quamobrem neque omnino erit sensibile. eiusmodi enim sunt quae sentiuntur. sensibile igitur ex non sensibilibus erit constitutum. atqui necesse est. non enim ex mathematicis.

Cum deduxerit (ut vidimus) primam suppositionem philosophus quae sumebat sensibiles passiones simul cum corporibus diuidi & secari in infinitum, ad inconueniens scilicet hoc quod cuiuslibet magnitudinis quae in infinitum est diuisibilis, quaelibet pars est sensibilis & visibilis: rursum ad illius oppositam reuertitur suppositionem, quae sumere videtur non simul cum corporibus passiones in infinitum secari, dicens: Si autem hoc non se habet modo, id est si non simul diuidantur: continget utique aliquod esse corpus nullum habens colorem, neque grauitatem, neque aliud quippiam eiusmodi passionibus insignitum: quasi dicere velit. Si enim non simul diuiduntur in infinitum cum corporibus ipsae passiones, erunt certe particulae quaedam diuisi secantibus corporis nihil in se habentes, scilicet neque colorem, neque grauitatem, neque quippiam ex sensibilibus passionibus. Quod si hoc esse ponatur, erit sane tota illa magnitudo ex non sensibilibus composita & constituta partibus: quoniam ex non habentibus sensibiles passiones. Verum statim subdit, sed necesse est, scilicet ex sensibilibus magnitudines constitui partibus. non enim ex mathematicis. Physicum namque & sensibile corpus in portiones particulasque diuidi physice necesse est. omne autem physicum corpus cum quibusdam est passionibus, & ex talibus sane componitur. Si enim ex huiusmodi constitutum non esset, & in talia non diuideretur, corpora certe physica ex mathematicis constarent corporibus a qualitatibus abstrahentibus vniuersis. seorsum enim a passionum harum natura ipsa mathematica esse censentur corpora. Fieri autem non potest ut ex huiusmodi corporibus sensibilia & physica constituantur corpora: cum alioqui talia etiam mathematica corpora nullam se ipsis habere substantiam censeantur: sed sola mentis cogitatione sumantur ab omnibus passionum abducta & seiuigata differentijs.

Raterea quamquam re diiudicabimus haec & cognoscemus? An intellectu? Sed non sunt intelligibilia, neque intelligit mens quae extra sunt, nisi cum sensu.

Potest quidem instando philosophus hoc etiam rationis modo: si talia impatibilia & insensibilia sunt corpora, in quae scilicet ipsa sensibilia secantur corpora, quamquam re de ipsis iudicium ferre poterimus: & quo illa cognoscere modo nobis concedatur: non enim intellectu. nam quaecumque dignoscendo percipimus, aut intelligibilia sunt, aut certe sensibilia: & ideo vel intellectu illa dignoscimus, vel sensu percipimus. Duas enim huiusmodi iudicij vias facultatesque nobis ad entium cognitionem concessit natura. Caeterum particulae istae sensibilibus corporum quae non sensibiles esse dicuntur, nullaque in se habere sensibilem passionem: sub horum neutro iudiciorum cadere possunt. non enim sub intellectu examine: quoniam non sunt per se intelligibilia. intellectus enim per se substantiam & extra existentium nihil sine sensu comprehendere potest. quod idem est dictum, quoniam sunt quaedam verbi gratia singulares substantiae quae ab intellectu hoc comprehenduntur modo. namque horum formae & species communes haudquaquam extra sunt, neque per se ipsas substantiam habere dicuntur esse enim communium illarum specierum, ipsum est intelligere. Quobrem illarum substantia in intellectu esse censetur, & non extrinsecus. Si igitur nihil ex ijs quae hoc existunt modo, intellectus sine sensu comprehendere potest, istaec autem per suppositionem non sunt sensibilia, neque intellectus profecto illa, neque sensus diiudicare & cognoscere poterit. Cognoscit autem sensibilia intellectus sensu intercedente, quoniam illis sensu prius aliquo perceptis, postmodum ea speculari contemplarique aggreditur.

Duo cognitio nis modi.

Singularium specierum esse ipsum est intelligere.

Quomodo intellectus sensibilia cognoscit.

f. ij.

odor. Quod
mum, osten
tu immo
penetrate ad
aliam certe est
ines inspiratus
ad res
is sepositus &
pen vocat, qu
ri debet signi
e possunt: sed
ere & vire, ut
ne excitat, qu
erant spiritus,
slopius quod
e, quonia per
olactilia que
us ait testimo
ne que ad co
bus praecipue
se dicit. odor
tugerentem le
contempere
n, inquit, pro
ut appere
ad sanatum
adimplere co
iditans & hu
ditur cor
& odor,
& laue,
nis nan
omnia,
& sen
itudinē
non au
b vnoquoque
in commo
quandam do
mum
erit velle
nifinitum cum
in corporibus
aliditates, hu
ctates. Quo
us diuidantur
turare possu
ium passio
u sane videtur
us secerur sui,
quod est, ali
sensum tunc
entium sensu
esse, in actu d

tur, cū illorū quas ad alia habēt differentias, tum singulorū quod quid erat esse, id est eorū definitiones essentialē: necnon quonā modo talia ad vniuersale suum se habere dicātur, perscrutans & inuestigās: & quoniam omnium etiam rationes elicere, accidentiaq; & formas omnium percipere potest.

Ræterea si hæc ita se habent, fidem facere ijs videntur qui indiuiduas faciūt magnitudines. ita enim dissoluetur ratio. Verum id fieri non potest. De huiusmodi autem re dictum est in sermonibus de motu.

Democritus.
Leucippus.
Epicurus.

Istuc etiam adducit philosophus absurdum & inconueniens quod ex illorum sequitur opinione qui sensilia corpora in infinitum secari diuidiq; voluerunt: in quædam scilicet insensilia & impartibilia corpuscula, quod videlicet hæc consentit opinio & concordat cum illis qui indiuidua posuerunt corpuscula, vt Democritus & Leucippus & Epicurus fuisse perhibentur. qua enim illi rationis vtūtur euidentia, huius profecto assertores dogmatis vti est necessariū, & illo etiam modo hanc soluere difficultatem. Dicunt autem illi qui indiuidua posuere corpuscula omnium esse rerum principia, q; cū illa suapte natura indiuidua sint, & pati quippiam non possint, ex compositione tamen coniunctioneque quadam ad se inuicem, & partium habitudine, has nimirū passiones & huiusmodi ex sese efficere quæritates. id ipsum igitur istos dicere & cōfirmare summa est necessitas. namq; ex insensilibus corporibus, & quæ pati non possunt, compositione quadā, & partium ad se inuicē applicatione, corpora fieri sensilia, & huiusmodi habentia passiones. Quæ cum dixisset, ad hunc maxime (vt videtur) intellectū statim subiungit: Verum id fieri non potest, id est, impossibilia certe sunt ea quæ hac responsionis via ad huius solutionem quæstionis ab eisdem hoc adduci possent in loco: vt videlicet impossibilia sunt quæ de indiuiduis magnitudinibus adducunt illi. Dicit autem se de huiusmodi pertractasse in libris de motu: libros vocans de motu, postremos de physica auditione commentarios, in quibus demonstrauit contra Democritum & Leucippum fieri non posse vt magnitudo aliqua esset indiuidua.

Simul autem cum istorum solutione palam fiet cur finitæ sunt species & coloris, & saporis, & sonorum, & aliorum etiam sensilium. Quorum enim sunt extrema: quæ interiacent, finita esse necesse est. Porro contraria sunt extrema. Omne autem sensile contrarietatem habet, vt in colore album & nigrum, in saporibus dulce & amarū: & in alijs sanè omnibus extrema sunt contraria.

Quod infinitæ
non sint sensilium
species
passionum.

Pro dubitationis illius solutione in qua (vt vidimus) probatum fuit, si passiones in infinitum cum ijs quibus insunt corporibus diuidantur, hoc sequi absurdum, quod omne corpus & omnis sanè magnitudo sit sensilis: aut si non diuidantur, quod ex infinitis indiuiduis & impartibilibus corpusculis magnitudines constitui cōponiq; dicētur: pro illius inquam solutione dubitationis dicit philosophus q; simul quidem dubitationem soluere continget supra enarratam, & ex illius solutione apparebit etiam causa propter quam sensilium in omni genere omnium finitæ & determinatæ sunt species, vt colorum, saporum, sonorum, odorum, & vniuersorum etiam tactiliū. istuc enim in supra enarratis ipse dixerat, vt quæri inuestigariq; dignum. Nūc autem huic applicat quæstioni, veluti apto sanè & conuenienti loco. Vbi enim quæritur vtrum passionum istarum sectio ad infinitum procedat, peculiaris certe & cognatus quærendi est locus, vtrum scilicet per se passiones diuidi & secari ad infinitum censeantur, ita quod illarū sint infinitæ species, & hoc diuidātur modo per se passionē ad infinitum: aut non per se ad infinitum ipsæ secantur passiones, neq; per suas species, ita quod infinitæ sint species, sed per accidens ad infinitum secantur, eo quod illa in quibus eæ reperiuntur passiones, in infinitum diuidātur, cum quibus ipsæ simul secantur diuidāturq; passiones. Et primo quidē circa diuisionē per se passionū ad infinitum verba facit: causamq; affert cur necesse sit passiones huiusmodi, & istarū species passionū esse terminatas & finitas. Postmodū ad principalis dissolutionē regreditur quæstionis: ostēditq; quonam modo alterum alteri est vtile & cōmodū. Demōstratio autem est huiusmodi: quorū extrema reperiuntur aliqua, id est illa in quibus terminatæ sunt extremitates, in illis sanè terminata esse intermedia est necesse, quæ scilicet inter extremitates illas vt intra quosdam continentur fines. Extrema autem in omni genere sunt contraria, & terminata certe sunt contraria. siquidē illa quæ plurimum à se inuicē distant, sunt contraria. Plurimum enim terminatū quippiam signare videtur. quæ obrem in quibus reperiuntur contraria, in illis certe extrema merito terminari censentur. In sensilibus autem passionibus inest contrarietas. quod inductionis modo in singulis ostēdit sensilibus speciebus. Sensilia igitur omnia secūdem speciē sunt finita & terminata. Si enim quorū extrema sunt terminata, intermedia etiam sunt finita & terminata: in quibus autem reperiūtur contraria, extrema sunt finita

& terminata: In sensilibus autē omnibus reperiuntur cōtraria: omnia igitur sensilia sunt finita & terminata. Illud autem, Quorum extrema sunt terminata, intermedia etiam sunt terminata: nunc quidem ut manifestum sumit: demonstratum autem est in primo posteriorum analyticorum commentario. Si enim nō essent terminata quæ sunt in medio, sed infinita, neq; extrema utiq; terminata essent, cum ad ipsa nunquam peruenire quispiam posset extrema. nanq; haudquaquam fieri potest ut infinita pertranseantur media. Hoc etiam modo ostendi potest non esse infinitas sensiles species. Si enim de pluribus singularibus omnis dicitur species: cum infinitæ per suppositionē sint species (siquidē de infinitis dicuntur singularibus) infinitis profecto infinita actu reperiri contingeret. Hoc autem absurdum est, & minime fieri potest. definitis nanq; singularibus multa non sunt infinita. Comparatio enim & applicatio vnius ad alium terminare nimirum & finire illa censetur.

Continuum etenim in infinita secatur inæqualia: in finita vero æqualia. quod autem per se continuum non est, in species finitas. Quoniam autem passiones quidem ut species sunt dicendæ, cōtinuitas autem illis semper inest, sumendum sanè est quod potestate & actu esse diuersum est: & hanc ob causam decies millena milij cum aspiciuntur latet portio: atqui visio totum id percurrit. Nec minus in die si latet sonus, licet continuata omnis audiatur cantio. Interuallum autem illius quod est in medio ad extremos, latet.

Hoc in textu philosophus ad quæstionem retro dictam alia etiam respondet via: & quoniam (ut supra diximus) continuorum introducta fuit diuisio, iccirco non ab re hic ostendit quonā modo ipsius continui differre videatur, siue per æqualia, siue per inæqualia fuerit facta, diuisio. quod etiam in commentarijs de physica auditione fecerat. Præterea quod ambæ huiusmodi diuisiones ipsorum sunt per se continuorum, quoniam non continuorum, ut sunt sensilia & omnino passiones, peculiaris & per se diuisio alia certe esse perhibetur, ea scilicet quæ in terminatas & finitas est species non continuorum. etenim diuisio in species quasdam, & non in magnitudines fieri censetur. hoc autē finite dicuntur esse species, quia in illis (ut dictū est) contrarietas reperitur. Quod igitur continuū quodlibet si per æqualia secetur, in quæpiam finita & terminata secabitur, est manifestum. omne nanq; continuum est finitum. Demonstratum enim est quod nullum est actu infinitum: omne autem finitum à quacunq; capta sui parte mensurari contingit. Si enim quod ultimo restiterit loco mensurans, non simul cum illo æquum erit & desinet, sed ipsum superare & excedere videbitur: nihilominus dimensum id esse & superasse dicitur. Quod si dimensum est, & quadrabit, manifestum profecto est quod continuum illud tot in se habet partes finitas, quota fuerit particula illa dimetiens & mensurans. Omne igitur continuum hoc rationis modo in æquales partes finitas & terminatas diuiditur, quoniam in totidem metiri & absumi dicitur. Cæterum continuorum diuisio in infinitum fit per partes & diuisiones inæquales. Si enim aliqua proportionali parte à toto ablata, ab illa in eadem proportione auferatur alia, & ab illa rursus etiam alia, inæqualibus semper existentibus partibus, ad infinita sanè procedet diuisio. Vel etiam hoc modo: si continuum diuidatur quippiam in duas medietates, potest etiam pari ratione in tres diuidi tertias, & in quatuor quartas, & in quinque quintas: pari rationis modo in centū centenarum, & mille millenas: & quoniam in infinitum excrecere censentur numeri, hoc etiam modo continui diuisio in partibus semper inæqualibus ad infinitum fieri existimabitur. Et eiusmodi quidam continuorum sunt diuisiones: eorum videlicet quæ vere & per se continua existunt. Quæcunque autem non sunt per se continua, ut sensiles sunt qualitates, si per se diuidantur & secantur, non hoc diuiduntur modo, sed in terminatas & finitas (ut dictum est) secantur species. Fuit autem quæsitum & dubitatum, si quemadmodum corpora in infinitum diuiduntur, ita illorum etiam passiones diuidi secariq; possent. Dicit igitur ijs præmissis philosophus qd si quidem passionum diuisio ad terminatas fit species: passiones nāq; corporū ex sunt sensiles species quæ per se sunt species, & nō magnitudines: quamobrē ipsarū diuisio ad terminata fit quædam & finita: cum quo nihilominus stare potest, quoniā corporum huiusmodi sunt passiones, & in continuo ut in subiecto reperiuntur, in quo suum etiam habent esse, illas per accidens diuidi ad continui illius diuisionem, & sic diuidi & secari, ut illud diuidi secariq; natum est: verbi gratia, ut illud in partes æquales finitas secatur: in partes autem inæquales infinitas: siue, quod idem est dicere, in partes actu & per se existere valentes finitas: in partes vero potentia existentes, & non de per se, sed toti suo inhærentes, infinitas: pari rationis modo inexistentes passiones per accidens diuidi & secari dicentur siue ad finitas siue ad infinitas portiones. Deinde cum dicit, sumendum est quod potentia & actu est diuersum: intelligere vult quod quemadmodū in ipsis cōtinuis aliud est id quod actu est, ab illo quod est potētia: sic in sensilibus quæ in cōtinuo sunt,

f. iij.

Continuum omne à partibus æqualibus finitis metiri. Cōtinuum ad infinita secari per partes inæquales.

Passiones per accidens bifariam cōtinuis secari.

existimare oportet aliud esse quod est potentia, & aliud quod actu. aliud enim est potentia sensibile, ab illo quod actu sensibile est. Et quemadmodum continui partes dicuntur in toto continuo esse potentia: ita & partium ipsius passionum continui dicuntur potentia sensibiles dum in toto partes existunt. Totum igitur milij granum sensibile per se ipsum est. per se enim est, & subsistere ex se potest. millena autem milij portio potentia est sensibilis, quando non per se est. quanuis enim visus in videndi opere milij cernens granum, omnia etiam quae in illo sunt discurret & cernat: non tamen millenam de per se cernit partem, sed illam in toto cernit. Parique se res habet modo in sonis, illorumque diuisionibus & notis. omnem enim cantum, qui continuus est quiddam, cuius particula est diesis, percipit auditus, potentia autem diesim percipit, quae quota illius cantionis est portiuncula. Cum autem dixit quod existente cantu continuo totum illum percipit auditus, subdit: Interuallum autem illius quod est in medio ad extremos, latet. id est, distantia ipsius dieleos, quae minima cantionis est portio, & intermedia extremae, supplendum distantiae ipsius cantionis (hoc est enim intermedium ad extremos) ipsum latere dicitur auditum. Quod enim inter extremos interiacet sonos, cantionis quidem est pars auditae, & in toto esse dicitur: ipsum vero per se ipsum non persistens, neque sensum facere, neque actu sensibile esse perhibetur. Caeterum quoniam philosophus hoc in textu musico usus est exemplo, in illoque cum soni & dieleos, tum interualli mentionem facit, non erit malum (ut opinor) ad clariorum litterarum intellectum haec ipsa ut harmoniaci facere solent, descriptionum lumine collustrare. Est igitur sonus, vocis nullo interuallo distantis harmonica extensio. Interuallum autem est sonorum ad se inuicem habitudo quaedam. Diesis vero minimum est interuallum quod per se audiri non potest. Post diesim autem est semitonium, quod iam potest audiri, duplex ad acutum addens augmentum ad ipsam diesim. Tertium interuallum toni est, duo continens semitonia. Huius autem interuallum in sesquioctaua distare dicitur proportionem: qualis est nouem ad octo: quae obrem semitonij proportio erit sesquiseptimdecima. Dieleos autem proportio erit sesquitricesima secunda. Ut se habet igitur tonus ad semitonium, ita se habet semitonium ad diesim. Quoniam igitur in dieleos interuallo minima est cantionis portio, ut visum est, ideo dixit philosophus quod interuallum quod est in medio, id est ipsa diesis, latet ad extremos, scilicet sonos, quorum ipsum dieleos interuallum habitudo est quaedam. Verum enim uero alia etiam est quaedam superioris litterae expositio, continuum etenim in infinita secatur inaequalia, & textus etiam qui ante hanc litteram fuit expositus, videlicet, simul autem cum istorum solutione: quam dum in Patauino gymnasium publice hunc profiteremur libellum, adduximus, ad id ipsum alia perueniens via, quae huiusmodi sane est: Quod post adductam, scilicet retro quaestionem de sensibilibus passionibus, utrum ne per corporum sectiones diuidentur & ipsae in infinitum: an quodatenus procedens illarum cessaret sectio: corporum autem nihilominus diuisio procederet in infinitum: ubi ad utrumque membrum probatum est inconueniens sequi & absurdum: post adducta inquam illa, ad solutionem philosophus accedens quaestionis dicit quod simul etiam soluetur illud quod retro quaesitum fuit, utrum scilicet species sensibiliu sint finitae & terminatae. conueniens enim est locus iste ad illam etiam dissoluendam quaestionem. Nam quaestio percontans utrum species passionum sensibiliu sint finitae, aliquo modo conuenire videtur illi quae quaerit utrum passionum sensibiles ad infinitum secantur. namque species infinite non possunt esse nisi ex generis diuisione in infinitum. Hoc autem expedito ad propositam reuertitur dissoluendam quaestionem, & dicit: Continuum etenim in infinita. Vbi pro solutione quaestionis propositae philosophus primo supponit duo: & unum quidem quod retro fuerat probatum, quod passionum scilicet sensibiles diuiduntur in terminatas & finitas species. non enim sunt magnitudines quae ad infinitum secari possint: & ad hoc contrarietates etiam habent. Alterum autem quod supponit, est, continuum in infinita secari partes inaequales: in finitas autem aequales. Nam cum omne continuum sit terminatum: quaecumque ex illis partibus accepta, ab illa nimirum metiri potest & absumi, ut probatum est in commentariis de physica auditione. Quae sint autem aequales partes, non est difficile dignoscere: palmus scilicet, cubitus, pes, brachium. quae vero inaequales sint partes, quae proportionales, ibi etiam abunde est declaratum. Istitis igitur sic positis & constitutis, ad quaestionem facilis patet responsio, quod quemadmodum scilicet in continuo duarum rationum esse censentur partes, & aliae quidem (ut ita dicam) actuales, aliae vero potentiales existunt, ita in eiusmodi sensibilibus passionibus quae per accidens ad continui sectionem & ipsae secantur & diuiduntur, eadem censentur esse partes. Et quemadmodum continuum ad infinitum per istas potentiales diuiditur partes quae de per se actu esse non possunt, sed potentia dicuntur esse, quoniam inexistunt toti: ita passionum istarum sensibiles in infinitum secantur per partes quae potentia quidem sunt sensibiles, actu vero sentiri non possunt: conferunt tamen toti ut sentiatur: & cum illo sane sentiri censentur: non autem de per se ob sui imbecillitatem sensum mouere possunt: quemadmodum millena milij pars, & in cantionibus diesis. Et rursus sensibiles istae passionum non diuiduntur in infinitum secundum finitas partes, quae de per se sumptae sentiri possunt, scilicet secundum actuales partes: quae assimulantur diuisionibus continuorum in partes aequales: cum superiores illae diuisionibus assimilentur continuorum in partes infinitas inaequales. Verum de ijs haecenus: quare ad Aristotelem reuertamur.



Imilique rationis modo quaecumque in alijs sensibilibus valde sunt exigua, potestate sane visibilia sunt: actu vero, postquam fuerint separata. Potestate enim pedalis linea in bipedali continetur: actu

Sonus.
Interuallum.
Diesis.
Semitonium.
Tonus.

Alia textus
expositio.

Quae sint partes
aequales:
& quae inaequales
sive proportionales.

autem cum iam est diuisa. Seiugati vero tales excessus rationabiliter resoluuntur in continens: vt si pusillus sapor in mare infundatur. Cæterum quoniam sensus excessus non est per se sensibilis, neq; etiam separatus: excessus enim potestate in exquisitiori inest sensu: neq; huiusmodi separatū sensibile actu sentiri continget: sed nihilominus erit sensibile. Potestate enim iam existit, & actu erit cum accesserit.

- C**um dixisset philosophus q̄ in audibili & visibili genere, quæ in toto existunt, nos latent partes, quoniã actu sensibilia non existunt, neq; de per se huiusmodi sunt dum suis inexistunt totis, sed solū potestate sensibilia esse existimantur: simili etiã modo istuc asserit se habere in alijs sensibilibus. illo-
 10 rum enim valde exigue partes potētia sensibiles esse, actu vero minime, quoniã separatæ non sunt, neq; per se existere possunt. Nō enim pedalis (verbi gratia) linea actu in bipedali cōtinua existente cēsetur esse, sed potestate. Pedalis autē tunc actu fit, cum separatur, & per se existit ab alterius cōtinuitate seiugata. Postquam vero dixit q̄ partes quæ in totis existunt suis, potestate sunt sensibiles, quoniam potestate in suorum sunt totorū cōtinuitate: consequenter quærit philosophus vtrū ne omnia à suorū cōtinuitate totorū separata per se possint sentiri: quoniã si hoc non erit, quonam modo illa in suis existētia totis potestate cum esse tum sentire dicentur? Statimq; subdit q̄ huiusmodi fieri posset diuisio, q̄ partes illæ haudquaquam restarent in natura subsistentes sua, vt millena milij portio separata non amplius milij restat portio, neq; illas habet passiones quas existens habebat in milij grano, sed resoluitur inquit, & in continens trāsmutatur, aërem scilicet, aut aquā. Quēadmodum enim vini cyathus in mare
 20 profusus priorem non amplius seruat naturæ statum, sed in maris substantiam conuertitur: pari ratio- nis modo tantulæ sensibiliū portiunculæ à totis suis seiugatæ in continentis vertuntur naturā. Quāobrē neq; hoc dicetur modo per se esse, sed illorū factæ esse partes in quorū fuerint mutata naturā. Verū si non corrūperetur etiã, sed remaneret, neq; hoc in casu actu sanè essent sensibiles, sed potestate. Quēadmodum enim alicuius partes totius, donec partes sunt, & in ipso existunt toto, potestate dicuntur sensibiles, & non actu, quoniam eo modo potentiale (vt ita dicamus) & non actuale habēt esse: ita etiam tantulæ illæ portiunculæ à totis separatæ suis, cum ob paruitatem effugere dicantur sensus, adhuc tamen potentiale illud esse conseruare censentur. Sui igitur natura sensibiles sunt, & naturales habent passiones. Sensibiles namq; in totis erant suis: sed à sensu nostro, verbi causa à visu, exiguitate paruitateq; sua sentiri non possunt. Huiusce autem rei causa est, quoniam excessus ipsius sensus per se non est sensibilis, id est nō
 30 omnis ipsius sensibilis pars per se est sensibilis. Vocat autem excessum sensus siue sensibilis, partem quampiam qua ablata quod reliquum est actu sentiri potest. Si igitur portio hæc quæ à sensibili abducitur re, non potest de per se & seorsum existēs sentiri, sed potentia est sensibilis: ita etiam in toto posita & collocata potentia erat sensibilis, & non actu. Cæterum alius etiam huius literæ est intellectus: Quemadmodum enim accuratior sensus aliqua sensituiua vi siue potentia superare & excedere hebetiorem dicitur sensum: non enim excessus quispiam accuratioris sensus esse perhibetur, nisi per aliquam sensituiuam potentiam: verum de per se excessus ille non est sensus: ponitur enim in litera illa cum dicitur, non est per se sensibilis, sensibile pro sensituiuo: non est igitur sensus excessus ille. nam si quispiam talem haberet potestatem qualē in excessu quopiam accuratioris sensus ad hebetiorem reperiri dicunt: nō utiq; sentire posset ille, licet excessus in accuratiori sensu illum augere dicatur. Hoc autem iccirco, quoniã in
 40 accuratiori sensu excessus in potentia erat huiusmodi: & non ita erat sensus excessus ille vt seiugatus & per se existens sentire per se posset, & sensum actu existere. Sicut igitur in excessu est declaratū illo, ita profecto in sensibilibus quædam sunt partes ita in totis suis potentia existentes sensibiles, vt inhærentes quidem totis quippiam illis conferant vt sentiri possint: separatæ vero & per se existentes de per se sentiri sequeunt. Eleganter igitur propositum necnon breuiter demonstrasse videtur philosophus, ipso sensus excessu hac vtens in ostensione: inde sumpta similitudine, quod quemadmodum excessus accuratioris & exquisitioris sensus qui ad sentiendi opera peragenda melius exquisitiūse se habens, multū confert, si ab habente auferatur & separetur, nō est per se sensus: ita tantula ipsius sensibilis portio ab illo seiugata, non utiq; erit per se sensibilis: verū eo sensibilis modo, quo prius erat dum in toto inerat suo, potestate scilicet sensibilis, & non actu: sicut excessus accuratioris sensus per se sumptus, sensus est potestate, quoniam cum aliqua iunctus potestate sensus fit actu. Cæterum non ideo quia pars illa à toto sensibili separata non est per se sensibilis, hanc ob rem non sensibilis esse dicitur, & absque aliqua passione: sed per se potentia sensibilis vocabitur. habet enim in se sensibiles passiones, verum eiusmodi, quæ sui paruitate sensum per se mouere non possunt. Actu autem erit sensibilis quando alijs similibus adiuncta copulataq; erit partibus, & ad illas accesserit. Quando enim illæ vnientur & conuenerint partes, quæ de per se existentes & seiugatæ potentia solū erant sensibiles sui imbecillitate & exiguitate haudquaquam sensum mouere valētes, tunc huiusmodi quippiã componere & efficere poterunt quod sensum utique mouebit. Non enim in qualitate solum, sed in quantitate etiam potentia à re sensibili motus efficitur, & sentiēdi procedit actus: non q̄ vnaqueq; (vt sepe dictū est) de per se sentiatur, sed quia per cōiunctionē
 50 f. iij.

Partes in toto vt potestate esse dicuntur: ita potestate sensibiles existimantur.

Alius superioris literæ intellectus.

copulationēq; ipsi toti conferre dicuntur. nam ita in toto potentia sensiles esse censentur, non quidem quòd aliquando possint per se actu esse sensiles, sed vt partes. alicuius enim per se sensilis sunt partes. Quamobrem illius potentiae quam habent ad posse sentiri cum separatae existunt, veluti actus erit secunda illa potentia per quam in toto existentes vt partes potentia dicebantur esse sensiles. tunc enim sensus illas aliquo modo comprehendere & sentire censetur, qui interim dum separatae erant, illas sentire non poterat. Circa illas igitur ceu in toto operatur existentes, non vt separatim manentes. Sed quoniā vt Aphrodisei philosophi hac de re sententiam explicarem, compendio prolixiores fuimus, breuiter propositae solutione quaestionis hoc adducamus in loco, & hoc recensamus illā modo, quòd passiones scilicet sensiles diuiduntur quidem & secantur cum magnitudinibus quarum sunt passiones, in infinitum, in partes inquam quae potentia sunt sensiles, quoniam in toto esse censentur suo. nō possunt autem actu sentiri, quoniam separatae vel transmutantur in continens: vel tantam non habēt vim quae sensum immutare possit: seō potentia dicuntur sensiles, quoniā cum alijs iunctae & copulatae sensum immutare & mouere possunt: vel quia sunt totius cuiusdam sensilis. Ex quibus sanē non sequitur neq; omnes sensilis alicuius partes actu per se existentes sentiri: quod fuerat inconueniens absurdum contra primum quaestionis membrum adductum: neq; etiam sequitur sensile quippiam ex non sensilibus constitui & componi: quod fuerat inconueniens contra secundum quaestionis propositae membrum adductum. partes enim illae licet de per se & actu non sint sensiles, in potentia tamen & in toto (quo dictum est modo) dicuntur esse sensiles.

Breuis & cō-
peditaria solu-
tio ad superio-
re quaestione.



Quòd igitur magnitudines quaedam & passiones latent, & quae de causa, & quomodo sensiles, & quomodo non, dictum est. Cum autem inerūt alicui tantae quaedam quae actu sensiles sint, & non solum in toto, sed separatim existant, has numero finitas esse necesse est: colores inquam, & sapes, & sonos.

Breuiter hoc in textu philosophus ea sub epilogo comprehendit de quibus retro diffusius dixerat, vbi magnitudinibus passiones coniunxit: ne quispiam forte deceptus existimaret aliquas iccirco non sentiri magnitudines, quoniā sensiles nō haberēt passiones: & ideo dixit non solum magnitudines, sed etiā ipsas latere passiones. Illud autē, quae de causa, additū sanē esse videtur ne temere fortasse existimetur ob id quod sine aliqua sensilium existūt passionū differentia, iccirco illa latere (sic enim illorū admitteretur opinio qui volebāt quod ex insensilibus & nullā habentibus passionē sensilia fierēt, & illarū etiam passiones producerentur: vt Democritici fuisse dicūtur, & quicunq; indiuidua propter soliditatē corpūcula, id est atomos, principia rerū esse posuerūt) sed quia habēt quidem aliquā ex sensilibus passionibus, minorē vero & hebetiorē quā vt per se existens sensum mouere sufficiat. Et iccirco diuisione ad infinitum facta, neq; sensilia sunt omnia, neq; aliqua magnitudinis sunt partes sensilis quae suapte natura non sensiles existant, & sine aliqua passionū differentia esse possint. Quando igitur haec quae per se existentia latere sensum dicimus, ita fuerint simul iuncta & copulata, vt omnia sensum mouere possint, & id non iam potentia sit sensile, sed actu sentiatur, tunc illa nimirum aliquid toti illi conferre censentur, vt etiā ipsa in illo sentiri queant. Verū non sunt sic potētia in toto illo sensilia, vt si casu aliquo fortasse secētur, de per se possint & seorsum sentiri. Quando autē cōtinui partes tantae & tales fuerint, vt non solum toti illi conferant vt actu scilicet sentiatur, quoniā illae inexistentes potentia sint sensiles, verum fuerint tales quod seorsum & de per se existentes actu sentiri possint: huiusmodi sanē partes ea in magnitudine numero esse finitas esse necesse. non enim finita potest magnitudo in tota infinitas diuidi & scariq; partes: neq; sectio in eiusmodi portiones similis est sectioni in partes aequales quam retro ostēdimus non procedere ad infinitum. non enim hoc in loco sic diuidens in minora semper & minora diuidendo procedit. Quamobrem non immerito id quod potentia sensile est, duplex esse censetur: quorum alterum quidem in toto esse dicitur nōdum separatū: quod tamen si separatur ab illo, poterit de per se esse sensile. Alterum autem quod conferre dicitur toti vt sentiatur, sed separatū non est per se sensile. Illa igitur potestate sensilia (vt dictū est) quae in toto existētia per se possunt separata sentiri, finita & terminata esse censentur: quēadmodū secta per equalia, finiri & cessare tādē fuit ostēsum. nāq; sensile cōtinuum minime secari diuidiq; potest in infinita actu sensilia, quēadmodū neq; in infinita aequalia. Quēadmodū igitur infinitae sunt in cōtinuo partes, potētia quidem illae, actu vero minime: ita & sensilia quae secundum diuisionē in infinitū secantur, potentia quidem sunt sensilia, actu vero nūquā per se sensilia existūt. Et rursus quēadmodū tantae partes ipsius cōtinui numero sunt finitae: sic & passiones sensiles in illis existentes, quae tot sunt per accidens quot illae sunt partes, cum secantur cū illis, finitae per accidēs esse dicūtur, vt retro dictū est, quoniā passionū per se diuisio in diuersas resultat dicitur species, quae minime ex diuisione apparēt cōtinui passiones habētis in partes suas. Quāobrē quēadmodū in cōtinui partibus illae finitae (vt ita dicā) & infinitatē habere dicūtur: ita in passionib; istis sensilibus p accidēs, finitas & infinitas esse existimatur. Demōstratū igitur est quod neq; omnis pars magnitudinis sensilis, actu est sensilis, neq; ex nō sensilibus & passiones nō habētibus sensiles cōstituuntur

Duplex esse
potētia sensile.

magnitudines, & sensibiles passiones. Vbi etiã est ostensum q̄ omnis pars magnitudinis sensibilis suapte natura est sensibilis. Cæterũ quoniã hoc in loco Aphrodisæus Diodori taxã sententiã demonstrare contẽdit neq; minimum dari sensibile, neq; maximum non sensibile, quod volebat ille: eius in præsentia ego rationem, ne nostratum fortasse abhorreant aures, vñtatori disputandi modo, & clariori elocutionis stylo in medium adducere decreui, quæ huiusmodi ferè est. Si enim datur minimum sensibile, quod ideo rationale à Diodoro merito & rationabiliter dicitur, quoniam omne maius eo potest sentiri, & nullum minus eo sentiri valet: posito q̄ magnitudo in infinitum diuidatur, vt ostensum est, & q̄ omnis pars magnitudinis sit magnitudo: accipiamus illud minimum sensibile, & cum diuisibile sit, aliquam ab illo auferamus partem: qua sanè ablata id quod restabit maximum, certe non sensibile erit, quoniam omne minus eo est non sensibile, & nullum maius eo remanet non sensibile. Hoc autem factò, accipio partẽ illam ablatam à minori illo sensibili, quæ per talem (vt diximus) sectionem effecta est maximum non sensibile, & illam bifariam diuido, cum (vt positum est) sit diuisibilis, & vnã illius partẽ adiungo minimo illi sensibili: & quæro an totum quod resultat & efficitur, sit sensibile, vel non sensibile. Si enim totum illud post huiusmodi applicationem erit non sensibile, non fuit profecto illud de per se ante applicationem maximum non sensibile, quoniam hoc est maius eo. continet enim illud totum, & partem etiam de nouo applicatã, & est non sensibile per suppositionem. illud igitur non fuit maximum nõ sensibile. Si autem parte illa addita totum illud cõiunctum est sensibile, illud certe prius integrũ nõ fuerat minimum sensibile. nanq; cõiunctũ hoc est minus eo. caret enim illius medietate quæ ab ipso fuerat ablata: & tamẽ est sensibile. Ex quib; liquidò patere potest q̄ non est dare neq; minimum sensibile, neq; maximum non sensibile hoc modo, si quidem omnis magnitudo potentia est sensibilis. Cuius rei hæc censetur esse ratio, quoniam magnitudo nulla suapte natura est non sensibilis, sed ex nostri imbecillitate sensus non sensibilis esse apparet. Quamobrem si natura sui nulla est non sensibilis magnitudo, neque maximum profecto dabitur non sensibile, neque minimum sensibile.

Cõtra Diodorũ neq; minimum dari sensibile: neq; maximum non sensibile.

Nullã suapte natura nõ sensibile esse magnitudinem.

DVbitare autem quispiam posset, an perueniant vel sensibilia ipsa, vel illorum motiones, quocunq; sensus fiat modo, cum initio in medium agant, quemadmodum odor & sonus facere videntur. Prius enim qui proximus est, odorem sentit: & post percussionem exauditur sonus. nunquid sic & id quod videtur, & ipsum lumen: vt Empedocles asserit solis lumen prius ad medium peruenire, quàm ad visum, aut ad terram. Istuc autem non immerito contingere existimabitur. Quod enim mouetur, alicunde aliquò mouetur. quamobrem aliquod intercedere tempus necesse est, in quo ex altero mouetur ad alterũ. omne autem tempus est diuisibile. quare erat quando non cernebatur radius, sed adhuc in ipso medio ferebatur.

HOc in textu rationabilem philosophus mouet dubitationem quæ ex ijs quæ de sensibilibus, & de sentiendi etiam modo retro dicta sunt, non immerito emergere posset. Est autem huiusmodi, vt trum ne sensibilia omnia antequam ad sensibilia perueniant, in spatio prius fiant medio inter ipsa scilicet, & id quod sentit, ita q̄ prius in illius medietate sint spatij & interualli medio, quàm in illius extremo: an secus id fieri existimandum sit. Primum nanq; in aliquibus asserit sensibilibus esse manifestum. in sonis videlicet, & odoribus. non enim factò strepitu, commotoq; sono, illum confestim percipit auditus: sed qui longe sunt, tardius & odorantur & audiunt, quàm qui propinquiore existunt: cum soni odoresq; ob maiorem interualli distantiam aut minorem cum tardius tum celerius deferantur. In his igitur manifestum sanè est quæsitum: cæterum dubia & anceps est quæstio si hoc quærat modo de ipsa visione, ita q̄ a visibili obiecto quippiam temporis vel prolixioris vel breuioris feratur spatium ad ipsum videntis oculum. In litera autem dixit, si perueniant vel sensibilia, vel illorum motiones: quoniam quibusdam (vt visum est) placuit quasdam à visibilibus defluxiones emanare, & illas sentiri cum ad oculos & sensibilia peruenissent. Alijs autẽ nõ idem placere dictum est, sed moueri quodammodo mediũ ipsum inter sentiens & sensibile constitutum: & veluti ab ipsis sensibilibus disponi cum sui natura sit huiusmodi, à qua postmodum dispositionis alteratione omnimodæ profecto sensationum efficerentur diuersitates. Quoniam igitur variæ antiquorum hac de re fuere sententiæ, & quoniam animalia sentirent modo: hoc autem in loco propositum philosopho non sit disquirere & examinare quoniam sensationes fiant modo: alibi enim istuc pertractatum est, & nos etiam in superioribus planè recensuimus: dubitationem in medium adducit vtriusq; opinionibus communem. Siue enim medijs illis effluxionibus à sensibilibus ad sensibilia, & quibus sentire datur, sensationes fiant: siue alteratione intercedente & motione

non quidem
sunt partes
etiam lo
tunc enim
mullas sens
mentis. Sed
res finitus,
modo, quò
passiones,
suo. nõ pò
habet vim
palatæ sen
non sequit
s absurdum
non sensib
sitate memo
& in toto
, & qua
tum est.
siles sint,
ero finit
ius dixerat,
quas iccirco
i magnitudi
re fortasse
nim illorũ
, & illarũ
soliditate
ibus pass
sione ad
apte na
quæ per
uere pos
ferre cen
su aliquo
es fuerint,
it sensibiles,
artes ea in
titas diuidi
retro ostis
& minora
celi. quoniam
illo, poterit
on est per se
a sentiendi, si
sensibile. nõ
in infinita v
minime
vero nõquã
medic & pal
mur cõ illis,
resultare d
uobẽ quò
illorũ istis
nis pars ma
coluntur

Empedocles
Democritus

illa non ab re profecto quæri potest vtrum illæ vel effluxiones vel motiones prius sint in medio spatio quàm in extremo: & quoniam id in odore est manifestum, necnon in ipsis sonis, de visione hoc quæritur in loco si isto fieri contingit modo: quemadmodum, inquit, etiam asserere videtur Empedocles. Dicit enim ille quod solis lumen prius in spatio est intermedio inter solem & terram, quàm ad ipsam perueniat terram. Cuius etiam sententiæ censetur esse Democritus, omnesque nimirum illi qui à sensilibus obiectis effluere quippiam voluere, quod ad videntis vsque oculos perueniat. Dicit igitur philosophus quod non omnino ratione carere isthæc videtur opinio, quod in medio scilicet prius quàm in extremo ista perueniant sensilia. Motus enim fit vel ipsius visibilis, vel alicuius rei ab ipso visibili procedentis. omnis autem motus qui alicunde aliquò fit, in tempore sanè fieri percipitur. Porro omne diuisibile est tempus. Motus igitur ille quo ipsum visibile delatum fuit, vel ab ipso effecta processit passio in medietate temporis illius, in medio certe erit spatio, vel omnino in aliqua intermedia inter visibile & videntis distantia, & nondum ad videntis peruenit oculos, neque ab illo sentitur. Quamobrem, inquit, solis radius, vt Empedocles voluit, non statim sole cernitur exorto, sed tempore: & ijs quidem citius, illis vero tardius. Dixit autem non immerito id contingere existimari, si quidem visio mediâte fieret motu: quod in alijs haudquaquam fieri ostensum est locis.



Et si omne simul audit & audiuit, & omnino sentit & sensit, nullaque istorum est generatio, sed sine ortu sunt, nihilominus sunt vt sonus, qui facta percussione auditui nondum adest. Id autem ostendit literarum transfiguratio, quasi in medio fiat translatio. Minus enim quod dictum est percepisse videtur, quoniam delatus transfiguratur aër.

Cum dixisset philosophus rationabiliter videri prius in medio latum esse sensibile, quàm ad sentiens ipsum peruenire posse: & hoc non minus in visilibus quàm in reliquis sanè sensilium generibus: subdit quod nihil certe refert ipsius sentire non esse ortum & generationem aliquam, ad hoc quod tempus intercedat quoddam in quo sensilia ferantur ad sensum. quasi dicere velit ista simul stare, quod ipsius sentire non est generatio, sed simul aliquis sentit & sensit, & tamè anteq̃ sentiat, motus qui ab obiectis sunt sensilibus, prius sint in medio, quàm sensiteria ipsa pertingant. Pro quo est animaduertendum quod ex eorum numero quæ non semper sunt: illa quæ per generationem ad esse deueniunt, non simul fiunt, & sunt, sed ante illorum subsistentiâ præcedit generatio. Est autè ipsorum semper quippiam quousque fiât: istoque modo fieri dicuntur illa quæ naturaliter fiunt. Equus enim non simul fit, & est equus: sed donec fit, nondum est equus, aliquid tamen est equi. Parique rationis modo in ijs quæ ab arte fiunt, perspicere licet. Domus enim & indumentum & lectulus tunc demum talia esse dicuntur, cum fieri desierunt: dùm autem fiunt, huiusmodi esse non dicuntur, verum illorum semper est aliquid. Cæterum nonnulla etiam sunt entia quæ ad esse per generationem ab ipso non esse haudquaquam peruenire dicuntur, de quibus sanè dicere non contingit quod pars quidem illorum est, ipsa autem nondum completa existunt: sicut in illis rectè dicebatur antedictis quæ per generationem fieri asseuerauimus. ista enim cum non fiant per generationem, nullo certe indigere videntur tempore, quod profecto omnis requirit generatio: cuiusmodi naturæ tactus esse censetur. nulla enim ipsius tactus est generatio, neque aliquo fit intercedente tempore tactus: in alio vero esse censetur, sed simul incipit & illico est tactus: neque dicere contingit quod aliquid ipsius est, & nondum est tactus: sed fit & subito est. Et de horum numero omnes nimirum sensuum sunt actiones. nullius enim illarum est generatio, sed auditus (verbi causa) simul audit & audiuit. & non est dicere quod aliquid sit ipsius auditus qui fit, & nondum completus est ipse auditus: sed veluti in tactu quælibet capta pars est tactus, sic in auditu quælibet ipsius pars est auditus. Simul igitur audit & audiuit. omnis enim actus ipsius est auditus, & omnis similiter pars. Quamobrem ille qui audit, subito audiendo audiuit. Similique rationis modo in alijs reliquorum sensuum actibus est existimandum. Momentaneæ enim illorum sunt operationes & actus, neque ad sui perfectionem vllò indigent tempore. Ad tantam namque aut ad tot videre vel audire, aliquo sanè indigemus tempore: ad videre autem vel audire vel gustare, nullo certe temporis indigemus interuallo. Verum, inquit philosophus, cum sic se habere ipsi videantur sensus, nihil certe refert sensilia ad sensiteriorum peruenientia loca prius esse in medio spatio quàm in extremo, ita quod non simul cum illorum motione sensiteria ab illis moueantur & immutentur. Quemadmodum enim in tactu ipso ea quæ debent se inuicem tangere per medium, ad se inuicem ferri oportet vt se contingere valeant, quâuis (vt dictum est) ipsius tactus nulla sit generatio: ita in reliquis etiam verisimile est contingere sensibus. quæ res in auditu certe est manifesta. non enim factus sonus illico aures percùlit, sed tempore quodam intercedente posteaquam est factus, illum aures percipiunt. Quamobrem non eodem ad illum se habent modo & qui déprope & qui à longe sentiunt. Cuius rei signum vel euidens affert philosophus, quoniam illorū quidè qui à remotis loquuntur, cum exaudiantur vox, haud tamen rectè percipi potest sermo. Huius autem rei causam transformationi inuersionisque

Quædã entia per generatio nē fieri: quæ dā vero nulla generatione.

literarū assignat ipse, dearticulatos intelligens sermones, qui ex literis sanè constare videntur, quarum figuræ & formæ quæ ex tali vel tali in aëre fiunt percussione & plaga, cum non perueniant integræ ad auditus sensum quales à loquente fuerunt conformatæ, non bene percipi aut integre cōprehendi possunt. Siue igitur literarum conformatio in illo transmutatur motu, siue illius percussione & plagæ vegeta deficit vis (quemadmodum Lampfacenus dixerat Strato. non enim voluit ille vir varios effici sonos quoniam vario aër conformaretur modo, sed istud plagarum percussione inæquabilitate fieri & prouenire dixit) quomodolibet igitur hoc accidere dicatur, id proculdubio in confessis est habendū quod motiones illæ prius sunt in medio, quàm ad audientis perueniant aures: & melius & citius audire planè dicuntur qui deprope sunt, quàm distantes, & quicumq; à longe audiunt. Cum autem hæc de sonorum dixit natura & modo, de alijs quidem sensilibus quæ simili vt ipsi modo actu fiunt soni, nihil sanè ambigit: de visione autem & visilibus sub dubitationis modo sic infert:

Strato Lampfacenus.

Num igitur & color & lumen sic se habent? Nō enim respectu aliquo hoc quidem videt, illud autem videtur: vt sunt æqualia: non enim vtrūque alicubi esse oporteret. Nihil enim refert, quæ sunt æqualia, propinqua, an longinqua sibi inuicem esse.

Non enim, inquit, visio, ipsumq; videre sub respectu sunt, & ex illorum numero quæ dicuntur ad aliud, aut nulla indigent positione, vt æqualia, aut similia. Huiusmodi enim ubicunque fuerint, æqualia sunt semper, & similia: & eandem vtrāq; ad sua correlatiua habent correspondentie habitudinem, & non solum hoc (verbi gratia) in loco sunt æqualia & similia, transposita vero & translata non remanent amplius similia & æqualia: non hoc, inquit, se habet modo sensus visus ad visibilia, ita qd nihil in illis positio faciat & interuallum. non enim omnia visibilia cernit visus, aut quocūq; posita in loco, aut à quacūq; distantia illa comprehendere valet. quibus ex verbis ostendere vult philosophus (vt Alexander ait) quod visibilia per medium spatium ad oculos feruntur. non enim vt æqualia se habent, omnia etiam quæ sunt ad aliud, proculdubio se habere videntur. Dextrum namq; & sinistrum, similiq; modo ante & retro, sursum & deorsum, positione indigere aliqua manifeste percipiuntur. Non vult igitur hoc in loco philosophus non esse visionem simpliciter de illorum numero quæ sunt ad aliud, sed nō esse de illis asserit quæ cum sint ad aliud, nulla tamen positionis indigent circumstantia, aut interuallo: quoniam ipsi sanè videtur in quodam se habere habitudinis modo visionem ipsam, quæ inter videns & rem visam consyderari potest: vel indiget quidem visio habitudine quadam, non est autem in habitudine illa ipsum videre, id est visionis actus siue opera. Dextrum autē & sinistrū in habitudine sunt. Visionem præterea quosdam habere oportet vires per quas ipsum comprehendere visibile valeat. sine illis enim ea sanè habitudo ad videndum valet nihil. Quoniam igitur in perspicua est natura, habitudine constare dicitur: ipsum vero videre in nulla esse habitudine iure & merito dici potest.

Non oia quæ sunt ad aliud positione carere.

An in sono quidem & odore hoc accidere rationi est consonum? Quemadmodum enim aër & aqua, continua quidem sunt, partibilis autem nihilominus vtrorumq; est motus.

Hoc in textu (vt inquit Alexander) ostendere vult philosophus quoniam visus ab alijs sensibus distet differentia, & quod in illis quidem verū est dicere, sensibilia priusquam sensationes efficiantur successiue ad sensiteria ferri & peruenire, mediumq; inter illa intercedere tempus: non sic autē in visibilibus fieri contingere. Dicit igitur qd aër & aqua quæ auditus & odoratus sunt intermedia: per hæc namque, vt retro vidimus, illos fieri contingit sensus, cum moueantur & patiantur à sensilibus: aër igitur, inquit, & aqua ad se inuicem continua sunt: aër scilicet aëri, & aqua aquæ. corpora enim eiusdem sunt generis ista: quamobrem sicut ad suas se habet partes aër, ita ad suas se habet aqua. Motus igitur in illis diuisim per varias fiunt partes. Prima namque pars afficitur & disponitur prius à sensibili, & ita transcursu & participatione, vt ita dicatur, ipsius motus & alterationis factæ, à prima quæ id passa est parte, secundæ etiam id communicatur parti quæ illam consequitur: qua affecta, succedenti etiam partem eo impressionis modo talis inuritur & infligitur passio, eousq; quo ad sensiterium perueniat, quod illius postremo fit particeps passionis. Quamobrem non immerito contingere videtur, eundem sonum ab hoc quidem prius, ab illo vero posterius exaudiri, cum hic forte fortuna iuxta priorē immutatam aëris vel aquæ particulam existat, ille vero iuxta posteriorem. Signum autem ponit philosophus quod aëris & aquæ in quibus audire & olfacere contingit, motus & passionis à peculiaribus diuisim fiāt obiectis, huiusmodi videlicet, quod vnus & eiusdem rei plures sanè habent sensus, idemq; à diuersis planè sentiri percipiunt: & ab alijs quidem prius, ab alijs vero posterius. Quamobrem ambo ij sensus cum per partium successiones fiant, tempore certe indigere videntur antequam sensibilia ipsa quo peruenire

Quomodo per successione auditus & odoratus ad sensiteria sua perueniant.

Differētia in-
ter sonorum
odorūq; motu-
tiones.

conuenit pettingere possint. Hæc autem est inter sonorum odorūq; motiones differentia, q̄ in odoribus & in olfactili genere illud quod ab ipso olfactili primo est motum, passionem in se conseruans illam, parti nimirum post se existenti eam infligit & tribuit. Quamobrem licet propinquiores rei odoræ, illius fragantiam priores sentiant, postmodum vero remotiores & semoti magis, vtriq; tamen olfacientes perseuerant. In sonorum autem genere non sic se habet res, sed prima quidem pars secundæ passionem affectionemq; infligit suam, quam tamen ipsa nō retinet: pariq; rationis modo de cōtiguīs & subsequētib; intelligere conuenit. Quamobrem aliās alij percipere & audire dicuntur. Hoc autem ideo, quoniam sonorum quidem genus ad lationem motumq; pertinere videtur magis: olfactilium vero naturam magis ad affectionem alterationemq; & passionem spectare.



10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

Quamobrem contingit quidem vt id ipsum audiat & odoretur primus & postremus: contingit autem vt non. sed nōnullis hac in re videtur inesse difficultas. fieri enim non posse asserunt aliū alio idem audire, aut videre, & olfacere. Fieri enim haudquaquā potest vt multi & separatim existentes audiant, vel odorentur. id enim quod vnum est, a semetipso distractum esset. An primum quidē mouens, vt tintinabulum, vel thus, vel ignem, omnes vnum & idem numero sentiunt: quod autem iam est proprium, aliud numero, specie vero idē. Quamobrem multi simul aspiciunt, odorantur, & audiunt.

A Ntequam de visione de qua retro quæsiuit, verba faciat philosophus, quo scilicet modo se habeat illa circa sensus proprii immutationē, & quod nō similiter fieri dicatur sicut in sonis & odoribus contingere est declaratum, quandam prisorum in medium de ipsis sensibus dubitationē adducit, cuius solutionē esse ostendit id quod in presentia dicitur, quod scilicet contingit vt idem primus audiat & postremus: contingit autem vt non. Dubitatio autem ipsa huiusmodi esse videtur. fieri enim non potest, inquit, alium alio idem audire vel olfacere, vel videre. Si enim illi qui a se inuicem sunt semoti, alio, id est p̄ se iugatos numero sensus, eādē numero rē percipere possent, illa certe res quæ percipi cōprehēditq; dicitur, seorsum a seipsa existēs in plerisq; sanē esset locis. Cui⁹ difficultatis statim solutionē adducēs subdit q̄ primum quidē illud quod mediū mouet, siue aēr, siue aqua esse dicatur, omnes profecto vnū & idē numero sentiūt. Si enim resonans fuerit tintinabulū, idē omnes numero tintinabulū planē audiunt. siue thus fuerit suffitu redolens, id nimirū olfaciūt omnes. Siue aēr fuerit excafcaciēs, aut oculis deprehensus ignis, omnes profecto eundē numero ignē cernunt & sentiunt, aut incalescentes si prope fuerint: aut si eminus, illius splendorem cernentes. Primum igitur mouens in omnibus ijs vnum est & idem numero. id autem per quod fit perceptio, & sensus in omnibus de proximo immutatur, non est idem numero, sed singulis quædam coniuncta est pars aëris vel aquæ peculiaris & propria, qua intercedente illius fit sensibilis perceptio. Specie igitur idem est: & omnes profecto idem percipiunt specie. omnes enim audientes eundem specie audiunt sonum, & eundem specie olfaciunt odorem quicumque odorantur, similique modo eundem specie calorem sentiunt. Quamobrem cum eiusmodi sensilium perceptiones fiant & comprehensiones, nullum profecto est inconueniens idem a multis simul sentiri posse seorsum & separatim existentibus. Specie enim idem, numero vero diuersum & aliud sentiunt: & hoc sanē est quod in litera dicit: contingit quidem vt idem audiat primus & postremus: contingit autem vt non.



Vnt autem hæc neque corpora, sed passiones & motus quidā, non enim istuc contingeret, neque sine corpore.

A Ssignare hoc in textu videtur philosophus illius rationem quod paulo ante adduxerat, q̄ idem scilicet sensibile a diuersis percipi sentiri ve possit. Dicit igitur sensilia, sonum videlicet & odorē, caliditatem, colores, & huiusmodi reliqua neque esse corpora, sed passiones, & motus quosdam: neq; sine corporibus. horum enim esse passiones censetur: quamobrē corpore medio patiente & quodammodo disposito & ab ipsis alterato sensilibus, sensationes sanē efficiuntur, illasq; percipere ipsi dicuntur sensus. Si enim corpora essent illa quæ sentiuntur, impossibile profecto esset plures vnum & idē numero sentire. Tunc enim idem a se ipso distractum esset & separatum. si inquam quodpiam corpus simul in multis esset, & rursus si absque corporibus sensilia essent, sensus illa haudquaquam percipere posset. motus nanque per quem illa fit perceptio, corporis cuiusdam esse perhibetur. Sed & ipsa nobis hoc idem ostendit diuisio quæ magnitudini conuenire sanē cēsetur, per quam diuisæ simul passiones a

Quomodo i-
dem numero
& rursus idē
specie simul
a diuersis sen-
tiri possit.

Quod sensibile
neq; corpus ē
neq; sine corpore.

multis simul percipi dignoscique possunt. Quoniam enim sensibilia sunt passiones & motus in corpore existentes, ideo à pluribus simul sentiri possunt, cum simul per diuersas sui partes corpora pati dicantur ab illis que infligere illas valent passiones.

DE lumine autem alia est ratio. eo enim quod quiddam est, ipsum lumen est, sed non motus quispiam.

Cum retro dixisset philosophus rationabiliter circa sonos & odores accidere quod ij antequam sensum moueant, in medio prius percipiuntur, quoniam per motum quendam & lationem, nec non passionis cuiusdam participationem in corpore medio quod est continuum, ipsorum à sensibus fiant comprehensiones, quamobrem horum etiam in tempore sunt sensus: non similiter inquit
 10 lumen fieri in perspicuo & intermedio corpore inter visionem & luminosum corpus: eandemque de colore esse rationem. In eo enim quod quiddam est, lumen sanè est: id est, non quemadmodum in sonis & odoribus medio moto corpore per participationem successionemque passionis & affectionis, cum alia semper & alia ipsius patitur pars, illorum fieri sensationes percipiuntur, sic in lumine & in ipsis visibilibus est censendum. non enim per motum aeris, neque ipsum illuminatur perspicuum, sed ex potestate perspicuo, illico actu fit perspicuum: & ex non habente lumine, statim fit lumine plenum: non quia illud recipiat, aut omnino moueatur. habitudine enim non substantia tale est lumē corporis luminosi ad corpus lumen suscipere valens: ut in commentarijs de anima est declaratum. Dixerat enim in illis lumen ignis esse presentiam, aut luminosi corporis in diaphano: quam certe presentiam hoc in loco ostendere vult cum dicit, eo quod quiddam est. Quemadmodum enim dextrum alicuius non fit dextrum per
 20 motum, neque per aliquam generationem, sed tali habitudine illius ad quod est dextrum, subito fit dextrum cum prius non esset dextrum: pari rationis modo potestate diaphanum, actu illico tale efficitur à tali ad ipsum habitudine corporis collustrare valentis. omne enim id quodcumque potest à tali illuminantis habitudine actu fieri diaphanum, & actu illuminatum, illuminari statim dicitur, non à parte sui incipiens aliqua, & plus à propinqua corpori luminoso, & ita successiue procedēs, motu temporis intercedente ad remotiores quascumque partes, quemadmodum in sonis & odoribus ostensum est fieri.

Lumen corporis luminosi est presentia in corpore diaphano.

Non similiter autem omnino se habet res in alteratione & translatione. translationes enim rationabiliter in medium prius deueniunt: sonus autem translatus cuiusdam apparet esse motus.

Quæcumque vero alterantur, non simili fiunt modo: contingit
 30 nanque simul totum alterari, & non prius dimidium, ut in aqua quæ simul gelatur. Veruntamen si fuerit multum id quod calefcit, aut gelatur, proximum à coniuncto patitur, cum primum ab ipso mutetur alterante: & non simul & subito alterari necesse est.

Quod poterat statim in medium de ipsa visione afferre philosophus, in presentia per alia quædam probare contendit, ut ostendat scilicet non noua esse & absurda que asserit, cum alioqui non similiter in omni motu se habeat res. Alteratio nanque, & ipsa latio, id est ipsa per locum cum mutatio, non similiter se habere videtur: cum hæc prius in medio sit, & ad ipsum perueniat medium, quam in extremo existat, & ad ipsum perueniat extremum: alterationem autem eo fieri modo nulla sit necessitas. Lationes autem quasdam esse eos qui in sonis & odoribus fiunt motus, hic asserit, quoniam in temporis spatio quodam utrorumque fiunt motiones. Strepitu enim facto non statim illud
 40 percipiunt aures: & in medio excitatis odoribus, non illico illorum fragrantiam sentiunt nares: sed temporis uterque sensus spatium indigere percipitur. Quamobrem alterationis motus in omnibus lationibus haudquaquam similis esse censetur. Contingit enim, inquit, quippiam subito incipere alterari secundum se totum, ita quod non ipsius medietas prius, aut pars post partem, ut alteratio illa fiat in tempore: verum licet subito incipiat alterari, verbi gratia quippiam congelari, non ideo, inquit Alexander, illud subito cum inceptio (ut ita dicam) illa congelatur, vel congelatum est, sed tempore etiam indiget. Cum autem dicat non secundum temporis dispositionem fieri omnino alterationem: esse enim aliquam magnitudinem quæ subito alterari incipiat: subdit postea quod si in ijs multum fuerit, id est in magna mole id quod alteratur, verbi causa id quod calefcit vel congelatur, non simul incipit vniuersum, sed subsequens
 50 pars à præcedenti patitur & alteratur parte, & non vniuersum illud & totum à prima illico alterantis parte alterari & affici dicitur. Cæterum hoc in loco animaduertendum esse duco, non ideo philosophum hanc adduxisse similitudinem, ut illuminationem esse velit alterationem (illius enim isthæc non est sententia) sed ostendere intendens nonnulla etiam reperiri quæ statim mutari sunt nata, & non omne di-

Aliud de Alexandri sententia subito incipere: & aliud subito fieri.

uisibile ab aliqua sui parte incipere alterari. Si enim in alteratione, quæ motionis est species quædam, & in tempore fieri cœntur, aliquam reperiri alterati partem quæ subito alterari incipiat, nihil sanè prohibet: non est profecto valde mirandū si quispiam asserat perspicuum subito collustrari, cum illuminatio ipsa & collustratio nullo fiat motu. Quod autem non idcirco hoc in loco adduxerit alterationem, ut ostenderet illuminationem alteratione fieri aliqua, ex hoc certè deprehendere possumus quod statim subdit. Verūtamen si fuerit multum id quod calefcit, aut gelatur &c. non enim ita dixit contiguum à cōtiguo illuminari si multū fuerit id quod illuminari cōtingit. totū enim subito id illuminari vult sola luminosi corporis habitudine ad ipsum facta: & nō ipsius pars quæ pauloante nō erat illuminata, subito posthac erit illuminata. Quomodo autē ista vsus est similitudine, subito scilicet aliquā alterati posse partē ab ipso alterate alterari & affici? An ideo sic dixit, quia prima pars ab ipso mutatur alterante, & illa subito & simul mutari necesse est. istuc enim pposito vtile est, & sententiæ cōgruit suæ: quoniā odoratus in medio fieri dicitur alterato & affecto. Et fortasse haudquaquā verū est illud, omne alteratū illico incipere alterari: partē quidē aliqua ipsius magnitudinis incipere alterari concedendum sanè est: omne autem id, haudquaquam videtur. Siquidem oportet (ut in physicis dictum est commentarijs) omnis rei motū partem esse quāpiam in termino à quo, & partem in termino ad quem. Hac enim via demonstratum sanè fuit omne mobile esse diuisibile & partibile. Quod autē lumen in habitudine consistat quædam luminosi corporis, & non in alterationis modo, vel inde manifestum est, quoniam alteratum quidam alterante semoto non illico passionem ab illo inustam deperdit. nō enim calefaciente remoto calore statim amittit id quod calefecerat prius. Quæcūque autem huiusmodi esse dicuntur per quampiam naturæ ad quædam alia habitudinem, non eo se habere videntur modo. illo enim remoto & de medio ablato ad quod habitudinem habent illam, huiusmodi illico interit respectus, cessantq; & esse & dici talia. Patre enim vita functo, illico & esse & dici cessat filius, & dextro quoque remoto, sinistrum statim esse definit sinistrum: quod proportionaliter de luminis esse natura censendum est. Remoto enim aut adumbrato luminoso corpore, cessare illico lumen percipitur. Habitudine nanque illa deperdita & cessante, ea quæ huiusmodi per illam esse dicebantur, cessare & deficere necesse est.

Sententia.

Quod lumen in habitudine consistat quædam.

QAETERUM si in humido essemus, gustandi ratio sicut odoris esset: & remotius etiam ante illius contactum sentiremus.

QUOD hoc in loco philosophus dicit, huiusmodi esse videtur. Quemadmodum in odore si distās illud sit quod ex sese odorem reddit, ipsum quidem sentimus odorem, quoniam aere vel aqua intercedentibus & immutatis ab illis sanè mouetur sensus: illa autem passio & affectio nō simul, sed successiue in illis fieri, & ad odoratus peruenire censetur sensum: ita, inquit, in gustatu res se habet. si enim ille in humido esset, aqueo videlicet, & illo medio nos gustabilia perciperemus, aqua certe à saporibus qualitatem & affectionem quampiam recipiente, & illorum naturam referente, gustatus nimirum in nobis gustabilium fieret priusquam ipsa gustabilia tangeremus, ut in olfactu genere manifeste videre contingit. Nunc autem id accidere nō percipitur. nam aer quidem in quo spiramus & degimus, olfactilium est receptiuus: nō patitur autem à saporum generibus, licet sit humidus, quoniam non omne humidum (ut retro dictum est) à saporibus pati natum est, sed nutritiuum & sapidum humidum.

RATIONI autem consentaneum est, quorum sensiterijs interiacet medium, ea non simul pati: lumine tamen excepto, ob antedictā causam: quod in ipso etiam videndi opere ob id ipsum sit dictū. Lumen enim facit ut videamus.

RATIONI inquit consentaneum esse per ea quæ dicta sunt, quod quorum aliquid est intermediū per quod sensilia percipi dicuntur, non simul illud patitur, neque sensilium species simul percipere censetur, sed successiue videlicet & cum tempore, nisi in visilibus & lumine. Verum cum rationi consentaneum esse dixit? Quoniam scilicet sensilia illa per motum & passionis cuiusdam affectionem in intermedio fiunt spatio ab ipsis prius alterato: quamobrem & in tempore ab ipso mouete huiusmodi passio & affectio illa per successionem infligitur. Lumē autem & colores non fiunt per motum. In tali enim illuminantis habitudine ad illuminatam rem, lumen esse dicitur: quapropter totum perspicui spatium statim collustratur. Cum autem ita sine tempore fiat lumen, rationabiliter & visile ipsi se applicat visui illico & in instanti: ita ut non solum ipsum videre sine tempore fiat (hoc enim ostensum est omnibus esse commune sensibus) sed sensile ipsum sine tempore visioni occurrere, & ab illa percipi dicitur. Motus enim colorum in diaphano quod actu tale est, similiter se habet lumini in diaphano facto. Quod ostendit per hoc quod dicit quod in ipso etiam videndi opere ob id ipsum sit dictum: Lumen enim facit ut videamus. Si enim illud non fit per motum, neque in tempore in ipso diaphano

neque ipsum videre utique fiet in tempore, quam obrem ad apertis oculis illico videt respicientes & ea quæ de prope sunt, & ea quæ à remotis.

St præterea de ipsis sensibus & alia quædam huiusmodi difficultas, an contingat duo simul sentire in eodem indiuiduoque tempore, nec ne? Si igitur maior motio minorem extrudit, & propterea ob oculos delata non sentiunt homines si in vehementiori fuerint meditatione, siue timuerint, seu magnum audiuerint fragorem. Hoc itaque positum sit: item quod vnumquodque sentire contingit magis cum simplex est, quam cum est commixtum, ut vinum quod meracius est, quam quod est mixtum: similiter & mel, & colorem: & solitariam magis netem, quam in diapason, quoniam sibi inuicem officiunt. Id autem illa efficiunt ex quibus vnum quippiam fit. Si igitur maior minorem extrudit motionem, necesse est, si fuerint simul, & hanc minus esse sensibilem quam si sola esset. aufert enim ab illa quippiam minor commixta motio. siquidem simplicia omnia sensibilia sunt magis. quod si æquales fuerint, cum sint diuersæ, neutrius sanè erit sensus. Altera enim similiter delet alteram: simplicem autem neque sic sentire licet. Quam obrem vel nullus erit sensus, vel ex utrisque sanè alius: quod profecto fieri videtur in ijs quæ temperantur in quonamcunque fuerint commixta. Quoniam igitur ex quibusdam fit aliquid, ex quibusdam vero non fit: eiusmodi autem sunt quæ sub diuerso existunt sensu: miscentur nanque quorum extrema sunt contraria: ex albo autem & acuto nihil vnum contingit fieri, nisi per accidens: & non sicut ex acuto & graui concentus: propterea non simul illas sentire continget. si enim æquales sunt motiones, se ipsas inuicem delent quando ex illis vnica fieri non potest. Si autem inæquales fuerint, valentior sensum faciet.

Questionem superiorem in textu proponit philosophus quæ ex ipsis verbis satis clara esse percipitur. Quærit enim an contingat simul eodem in tempore quæpiam plura sentire sensibilia, nec ne. Dixit autem in tempore indiuiduo, non quod indiuiduum aliquod sit tempus, sed intendit & vult ne diuidatur tempus in quo vnum quippiam sentimus: & tunc ex illa diuisione duo sentire possumus, sed in vno & eodem non diuiso tempore in quo vnum sentimus, simul etiam reliquum sentire valeamus. Cum autem dialectico primum intendat modo, id est probabiliter argumentari, duorum scilicet sensibilibus non dari simul in eodem tempore sensum, duo quædam sumere videtur, ista videtur, quod maior motus semper minorem offuscet & impedit. cuius rei talem adducit fidem, quod interdum accidere videtur quod delata sub oculos non cernant homines si intento quippiam animo excogitauerint, aut si aliqua fuerint pauoris consternatione exanimati, vel si excellenti quodam strepitus fragore fuerint circumfusi. Vehemens enim & subita animi intentio vel consternatio, siue alia huiusmodi circa quæpiam vegeta & valens operatio, minores nimirum aliorum ab illo comprehensiones fieri sanè prohibet. Aliud autem quod assumit, est huiusmodi, quod magis scilicet sentimus & percipimus simplicia aliqua quam eadem ipsa cum permiscentur & componuntur: quam etiam suppositio nem manifeste declarat illorum exemplo quæ commisceri nata sunt. Vinum enim meracius melius & magis percipimus quam mixtum vinum: parique rationis modo de melle & colore est censendum, quæ magis cernuntur & gustatu diiudicantur cum simplicia quam cum permixta existunt. Ita etiam & nete per se sumpta magis clariusque percipitur, quam cum alijs mixta compositaque vocibus siue sonis in concentu & symphonia quæ ab harmonicis diapason nuncupatur. Est autem diapason harmonia composita ex concentibus diatessaron & diapente primis simplicibus symphonijs, & idcirco diapason appellatur. Constat autem diatessaron quidem ex duobus tonis & semitonio: diapente autem ex tribus tonis & semitonio: diapason vero ex tonis sex. Rursum diatessaron quidem in proportionem est sesquitercia

Diatessaron.
Diapente.
Diapason.
Heptachordi
discrimina.

Hypate.
Parhypate
Lychanos.
Mese
Paramese
Paranete
Nete.

Quæ proprie
misceri dicā-
tur.

appellata: diapente autem in sesquialtera proportione: diapason vero in dupla. Cum autem dupla proportio ex duabus componatur proportionibus, iis scilicet, sesquialtera & sesquitercia, idcirco diapason cum illas in se contineat & complectatur primas proportionibus, huiusmodi sortitum fuisse videtur nomen. Consideratur autem diapason in heptachordo instrumento, in quo septem vocum sonorumque compositur discrimina, à graui initiū sumēdo, & ad acutū desinēdo, quorū in musicis isthæc referuntur vocabula: chorda illa quæ in septichordio grauiissimū ex sese reddit sonū, & prima sanè est, hypate, quasi suprema appellatur. Secūda iuxta illā, parhypate dicitur. Tertia lychanos, quæ digito etiā signatur in indice, qui huiusmodi apud græcos sortitus est nomen. Quarta mese, quoniā mediū obtinet locū, & inter graue & acutū mediū reddit sonū. Quinta paramese appellatur. Sexta paranete. vtraque à vicinis sibi chordarū vocabulis. Septima autē & postrema nete dicitur, quæ acutissimū reddit sonū, sicut grauiissimū hypaten reddere diximus: quæ nete quasi neate, id est nouissima & postrema, merito est appellata. In horū igitur sonorū compositione cum suis interuallis diapason resultat harmonia. Nete igitur, inquit philosophus, per se sumpta mensus percipitur & sentitur, quæ in ipsa diapason comprehensa harmonia. In simplicibus igitur accuratior & manifestior est sensus quæ in mixtis. Cuius etiam rei statim causam subdit, quia scilicet ad se inuicem quodāmodo mixta pugnant, & sese inuicem destruunt, sibique officere videntur. Quomobrem non ita bene mixta ut simplicia percipiuntur. Post quæ dicta statim subdit in quibusnam rebus fiat mixtio, & quæ dicantur illa quæ sibi inuicem officere censeantur. miscentur enim illa quæ eiusmodi sunt naturæ, ut vnum quiddam ex illis fieri & resultare possit tertium, quod illorū neutrum extremorum iure censeari possit. Postmodum etiā subiungit philosophus quod quādo in mixtione maioris cuiusdam & minoris maior motus minorem offuscauerit, quod neque tunc ipse maior motus percipitur & sentitur ut ex sui natura est: quæ res per secundum patet suppositum, quod simplicia scilicet melius percipiuntur quæ mixta. minus igitur maior percipitur motus, quoniā in eius cum minori permixtione, ab ipsius minoris natura hebes efficitur, & ab eo quippiam aufertur. Prosequitur postmodum philosophus ut id quod intendit concludat, dicens: si æquales isti fuerint motus, nullus utique ipsorum sentietur, cum alter alterum impediatur & offuscet: simplicia autem non possunt bene tunc in commixtione percipi & dignosci: quamobrem vel nullus erit sensus, vel ex utroque sanè alius: & erit ille certe tertius qui ex commixtorum natura resultare percipitur. Subdit postea philosophus quænam sunt illa quæ commisceri nata sunt. non enim omnia sunt huiusmodi ut ex ipsis ad aliam commixtis vnum quiddam resultare & fieri possit tertium. Dicit igitur illa posse misceri quorum extrema sunt contraria, intelligere volens illa quæ eiusdem sunt generis. contraria enim extrema plurimum distare dicuntur. plurima autem distantia in eodem genere esse censetur: eiusmodique ad se inuicem misceri existimantur, ita quod ex tali commixtione tertium quiddam resultare & emergere valeat: cuiusmodi sensilia esse non censentur quæ à diuersis percipiuntur sensibus. Ex albo namque & acuto nihil per se vnum effici constarique potest, ut ex acuto & graui in sonis ex quibus concentus fiunt & harmonia. & si quippiam fortasse effici dicatur, id per accidens sanè vnum esse censetur. verbi causa si forte fortuna cum album ipsum, tum acutum vni accidant subiecto, ut stylo eburneo. Subiungit postmodum concludendo intentum suum philosophus, quod fieri non potest ut duo simul sensilia percipiantur. Vel enim, inquit, illorum æquales erunt motiones, vel inæquales: & altera sanè alteram excedet & supergreditur. Si enim erunt æquales, altera utique officiet alteri, & inuicem sese offuscabunt & præpedient. Si enim maior motio minor copulata non bene sentitur, quoniā illi minor aliquantisper officit motio: profecto quādo fuerint æquales, se inuicem offuscabunt & præpedient. non enim illius sunt naturæ ut permixta tertium quippiam constituere componereque valeant. Si autem inæquales illæ fuerint motiones, excellens sanè ex illis solum mouebit sensum. Suppositum enim retro est quod maior minorem offuscatur motionem, & illam destruit. Non poterunt igitur duo simul sensilia in eodem & indiuiduo temporis spatio à nobis sentiri & percipi.

Ræterea magis sentire simul poterit duo vnicō sensu anima, quorum vnus est sensus, ut acutū & graue. Magis enim simul motus est vnus ad se ipsum, quæ duorum: ut visus & auditus. Vnico autem sensu simul duo sentire non contingit, nisi miscantur. Vnum enim exigit esse mixtum. Vnius autē vnus est sensus. Vnus vero simul sibi ipsi est: quamobrem necessario simul sentit commixta, quoniam actu vno percipit sensu. Vnius enim numero, vnus actu est sensus. Specie autem per potentiam est vnus. Et si quidē vnus actu fuerit sensus, vnum illa esse dicet. mixta igitur esse illa necesse est. Quando autem non fuerint commixta, duo erunt actu sensus. Verum per potentiam vnicum indiuiduumque tempus, vnicum esse actū necesse est. Vnius enim vnus

& semel est usus & motus. Vna autē est potentia. Non igitur duo simul sentire vnico cōtingit sensu. Quod si fieri nō potest vt quæ sub eodē sunt sensu, simul sentiātur si duo fuerint, manifestū certe est q̄ ea quæ sub duobus sunt sensibus, simul sentire minus continget: vt album & dulce.

Alia etiā argumētandi via rationisq; modo ostēdere cōtendēs philosophus fieri nō posse vt plura quispiā sensilia simul percipiat & sentiat, quæ scilicet diuersis sentiantur sensibus, hoc procedit modo: & est, vt apparet, ratio sumpta per locū à maiori, qui negatiue cōcludere censetur. Dicit igitur q̄ plura simul sentire magis poterit sensus eorū quæ ab vno & eodē percipiuntur sensu, q̄ eorū quæ à diuersis cōprehenduntur percipiunturq; sensibus. Dixit autē vno sensu, id est vnica sensus operatione, quæ scilicet simul fit. Illud autē, cuius vnus est sensus, cōiungēdū est cū illo, duo simul sentire potest anima. Deinde subdit, magis enim simul motus est vnus & c. id est, magis vna & eadē est vnus sensus operatio, q̄ pluriū operationes sensuū: & magis vnus operationes sensus propter similitudinem & affinitatē possunt vnū quiddā fieri, q̄ pluriū operationes sensuū distinctiorū & separatorū. Si autē anima (vt ostēdet posthac) vnus sensus non potest simul & in eodē tēpore plura percipere sensilia, multo minus simul poterit plura percipere diuersorū sensilia sensuū. Sed eodē, inquit, sensu fieri non potest vt simul duo sentiat, separata in quā, & duo extātia. permixta nanq; potest sentire anima etiā plura, verū illa vt vnū quippiā sentit & percipit. Quod autē plura nō cōmixta nequeat simul sentire sensus aliquis, ostēdit philosophus, ex hoc scilicet q̄ vnus numero vnus est numero sensus. id enim signare vult. Vnus vero simul sibi ipsi est. vna enim operatio ipsius sensus in eodē simul fit tēpore: mixtorū autē ex necessitate vnus est sensus, quoniā & ipsa vnū quiddā sunt. Et vnus quidē numero, vnus numero actu est sensus. quæ cūq; vero vnū numero nō sunt, sed aut specie aut genere vnū, quæ admodū albū & nigrū (hæc enim genere sunt eadē) horū sanè vnus est sensus, nō quidē actu vnus, sed potestate. omnes enim operationes visivæ potētiae potestate simul inuicē sunt, quoniā per illas visus operari potest. Vnus igitur sensus bifariā dicitur, actu scilicet vnus: & potestate vnus. Et vno potestate sensu sentire dicitur anima eiusdē generis sensilia omnia. Cū autem sumpserit q̄ vnus numero vnus est sensus numero, scilicet sensus actu vnus: istuc cōuertit & dicit, q̄ vnus sensus actu est vnus sensilis numero. Vna igitur operatio si plura simul senserit cōmixta, vt vnū certe quippiā sentiet. Si autē nō fuerint illa cōmixta, plures sanè erūt sensus, & illius cōprehensiones plures. Sed ab vna numero potētia quæ in tēpore est indiuiduo, vnica solū prouenit operatio. Vnius enim potētiae numero, vnus semel usus numero esse censetur, id est vna sola numero cōprehensio. Non igitur in eodē tēporis spatio simul duo idē actu sensus comprehendet. Dug enim duorū sunt cōprehensiones: vnus autē actus & vna operatio vnus sanè est rei cōprehensiva. Cum autē pbauit fieri nō posse vt vnico sensu simul duo sentiātur, cōsequēter ex predictis infert illud quod minus videtur, dicēs, minus igitur simul in eodē tēpore sentiri à quopiam poterūt ea quæ per diuersos percipiuntur sensus, exempli ponens loco dulce & album. Si enim ea quæ magis fieri posse vidētur, fieri non possunt: multo certe minus fieri poterunt ea quæ minus fieri posse videntur.

Quod vnus sensus bifariā dicitur.

Nullo autem alio id quod vnum numero est, asserere videtur anima, nisi quod simul est.

ISTVC etiā ad ostētionē & fidē adducit philosophus, q̄ vnus actu sensus vnus sit numero comprehensiuus, quoniam aliquid vnum esse numero iudicat anima nulla alia re q̄ ipso tempore, quoniam enim simul illud, & in tempore cōprehendit indiuiduo, idcirco iudicat & affirmat esse vnum. Quamobrē quæcūq; sensus in tempore comprehendit indiuiduo, vnum certe illa esse diiudicat.

Quod autem vnum est specie, sensu diiudicante & modo. Hoc autem dico, quoniam fortasse albū & nigrum diuersa specie idem diiudicat sensus: atque etiam dulce & amarum, idem sibi ipsi, ab illo autem diuersus: verum aliter contrariorum vtrunque.

Quia dixerat animā id quod vnū est numero, nulla re alia iudicare nisi tēpore, quia scilicet simul percipiatur & cōprehēdatur: subdit q̄ id quod vnū est specie, sensu diiudicat anima & modo. per speciē hic intelligēs tū verā speciē, tū ipsum etiā genus. quod ideo dixit & addidit, quoniā multa eodem cōprehenduntur sensu quæ eiusdē non sunt speciei, sed diuersarū. Distinguuntur autē per varios cōprehensionū modos, ita q̄ eodē dicuntur sensu omnia eiusdē generis percipi & cōprehēdi: iisdē autē sensu & modo cōprehensionis, ea quæ eiusdē sunt speciei. quod declarat philosophus, ne forte existimarem omnia quæ eodē percipiuntur sensu, eiusdē esse speciei. nāq; albū & nigrū, inquit, diuersarū sunt specierū, similisq; modo dulce & amarū, & nihilomin⁹ eodē percipiuntur sensu, illa

g.j.

visu, hæc gustatu. Verū quoniā eodē nō percipiūtur cōprehendūturq; modo, idcirco eiūsdē nō esse specie censentur. Album enim tāquā habitus percipitur, nigrū vero vt priuatio: similiq; modo de dulci & amaro est dicēdū. Aliquoties enim est dictum q; in cōtrariōrū ordinibus aliqua vt priuationes semper se habēt, & aliqua vt habitus. nō sufficit igitur ad hoc vt aliqua sint de eadē specie, q; eodē percipiātur sensu, sed opus etiā est vt eodē percipiantur modo, & eadem rationis via comprehendātur. Ad summā, eadem genere existentia, eodem comprehenduntur sensu: eadem vero specie, & sensu percipiuntur eodem, & modo. Idem vero numero, tum eodem sensu & modo percipit anima, tum etiam simul & in eodem indiuiduo tempore percipere censetur.

Eodemque modo sibi ipsis quæ cognatum ordinem habent, videlicet quemadmodum gustatus dulce, sic visus album: & vt is nigrum, sic ille amarum. 10

Similiter, inquit, & eodē modo sentiūtur ea quæ ad se inuicem proportionata, & eiūsdē sunt ordinis, à diuersis sensibus. non enim visio quidē albū percipit & nigrū vt habitū & priuationē: alio autē modo gustatus dulce percipit & amarū: & similiter auditus ea quæ in ipso reperiūtur contraria cōprehēdit & percipit: pariq; etiā modo sensus alij: sed omnes, inquit, percipiūt ea quæ ad ipsos pertinent cōtraria, eodē similiter modo, & vt ita dicatur, proportionaliter. proportionatorū namq; proportionatae sunt comprehēiones, & sensus proportionati. Quēadmodū enim inter colores est albū, sic inter sapes dulce esse perhibetur: & sicut rursus in colorū genere est nigrū, sic amarum in saporibus esse censetur. Quamobrem vt visus percipit album & nigrum, eodē sanē modo gustatus dulce & amarum percipit & comprehendit: illa inquam vt habitus: ista vero vt priuationes. 20

Praterea si contrariorum contrariæ sunt motiones: cōtraria autem in eodem & indiuiduo simul esse non possunt: sub vno autē sensu contraria sunt, vt dulce & amarum: profecto hæc non simul sentire continget. similiter autem est manifestum quod neque ea quæ contraria non sunt. Hæc enim ad album, illa vero ad nigrum pertinent. Et similiter se habet in alijs, vt in saporibus. ij quidem cum dulci, illi vero cum amaro faciunt. Nam etiam ea quæ commiscentur, simul: in rationibus enim sunt oppositorum: vt diapason & diapente: nisi forte vt vnum sentiantur. Hoc enim modo vna fit extremorum ratio: aliter autem minime. Erit enim simul hic quidem multi ad paucum, aut imparis ad par: ille vero pauci ad multum, aut paris ad impar. 30

Ex hac etiā argumētationis via pbare intēdit philosophus q; impossibile est eundē sensum simul plura sentire. Si enim, inquit, quibusdā intercedētib; motionibus sensus fieri percipiūtur, cōtrariōrū autē cōtrarij sunt motus, impossibile vero est cōtraria in eodē tēpore & indiuiduo simul sentiri: impossibile vtiq; erit sensum aliquē in vno eodēq; tēpore cōtraria sentire & percipere. simul enim cōtrarijs mouēt motibus. Quēadmodū autē idē sensus in eodē tēpore simul cōtraria sentire nō potest, ita etiā sentire nō poterit quæ cōtraria quidē minime esse censent, in cōtrariōrū autē medio iacēt interstitio. Namq; ex horū numero quædā, inquit, faciūt cū cōtrariōrū altero, & ex illius esse parte perhibetur: alia autē cū reliquo sanē faciūt, & ex illius censentur parte, vt retro est ostēsū, cū in colorū generibus, tū ipsis saporibus. Mixtione namq; cōtrariōrū omnia nimirū huiusmodi cōflātur efficiūturque intermedia: & vt plus ex alterutro referūt, illius sanē adscribūtur ordini. Quāobrē neq; plura etiā ex intermedijs & eo permixtis modo eodē tēpore idē percipere poterit sensus: verbi causā in coloribus viride & purpureū: aut in sonis diapason & diapēte. in ijs enim mixtis contrarietates certe inesse censentur. Nā vt de coloribus taceam prædictis qui ex albi nigriq; resultāt mixtione: diapēte pfecto ad diapason vt impar ad par se habere perhibetur. habet enim se vt tria ad duo: cōtrā diapason se habet ad diapēte, vt par ad impar: vt duo scilicet ad vnum se habēt: simul autē imparis ad par sentiri percipiq; non potest proportio, & paris ad impar. Cū autē dixit q; neq; mixtorū & in medio consistentiū in vno & eodem tēpore simul pluriū fit sensatio, subdit, nisi forte vt vnū sentiantur, id est nisi ista permixta ad vnicam peruenerint naturam, & veluti vnū mouerint sensum, quāuis ex contrarijs cōstent naturis. Sentit enim & videt animal ceruleū colorē, licet ex nigri & albi fiat mixtione. Verū in tali cōpositionis permixtione vna ex vtriusq; extremis fit ratio, & vnica res: ipse scilicet ceruleus color. Quoniā igitur ex illis extremis vna facta est natura, idcirco sensus illam non immerito percipere censetur. q; si secus esset, minime id comprehendere posset. Si enim separentur illa ex quibus color fit ceruleus, haudquaquam sanē vnica comprehendentur sensatione. Illud autem, Erit enim simul hic quidem multi ad paucum: aut im-

Diapente.
Diapason.

paris ad par de sensilibus dixit huiusmodi quæ reponuntur in medio. Est enim vnumquodque illorum commixtum, verum non eandem omnia permixtionis in se habent rationem. illorum namque aliquod plurimum de albi in se habet natura, de nigri vero exiguum: vt ruffus censetur color: contrario vero modo se habet pullus color. Et rursus in sonis, hic quidem se habet vt par ad impar, diapason videlicet: ille vero contra vt impar ad par, ipsum scilicet diapæte.

S igitur plus distant, & à se inuicem differunt ea quæ proportionali quidem ordine inter se respondent, in alio autem sunt genere quàm ea quæ in eodem sunt genere, verbi causa dulce & album proportionalis ordinis appello, genere vero diuersa: dulce autem à nigro plus etiã specie differt quàm album: profecto minus etiã continget simul isthæ sentire, quàm ea quæ genere sunt eadem: quamobrem si non hæc, neque illa.

C Vm retro (vt vidimus) sumpsisset philosophus quod quisque sensus magis potest comprehendere simul plura sensilia propria & peculiaria sibi ipsi, quàm vnica sensationis opera simul plura dignoscere ad diuersos spectantia sensus: cumque ostendisset etiam fieri non posse vt vnus sensus simul plura sentiret, quàmuis propria & peculiaria sensilia: hoc in loco statim infert, id quod sanè sequi videtur, quod multo etiam minus comprehendere poterit sensus vnus plura simul, eorum videlicet quæ ad diuersos & seiugatos pertinent sensus. si enim plus apparent differre illa quæ diuersorum sunt generum à se inuicem, quàm ea quæ eiusdem sunt generis: illis namque similitudo quædam & cognatio inesse videtur, & eiusdem (vt ita dicatur) identitas generis, quæ in ijs quæ genere differunt, inesse non potest, minus certe quàm illa simul comprehendendi percipi: posse vero est consentaneum: sunt autem de numero illorum quæ eiusdem non sunt generis, quædam (vt ita dicam) proportionalia & sibi quodammodo correspondentia in singulis sensibus: alia vero non proportionalia, neque sibi inuicem correspondentia. In singulis autem sensibus proportionalia appello, habitus quidem habitibus, priuationes vero priuationibus: non proportionalia autem, habitus priuationibus, & priuationes habitibus, aliorum scilicet sensuum ad alios sensus. Quod ipse ostendit appellans dulce & album proportionalia, quæ genere sunt diuersa. Eiusdem enim generis contraria esse dicuntur quæ vnico sentiuntur sensu. Plus namque distant album & dulce, quàm album & nigrum, & plus etiã distant dulce & nigrum, quàm dulce & album. Namque album & nigrum eiusdem sunt generis: album vero & dulce diuersorum sunt generum, verum ad se inuicem proportionali quodam ordine respondentia. dulce autem & nigrum, neque eiusdem sunt generis, neque sibi inuicem proportionalia esse iure censentur.

Si igitur, inquit, fieri non potest vt plura simul sensilia eiusdem generis aliquis simul percipiat sensus, multo certe minus fieri poterit vt simul diuersorum & seiugatorum generum sensilia percipiat & sentiat. Et multo etiam minus plura diuersorum generum sensilia, & nullo sibi proportionis ordine respondentia simul sentire continget. Illud vero, dulce autem à nigro plus etiam specie differt quàm album, hoc (vt videtur) nobis significare vult, quod dulce à nigro plus etiam specie differt quàm ab albo. nam dulce proportionale sanè est albo. istorum namque vtrunque in suo genere habitus quidam esse censetur. Nigrum autem dulci in nullo proportionis ordine conuenire dicitur. Namque nigrum suo in genere in priuationis serie esse perhibetur.

Quæ in diuersis sensibus proportionalia dici possunt: & quæ secus.

Quod autem dicunt nonnulli qui musicis concentibus vacant, sonos sanè non simul peruenire, videri autem, latereque nos si quando insensibile fuerit tempus, rectè ne dicitur, vel non? Fortasse enim nunc ex hoc dicere quispiam posset, existimari simul videre & audire quippiam, quoniam intermedia latent tempora. An hoc minus verum est, nullumque insensibile contingit esse tempus: neque etiam nos latere, sed quodcunque sentire contingit? Etenim si cum aliquis aut se, aut alterum sentit in continuo tempore, non contingit eum latere quod est: est autem quiddam in continuo tantum quantum omnino est insensibile: manifestum quod tunc latere poterit seipsum si est, & si videt: & non sentit etiam si sentit.

Postquam per ea quæ retro sunt exposita, probauit Aristoteles non posse ab eodem sensu simul plura sentiri, nonnullorum in medio responsionem affert ad quæstionem præmissam, qui dicebant (vt videtur) non fieri quidem plurius simul sensationes, apparere autem & videri quod sensus plurius simul fiant. affirmabant enim isti illa quæ simul sentiri videntur, quoniam simul sensum mouent, non simul sanè sentiari, neque simul sensum mouere, sed in diuersis temporis partibus apparere, quoniam autem partes illæ

Muscorū quo
rūdā sentētia
quomodo per
cipiātur soni.

Quomodo tē
pus sentiatur.

Quod nullū ī
sensibile sit tps.

percipi nequeunt, quia sunt indiuiduæ, & minime sensiles, idcirco simul sentiri existimantur. ostēdit igitur hoc in loco philosophus hanc illorū respōsionem falsam esse, & erroris plenam. Declarat namq; & probat nullū suapte natura esse insensibile tempus. Vtile quinetiā erit hoc perspectū & cognitum ad ea quæ circa visionis opus retro demōstrata fuere, q̄ lumen scilicet nō cernitur & sentitur cū tēpore, neq; aliud quippiam visibile. simul enim oculorum directā intentaq; acie ea quæ prope sunt, & ea quæ à longe cōspicimus: quod non eo fieri vtiq; posset modo si quodpiam insensibile poneretur tēpus. Opinione igitur huiusmodi prius ponit, quā ad muscos refert, qui voluerunt diuersos in cōsonātijs sonos non simul fieri, neq; simul ad auditum peruenire: sed in diuersis temporis portionibus idipsum contingere, simul autem apparere fieri: & idcirco vnum ex omnibus fieri concentū & sonum, quoniā inter illos insensibilia tēporis intercederēt interualla: & inde simul illos auditū mouere existimari. Quo etiā in loco obiter est animaduertēdū q̄ ijs temporibus insensilibus nimirum vtūtur illi qui per idolorū impulsiones & incur sus visionem fieri voluerunt, vt totum simul obiectum conspici & videri possit. non enim simul visibiles obiecti partes sensum mouēt: sed quoniā in illis motionibus insensibilia intercedūt tempora, idcirco simul mouere censentur. Hoc igitur perscrutandū est, inquit philosophus, si recte an secus id ab illis existimari & dici videatur: statimq; huiusce rei subiūgit causam, suspicari dicēs quempīā fortasse posse simul videri & audiri aliquid existimare, quoniā tēpora latent intermedia. quæ propositæ quæstionis solutio esse posset, q̄ plura videlicet simul sentiri possent propter intermediorū non sensilem naturā temporū, si quidē insensibile datur tempus. nāq; si nullum insensibile daretur tēpus, alia certe inuestigāda quærendaq; esset solutio. Quamobrem statim demōstrare cōtendit philosophus q̄ nullū est insensibile tempus. Scire autē oportet q̄ tempus est sensibile nō quidem per se. non enim subiecta quædā natura est tempus, quā percipere & sentire valeamus: verū sensibile est tēpus, quoniā ea quæ in ipso fiūt & existūt, à nobis manifeste sentiuntur. nā si nullius corū quæ in ipso sunt tempore, sensum haberemus, proculdubio nobis ipsum insensibile esset tempus. Quāobrem si nullum tempus hoc se habet modo, sed in quacūq; illius portiuncula aliquorum in illo existentium quispiam reperitur sensus, nullū profecto insensibile erit tempus. non enim si alicuius rei in tempore existentis insensibilis est productio, idcirco insensibile est tempus in quo illa fieri animaduertitur. sed si in ipso tēpore nihil sensibile aut quod percipi posset fieret, tunc certe tempus illud insensibile esset, percipiq; non posset. Verū quoniā in eodē ipso tempore in quo insensibilia producūtur quædā, alia etiam sensibilia, & quæ comprehendi possunt, producūtur & fiunt, neq; temporis sanè causa insensibilia illa eiusmodi esse dicentur: neq; insensibilium illorū vitio tempus illud insensibile esse perhibebitur. Possunt enim in annuo temporis spatio insensibilia moueri, quorū motiones nullum efficiūt sensum: verbi causa si quæpiam sui exiguitate sensum effugiētia mouerentur corpuscula, verum non ideo annum tempus insensibile iure diceretur, sed potius vt est sensibile, quoniā pleraq; alia in eodem tēporis spatio fieri & esse cōspicerētur. Si igitur, vt ad propositum reuertamur, ostensum fuerit in qualibet tēporis quamuis minima portiūcula nos aliquid semper percipere & sentire, profecto nullū esse insensibile tempus clarissime erit ostensum. Quòd igitur nos omne sentire tempus contingat, id est in omni tēporis curriculo quippiā sentire, ita in præsentia philosophus demōstrare cōtendit: si quando, inquit, seipsum quispiā sentientē animaduertit & sentit, fieri nō potest vt tūc seipsum lateat q̄ est & sentit: fieri profecto nō poterit vt aliquod insensibile sit tempus. Quod probat ex hoc. namque si aliquod esset insensibile tempus, esset vtiq; & ipsum in continuo illo tempore in quo quispiam sentire dicitur, se ipsum sentiens. Quod si continget, continget vtiq; sentientē in illo nō sentire aliquid illorū quæ sentit, neq; sentire etiā seipsum existentē & sentientē. si enim huiusmodi insensibile esset tēpus, manifestū sanè est q̄ in illo seipsum quispiā lateret & q̄ sentit, & q̄ est, & non sentiret se esse, quinimmo actu sentiens nō perciperet se sentire. Quæ omnia cum absurda sunt, tum fieri haudquaquā possunt. omnis enim qui sentit, dum sentit, se sentire & esse simul sentit. similisq; modo vt de aliquo seipsum sentiente diximus, idem manifeste absurdum & incōueniens sequeretur, si illum nō quidem seipsum sed aliud sentientem non sentire dixerimus. si enim tunc cum sentit aliud, illum sentientē nō sentire dixerimus, profecto non sentire illum quando sentit, nobis erit concedēdum: & ad hoc etiā illum non percipere se esse. Si autem nullum est temporis spatium in quo aliquid agētes & sentientes nos ipsos q̄ sumus lateat, nullum etiam erit tempus sui natura insensibile. non enim si stertentes nosmetipsos lateat q̄ sumus, insensibile idcirco tale est tempus, quoniā alij in tempore illo sentiunt & agunt: & nos etiam cum vigilamus, quod alij non sentiunt, planè percipere valemus. Haud recte enim à non sentientibus insensibile iudicatur esse tempus, aut omnino aliud quippiā insensibile: sed à sentientibus potius & quippiā agentibus. Dormientibus namque omnia dum somno oppressi iacent, sunt insensibilia, colores inquam, & soni, & odores & sapes, & vniuersa insuper tactilium genera.



Ræterea neque tempus, neque res sanè erit vlla quæ sentiatur: aut in quo non ita, q̄ in huius aliquo, vel huius aliquid videt: si quidem aliqua est magnitudo & temporis & rei ob paruitatem omnino non sensilis.

- A**lia rursus demonstrationis via ostēdere aggreditur philosophus quod nullū est insensibile tēpus: cum quo simul etiā ostendit quod neque magnitudo aliqua, neque aliqua cuiuspiā sensibilis rei portio suapte natura est insensibilis. isthac enim omnia ad se inuicē cognationis cuiusdā cēsentur habere sequēlam, ut magnitudines ponētibus insensibiles, & corpora suapte natura indiuidua, motus quinetiā quosdā & tēpora insensibilia, consentaneū est ponere & affirmare. Demonstratio autē ipsa ex literæ contextu & verbis subobscura sanē esse videtur: quāobrem philosophi mens hoc perscrutetur expliceturque modo. Si est pars aliqua tēporis aut magnitudinis insensibilis, neque tempus sanē erit vllum in quo sentire dicimur, ita erimus sentiētes, nō quod in hoc videlicet sentiamus, sed quod in huius portione aliqua id assequi dicimur. Et omnē pari modo magnitudinē sentiemus, nō quod magnitudinē illam sentiamus, sed quoniam aliqua illius sentiamus partē. Cāterū quæcūque in tempore sentire dicimur hoc enarrato modo, quia scilicet in aliqua illius parte sentiamus: & de magnitudine similiter, quia nō totā, sed illius partē quāpiam sentimus, idcirco verū asseueramus, quoniam primū quiddam est tēpus in quo omni nimirū sentimus: & in magnitudine similiter, quoniam aliqua illius est pars quā totam primo sentimus. omne enim quod secūdū aliquid, & secūdū partē accipitur, tunc est verū ut accipiatur, quādo illius cōtingit partē accipere aliquam quæ primo est talis. Albū enim secūdū partem tunc verū est accipere, quando contingit aliquā illius accipere partē quæ nō possit secūdū aliā & aliā ipsius albi accipi partē, sed simpliciter & primo. Et moueri quippiā secūdū partem tunc vere dicitur, quādo aliqua illius fuerit pars quæ secūdū se totam, & non secūdū aliquas sui moueatur partes. Vnius enim nulla est pars. De quo autē prædicatū totius tanquā secūdū partē ipsius existēs, totū & primo prædicatur, de hoc verū non est secūdū partē illis inesse quod prædicatur. Quæadmodū igitur in alijs, ita & in ijs quæ pposita sunt, nimirū se res habebit. si enim nihil erit tale, neque in ipso tēpore neque in re sensibili in quo primo sentiamus, vel quod primo sentire dicamur, neque secundum temporis sentire partem, neque magnitudinis partē aliquā nos percipere verū erit dicere. Destructo enim & interempto ly primo (hoc enim loquendi modo perspicuitatis gratia nunc utamur) cum illo etiam destruitur & interimitur ly secūdū aliquid. Cāterum destruitur ly primo si tempus aliquid est insensibile, aut non sensibilis magnitudo. omne nanque tempus sumptum quasdam habebit in se particulas nō sensibiles, quāobrem in nullo ita sentiemus, ut primo in illo sentiamus, sed ut habēti in se partes in quibus sentire possumus: similique etiam modo omnis magnitudo partes habebit quasdam non sensibiles. quare neque magnitudinē sentiemus aliquā, quia totā sentire dicamur, sed quia quasdam sensibiles habet illa partes. non igitur in primo aliquo tempore sentiemus, neque alicuius rei primo sensum habebimus. Destructo autē ly primo (ut dictū est) destruitur etiam secūdū aliud, in quibus scilicet nō est primū. Neque in tēpore igitur sentiemus: neque magnitudinē aliquā percipere poterimus. Quod autem si aliquid sit tempus non sensibile, aut non sensibilis magnitudo suapte ipsorum natura, neque in tempore aliquo primo, neque primam magnitudinē sentire poterimus, philosophus per ea quæ sequuntur sic instando demonstrat.

Quod omnis
secūdū aliud
per se primo
præsupponit.

- S**enim totam videt, totumque sentit continuo tēpus, ita quod in huius quopiam, vel illius quippiam videt: si quidē aliqua est magnitudo, auferatur C B, in quo sentiebat. in huius igitur quopiā, aut istius quippiam, veluti terram videt totam, quoniam hoc ipsius: & in anno ambulat, quoniam in hac illius parte. At vero in B C nihil sentit. in eo igitur quod in huius quopiam A B sentit, totum sentire, & totam dicitur. Eadem etiam ratio in A C. semper enim in quopiam, vel quippiam: totū autem non contingit sentire.

A C B

- P**ost hæc quæ in superioris literæ dicta sunt cōtextu, philosophus in elemētis propositā ostēdit rē, quod scilicet neque aliquid primū erit tēpus in quo quispiā sentire dicatur: neque sensibilis aliqua res, quæ nō idcirco vocetur sensibilis, quia illius quippiā sit sensibile, & nō ipsa primo & per se sit sensibilis. Præcise autē & breuiter admodū philosophus istuc demonstrare hoc videtur in loco. Est autē id quod dicit, de Aphrodisei sententiā hāc innuens ostensionē. Si est aliquid tempus insensibile, manifestū certe est quod in illo erit in quo cōtinuo aliquid sentimus & percipimus. Sit igitur illud a b. similiter si aliqua est pars insensibilis alicuius sensibilis magnitudinis, in illa utique erit quam sentimus magnitudine, quæ vocetur etiā & sit a b. eisdē enim utitur literarū elemētis & in tēpore, & in magnitudine, utrisque sensibilibus: in scōminino autē genere insensibile pferit illud, ceu de linea demonstrationē inducēs suā. nanque & tēpus, sicut etiā ipsa magnitudo, linea cēsetur esse a b. Dicēs autē, si totā videt, scilicet magnitudinē cōspectā & visam: eadē rursus de tēpore dicit subdēs, totūque sentit cōtinuo tēpus. æquiualeat enim hoc ac si dixisset quod in aliquo toto sentit tēpore. Quæ cū dixit, aufert à tēpore a b ipsū c b. id autē quod dicit, in huius igitur quopiā, de tēpore intelligit, & de linea tēpore signāte. Quo modo autē id quod videt, scđm partē videat, ostēdit.

g. iij.

dicit in terra tota, quæadmodum de tempore, in annuo illius spatio. Terram namque videre dicitur quispiam, quoniam illius quæpiam cernit partem. in anno autem quis ambulare censetur, quoniam in huius anni portiucula, & quota illius parte, in hac verbi causa die, ambulare conspicitur. Si igitur totam a b magnitudinem in ipso a b tempore continuo sentit, habet autem in se tempus particulas quasdam non sensibiles: (id enim ostendit litera quæ dicit, in huius quæpiam sentit) auferatur, inquit, ab illo insensibilis particula c b: qua ablata, pars restabit temporis reliqua a c, quæ sentit. in illa enim parte c b quæ non sensibilis est, nihil sentit: neque quod coniunctum est tempori in quo sentiebat, in hoc quippiam sentit, eo quod in huius aliquo sentiat. Etenim a b temporis, ipsum a c est pars, in qua sentit hoc, & non in c b tempore fuerat positum sentire. Cæterum in græco exemplari obscurior etiam sit litera q̄ in latino, quoniam tempus fœminino pronomine retulit: coniungens præterea cum illo terram visam: quia idem accidit in re sensibili quod ostensum est accidere tempori in quo sensibile illud sentiebatur, quod etiam in se non sensibiles habet partes. ablati enim illis, erit rursus c b, quod est reliquum similiter: & ut idem sentietur, quia partes insensibiles neque quando simul cum toto erant, quippiam conferebant ut totum illud sentiretur. Totum igitur a b videbatur non per se, sed quia horum aliquid videbatur. Et hoc est quod in præsentia demonstrari videtur: ipse vero sic dicit: in huius igitur quæpiam, aut huius quippiam. in huius quæpiam, temporis intelligens distantiam & continuitatem: per illud vero, aut istius quippiam, visibilis rei distantiam signare contendens. Est autem demonstratorum conclusio, quod neque in temporalis distantia totam a b videt is qui videt, sed in illius quæpiam: neque visibilis distantiam rei scilicet a b totam cernit & conspicit, sed huius quippiam. ab utraque enim distantia ablata c b distantia quæ non sensibilis est, relicta nihilo efficitur minor distantia: neque illa quæ temporis est, neque illa quæ visibilis est rei quæ cernitur. Subdit deinde dicens: auferatur c b in quo sentiebat: id est a tempore in quo sentiebat. quod si auferatur, rursus demonstrabit in eodem, ablato scilicet c b, quod etiam verum erit dicere in huius quæpiam sentire. similiter se habet modo in magnitudine, illius videlicet quæpiam sentire. Cum dixerit autem & interposuerit quoniam dicatur modo totum quippiam videri ratione partis, & in tempore quodam, id est in illius parte: huiusmodi etiam rem exemplorum lumine clarâ fecerit, statim subiungit: At vero in c b nihil sentit. afferens causam quæ obrem paulo supra de ipso c b dixerit, in huius igitur quæpiam, aut istius quippiam. Quoniam enim in ipso c b quod ablatum est, nihil primo sentit: idcirco & in hoc vere dicitur, in huius quæpiam, quæadmodum in ipso a b toto dictum fuerat. Quoniam igitur in temporis quæpiam parte c b magnitudinem a b sentit: hoc dicitur utique in c b sentire totum tempus, & totam, id est magnitudinem & lineam. Cum autem hoc demonstrauit, eadem inquit esse rationem etiam in ipso a c, quod pars erat altera ipsius a b, totius scilicet temporis. neque enim in hoc primo sentiet ipsum a b, sed in quæpiam portione. semper enim quæcumque accepta fuerit particula siue temporis, seu magnitudinis, quippiam magnitudinis sentire dicemur, & in tempore quæpiam. vniuersaliter autem in tempore quæpiam, aut vniuersaliter magnitudinem aliquam, nullo dicemur modo. Hoc enim in omnibus dictis ostendit, cum dixit: semper enim in quæpiam, vel quippiam: totum autem non contingit sentire. Quod profecto nobis ostendere potest nullum esse tempus in quo primo quippiam sentimus: neque sensibile aliquod quod primo & totum sentiamus. Primo autem non existente, neque secundum aliud utique esse poterit.

Ostenforum
conclusio.

QMnia quidem sensibilia sunt, sed quanta sunt, non apparent. Solis enim magnitudinem cernit, & quadricubitum à longinquo: verum quantus est, non apparet, sed interdum indiuiduus. Cernit autem non indiuiduum. Huius autem causa in prioribus est dicta. Ex ijs igitur perspicuum est quod nullum est insensibile tempus.

Cum ostenderit philosophus nihil suapte natura quod sensibilis sit rei pars, esse non sensibile: quod etiam in prioribus declarauit cum dixit nullam sensibilis rei partem suapte natura esse non sensibilem & im-
patibilem: millesima namque milij portio sensibilis est, & illam cernit visus quando milij granum aspici-
cit: non autem per se, neque quanta est: illius igitur rei in præsentia rememorat nos philosophus dicens omnem
quidam sensibilis rei particulam esse sensibilem, non autem apparere quanta sit, aut per se ipsam. Quod autem quæ-
cumque videntur, non necessario quanta sunt videantur, cum solis apparentem magnitudinem, tum quadricubitum
exempli loco in medium adducit: quæ cernens visus, quanta sunt non sanè conspicit: verum ex longiori distan-
tiæ intervallo plerumque quod videtur, indiuiduæ præ se fert speciem rei. Atqui non cernit, inquit, indiuiduum:
colores autem cernit visus dum existunt in corpore. Causam autem asserit in prioribus esse adductam, de hoc vi-
delicet verba faciens, solè quidam videri, non autem quantum sit conspici: & ea quæ à pluri cernuntur intervallo,
interdum indiuidua apparere. Hac enim re ut manifesta sanè usus est, ut ostenderet scilicet quod nulla est ne-
cessitas ea quæ videntur statim quanta sunt videri & conspici: ut post philosophum Epicurei sanè voluerunt, quod
sensuum quidam iudicium infallibile esse asseuerauerunt, & solè (ut conspici) pedalis esse quantitatis, aut paulo
maiorè vel minorè constanter & obstinate affirmauerunt. Cæterum commemoratam inquit philosophus esse cau-
sam quæ obrem partes quæ sunt in totis, videantur quidam visis & conspectis totis, non tamè quante vere sunt con-

Epicuri de
sensuum infal-
libilitate sunt
sentia.

spiciantur. Est autem causa illa quam retro attulerat cum dixit nullam partem per se à visu cerni, sed in toto, & cum toto, ut ibi explicatum fuit satis, visum scilicet omnes percurrere partes dum totum sibi proponit & conspiciat: non tamen per se singulas cernere, neque etiam quantæ sunt, quoniam tantulæ portiones & partium particulæ per se non sunt visibiles. Aut, inquit Aphrodisæus, nos ex huiusmodi dictis admonitos vult philosophus illorum quæ retro fuerunt ostensa, cum dixit quòd omnia quæ vidètur, cum magnitudine videntur quadam. Asseruit enim impossibile esse album quidem videre, nõ quantum autem. si autem omne quod videtur, est quantum, nullum profecto indiuiduum cerni poterit. Cum autem simul ostendisset nullum esse insensibile tempus, nullamque sensilis rei portionem esse insensibilem, quæ ostensa & demonstrata sunt, breui sanè colligit epilogo, dicens nullum esse insensibile tempus, perspicuum manifestumque existere. Ex quo consequenter nullam etiam indiuiduam esse magnitudinem, quod non exprimit, nos planè vult intelligere.

DE dubitatione autem prius adducta considerandum est vtrum ne plura simul sentire contingat, vel non cõtingat: simul autem dico in vno & indiuiduo tempore adinuicem.

Post ostensa ea quæ retro dicta sunt, ad propositam philosophus reuertitur quæstionem, cuius gratia omnia superiora in medium fuere prolata. Fuerat autem id quæsitum, vtrum possibile esset simul plura sentire, vel eodem sensu, vel diuersis sensibus: quod proponens tunc, & ad negatiuam argumentatus partem, per aliquot probabiles (ut vidimus) rationes ostendit fieri non posse ut plura simul in eodẽ sentiantur tẽpore: in præsentia autem quomodo ad quæstionem respondere oporteat, ostendit, & quomodo fieri possit ut simul plura percipiantur. Nanque hoc etiam manifestum esse apparet. Cum autem proposuerit quæstionem dicens vtrum contingat simul plura sentire, vel non contingat, quomodo ipsum simul accipi & intelligi velit, explicat dicẽs. Simul autem dico in vno & indiuiduo tempore adinuicem. addens adinuicem: ne quispiam scilicet existimare possit ipsum indiuiduum quiddam signare tempus: verum sic indiuiduum vult intelligi, ut ad se inuicem sunt illa quorũ est sensus, ita quod non diuidatur secundum ea quæ sentimus: ut videlicet in hac quidem temporis parte hoc sentiamus, in alia vero aliud: sed in omni similiter & plura sentiamus.

Primum igitur nunquid ita contingit, simul quidem, verum diuersa animæ potestate sentire, & sic indiuisibili ut totum sit continuum. An quoniam initio quidem ea quæ per vnum sunt sensum, verbi causa visum, si erit alio sui alium & alium sentiens colorem, pluresque habebit partes specie easdem, illa enim quæ sentit, in eodẽ sunt genere.

Quæstione superius proposita, vtrum scilicet fieri possit ut plura simul sentiantur, quoniam istuc manifestum & euidens esse apparet, primum hoc in loco dicit philosophus, si quidem sic contingat plura simul sentire, quod simul scilicet & in eodẽ tẽpore quispiam omnia sentiat, alia autem & alia animæ potestate, ut diuersa à diuersis sentiantur comprehendunturque sensibus secundum idẽ. Rursus ipsum explicans indiuisibile, sic inquit indiuisibili, ut omni existẽte continuo. Cũ enim retro dixisset, Simul autem dico in vno & indiuiduo tempore. & rursus ipsius simul mentionem fecisset cum dixit: Primum igitur nunquid ita cõtingit, simul quidẽ, verũ diuersa animæ potestate, quoniam positũ est ipsum simul æquiuales ipsi indiuisibili tempore: idcirco quomodo simul, & quomodo in indiuisibili dicat tẽpore, subiungit, ut scilicet omni tempore in quo plura à diuersis sentiantur sensibus, vno & cõtinuo sumpto, ita quod nõ in aliquo quidem ipsius huiusce rei fiat sensus, in alio autẽ alterius sit sensus rei: & ideo sic indiuisibili dixit, nõ quod sic in vno indiuisibili plura sentiamus, sed quod simul in omni, & similiter omnia sentiamus. nõ enim vnica animæ parte & indiuisibili omnia sentimus, sed veluti illo quo sentimus omni vnico existẽte & continuo, ex differentibusque cõposito partibus. Quod autẽ nec hoc etiã possit fieri modo ut plura simul sentiantur, cõsequẽter ostẽdere videtur cũ dicit, si fiat pluriũ sensus, ut alia scilicet & alia animæ parte pluriũ fiat cõprehẽsio, quando plura eiusdẽ speciei simul sentimus, plures erũt sensitiuæ partes eiusdẽ ad se inuicẽ speciei. si enim quæ sentiuntur, eiusdẽ sunt speciei, profecto & sentiẽtia eiusdẽ erũt speciei. Plura namque si cernuntur, ita ut per alio aliud sentiat, plures ita nẽ visionis erunt partes, id est plures sensus, & visiones plures eiusdẽ speciei ad se inuicẽ erunt, cũ sensilia huiusmodi esse dicantur. Cum autem dubitauit, & sequens absurdum ostẽdit, ex sensilibus quæ eodẽ sentiantur sensu, si quispiam plura nos simul sentire dixerit, alia scilicet & alia animæ parte vel potestate: consequenter ad quæstionem rediẽs, & identidem vrgens, hoc argumentatur modo.

g. iij.

I autem, quoniam gemini sunt oculi, dixerit quispiam nihil prohibere ita etiam in anima, quoniam ex ijs fortasse quiddam fit vnum, & illorum est opus vnum: ibi autem, si quidem vnum ex ambobus, illud erit sentiens: si vero seorsum, non similiter se habebit.

Quod hoc in textu dicere vult philosophus, huiusmodi esse videtur, si quispiam, inquit, dixerit, quemadmodum in visione pluribus interuenientibus sensiterijs cernimus quæ eiusdem sunt speciei: videmus enim geminis oculis: pari rationis modo nihil prohibere animam plures eiusdem speciei potestates habere, quibus plura simul sensilia percipere valeat: hoc igitur potens philosophus ceu responsionem quæ in medium à quopiam pro quæstione illa adduci posset, id statim reprehendere aggreditur, ostendens nullam in ijs esse similitudinis apparentiam, cum dicit, ex ijs fortasse vnum quiddam fit, id est ex geminorum cōspectu & visione oculorum, & vnicum vtrorumque est opus. vnius enim numero amborum simul est comprehensio. Vbi illud fortasse nimirū posuisse videtur, quoniam hac de re nondum est pertractatum. Cū vero dicit, Ibi autem, si quidem vnum ex ambobus, manifeste ostēdit haudquaquā simile esse duobus sentire oculis in visionis opere, & in anima pluribus sentire potētis. in oculis nanque, illorumque opere, licet sint duo, vnum tamen quiddam est quod ex vtrisque sanè fit. vnicus enim sensus & operatio vna est quæ à duobus exercetur oculis: quamobrem & vnica illorum est potentia. in ipsis autem animæ potestatibus, si quidem vnicum est illud quod pluribus operatur potētis, & circa vnum quippiam vna est amborum operatio: illud profecto erit sentiens quod operatur per vtrisque secundum vnicam operationem: nullūq; inde sequitur inconueniens. vnius enim vnica existit potentia per plura quædam percipiens & sentiens: quemadmodum in geminis animaduertere licet oculis. Si autem hoc non diceretur modo: quæsitum enim fuerat quonam modo vnicus sit plurium sensus: sed diceretur vnumquęq; sensum quippiam percipere: haudquaquā profecto similis erit comparatio. cum enim plures vno sint oculi, gemini nanq; vnica tamen illorum est operatio, & sensus vnus: plurium autem animæ potestatum plures sunt sensus. nāq; illarum cuiusq; proprius & peculiaris est sensus. In principio vero literæ obscurior apparet textus: quāobrem post illud, ita etiā in anima, subintelligendum est supplēdo & copulando, hoc videlicet, non similis est comparatio.

Praterea iidem sensus plures erunt, vt si differētes quispiam scientias dixerit. neque enim operatio absque sua ipsius erit potentia: neque sine hac erit sensus.

Cum dixisset obiter & ostendisset philosophus impossibile esse eodicerem modo simul plura sentire quia vel per plures sentiat quispiam potentias, vel per plura recipientia sensiteria, vt in geminis dictum est oculis: rursus circa dubitationem ipsam quod sequitur inconueniens reassumit. Si enim, inquit, secundum plures sui potentias anima simul plura sentiat quæ sanè genere sint eadem, plures certe eorūdem sensilium habebimus sensus, & plures susceptrices potentias: verbi gratia visiliū, audibilium, olfactilium: ceu si quis dixerit eiusdem rei plures esse, & habere nos sciētias. Vt enim vnus & eiusdem vnica est scientia, ita vnus rei vnicus est sensus. Statimq; subiungit quam ob causam plures eorūdem habebimus sensus. Neque enim operatio siue actus absq; sua est potentia: neq; sine hac erit sensus. Si enim plura simul videmus, manifestum profecto est quod per plures simul operabimur actus. Si autē plures habebimus operationes siue actus, plures etiam simul habebimus potentias, à quibus videlicet ipse defluūt operationes & actus. Plures igitur visiuas habebimus potentias. Pariq; modo in alijs dicitur sensibus. quāobrem eorūdem plures habebimus sensus. Animaduertēdū autē hoc est in loco, quod retro quidē dixit, primū igitur nūquid ita cōtingit &c. vt hoc tāquā secūdū adderet scilicet, praterea iidē sensus plures erūt. in ambobus autē ijs non idē dicere videtur: verum in primo quidē ostēdit q; anima plures habebit partes, & potētias plures. in isto autē secundo declarat q; operationes sanè erūt plures. si enim plura simul visilia sentiamus, eiusdem sanè rei simul plures erunt operationes. Nāq; si plures potētias susceptrices visiliū peculiarē sensilis operationem sibi vendicant & comprehendunt: absq; enim operatione nō fit sensus: simul profecto vnus rei plures erunt operationes, per quas visilis fiet comprehensio. sed plures certe se ipsas præpediunt & interimūt. Intelligi etiā locus iste hoc potest modo, q; primum quidem ceu consequens opinionem illam assumpsit, plures habere partes animā, & plures sensitiuas potestates, quæ eodē sunt specie: verbi causa visiuas plures, & plures auditiuas. Hoc autem in textu ostensionem sanè addidit quonā modo plures, & quonam eorūdem plures erūt sensus. Quo etiam in loco opinionis huius designat incōueniens & absurdū sub scientiarū exemplo clare demonstratum. fieri enim non potest vt eiusdem rei secundum idem plures existant scientiæ, ita vt simul nos secundū idem de eiusdem rei contemplatione & speculatione pluribus discurramus & ratiocinemur operationibus, non secūdum idem vero, nihil sanè prohibet: verbi causa de trigoni specie isoscele

Alia literæ.
expositio.

quod habeat tres duobus rectis æquales : necnon aliter de scaleno : & de æquilatere etiam aliter discurre & ratiocinari contingit.

SI autem hæc in vnico & indiuiduo sentit , manifestū est quod & alia . Continget enim magis hæc simul plura , q̄ ea quæ genere sunt diuersa . Si vero alia quidem sui parte dulce , alia autem album sentit anima : vel quod ex istis vnum quiddam est : vel non vnum : sed vnum esse necesse est . Vnum enim quiddam sentiens est pars . Cuius igitur illa vnus ? Nihil enim ex istis vnum . Necesse igitur est vnum quippiam esse ipsius animæ quo omnia sentit , vt dictum est prius : aliud autē genus per aliud .

Respondere intendens ad oppositam philosophus quæstionem , sumit à principio vnū quod tum certum & verum est , tum etiam sensui est manifestum , quod in vno scilicet & eodem tempore animal duo diuersorum generum sentit & percipit , verbi causa album & dulce . & per locum argumentatur a minori , hoc modo : minus videtur quod in vno & eodem possit quispiam tempore simul duo sentire sensilia diuersorum generum , quàm duo eiusdem generis sensilia . sed potest illa poterit igitur & ista . Si igitur alia & alia animæ parte istæc sentit animal , vel ex illis vnum fiet partibus , vel non fiet . Dicitur quod vnum fieri necesse est , si sentiens scilicet vnū est . Sensus enim communis , à quo nimirum omnes huiusmodi emanant fluuntque potentia , vnicus certe est . Quamobrem omnia sensilia vt sensilia sunt , sub vnicam sanè deducuntur naturam . Et hoc est quod prius dictum fuisse scribit : quoniam in libris de anima fuit ostensum & declaratum , quod scilicet nisi esset vnum quiddam sensitium , sed multa , & alia alio sentirentur & perciperentur , haudquaquam comprehendere possemus aut sentiremus varias sensilium differentias , neque inter illas distinguere & diiudicare possemus : sed sic nos haberemus ad sensus , vt si alter quidem cerneret , alter vero audiret , & alter olfaceret , quorum nullus de aliorum sensatione iudicium ferre potest . Vnam igitur naturam & animæ vim necesse est esse quæ omnia sentiat , & de omnibus iudicium ferat : licet à diuersis sensiterijs , & huius animæ partis potestatibus , alia & alia dignoscantur sensilia . Et per hæc ad quæstionem patet responsio , quod vno scilicet & eodem tempore simul duo sensilia sentiri possunt : ab huiusmodi scilicet sensitua animæ siue primi sensiterij potestate . simul enim sentit & diuersa & contraria vt ad vnam deducuntur naturam , ipsius videlicet quod sentiri potest , & sensile appellatur . Aduertendum autem est quod hoc in loco mendosam sibi videri à principio statim textus huius literam Aphrodisæus scribit , iudicioque suo ita legi debere affirmat : Si autem quispiam hæc in vno & indiuiduo non senserit , manifestum quod & alia . clarumque hoc esse modo literam dicit , consentaneamque & concordem ijs quæ retro sunt dicta .

Sensus communis .
Omnia sensilia : vt huiusmodi sunt : sub vnâ deducuntur naturam

Responsio ad quæstionem .

Alexander .

Vtrum igitur vt est indiuiduum quiddam actu , vnū est ipsum sensitium dulcis & albi , sed cum actu diuisum fuerit , alterum est : an quemadmodum in ipsis contingit rebus , ita & in anima ? Vnum enim & idem numero album est & dulce , & alia multa . Si enim non separabiles a se inuicem sunt passionēs , alterum tamen vnicique est esse . Similiter igitur in anima ponendū est vnum & idē numero esse id quod omnia sentit , secundum esse autem aliud : & aliud horum quidem genere , illorum vero specie . Quamobrem vno & eodem simul sentiet , ratione autem non eadem .

Ad principalem tandem philosophus respondens quæstionem dicit vnum sanè albi & dulcis esse sensitium . Ex hoc enim ostenditur quomodo vnum existēs plura & diuersa simul sentiat . secundum enim quod ipsum per se sumptum & intellectum , indiuiduum est , finis existens & terminus omnium sensiteriorum , actu autē & suapte natura indiuiduum , & sensilium omnium vnici subiectum , omnia proculdubio sentiet sensilia , & de illis etiam iudicium feret . secundum vero quod ab operationibus quæ sub sensitio cadunt , diuiditur & secatur , multa ex vno quodammodo effectum , plura & differentia simul sentiet . Hac autem de re in commentarijs de anima verba fecit . Vt diuisibile autem sumitur , quando vt finis & terminus plurium consideratur . Cum enim omniū similiter sen-

Prima solutio ad quæstionem .

iteriorum sit finis, quando actus illius & operatio secundū plura erit sensiteria, vt diuisum, & vt plu-
 ra sumitur & consideratur. secundum autem quod idem plurium sit terminus & finis, in operationi-
 bus quæ secundum plura sunt sensiteria, secundum id vnum existens, plura atq; etiam genere diuersa
 simul sentire poterit. Idem enim vnum est & multa, vt in circulo centrum. id namq; subiecto vnū exi-
 stens, multa sanè sit cum sumitur vt finis & terminus linearum à circūferentia ad ipsum tendentium.
 Cum autem philosophus prima vsus sit huiusce difficultatis solutione, quam sic se habere in commen-
 tarijs de anima asseueravit: consequenter vtitur alia etiam solutionis via, quam in ijsdem etiam com-
 mentarijs planè retulit. Est autem id quod hoc in loco dicit, huiusmodi: Quæadmodum in corporibus
 & ijs quæ sensibus subiaceāt, contingit vnum & idē numero existens plures in se habere passiones: ma-
 lum enim (verbi causa) vnum existens numero, simul & suauis est, & flauum & odoratum, quæ sanè
 passiones quædam sunt à se inuicem differentes, & à diuersis percipiuntur comprehenduntq; sensi-
 tus, in vnico tamen, vt apparet, subiecto firmantur. Pari rationis modo nihil prohibet rem hanc in
 ipsa se habere anima, ita quod vnicum existens ipsius sensitium, plura simul & differentia percipere
 & diiudicare possit, eo quod plures habeat potestates. Cum autem ostendit quod vnum existens sub-
 iectum plures simul habet passiones, statim subdit: Vnum enim & idem numero album est & dulce,
 & alia multa. si enim non separabiles à se inuicem sunt passiones, alterum tamen vnicuiq; est esse. in-
 nuere volens per hæc dicta quod omnes sanè circa vnum quippiam numero passiones, non iccirco
 quia huiusmodi sunt, quod illarum scilicet vnaquæq; neq; esse de se, neq; sumi seorsum potest: pro-
 pter hoc eadem sibi inuicem existunt. Etenim licet seorsum non sint & separatim: esse tamen illarum
 & ratio est diuersa. Quorum autem esse est alterum, hæc nimirum inter se sunt diuersa. non enim res
 diuersitas solummodo in earum seiuigatione cēsetur & iudicatur: sed multo magis in esse diuerso,
 & quod ipsum quod quid erat esse, diuersum habent. Quo sanè diuersitatis modo passiones à se inuicē
 & a subiecto etiam suo diuersæ esse censentur. Simili igitur inquit modo esse dicendū in ipsius animæ
 sensitio: vnum scilicet id esse numero & subiecto, cum vnus sit actus sensilium omnium comprehen-
 siuus: secundum rationem autem & potestatem differre, differentes habens potentias, vt sensilia à se
 inuicem sunt differentia: & has quidem potentias genere differentes habere, alias vero specie, vt à se
 inuicem sunt sensilia. Colorum enim differentia, specie sunt diuersæ: colorum autem & sonorum, ge-
 nere distāt. Quamobrem sentiet quidem anima vno & eodē sui plura & diuersa, id est ipsius sensitio,
 quod vnum sanè & idem est subiecto, comprehenditq; & iudicat diuersa. Non vno autem & eodem
 secundum rationem & potentiam diuersa comprehendere dicitur. secundum enim aliam ipsius pote-
 statem colores, & secundum aliā sapores comprehendit & sonos. Quo in loco animaduertere nos iu-
 bet Alexander q̄ non sunt intelligenda philosophi verba, idem scilicet secundum habitudinem ad di-
 uersa sensilia, nunc quidem esse auditium, aliās autem visuum. id enim inquit Stoicam sapere hæres-
 sim, quæ sanè natio principem in animalibus partem, quam ἡγεμονικὸν appellant, quodam se habē-
 tem modo, nūc hoc fieri, aliās aliud asseuerat. Si enim sic se haberet res, non posset simul plura sentire
 & percipere sensus. sed intelligere vult hoc in loco philosophus q̄ vnum secundū subiectū existēs sensi-
 tium plures habet & à se inuicem differentes potentias, secundum quas simul operari & agere potest.
 Cæterum hoc in loco querit Alexander quonam possit modo simul ea quæ sunt contraria sensus per-
 cipere & sentire. licet enim vnum & idem numero existens ipsum sensitium, plura simul esse possit
 secundum rationem & potentias suas: non tamen iccirco contraria simul recipere iure cēsetur. Neq;
 enim malum ipsum quoniam dulce & album simul esse potest, iccirco album simul & nigrum, aut
 dulce simul & amarum esse poterit. quamobrem neq; verum sanè videtur esse illud quod retro dictum
 est, magis posse simul fieri sensum eiusdem generis plurium, quàm diuersorum generum: cum certe
 appareat minus esse simul susceptiuum contrariorum ipsum sensum, quàm eorum quæ nihil commu-
 ne inter sese habere videntur. Verū alia etiam occurrit via non minor ambiguitas. nisi enim contraria
 simul percipiat sensus, quod sanè sint contraria, diiudicare non poterit: illiusq; penitus iudicij euane-
 scet examen. nam quæ simul non sentit & percipit, illorum etiam sentire & percipere differentias quib-
 us inter se distant, haudquaquam potest. Memoria etenim est & non sensus officium, non simul sed
 separatim & seorsum percipere & iudicare, vt in commentarijs de anima est declaratum. Ad quam
 postmodum respōdens Aphrodiseus quæstionem dicit quod licet sensus per passionem fieri videatur
 quandam: ipse tamen iudicium est quoddam, & iudicio sanè constare censetur. Porro aliud est contra-
 rium in passione, & aliud in iudicio. In passione enim cōtraria sunt album & nigrum, quæ simul in
 eodem esse subiecto non possunt: in iudicio autem ipso, albi quod album est, iudicium, & nigri, quod
 nigrum, non sunt contraria. Simul enim huiusmodi iudicia vera sunt: contraria vero iudicia simul esse
 vera non possunt. Iudicio enim albi quod est album, contrarium est iudicium albi quod est nigrum.
 quæ certe nunquam in sensus iudicio simul esse possunt: illa autem plerumq; sunt simul, quoniam non
 sunt contraria. Cæterum hoc etiam obiter est animaduertendum, hanc scilicet secundam quæstionis
 solutionem à prima distare illa, quoniam in illa quidem sensitua sumebatur anima vnica non solum
 numero, sed etiam potestate. In hac vero, numero quidem vna sumitur, non autem ratione vna, sed
 quemadmodum res se habent subiectæ: quæ positæ scilicet sunt in vno numero & subiecto plures &
 ratione differentes.

Quō primum
 sensitium vnū
 & plura sit:
 necnon diuisi-
 bile & indivi-
 sibile.
 Secūda solutio
 ad quæstionē.

Quid Stoici de
 principe senti-
 tiant parte.

Quō sensus
 simul cōtraria
 sentiat, de
 Alex. scētia.

Quod autem omne sensibile magnitudinem habet, & indiuiduum non est sensibile, manifestum sane est. Vnde enim videri non potest, infinita est distantia: vnde autem videtur, finita: similiq; modo olfactile & audibile, & quaecunq; sentiunt non tangentes homines. Est igitur quiddam distantiae extremum vnde non cernatur, & primum vnde cernatur: & hoc sane indiuiduum esse necesse est: cuius in eo quidem quod ultra est, sentire quippiam non contingit: in eo autem quod est citra, sentire est necesse. Si igitur indiuiduum quippiam est sensibile: quando in extremo constituetur vnde postremum quidem non sentiatur, primum autem sentiatur: simul visibile & non visibile esse continget. Hoc autem fieri non potest. Et de sensiterijs quidem, & sensilibus, quoniam se habeant modo, & communiter, & per singula sensiteria, dictum est: ex reliquis autem de memoria & rememorari, & de somno est considerandum.

Posteaquam retro ostendit philosophus quomodo fieri possit modo ut sensus simul plura sentiat, consequenter demonstrare aggreditur quod nullum sensibile caret partibus, sed omne sensibile est diuisibile: quod retro tanquam verum supposuerat & indubitatum, quando scilicet de sensibiliu partitione diuisione verba fecit, necnon de solis magnitudine. Est autem huiusce rei ostensio qua in praesentia vitur, talis. Sumit enim primo ceu manifestum & patens, quod nihil eorum quae aliquo intercedente medio sentiuntur, a quacunq; omnino spatij distantia sentiatur, sed aliquam certe esse distantiam a qua visibile cernatur, & audibile audiatur, & olfactile odoretur. Ij enim sensus extrinseco indigent medio: alij autem non indigent, sed tangentes sentiunt. Illa igitur distantia vnde sensibile sentiri non potest, multa profecto est, & penes infinita. a quo enim non sentire incipimus, si id ipsum augere curabimus interualum, semper sane a re sensibili remotiores fietus, illamq; minus sentire & percipere poterimus. Infinitum autem in praesentia dixit id quod multum est & indeterminatum. non enim maximam accipere licet distantiam a qua sentire non possumus: a qua vero sentire valemus, terminata certe est distantia. Quoniam igitur manifestum est, & in confessis habetur, quandam esse distantiam a qua sentimus, & quandam rursus a qua sentire non valemus, clarum profecto est quod erit utiq; ipsius distantiae vltimum quiddam a quo visibilia non cernuntur (exemplum enim de re ponit visibile: ut quod in illo fuerit ostensum, ad sensibilia etiam quadret omnia quorum medio quopiam intercedente fit receptio) quod inquam vltimum a quo non cernuntur visibilia, erit etiam primum a quo eadem cernuntur visibilia. nihil enim refert hoc in loco si inuerso etiam modo, & non ut philosophus facit, istis utamur distantijs, dicamusq; vltimum quod videtur, & primum quod non videtur: quod recentiores philosophi minime permittere voluit. Dicunt enim primum quod sic, & vltimum quod non. eadem enim res diuersimode accepta diuersas nimirum veritatis habet causas. Si enim accipiamus distantiam a qua primum quippiam cernitur iuxta ipsum visum, illamq; extendamus eousq; quo id cernitur visibile, vltimum profecto erit illud ultra quod non amplius res illa erit visibilis: quod sane primum erit a quo res illa non cernitur. nam vltimum distantiae illius hoc non dabitur modo, cum per philosophum distantia a qua non cernitur, est infinita. Vltimum igitur est illud quod videtur & cernitur, & primum quod non videtur: quod etiam inuerso verificatur modo, ut in philosophi scriptum est litera, si a distantia a qua non videtur, incipiens quispiam ad distantiam tendat a qua videtur. Vltimum enim hoc modo distantiae a qua non videtur, primum erit distantiae a qua videtur. Nihil igitur refert (ut diximus) vtro quispiam voluerit modo istae proferre, dummodo pro indubitato habeat id ipsum quod primum & vltimum esse diximus, medium scilicet vltimi a quo non videtur, & primi a quo videtur ipsum visibile, necessario esse indiuisibile. Quod hoc in loco philosophus sumit ut euidens & clarum. namq; in ijs quae hoc se habent modo, idem ut finis & ut principium capitur. medium enim duarum quantitatum ad se inuicem continuatarum indiuisibile profecto esse censetur. Hoc igitur assumpto, ostensione postmodum ad impossibile deducente demonstrat nullum indiuisibile sentiri posse. Si enim, inquit, sentiri potest indiuisibile, verbi causa videri, positumq; fuerit in medio illo indiuisibili quod vltimum est a quo non videtur, & primum a quo videtur: illi certe quadrabit & adequabitur. neq; enim maius illo, si indiuisibile est, neq; minus erit. Si autem quadrabit, erit certe simul visibile & inuisibile. Visibile quidem, quoniam quod in principio est visibilis, visibile est. Inuisibile autem, quoniam quod in fine inuisibilis esse censetur, id inuisibile esse necesse est. Si enim quispiam a distantia a qua primum visibile cerni potest, hoc indiuisibile videat: illud profecto videbit, & non videbit. Videbit quidem, quoniam citra vltimum iacet distantiae a qua visibile cerni non potest. omne autem quod citra vltimum est inuisibile, cerni sane potest. Rursus autem non videbit illud, quoniam ultra principium iacet distantiae a qua

Quod nihil refert dicere primum quod sic: & vltimum quod non: vel primum quod non: & vltimum quod sic.

um de v...
operantur
renerit diuer...
silio vni ex...
indertum.
in omni
n etiam om...
in corpore
sationes mu...
m, quae sane
muntq; sensu...
rem hanc in...
ria percipere
exultans sub...
n est & dulc...
q; est esse. in...
, non icern...
n potest: pro...
amen illam
non enim to...
esse diuerso...
es a se int...
ipsum anima...
compreh...
sensibilia de...
specie, ut a...
onorum go...
us sensu...
m & eodem...
ipsum pote...
rere nos in...
nem ad di...
pere hanc
m se hab...
ra sentire
sibile sensu...
e potest.
minus per...
esse possit
itur. Neq;
grum, aut
tro dictum
cum certe
nil commu...
n contraria
dicit euano...
mentias qu...
in sensu sed
. Ad quam
ieri videatur
d est contra...
quae simul in...
de nigri, quod...
cia simul est
est nigri...
quoniam non...
m quoniam...
a non solum...
ione vna, sed
cho plures h...

visibilia cerni possunt. quæcumque vero ultra id principium esse dicuntur, inuisibilia merito esse censentur. Ultra vero principium illud sanè iacere dicitur, quia in ultimo est distantia a qua visibile cerni non potest. Videbitur ergo, & rursus non videbitur illud indiuisibile. Si igitur fieri non potest omnino ut idem simul visibile sit & inuisibile: fieri certe non poterit ut indiuisibile quippiam visibile & sensibile sit. Nam si diuisibile quippiam eo ponatur in loco, nullum profecto consequetur absurdum, aut ad se pugnans. partem enim sui visibilem sanè habebit, eam videlicet quæ citra ultimum illud inuisibile iacebit. partem autem inuisibilem, quæ ultra primum visibile erit collocata. Cum enim positum sit diuisibile, non utiq; medio illi indiuisibili quadrare & æquari poterit, ut absurditas sequatur illa quæ de sensibili indiuiduo a philosopho est adducta. Cæterum hoc quispiam in loco non immerito ambigere posset, argumetationeq; instare, dari scilicet ex huiusmodi opinione, & sine dubio cõcedi indiuisibile quippiam continui esse portionem. medium enim illud ultimi a quo non videtur, & primi a quo potest videri, quiddam profecto esse dicitur illius separans & determinans distantias: quod sanè indiuisibile esse, de philosophi sententia est concessum. Continui igitur pars id erit indiuisibile: sed quia nullum ex indiuisibilibus fieri & constare potest continuum, ut in physicis est demonstratum, & rei etiam ipsius id dicitur veritas: ideo huic occurrens difficultati Aphrodiseus dicit philosophum hoc in loco non simpliciter indiuisibile velle ostendere id esse medium, sed ad sensum indiuisibile, ut declaret scilicet quod nullum sensibile ut partibus carere dicitur, percipere potest sensus. Quod enim impossibile sit indiuiduum quippiam magnitudinem esse, alijs multis in locis, pluribus sensum est rationibus: hoc autem in textu intelligere oportet quod omne sensibile est magnitudo, & nullum indiuisibile est sensibile. Aut, inquit, dicere possumus non esse necesse medium illud inter distantiam a qua non videtur visibile, & illa a qua videtur, esse distantiam aliquam. in huiusmodi enim idem est finis & principium. Si enim continuæ illæ sunt distantia, ultimi scilicet a quo non videtur, & primi a quo cerni potest, aliquid profecto coniungens & copulans primum cum ultimo esse necesse est: quin potius idem sunt ambo, huius quidem principium, illius vero finis, indiuisibilis scilicet terminus. Erit igitur in ambabus illis distantijs primi scilicet visibilis, & ultimi non visibilis. quoniam (ut vere dictum est prius) si in utroq; illorum indiuiduum ponatur sensibile, illi profecto æquabitur & quadrabit, & in utroq; erit, visibile scilicet, & non visibile. Ratio igitur retro adducta eodem sequetur modo, idem scilicet visibile esse, & non visibile. quod cum absurdum sanè est, tum sibi ipsi manifeste repugnans. quod profecto (ut dictum est) non sequetur si eo in loco diuisibile reponatur quippiam. Cæterum subiungit Aphrodiseus, videri sibi philosophum ex ijs quæ hoc adduxit in loco, Diodoro Stoico ansam præbuisse, siue illi, quisquis fuit is, qui sermonem de indiuisibilibus protulit: circa prius a se inuenta, & recte interrogata, paralogizandi, & perperam hac in re concludendi. Demonstrauit enim Aristoteles, id quod ad sensum est indiuiduum, quod neq; impossibile est reperiri, neq; rerum naturæ repugnare censetur, sed in ipsis inuenitur reponiturq; rebus, ut eiusmodi est, non esse sensibile: ex quo minime sequi apparet corporis partem aliquam vel sensibilem vel non sensibilem esse indiuisibilem. Quod captiosus postmodum interrogatiunculis ostendere conati sunt illi qui sophisticis hac in re vsi sunt syllogismis. Quamobrem non licet de illorum sententia ponere neq; maximum suapte natura insensibile, neq; minimum sensibile, neq; etiam continui naturam in infinitum esse diuisibilem. Cæterum postquam hæc (ut vidimus) planè & manifeste ostendit philosophus, ad libelli huius properans calcem, breui de more colligit epilogo ea de quibus retro verba fecit: polliceturq; se in consequenti libelli compendio de memoria & remorari, siue reminisci, & de ipso etiã somno velle pertractare: neq; non ab re, mehercule, fecisse, & in se recepisse videtur, sed ut omnes scilicet temporis colligeret differentias, apte profecto & commode hoc loquendi vsus est modo. Namq; ut per sensum præsentia cognoscuntur, ita præterita per memoriam, & per somnum nonnulla futurorum dignosci præsentiriq; censentur.

Dubitatio:

Alexandri responsio.

Alia eiusdem responsio.

Diodorus Stoicus.
Sermo de indiuisibilibus.

10

20

30

40

NICOLAUS LEONICVS THOMAEVS
ALEXANDRO CAPELLAE S.



Onstans iam dudum fuit opinio, Alexander amantissime, non modo eorum qui Patauij pueris nobis disciplinas publice profitebantur: sed aliorum etiam alijs in gymnasijs philosophantiũ frustra eos ad philosophiæ fores accedere, oleumq; (vt aiunt) & operam perdere, qui potioribus literis paulo excultiores, & liberaliter eruditi, rem illã aggredi concupiscerent. Hinc (vt audio) genitor ille tuus, vir alioqui prudentissimus, & si quis alius, rerum omnium experientissimus, cuiusdam ex illorum grege, cuius nomen in præsentia, ne mortuo detrudere videar, conticesco, verbis adductus, e poetarũ rhetorumq; gremio diuisum, qui tenellam adhuc ætatem tuam præclaris imbuebant institutis, & humanioribus literis excolebant, in sophistarum vepres, confragosaq; illorum coniecit angustias, vt nisi quis te paulopost respexisset deus, qui tantam perire non est passus indolem, in obsoletis me hercle ijs agrestioribusve & vere barbaris studijs tibi profecto consensendum fuisset. Verum subsequuta postea meliori quodam fato, & græcis emergentibus literis, excultior est ætas, quæ eiusmodi illorum opiniones erroris ignorantiaq; plenas esse manifeste declarauit, & plerosq; de meliori (vt aiunt) nota produxit viros, qui tum profitendo, tum scriptitando optimarum artium studijs magnopere profuisse videntur. Vt enim græcos omittam quos adolescentuli iam senes cognouimus, Bessarionas inquam, Theodoros, Argyropilos, Demetrios: e nostris certe Hermolaum Barbarum, Marsilium Ficinum, Picum Mirandulam, Hieronymum Donatum, aliosq; complures florètes nostra vidit ætas, qui philosophiam ab humanioribus studijs priorum incuria distractam & seiugatam, bono cum omine illis coniunxerunt, antiquamq; illi cum rerum maiestate leporis verborumq; gratiam restituerunt. Extant sanè pleraque illorum monumenta, in quibus neq; verba nullis subiectis rebus inaniter resonant: neq; res ipsæ verborum nitorem & elocutionis elegantiam desiderare videntur. Nos quoq; ipsi (verbo absit adraestia) pro mediocritate nostra hanc illorum terentes lemitam, quid profecerimus, iudicent alij: certe multum diuque laborauimus: omnesq; quotquot habere potuimus cum Academicorum, tum Peripateticorum græcos commentarios diligenter & sedulo lectitauimus. Præterea ne nobis tantummodo, & quod aiunt, ne intus caneremus, sed opera & exemplo alios etiam iuuaremus, decem integros annos Patauij philosophiam græce & latine professi sumus. Qua

etiam tempestate succisiuis operis cum alias phisicas complures, tum amatorias quasda quæstiunculas Aristotelico more cōscripsimus, tresq; insuper de varia historia cōmētarios addidimus: paraphrasesq; præterea quasdam in Aristotelem, & plerosque dialogos præcipuas philosophiæ complexos partes Socraticorum institutis confecimus. Cæterum dum in ijs versaremur studijs, & egregia vndique pullularent ingenia, præclareq; admodum agi cum literis videretur, subito (vt scis) tanta bellorum per vniuersam Italiam exarsit rabies, vt nullus non eius concuteretur angulus: præcipue autem ea vastitatis calamitas Aemiliam Venetiãq; contriuit: quibus in locis (vt alia bellorum taceam mala) maxima agrorum pars, cum truculenter cæsis, tum abductis cultoribus, desolata penitus & deuastata fuit, opida diruta & euerfa pleraque. omni denique vastitatis & miseriarum genere illis in regionibus est desæuitum. Patauium quin etiam Venetiæ caput, & studiorum disciplinarumq; omnium excellentissimum gymnasium, innumeris hominum milibus tam arcta fuit obsidione circunvallatum & oppressum, vt nihil sit factum propius quam vt vi caperetur, ferroq; & igni præclarissima & vetustissima Italiæ ciuitas funditus interiret. Verum quid hæc tibi commemoro, qui non tantum interfuisti cum fierent, sed pro parte etiam præfuiisti, dum in Veneto exercitu qui Patauij inclusus tenebatur, Legati à secretis eras: & non minus strenuam quam diligentem ea tempestate operam patriæ præstares? His igitur me tunc cum publicis, tum vero priuatis afflictum consternatumq; miserijs, ne quid à me penitus abesset mali, domestica etiam (vt nosti) ex insperato oppressit calamitas. nanque vnicum & mihi charissimum amisisti fratrem, & eum certe fratrem, qui non solum familiæ nostræ moribus & doctrina, sed patriæ etiam gloriæ & ornamento esse potuisset. Quæ sanè fortunæ plaga adeo me consternauit (vera enim sunt fatenda) vt per non paruum temporis spatium nullis consolationum remedijs leuior fierem, aut omnino resipiscere possem. Maleq; profecto (vt opinor) mecum actū fuisset, nisi me philosophia fortunæ penè obrutum procellis, placidissimo recepisset sinu. Vbi cum legendo, tum scriptitando, & dura illa toleranter transmisi tempora, & maximam ægritudinis meæ leuationem planè sum consequutus. Qua etiam tempestate dialogum de cōpescendo luctu me ipse consolans composui: & rem non parui (vt arbitror) laboris aggressus sum facere, in qua nunc etiam versor, parua scilicet Aristotelis appellata naturalia conuertendi & explicandi, de quorum numero, de sensu & sensibili libellum cum iam absoluissem, de eodem (vt aiunt) oleo & opera eiusdem philosophi de memoria commentariolum explicare aggrediebar. Cum enim circunstreptibus adhuc bellorum ruinis, literarum vn-

dique studia conticuissent, & ego ex vitæ meæ instituto neque nihil agere possem, neque ijs præsertim annis quid potius agerẽ reperire valerem, huc certe omne otium meum contuli, & negotium: & alioqui non contemnendum laboris mei fructum id agens me capere videbam, cum te nostris, qualiacunq; sunt, non mediocriter delectari cognoscerem. Tuo nanq; legendi studio, quo nostra expetis omnia, mirum quãtum mea scribendi excitatur alacritas, & in dies excrefcit magis. Vale.

IN LIBELLVM DE MEMORIA ET REMINISCENTIA COMPENDIARIVS DISCVR.

sus, cum proloquijs quibusdam eò spectantibus.



Osteaquam à philosopho Aristotele in ijs qui de anima inscribuntur commentarijs, primum quidem de omni vniuersaliter anima pertractatum est: postea vero de singulis illius potestatibus & viribus, quot scilicet existunt: & in quam re esse habeant suum: quo etiam in loco de sentiẽte illius potentia verba fecit, ostendẽs quãnam illa esset, quam vsitato vocabulo primum vocat sensum: postmodum declarans etiam in quot illa disterneretur distinguereturq; sensus: de ipsis quinetiam sensibus separatim verba faciens, docensq; quãnam ipsorum vis sit illa à qua singulis ipsum sentire prouenit: & quãnam sint actus, & circa quod versantur: in commentariolo præterea de sensu & sensibili, cum de singulorum sensiterijs sensuum accurate loquutus esset, qualia scilicet essent, & ex quibus constarent: hoc autem iccirco, quoniam sine illis sentire nõ potest animal, cum sentientis operatio animæ non nisi intercedẽte fieri animaduertatur corpore: cum istæc inquam omnia retro Aristoteles præmisisset, & commode etiam & abunde de singulis pertractasset: consequenti doctrinæ ordine post libellum de sensu & sensibili, commentariolos de memoria & somno non sine ratione subiunxisse videtur. Quoniam enim memoria, vel passio est & affectio, vel habitus communis appellati sensus, quem primum nuncupauimus sensum, vt cum de illa verba fierent, manifeste comprehendere licebit: qui sanè communis sensus in primo collocari constituitq; sensiterio censetur, quod ipsum esse cor à physicis penè omnibus pro certo tenetur: non ab re post commentarios illos de sensu & sensibili, hos de memoria & somno libellos subiungit philosophus: in quorum primo quærit quidnam sit memoria, & in qua animæ collocetur parte. item quãnam sint quæ memorabilia dicuntur: quo etiam in loco memoriam in primo esse asserit sensu, illiusq; sensiterio. Quærit etiam postmodum quonam modo fiat memoria: & quamobrem neq; primæ tate pueri, neq; valde senes, & decrepita ætate iam fatiscentes, memoria pollere percipiuntur. Præterea cur interdum accidere videatur vt illi qui aliquorũ meminerint, falsò sibi ipsis sentire, id est imaginari videantur. Fantasia enim & sensus licet ratione differant, eadem tamen esse subiecto censentur. Et rursus quam ob causam interdum sentientibus accidat, vt non sentire, sed meminisse videatur: quod Antipheronti Oreitæ contigisse ipse asserit philosophus. Subiungit præterea quãnam sit reminiscentia, & quo proueniat fiatq; modo, quãve re à memoria distare censeatur: & quòd corporea quædam est passio ipsa reminiscentia. Quinetiam quam ob causam ebriosi minus reminisci valent. Quæ profecto de memoria & reminiscentia à nobis præcisè nunc decursa, à philosopho latius in hoc pertractantur commetario. De somno autẽ & vigilia primo quærit in quam animæ parte huiusmodi fiãt passiones: ostenditq; quòd in eadem animæ & vnica parte isthæc ambo fiunt. Declarat præterea quòd ambæ istæ passiones animæ communes sunt & corpori. quo etiam in loco euidentes explicat causas cur vicissim animalia dormiant, & vigilent: & quãnam ille sit sensus declarat quo animalia istas subire passiones censeantur, cuiusmodi istæ existant passiones. De insomnijs præterea verba facit, & quãnam animæ parte insomniã cernantur & appareant: quãve sint & quomodo fiant somnia. Quinetiam quòd à dijs & superioribus non transmittantur naturis (vt quidam voluerunt) ostendit, cum illorum quædam sint signa, alia vero causæ corũ quæ circa corpus versantur: nonnulla autem fortuita

Cor primum Sensiterium

Breuis discussio libelli de somno & vigilia

10
20
30
40

lures, tum
nus, tresq;
q; præterea
philosophaz
um dum in
præclaroq;
lorum per
etur angu
iamq; con
a agrorum
penitus &
vastitate
ium quon
xcellentis
it obfidio
uam vt vi
uitas fun
um inter
exerciti
inus stre
His igi
atumq;
osti) ex
n ami
ibus &
uæ sanè
per non
r fierem,
um acti
idissimo
oleranter
lane sum
luctu me
is aggre
lis appe
le sensu &
o & opera
aggre die
arum vo

quædam accidentia merito existimari possint: subditq; postmodum quibusinã certa significãtiaq; accide-
 dere solita sint insomnia, & quã ob causam id cõtingat. De huiusmodi igitur (vt diximus) seriofius in
 ijs etiã pertractatur libellis. Quoniã autẽ memoria subiecto eadẽ est cũ fantasia, quãuis ratione sit di-
 uersa, vt paulopost explicabitur, & iccirco qua animẽ parte sentimus, eadẽ sanẽ imaginamur & memi-
 nimus, non erit malũ (vt arbitror) si prius quædã circa fantasiã ipsius naturã breuiter perferutemur.
 Ita enim quã sit memoria secundũ peripateticorũ placita, nobis erit manifestũ. Cãterũ vt istuc etiã
 melius expeditiusq; percipere valeamus, quonã sensus & fantasia differãt, prius videamus. nõ enim (vt
 diximus) eadẽ sunt utraque, neq; rursus omnino censentur esse diuersa. Differt igitur fantasia à sensu (vt ex
 Alexandri colligitur verbis in cõmẽtarijs de anima) quoniã sensus quidẽ fieri & esse dicitur sensilibus
 præsentibus: fantasia autẽ est illis etiã absentibus. Sẽsus quinetiã vigilãtũ esse percipitur. Fantasia etiã
 in somno oppressis esse cõfetur. Prãterea sensus quidẽ in nostra non videtur esse potestate. non enim
 nostri arbitrij est absentibus sentire sensilibus, & nõ sentire præsentibus. Fantasia autẽ in nostrã spon-
 tis arbitrio est reposita. arbitriũ nãq; nostro quæcũq; voluerimus, & cum voluerimus licẽter & libere
 imaginari possumus. Ex quibus palãm certe est fantasiã à sensu multũ quantũ distare: quo au tẽ modo
 eadẽ cũ sensu sit fantasia, paulopost clare ostẽdetur. Verum quoniã circa initia omnia semper sunt ac-
 curatius explicãda, vt quæ sequuntur, peruia sint, & clarescãt magis: iccirco quidnã ipsa existat fantasia,
 in primis (vt arbitror) est praemonstrandum: quã hoc sanẽ modo perspicere & intelligere poterimus.
 Certũ enim est qd in nobismetipsis ab operationibus actibusq; sensuum singulorum figurã quædã si-
 ue rerũ imagines & simulacra imprimuntur & cõformãtur in primo animæ sensiterio, quod pro cõfessio-
 ã physicis cor esse existimatur: in qua certe animalis parte sensitiuã reponitur & collocatur animæ
 vis: vt pluribus nos docet rationũ euidentijs Aphrodisæus in suo de anima cõmẽtariolo. Hãc enim rem
 in præsentia recẽsemus de illorũ sententia qui inter Peripateticos Alexandri fuere denominati. In pri-
 mo igitur sensiterio, id est corde, siue in eius sanguine, seu illius spiritu (hoc enim in præsentia indiscus-
 sum relinquimus) eã figurã siue rerũ imagines & picturã expressẽ & manifeste insigniuntur, quæ sanẽ
 vestigia sunt & simulacra reliquarũ eãrũ quæ à sensilibus præfuerunt motionũ in ipsis sensuũ organis
 effectarum. Quæ in quã vestigia & reliquæ ipsis etiã absentibus sensilibus perstant & remanẽt tan-
 quam imagines quædã & simulacra, quæ in nobis conseruata & veluti in prõptuario quodam penu re-
 posita, memoriẽ postmodũ deseruiunt & subministrãt, illiusq; verẽ esse censentur causã. Hãc igitur ve-
 stigia, & has absentium sensilium configuratas reliquias, fantasiã appellare peripatetici cõsuerunt.
 Quamobrem fantasiã definiẽtes nonnulli illam dicunt esse configurationẽ in anima reseruatã, aut
 in principe animæ sensiterio. Cãterum (vt arbitror) animaduertendum est, ne forte configuratio illa
 haudquaquam fantasia esse dicatur, sed potius ipsa fantastica virtutis operatio & actus circa configu-
 rationes imaginẽsq; illas hoc cõfenda est nomine. Si enim conformatio illa & configuratio esset fanta-
 sia, imaginaremur vtiq; & fantastica vteremur virtute, si nihil etiã circa configurationẽ cõformatio-
 nemq; illã actũ operaremur, sed eã solũ habẽtes, id ipsum sanẽ efficeremus, quod certe falsũ esse
 apparet. verum neq; hoc solũ sequeretur absurdũ, sed quod simul etiã in eodem temporis puncto in
 pluribus fantasiẽ versaremur simulactis: quoniam in illis omnibus quorũ imagines & typi in nobis re-
 positi essent & insigniti. Prãterea qui illo dicunt modo, aut nunc factã configurationẽ illã fantasiã esse
 volũt, aut iãdiu effectã, & præexistentẽ. Quod si eã quẽ nunc factã est fantasiã dixerint, sensum pro-
 fecto in actũ esse fantasiã dicere cogẽtur: quod nimirũ absurdũ est, & inconueniens: cũ eã animẽ pote-
 states à se inuicẽ sint seiugatæ. si vero iam factã & reseruatã cõfigurationẽ fantasiã appellauerint, me-
 moriam certe denominare fantasiã erũt coacti. Vtrinq; igitur (vt apparet) excipiunt angustia, & in sa-
 lebris (vt aiunt) manifeste illorũ hæret opĩnio. Melius igitur est, & vero consentaneũ magis, dicere qd
 quẽadmodum in sensilibus est quippiã quod sensile appellamus, & rursus quiddam est quod vim siue
 potentiam dicimus sensitiuã: & est præterea tertiũ quiddã, quod illius potẽtiã peculiaris censetur esse
 actus, quẽ sanẽ sensum appellare consueuimus, siue (vt ita dicã) sensationẽ: pariq; etiã modo in intel-
 lectu quiddã est quod intelligibile vocatur: rursusq; aliud quod intelligẽs, siue intellectus, siue mẽs nõ
 cupatur: tertioq; loco actus est ipse & operatio, qui intellectus dicitur: ita profecto de fantasia ipsa est
 asseuerãdum, quiddã scilicet esse quod fantasiabile, vt ita dicatur (ad res enim exprimẽdas nihil prohibet,
 vt arbitror, nomẽclatoris interdũ vice fungi) fantasiabile in quã siue imaginabile dicitur: & hoc itaq;
 illa erit pictura, siue formarũ reliquæ quẽ ab actũ & operatione sensilium sunt conformatæ: & hoc sanẽ
 analogiã sine proportionẽ cũ re quæ sentitur vel intelligitur, merito habere cõfetur. Est præterea quid-
 dam quod fantastiũ siue imaginofum appellatur, id est vis ipsa & potestas fantasiã. Et hæc nimirum
 proportionẽ respõdere videtur cũ intellectui ipsi eo in genere, tum sensui, id est potẽtiã intellecti-
 uã & sensitiuã. Tertiũ præterea ipsa est fantasia, id est actus ille & operatio virtutis fantasticae circa ima-
 gines illas & simulacra à sensilibus rebus in primo sensiterio insignitas. Et hæc profecto intellecti-
 õni & sensationi proportionẽ respondere videtur, id est ad illorũ operationes & actus. Est igitur fantasia,
 vt hoc in præsentia describatur modo, fantastica potestatis actus circa res quẽ fantasiari & imaginari
 possunt. Fantastica enim subiacent potẽtiã eã propria & peculiarã obiecta, simulacra illa & imagi-
 nes quæ in primo sensiterio sensilium in actũ reliquẽ & vestigia quædã restãt impressa, quẽ à nonnullis
 intrinseca appellari sensilia cõsueuere: veluti ea quæ à sensili percipiuntur potẽtia, externa sensilia me-
 rito nũcupãtur. Figuræ autẽ illæ & imagines interdũ actũ sensus appellãtur, quoniã ab actũ sensilibus

Quo sensus à fantasia distet de Alexandri sententia.

Peripatetici Alexandri cognominati.

Quid sit fantasia secundum aliquos.

Sensile. Sensituum. Sensus. Intelligibile. Intellectiu. Intellectio. Fantasiabile. Fantasticum. Fantasia.

Fantasiae descriptio.

Interna sensilia.

10

20

30

40

50

60

efficiuntur: & hoc modo actu sentire, est has in seipso configurationes rerumque habere imagines quæ ab externis nimirum sensilibus fuerunt impressæ. Fantastica autem animæ vis subiecto (vt diximus) eadem est cum sensitua eiusdè potestate, licet ratione isthæc abinuicè differre censeantur. Sensitua enim est secundum quod solum præsentibus operari sensilibus potest: fantastica autè, vt absentibus etiam extrinsecis sensilibus, per interna sensilia exire in actum valet, & opus explere suum. Sensus igitur circa externa, fantasia verò circa interna operatur obiecta: imò animæ ipsius operatio sensus esse dicitur, cum vi sua sensitua sensiterijs intercedentibus circa præsentia versatur sensilia. cū autè eadem sensitua animæ potestas circa simulacra & imagines operatur illas ab actu sensilibus impressas & relictas, ceu circa internum quoddam sensile: tunc operatio illa & actus fantasia appellatur, subiecto igitur (vt aliquoties est dictum) eadem, ratione verò diuersa sensus & fantasia non ab re esse censeantur. Quod si etiam vltèrius sensitua animæ vis circa imagines & simulacra operatur illa, non sanè simpliciter vt imagines sunt & simulacra, & vt per se talia existunt, sed vt externorum sunt reliquiæ sensilium, hoc in actu eius illius operationes cum memoriæ profecto, tum reminiscentiæ esse censeantur. Memoria namque ex fantasia sæpius vltro citroque repetita & versata nimirum effici dicitur. Reminiscencia verò est renouatio & veluti reassumptio prioris iam collapsæ memoriæ & euanescentis, postquàm intercedens obliuio imaginum continuitatem illarum labefactauerit & dissoluerit. Verum de ijs ipsis posthac locis suis conuenientius & melius explicabitur: in præsentia autem satis sit declaratum, sensum & fantasiam, nec non memoriæ & reminiscentiæ, eadem esse subiecto, & sola differre ratione. Cæterum de fantasia ipsa denuo reassumamus, illiusque naturam pro virili melius dearticulatiuseque explicemus. namque ex ijs etiam qualis existat memoriæ, liquidò comprehendemus. Hoc igitur perspiciamus modo: Cōtingit ab alio quippiam cōmotum, ipsum etiam aliud quiddam mouere: verbi causa baculus mouet lapillum, cum ipse interim moueatur à manu. Pari igitur modo de primo contingit animaduertere sensiterio, id est corde. motum enim ipsum à simulacris reliquiisque illis que sibi extrinsecus à sensilibus sunt insignita obiectis partialibus intercedentibus sensibus, fantastica mouet potètiā, eo inquam modo quo potentia sensitua ab obiectis mouetur externis. Quamobrè fantasie hæc non immerito poterit esse definitio: motus scilicet à sensibus qui sunt in actu, motus videlicet à simulacris effectus & reliquijs quæ sunt à sensationibus actu, factus in primo sensiterio. Animaduertendū tamè est quod configurationes huiusmodi siue imagines & simulacra per translationem in præsentia dicuntur, namque figuræ & simulacra proprie dicuntur illa quæ eminentias habet quasdam & depressiones, vt in alijs plerisque, & in ijs præcipue quæ a sigillorum formis in cera imprimuntur, dignoscere licet. Huiusmodi autè simulacra nō sunt illa que ab extrinsecis rebus in primo insigniti dicimus sensiterio. Namque vt de alijs taceamus, quidnam habebūt huiusmodi simulacra ipsi? albedinis aut coloris, aut omnino vocis vel sonorū, quæ in illo certe picta sunt & insignita sensiterio: nominū igitur vocabulorumque penuria ipsè vtimur in vtrisque vocabulis, simulacra vocantes siue vestigia & imagines, permanentes illas reliquias vt ab externis in nobis fiunt sensilibus & insigniuntur. Manifestū igitur ex ijs omnibus esse potest quænam ipsius fantasie sit natura: nec min⁹ etiā ipsi memoriæ. Actus enim & operatio circa simulacra & reliquias extrinsecorū sensilium, quādo non simpliciter circa illa vt talia sunt, te exercet, sed circa illa ceu ab externis effecta rebus, memoriā nūcupatur: verbi gratia cū tabella proponitur quædam in qua pictus visitur leo, circa illā primus operatur visus, qui pictū cōspicit leonem: mox tabella illa de medio sublata, propter præcedentem visionem in primo sensiterio facta & insignita est imago, & inultū picti illius leonis est simulacrū, quod seruetur in illo & remanet ablata vel nulla etiā amplius existente tabella. Huiusmodi igitur imago, & hoc reliquū leonis simulacrū, fantastica animæ vim excitat & mouet, & vt aduertat sanè efficit, & circa illud operatur, nō alio rationis modo quā quo externa sensilia in ipsum agebant sensum, & ad illius peculiare opus excitabāt. Quādo igitur talis fantastice potètiæ operatio circa illa simpliciter versatur simulacra, nihil cōsideras aut discurrens quod simulacrū illud aut reliquias à figura proueniunt leonis illa quam in tali aut tali pictum tabella conspexerit, anno (verbi causa) elapso, in Apollinis vel Iouis templo, sed vt retro dictum est, simpliciter solummodo circa illa fantastica animæ vis operata fuerit: illud sanè tunc fantasia esse dicitur. quādo autem ad hoc quod circa illa operatur, cōsiderat etiam & subiungit quod huiusmodi simulacrum illius est imago leonis picti, quem Romæ (verbi causa) viderat Olympiadis centesimæ anno primo in tabella picta buxæ: tunc certe talis fantastice potètiæ operatio memoriā esse censeatur. Ex quibus manifeste patere potest fantasiam & memoriā, cum subiecto sint eadè, sola ratione differre. Cum autem sensus & fantasia eadè etiam sint subiecto (vt retro ostensum est) non ab re profecto dictum fuit quod illo videlicet quo sentit anima, meminit etiam eorū quorū meminisse valet. Quæ admodum enim à sensitua animæ potètia ipsum prouenit sentire: ita ab eadem imaginari etiā & meminisse prouenire censeantur. Et hæc sunt quæ Peripatetici de sensu, fantasia, & memoriā literis madauere: quæ ego nunc cursim & breuiter recensere volui pro illorum ostensione quæ posthac præcisè fanè & obscure de ijs ipsis à philosopho deducuntur. Cæterū vt hoc etiā in loco ipsè de rebus Academicorum placita recenseamus, quæ sanè cum antiquioribus Peripateticorū decretis, apparèti verborū de tracta cōtrouersia cōsentire videntur: primo est animaduertendum Platonis in Philebo de ijs ipsis rebus de quibus in præsentia verba facimus, huiusmodi esse sententiā. Sensum enim inquit cōmunem quādam animæ & corporis esse motionem, huius quidem ab externis sensilibus patietis, illius vero agētis & iudicantis. Memoriā autem sensum esse conseruationem, & veluti thesaurum quædam. Porro quo-

Sensus & fantasia subiecto eadem: ratione diuersa.

Memoriā ex sæpius versata fantasia effici.

Fantasie descriptio alia.

Quo à memoriā fantasia differat.

A sentiente animæ potètia fantasiam & memoriā prouenire.

Academicorū placita de fantasia. Plato in Philebo.

ties ea que cū corpore aliquādo passa est anima, sine corpore in seipsa reassumēs animaduertit, memi-
 nisse illa dicitur: & ea operatio, isq; actus, memoria nuncupatur. Præterea quando memoriæ cuiuspiā
 iacturam passa anima, sensu deinde vel disciplina mouente & excitante, ea iterum reuocat in seipsam,
 reminisci putatur: idq; illius opus reminiscentia appellatur. Et hæc de Philebo, quæ utrū ne cum Pe-
 ripateticis conueniant, an ab illis prorsus discrepent, isfanè iudicent qui peripatetica callere dogmata
 profitentur. Verū quoniam tritus iam per omnes philosophātium scholas & decātatus est sermo, circa
 adipiscēdarum modum disciplinarum magnā inter Academicos Peripateticosq; esse cōtrouersia di-
 ueritatē: nanq; hos de nouo & recēter in nobis per doctrinā & disciplinam fieri uelle scientiam dicūt:
 illos autē eandē congenitā, sed obscuratā cōtubernio corporis, per reminiscētiā in nobis rursus restitui
 uelle asserunt: de hoc ipso mox plura dicemus: & inter hos philosophos pro virili nostra cōponere stu-
 debimus, si prius quædā de fantastica animæ vi, quā imaginationē pro tēpore interpretari possumus,
 non sanè ab ijs quæ retro decursa sunt, multū abhorrentia, dixerimus: quæ cum ex Academicorū, tum
 ex Stoicotū thesauris sunt depropta. Chrysippus igitur (vt hinc exordiar) qui inter Stoicos primas si-
 bi facilè vendicauit, fantasiā passionē quandā in animis factā dicit esse, quæ & seipsam, & efficiēs præ-
 se fert & ostēdit subiectū: ceu cū albū quippiā cernimus, passio, inquit, quædā per visionē animæ inu-
 ritur, ita q; dicere possumus subiectū quiddā albū in nobis habere quod nos mouere valeat. Pariq; mo-
 do de alijs dicere licet sensibus. Porro quoniā ingeniosi & miri nominū impositores fuere Stoici, & vo-
 cabulorū etymologijs maximā inter reliquos philosophos impenderunt operā, fantasiæ nomen non
 ab re ἀπὸ τοῦ φωτός, id est à lumine deductū fuisse idem Chrysippus affirmat, ἢ ἀ τὸ φαίνεσθαι,
 id est apparere & videri. Quæadmodū enim, inquit, lumē & seipsum, & omnia quæ in ipso sunt, clare
 ostēdit & indicat, apparereq; facit: ita fantasia cū se ipsam ostendit, tū id etiā quod ipsam efficit, indi-
 care videtur. illud autē id est quod fantastabile siue imaginabile appellatur, vt retro de albo dictū est.
 Verum ne vocabulorum vicinitate de rebus ipsis forte fallamur, aliud sanè inquit esse fantastabile,
 & aliud id quod vulgo dicunt fantasticū. Fantasiabile enim id est (vt diximus) quod fantasiā efficit.
 Fantasticū autem, quod imaginofum latine dicere possumus, vana quædā est & futilis fictio animam
 mouens & vellicās, cui tamen nullū in re fantastabile respondere censetur: qualia in insanis & atra bili
 detētis visorū ludibria vsu fieri animaduertim⁹: atq; hinc vltices Horestis emanarūt diræ, & Alcmeo-
 nis furia flagellis armata: quæ fantasmata vere & proprie dici vocariq; poterant. Cæterum Academi-
 ci & Peripatetici qui non adeo exactam in rerum vocabulis posuisse videntur operam, & huiusmodi
 verba non ita examussim vt Stoici perpenderunt, fantasmata imagines illas & simulacra appellare
 consueuerunt, quæ ab externis (vt sæpe dictum est) sensilibus in virtute animæ fantastica, siue in pri-
 mo sensiterio conformari & insigniri dicuntur. Quo etiam in loco obiter animaduertendum esse ad-
 moneo, subiecto eadem in nobis esse fantasmata & notiones, quas ἐνοήματα græci vocant, ratio-
 ne autem inter se sola distare. Vt enim animæ applicantur rationali, notiones & ἐνοήματα appel-
 lantur, ἀπὸ τοῦ νοῦ, id est à mente & intellectu, quo significationis modo brutis animalibus non
 adesse fantasmata dicimus. Vt autem ab externis insigniuntur sensilibus, & vt ita dicam, fantasian-
 tur, fantasmata sunt appellata: vt denarius verbi causa qui per se quidem sumptus denarius & est, &
 appellatur denarius: vt autem mercenarijs pro labore operisq; erogatur, salarium & merces appella-
 tur. Iamblichus autē vir magni inter Academicos Peripateticosq; nominis, & præcipue dignationis,
 latam sanè & amplam fantasiæ asserit potestatem, & omnibus animæ viribus adnatam & compli-
 catam. Quamobrem non immerito omnes illam figurare & effingere specierum similitudines ap-
 parentiasque dicit, nec minus aliarum etiam visa potentiarum ex alijs ad alia licenter transfigura-
 re & transmittere. Præterea non esse fantasiā passionem aut motum, sed impartibilem & defini-
 tam autumat actionem: nec extrinsecus recipiendo conformari & insigniri, vt à sigillo ceram signa-
 ri videmus, sed ab intimis & internis, atque secundum assimilatiuarum productionem rationum
 ad fantasmatum iudicium excitari. Quibus ex verbis palām esse potest virum hunc velle virtutem
 fantasticam, quæ cum sensitua animæ potestate subiecto est eadem, in ipsa animæ essentia collocari:
 & iccirco non recipere ceu ceram à sigillo, conformationes illas, sed illorum potius ex sese rationes
 proferre. Vitalis enim actio, & iudicium isto intelligentibus modo, animæ ipsi sunt essentialia. Et
 quemadmodum sensationes corporum quidem sunt passionēs, animorū autem iudicia & actiones: ita
 huiusmodi fantasmata corporis ipsius, id est primi sensiterij sunt passionēs quædam & impressiones:
 animæ vero productiones & iudicia & actiones. Et de fantasia quidem, & fantasmatibus ipsis, quæ
 scilicet illorū sint causæ, & quæ natura, quo ve modo ad diuersa respicientes, Academici à Peripateti-
 cis hac de re cum consentiant & concordent, dissentire tamen & differre videantur, cum in passione
 hi, illi vero in actione fantasiā constare asseuerent: huiusmodi mihi dum hæc scriberem succurrebāt.
 Ex quibus etiam ijs qui recte intelligunt, & sensa magis q̄ verba perpendere student, liquidò apparere
 potest quòd de memoria & reminiscentia eodem dicere licet modo. nam de ijs etiam animæ potesta-
 tibus interna & penitiora perscrutati sunt Academici: externa autem & sensata magis Peripatetici
 protulerunt. Quamobrem illi quidem aliò mentis aciem intendentes, actionem corroborationemque
 (vt ita dicā) animæ memoriā dixerunt & reminiscentiā: Peripatetici autem in passione quadā isthæc
 cōstare voluerunt: aliò scilicet modo de vtriusq; ijs arbitrato vtriusq; suo verba faciētes. Quod in Philebo
 etiā Plato (vt retro vidimus) fecisse videtur, cum memoriā in animæ passione quadam cōstare dixit.

Quæ Stoici de fantastica animæ vi senserint. Chrysippus.

Vnde fantasia dicta.

Quid fantastabile secundum Stoicos, & quid fantasticum. Horestis diræ. Alcmæonis furia.

Quoniam fantasmata ab animæ notionibus differant.

Iamblichus.

Academici Peripatetici.

10

20

30

40

50

60

Nihil igitur prohibet viros illos & idem hac de re sensisse, & diuersimode scriptitasse, cum alias & alias subiecte rei rationes vtrique pro libitu suo sint prosequuti. Quod vt clarius etiã appareat, ex Plotini sententia nonnullas in medium adducere decreui rationes, quas in quarta enneade sua pro Academicis vir ille conscripsit. Dicit enim intelligibiliũ & sensibiliũ formas nõ residere in anima impressas vt accidẽtia quẽdã, ceu sigilli figurã in cera, & literarũ characteres in tabella, vt inde postmodũ memoria sit & reminiscẽtia. huiusmodi enim passiones quãsdã esse, memoriã autem & reminiscẽtiam animæ vigore quẽdam & potestatem existere: quæ cum in medio sanẽ intelligibiliũ sensiliumq; sit interstitio, omnium nimirũ in se rationes possidet, quas meditando corroborata ex sese in actum quẽdã naturali educit potestate: & hanc memoriã & reminiscẽtiam appellant. Quãobrem pueri, inquit, memores sunt magis quã senes: quia ad ea quæ offeruntur, diutius insistant, & ab illis tarde desistant: quapropter circa illa melius & valentius corroboratur anima, quæ alioqui in pueris nondũ ad multa distrahitur. senes vero, quorũ circa plurima versatur & distrahitur cogitatio, cum paucis vehemẽter incubant, sed veluti percurrant omnia, nõ corroborata anima, obliuiosi sunt magis, minusq; memoria pollẽt. Meditationes præterea ipsæ quæ ad recolendũ quippiã ducunt & reminiscẽdũ, id ipsum quod acquiritur, nihil aliud esse declarant, q̃ animæ corroboracionẽ quãdam & vigorẽ. Hinc etiã id ipsum perspicere contingit. Videmus enim, inquit, illos qui multa didicere, & memoriæ mãdauere, nõ solũ illa ex facili pronũciare, & veluti sub manũ habere, sed ad alia etiã noua percipiẽda agiles & expeditos esse: quod pfecto declarat nihil esse aliud memoriã q̃ animæ vim exercitatione callentẽ & corroboratã. Quẽadmodum igitur corporis mẽbra quæpiã quæ assiduo exercitationis vsu viguerũt, patibilia nõ dicimus magis ad opus suũ peragendũ esse effecta, imò valẽtiora potius & robustiora ad id operis facta: ita animã ipsam exercitatione corroboratã & firmatã, vsuq; callentẽ, agere & elicere sensilium & intelligibiliũ in sese latentes formas, illarũq; rationes, existimandũ est, & non cũ aliqua passione insignitas illas & expressas recipere. Et hæc ferẽ vt dicta sunt, & huiusmodi etiã cõplura eo in loco Plotinus pro Academicorũ placitis de memoria & reminiscẽtia cõtra Peripateticos cõscripsit. Quibus omnibus rationibus satis (vt arbitror) respõsum esse poterit si pro Peripateticis quispiã dixerit frustra illũ laborare, oleũq; (vt aiunt) & operã perdere isthęc anxie disertãdo: Peripateticos enim haudquaquã velle passiones impressioneq; illas à sensilibus rebus in anima fieri, sed in primo sensiterio: animæ autẽ ipsius esse iudiciũ & actionẽ circa illa: vt de Theophrasti sentẽtia in proloquijs nostris de sensu & sensili retro abũde est declaratũ. Cæterũ ijs omissis, ad illa quæ de sciẽtiæ acquisitione, disciplinarũq; adeptione diuersarũ retro polliciti sumus, deueniamus. Voluere Academici humanos animos ceu mediã cuiusdam naturæ inter sensilia & intelligibilia participes & cõmunicãtes, quãtũmo mediã ipsam naturã existẽtes, omniũ in se cũ intelligibiliũ entium tum sensilium species & rationes in se habere: illorũ autẽ obliuisci cum terrenis vnũtur corporibus, ob nimium videlicet variãtis materiæ fluxũ, perennẽq; illius motionẽ præpeditos: quæ rursus omnia cũ studio & doctrina, tum assidua iugiq; exercitatione reparare illos, & obliuorũ reminisci asseruerũt, nõ nisi puecta ætate, & in seniũ vergẽte, materiæ scilicet cessante cõpositoq; salo, aut resuẽte potius, & veluti quod vehemens erat & concitatũ sedante & cõponente. Hinc non ab re dixerat Plato tunc mentis aciem & intuitum in nobis acui & vegetã reddi, cum oculorũ hebesceret acies. Si enim immortalis est, inquit, animus, vt alibi demonstratũ est, & ante corpora illũ præexistere necesse est, & sciẽtijs esse refertum, rerumq; omnium intelligibilium species continere, aut nihil omnino ante corpus esse illũ proculdubio est concedẽdum. Non igitur esse animos ceu tabellas quãsdã literis vacuas, quæ extrinsecus figuras formasq; recipiãt, asserendum. Sũt enim semper inscripte, & ipse intus est scriptor. neq; tamen omnes inscripta legere queunt, aut q̃ inscripta sint quepiã dignoscere: quippe cum ob generationis colluuiem, obliuionisq; tenebras, illorũ oculi fordibus sint circũfusi, & in omnimodas inciderint passionum perturbationes. Solũmodo igitur opus est quod obstat auferre velamen: nullaq; necessaria est extrinsecus de nouo apportata genitaq; notitia. In sese enim veritatis ianuas habere animos, verum terrenis variantis materiæ repagulis oclusas. Quãobrem si illos alitũ de incitari excitariq; contigerit, ex sese scita omnia & præcognita renouare, & miro quodam modo depromere, illudq; merito verum esse iudicare, omnia nosse animos, soloq; extrinsecus admonente sanẽ indigere, qui interdum nullo etiã excitante, nullaq; extrinsecus adiuti opera, per se ipsi intus cõuersi, & sese inspectantes per illas quas possident rationes opera exercent sua. Et istas pfecto memorias & reminiscẽtias iure suo Academici vocauerunt: licentiosioribus fortasse hac in re vsu vocabulis, sed tamen ijs quæ subiectæ naturam rei satis commode declarare & ostendere possent. Quæ res à Peripateticorũ placitis, si quis illam recto mentis iudicio examinare voluerit, haudquaquam abhorreere videtur. Si enim de foris aduenit animus (vt Aristoteli placuit) præexistere illum priusquam corpori coniungatur, necesse est: quia de re nihil ambigunt illi. Si autem præexistit, & sciẽtijs (vt dictum est) refertum & plenum esse illum, & omnium in se habere intelligibilium species & rationes, vero consentaneum certe est, quas excitatus postmodum reassumit & replicat. Quod Auerrois etiã Cordubensis exquisitissimus Aristotelis interpret (Græcos semper excipio) in commentarijs suis in tertium de anima libellum, sensisse videtur, cum scribit possibilem intellectum (sic enim illum vocat) & vnũ cum omnibus & immortalem esse dictitat, omnium semper specierum esse plenissimum: semperque esse (vt inquit) adeptum: sed quatenus corpori est mancipatus & coniunctus, per varias fantasmatum species varia sanẽ & diuersa intelligere: & aliquando quidem intelligere, aliquando vero minime.

h. ij.

Plotini de memoria & reminiscẽtia cõtra Peripateticos rationes.

Cur pueri memores magis sunt q̃ senes.

Responsio pro Peripateticis.

Plato.

Quod de sciẽtiarum in anima præexistẽtium reminiscẽtias Peripateticis ab Academicis nõ dissentiat. Animus de foris aduenit.

Auerrois cordubensis.

Cæterū quid ego in præsentia riuulos cōfector, & nō potius fontē ipsūm aperio! Nōne Aristoteles ipse in septimo de physico auditu cōmētario, huic sententiæ clarissime adstipulari videtur, sciētia: in nobis nullo alio fieri modo asseuerare, q̄ remotis obstaculis quæ illā interim in nostris latitantē abstrusamq; animis præpediebāt, & quo min⁹ appareret obstabāt: Illi⁹ autē verba eo in loco totidē latinis expressa vocabulis iccirco adducere volui, vt discāt legētes me nō fingere quicquā aut cōminisci, sed rē ipsam vt est, integra fide recētere. Sunt autē huiusmodi: Sciētia: acquisitio à principio, nō est generatio, neq; alteratio. in eo enim q̄ quieuerit & cōstiterit animus, sciēs efficitur & prudens. Quēadmodū igitur neq; cū stertuerit quispiā, & postea expergiscat, aut cū post ebrietatē ab illa cessauerit, aut post egritudinē cōualuerit, is factus est sciēs: at qui prius vti nō poterat, neq; per sciētia: operari: verū à perturbatione liberatus, mēteq; ad cōstantiā deducta, adest facultas ad ipsūm sciētia: vsū. Huiusmodi p̄fecto quip̄ piā fit à principio in ipsa sciētia: subsistētia. Perturbationis enim quies quædā est & cōsistentia. Neq; p̄fecto pueri quippiā possunt aut discere, aut sensib⁹ iudicare, quēadmodū senes. Vehemēs enim circa illos est perturbatio & motus. Consistunt autē, & à perturbationibus cessant aliquādo quidē à natura, interdū vero ab alijs. Hæc Aristoteles: ex quibus clarissime potest patere de illius sententiā in animis præexistere nostris cū intelligibiliū omniū tum etiā sensilium rationes & species, quas à generationis perturbationibus & corporeo præpediti motu explicare & in actū deducere nequeāt, donec vel longo ætatis decursu, vel philosophia: studijs, vel mysticis etiā quibusdā expurgationibus & factis, quæ philosophus Aristoteles alia esse à natura autumat, vt supra naturā ipsam excellentia, expurgati, & ceu à fordibus quibusdā emūdati & absterfi, agiles posthac & vegeti, sua ipsorū bona dignoscere valeant, & in illis se exercere & agere possint, quæ Peripatetici doctrinas & disciplinas appellāt: Academici vero cū doctrinas & disciplinas, vt illi, tum more suo memorias & reminiscētiās vocāt: neq; istuc immerito mehercle. Si enim prima sciētia: acquisitio similis est (vt ait Aristoteles) habitui vel ægroti cōualescētis, vel stertentis cū euigilauerit, vel ebrii resipiscētis, & à crapula iam liberi: cū omnes isti (vt clare patet) primū habuerint habitus præpeditos somno, vel ebrietate, vel morbo, ita vt in actū exire nō possent: postmodū vero ab illis passionibus expediti, soluta iā mēte & libera, suo arbitratu per illos se exercere possunt: quid est q̄ amplius ambigere debeamus in animis nostris omniū residere species intelligibiliū & sensiliū, verū præpeditas & ligatas, illosq; sciētiarū fieri cōpotes solius ablatione obstaculi? Quāobrem haudquaquā philosophū Aristotē in sciētiarū acquisitione à memoria: reminiscētiāq; sententiā dissentire, manifestius sanē est (vt arbitror) q̄ vt pluribus in præsentia cōtendatur verbis. Restat autē solūmodo quod vel aliquā facere videtur difficultatē, illa vacuæ tabellæ similitudo, qua in animis adhuc rudibus vtitur Aristoteles: sed illā (vt opinor) philosophus non ad simpliciter esse ipsius animi referre voluit: verū ad corporeā illius operationē, ad quā perinde se habet animus, ac tabella in qua nihil est descriptū, nihil enim tūc imaginariā (vt ita dicā) cogitationis possidere cēsetur: sed in potētia est ad cognoscēdū cōtēplandūq; per fantasmata dūtaxat ipsa. aut ita in quā similitudo illa est intelligēda: aut certe ad sciētia: primæ acquisitionē per quietē, & ipsius animi cōstantiā, illa tabellæ ratio referri debet: quā & ipsam recordationis & reminiscētiæ nomine significare voluit Plato. Nam respectu quidē speciei ipsius refertus (vt diximus) semper sciētis est animus. Neq; aliter Aristoteles q̄ Plato hac de re sensisse videtur: quod Auerois etiā fatetur capite cōmēti quinti super tertio de anima libello. Potest etiā animus siue intellectus illo in loco pro fantasia capi: (nō enim hoc admodū est philosopho insolens) in qua à principio nihil est omnino insignitum. Sed iam satis superq; de eiusmodi rebus in præsentia sit pertractatum: quarum vehemens mehercle studium, decentes fortasse præfationis huiusce metas transcendere me fecit. Disertationis igitur huius cursum inhibeamus, & ad Aristotelis literam conuertendam & explicandam conuertamur.

DE memoria autē & memorari dicēdū, quid nā est, & quā ob causam fiat, & cui animæ parti hæc accidat passio: & de ipso reminisci. non enim ijdē memores sunt, & ad reminiscētiā apti: sed magna ex parte memores magis sunt ingenio tardi: reminiscētia vero valent ij qui mente celeres & dociles existunt.

Pro literæ superioris expositione in principio statim est animaduertendū q̄ memoria quidē est animæ ipsius memoratiua potestas: memorari autē, vel rememorari, eius est actus & operatio. Quēadmodū enim ad intellectiōnē se habet intellectus, & ad sensationē sensus: eo se habet modo memoria ad ipsūm rememorari. Sūt autē fantasia & memoria (vt retro dictū est) eadē cum primo sensu, qui in corde collocati cēsetur, subiecto sanē eadē, ratione vero diuersa. Dicendū igitur est, inquit, de ipso memorari, & reminisci. Differūt enim memoria & reminiscētia (vt postmodū videbim⁹) haud parua sanē differētiæ diuersitate. Dicit autē q̄ magna ex parte tardi mēte, & ingenio obtuso, memores sunt magis q̄ ij qui ingenio valent, & acuti sunt, & bene dociles. ij etenim memores sunt minus q̄ illi, verum ad reminiscēdi opus habiles sunt magis. Quāobrem vna etiā inter memoriā & reminiscētiā differentiarum hæc non immerito esse censetur. Dixit autē magna ex parte, & vt plurimū,

Ex septimo de
physica audis-
tione

Mysticæ ani-
morum expur-
gationes.

Quō vacuæ
tabellæ simi-
litudo intelli-
gēbeat.

quoniã nō semp hoc accidit modo, sed interdū aliter se habet res, quoniã aliquãdo ijdē nō memores, tamē bene reminiscētes existūt. quæ res cū accidit, excellentes profecto & diuino ingenio viros efficit. Causa autē cur ingenio tardi & hebetes bene sunt (vt ita dicatur) memoratiui: celeres autē, & ingenio docili, bene reminiscātur, hæc sanē esse videtur, quoniã scilicet diuersa animæ opera ex diuersis varijsq; corporū cōplexionib; habitudinibus, modo etiã diuerso melius vel peius prouenire nata sunt. De ijs porrò in præsentia loquor operibus quæ cū animæ, tū corpori sunt cōmunia. Vt in corporibus igitur videre cōtingit quæ dura & rigida existūt, q; tarde quidē & nō ex facili impressiones recipiūt extrinsecas, figurasc; in se admittūt: verū si illas receperint, tenaciter postmodū & firmiter sanē retinēt & custodiūt: cōtrā in mollibus fluxisq; corporibus animaduertimus & cito recipere quicquid illis imprimi-
 10 tur & insignitur, & faciliē mox impressa depdere: pari etiã rationis modo in durioribus & mēte tardis cōspicere licet, qui cū duriter admodū & vix quæ memoriæ mādare studēt, admiserint & receperint, posteaquā ea in mētis thesauro custodiēda collocauerint, tenacissime sanē illa retinēt & custodiūt: cōtrā mēte agiles, & ingenio excelsuo viri, celeriter quidē capere possunt quicquid illis traditur, nec min⁹ etiã celeriter illa depdere quæ celeriter didicere. Quos sanē molles esse carne philosophus in cōmētarijs de anima asseuerauit. Qui sanē etsi non bene recepta cōseruātes esse censentur, mētis tamen agilitate, discursuq; celeri, paruo negotio amissa recuperare, & per reminiscētiā renouare possunt.

Cur tardi bōs
ne memine-
runt: ingenios
si autē bene
reminiscūtur.

Rimū igitur cōsyderādum est qualia sunt memorabilia. Sæpius enim istuc nos fallit. nam neq; quod futurum est, memorari cō-
 20 tingit, verū opinione & spe præcipitur: & profecto erit scientia quædā spei addicta, vt de diuinatione quidam autumāt. Sed neq; id quod præsens est. illius enim est sensus. Hoc enim neq; futurū, neq; præteritum cognoscimus: sed solū id quod præsens est. memoria autem est præteriti. præsens vero cum adest, vt hoc album, quādo quis id cōspicit, nullus vtiq; memorari asseret: neq; quod contemplatur, cum cōsyderat & intelligit: sed illud quidē se sentire dicit, hoc autē scire solūmodo. Cū vero sine ope-
 ratione scientiā habuerit & sensum, tum de trianguli meminit angulis q; duobus rectis sunt æquales: hoc quidem vel quia didicerit, vel contempla-
 30 tus fuerit: illud vero quoniam audiuerit, vel viderit, aut huiusmodi quipiam perceperit. Semper enim cum memoriæ operam dat, tacite secum animo confirmat quòd prius id audiuit, aut sensit, aut est contemplatus.

Quæ admodū in cōmētarijs de anima à sensilib; obiectis sentiēdi actus & opera nos docuit Aristoteles, & ab actibus postmodū siue operationibus sensitiuæ animæ nobis potētias & vires declarauit, à manifestioribus scilicet minus manifesta nobis ostēdens: ita sanē hoc facit in loco, à memorabilibus nos docēs ipsam memoriæ naturā. Primū igitur, inquit, cōsyderādū est qualianā sunt memorabilia. Horū enim ignoratione nōnunquā iudicio fallimur: falsq; interdum memoriæ imputamus ea quæ nullo illi cōueniūt modo. Est autē neq; futurū memorari aptū, sed neq; præsens: verū quod futurū est, opinabile sanē est, aut (vt dicatur) sperabile, aut scientificū. nāq; reperit, inquit, scientiā spei addicta, qualē ipsam diuinādi peritiā esse autumāt. Sperat enim augur quippiā eue-
 40 turū signis quibusdā edoctus & præmonitus. Ipsum autē præsens est sensibile. nāq; præsentis rei, & sub manū existentis, sensus esse dicitur. Futurorū autē dixit non esse memoriā, sed opinionē vel spē: vt per eiusmodi dictū geminas animorū tãgeret vires, cognoscitiuā videlicet, & appetitiuā. opinio nanq; ex parte cognoscitiuæ cēsetur esse virtutis: spes autē ex parte virtutis appetitiuæ se habere videtur. Et iccirco desiderū, quod appetibilis cuiusdā spei esse cēsetur, præsentū non esse rerū, sed absentū verissime dicitur. Quoniã igitur omne id quod tēporis cōplectitur ambitu, vel præsens est, vel præteritū, vel futurū: quod sanē præteritū philosophus hic factū vocat: memoria autē neq; futurorū est, neq; præsentium: illā sanē præteritorū esse summa est necessitas. Cū autē dixit memoriā esse præteritorū siue factorū, subiungit statim, Præsens autē cum adest, vt hoc albū quod videt. id est, præsens autē cū adest & cernitur: (sit autē præsens & quod cernitur, hoc verbi causa demonstratum albū) nullus vtiq; dixerit memorari. nō enim hoc albū meminisse dicet, sed cernere & percipere. Pariq; rationis modo, neq; intelligibile quicquā cū quis actu intelligit, memorari asseret, sed intelligere. Visibile enim dū videm⁹, sentire & cernere asseueram⁹: & intelligibile dū intelligim⁹, scire & nō meminisse affirmam⁹. Scire autem hoc in loco pro ipso intelligēdi sumitur actu, qui ad sciētiā tēdit. cū enim intelligitur quippiā quod nō intelligebatur pri⁹, id tū primū scitur, & ad sciētiā metā deducitur. Quādo igitur quispiā videt aut in-
 50 h. iij.

Anuspcum
spei addicta
scientia.

Cur desiderū
sit absentū.

telligit, nō dicit neq; asserit se memorari & meminisse, sed cū sine operatione scientiā habuerit vel sensum. Dicit autem & in presentia vocat operationē hoc verbi gratia animal vel verū, vel fictū: & similiter hūc triāgulū in hac tabella, vel in hoc libro descriptū, tūc scit vel sentit. Est autē quod dicit, huiusmodi, quādo scilicet sine hoc q̄ operetur aliquis circa animal quoddā, vel circa triāgulū in libro aut tabella descriptū, sed sola illorū simulacra & imagines cōspexerit anima, & circa illa fuerit operata, nō simpliciter autē, sed vt imagines sunt & similitudines quorūdā extrinsecus existētū, tūc meminit. Tūc enim quēpiā de triangulo meminisse dicimus, q̄ habet scilicet tres angulos duobus rectis æquales, cū imaginatur q̄ in tēpore hoc vel illo à tali vel tali id didicerit Geometriæ perito, vel ipse cōtēplatus fuerit: & nō quādo dicit. Similiq; modo in sensibilibus dicere cōtingit. nō enim cū videt, sed quādo imaginatur & cogitat q̄ quippiā vidit vel audiuit ab aliquo in tēpore quodā, tūc meminisse dicitur. Sēper enim cum memoriæ operā dat, & per illā operatur, tacite secū in anima dicit. id est, Quilibet enim quando circa imagines illas & simulacra operatur, externas inquam rerū reliquias, illisq; dat operā, sibi ipsi dicit & affirmat quodammodo, Hoc certe prius ego vidi, vel audiui. Si enim istuc interno sermone nō dixerit, illisq; assensa fuerit anima, haudquaquam erit memoria. Dixit autem, cū memoriæ operam dat, & per illam operatur, hoc innuere & significare volens, quando scilicet operatur per operationem illam per quam memoria characterem accipit, & in speciem deducitur: id autem est sentire tempus, & percipere rem ipsam à qua effectum est & insignitum eiusmodi simulacrum, & imago illa.

Memoriæ verus character.

Est igitur memoria neq; sensus, neq; opinatio, sed horū alterius aut habitus, aut passio cum intercesserit tempus. ipsius autem nunc, in ipso nūc, non est memoria, vt dictum est prius: sed presentis quidem sensus: futuri autem spes: præteriti vero memoria. Quāobrem cum tempore omnis est memoria: & iccirco quæcūq; tempus sentiunt animalia, hæc sola recordantur, & isto quo sentiunt.

Opinationē siue suspensionē hoc vocat in loco philosophus vim illā quæ cōmuniter de opinione & intellectione prædicatur, ceterisq; rationalibus animæ potestatibus, veluti notionē quādā: vel pro opinatione hoc in loco fantasiā abusiue intelligere vult philosophus. Est igitur, inquit, memoria, neq; fantasia, neq; sensus, sed habitus vel passio ipsius sensus, quoniā huiusmodi etiā est fantasia. Illud autē, cū intercesserit tēpus, significat cū videlicet senserit & deprehēderit tēpus in quo imago illa fuit impressa, & huiusmodi insignitū & effectū simulacrū: & nō solū percepit tēpus, sed etiā rē ipsam à qua illa processit & deriuauit imago, & q̄ illius rei eiusmodi est imago & simulacrū. Quod autē in presentis tēpore vel videtur, vel intelligitur, nō est memoria, vt retro dictū est, sed sensus, vel intellectus. Memoria enim præteritarū est rerū. quāobrem omnis, inquit, cū tēpore est memoria, id est omnis memoria & est, & esse dicitur, cū est scilicet aliqua temporis perceptio, cum quispiā videlicet perceperit q̄ præ die verbi causa vel nudiustertius vidit quippiā, vel audiuit. Et quoniā huiusmodi est memoria, iccirco quæcūq; inquit, animalia tēpus percipere valēt: memoriā sanè habere dicuntur. A sinu enim qui superioribus verbi causa diebus in aliquā cecidit scrobē, si forte illā hodie cōspicit, omni ope declinat, & illū illuc agere negotiū sanè est. Cognoscit enim & percipit q̄ in illā aliquādo lapsus sit foueā. Multa igitur animalia sentiūt & percipiūt tēpus, verū non eo quo homines percipiūt modo. Homines enim nō solū nudū solitariūq; percipiūt tēpus, sed sciūt etiā & cognoscūt quādo viderūt quippiā, aut quādo audiuerūt: tēporisq; differētiās norūt, præteritū à futuro determinātes: cū ratione carētia & bruta animalia præsens solūmodo sentiāt tēpus, præteritūq; nō plene & determinate: ceu asellus, q̄ cadit videlicet, nunc sentit, vel q̄ prius in illā cecidit scrobem, cōfuso modo dum illā cernit & cōtuetur. Futuri autem illā habēt cōprehensionē. Cū autē dixit philosophus q̄ quæcūq; tēpus sentiūt, illudq; percipiunt animalia, memorātur: subiūgit statim, & isto quo sentiūt. id est hac animæ parte memorātur quæ etiā sentiūt: parte ipsius scilicet sensitua. Vegetatiua enim vel intellectiua animæ potestatibus meminisse animalia haudquaquā censentur: verū sensitua: vbi etiā fantastica (vt dictū est) illius reponitur virtus.

Quo differat tēporis perceptio à brutis & ab hominibus.

Quoniam autem de fantasia dictum est prius in commentarijs de anima, & quod sine fantasmate intelligere non licet.

In hoc literæ cōtextu longā philosophus facit interpositionē, & magnū sanè hyperbaton. cōtinuitas enim per aliquot inferius extēditur lineas, eo videlicet loci vbi eiusmodi reperitur litera. Quare intelligibilis per accidēs vtiq; erit, alia autē omnia vsq; ad locū illū in medio sunt cōiecta, per quæ probare ostēdereq; vult philosophus nihil intelligi posse sine fantasmatū adminiculo & opera. Animaduertēdus igitur diligēter est textus, & litera (vt diximus) cōtinuanda. Cæterū priusquā ad illius interpretationē descēdā, breui quodā digressiūculæ discursu iter ad illā satis asperū & salebrosum aperire & cōplanare cōtēdā. Intētio igitur philosophi hoc in loco est tacite occurrere obiectioni quæ ad ea fieri sanè possit, quæ retro fuerūt adducta. Cū enim in illis dixerit memoriā esse habitū v el passionē anime

Digressiūculæ la mentem philosophi clarans.

sensitiuæ, & q̄ illo sanè memoramur, quo etiã sentimus: quoniã vt manifestũ est, memoria etiã intelligibilium esse cõsetur: scibilia enim quorũ nobis adest memoria, intelligibilia certe existunt: quispiã dubitare posset, & instare nõ solum sensitiuæ animæ esse memoriã & ipsum memorari, sed animæ etiã intellectiuæ memoria habitus est, vel passio. Huic igitur occurrẽs philosophus dubitationi eã dissoluit asserens intelligibiliũ nõ esse per se memoriã, sed per accidẽs: & iccirco memoria & ipsum memorari non esse habitudinẽ vel passionem intellectiuæ animæ potestatis, sed solũmodo sensitiuæ. Intellectus enim copulatur & cõiungitur ipsi fantasia, vt in literæ explicatione clare percipietur: & sine illa nihil sanè intelligere potest. Est enim fantasia ceu libellus quidã & tabula ipsius intellectus. ea enim quæ in ipsa sunt descripta, & à sensilibus picta extrinsecis, sensuũq; operationibus, videns & percipiẽs intellectus, vniuersales illorũ abstrahere dicitur rationes. Quemadmodũ enim absq; sensationibus quæ actu sunt, nulla est fantasia: ita sine fantasia abstractio & cõprehensio ipsius vniuersalis esse nõ potest. ab imaginibus nãq; & simulacris in fantasia pictura existẽtibus, quæ sanè sũt reliquiæ (vt dictũ est sapius) extrinsecorũ obiectorũ, vniuersales intellectus colligit rationes. Quãobrem cõcludi necessario potest, q̄ quæ admodũ reliquię se habet illę & imagines fantasia mouẽtes ad sensilia extrinsecus posita: ita vniuersales se habere rationes quæ intellectũ mouere dicũtur, ad figurarũ typos illarũ in ipsa fantasia collocatos. Quare vt ab externis sensilibus imagines efficiũtur illæ & simulacra: ita à simulacris figurisq; illis, intellectu abstrahẽte, vniuersaliũ natura cõstituitur. Copulatur igitur ipsi fantasia & cõiungitur intellectus, & sine illa nihil cõsiderare neq; intelligere potest. Si autẽ hoc (vt diximus) res se habet modo, manifestum profecto est q̄ quæadmodũ sensus quidẽ per se videt pictũ Romæ elephantem, per accidens autẽ illũ qui apud Indos reperitur: vel, vt clarius dicã, quæadmodũ Socratem quispiã cõtuitus, videre etiã ipsum vniuersalẽ dicitur hominẽ (in singularibus enim vniuersalis & cõmunis esse censetur homo) verũ Socratẽ quidem ipsum per se cõspicit & cernit ille, hominẽ vero cõmunem per accidens: ita memoria per se quidẽ est simulacrorũ figurarũ & reliquiarũ illarũ, siue habitus sint illi, seu primi sensiterij passiones: per accidens autem vniuersaliũ & intelligibilium esse censetur. Vniuersale enim secundum abstractionem à singularibus sensilibus secundũ Peripateticorum dogma ipse nimirum efficit productusq; intellectus. Quãobrem memoria quidem primo & per se operatur circa imagines illas & simulacra: per accidens autem circa vniuersalia. Intelligibilium igitur per accidens est memoria, quoniam simul cum partialium memoria & sensilium rerum, vniuersalium memoria quodammodo reuertet & nascitur: quorum iccirco memorantur, quoniam singularium meminerunt. Vt igitur intellectus per se est intelligibilium, ita per se imaginabilium est fantasia: & vicissim vt per accidens intellectus est imaginabilium, id est sensilium: ita per accidens fantasia est intelligibilium. Memoria autem (vt retro est dictum) fantasia quædam est, & operatio circa fantasiabilia & imaginabilia: quãobrem per accidens intelligibilium est memoria. Verum ijs decursis ad philosophi literam reuertamur.

Fantasia m̄s
tis libellus.

Intellectũ si
ne fantasia
nõ intelligere.

Per accidens
intelligibilium
esse memoriã.

Adem enim in intelligẽdo contingit passio, quæ in describendo. Ibi enim ad nihil vtentes determinata trianguli quantitate, nihilominus per terminatam illum describimus quantitatẽ. Ita intelligens licet non contempletur quantum, ante oculos tamen proponit quantum: contemplatur autem non vt est quantum.

Omnia quæ deinceps sequũtur (vt dictũ est) vsq; ad signatũ & præmõstratũ locũ interiecta sũt à philosopho & interposita, vt ostẽdat scilicet nihil sine fantasia cognoscere intellectũ. quod etiã indicat & denotat ipsum enim causalis apposita cõiunctio. Breuiter autem & obscure admodũ hoc in loco suã adducit philosophus intẽtionẽ, cuius (vt videtur) talis est sentẽtia. Eadẽ, inquit, cõtingit passio in intelligẽdo quæ in describẽdo accidere percipitur. Quæadmodũ enim in geometricis ostensionibus cum demonstrare volumus verbi causa quod triangulorum tres anguli duobus relictis sunt æquales, & nihil sanè ad huiusmodi demõstrationẽ determinata quaptã indigeamus quãtitate: etenim si palmi vnus quocũq; fuerit latus, aut pedis, aut cubiti, nõ iccirco secius propositum demõstrabitur intentũ. Quãobrem nihil omnino determinata indigẽtes quãtitate, neq; etiã isoscele egẽtes, vel isopleuro, vel scaleno, quæ sanè triãguloũ sunt species, nihilominus describimus triangulũ determinatẽ semper quãtitatẽ & speciei. omnis enim quæ describitur figura, si triquetra est, tribusq; clauditur lateribus, sub isopleuri specie, vel sub isoscelis, vel sub scaleni necessario reponi debet, & quãtitate alicuius esse determinatæ. Quemadmodum inquam in illis videre contingit descriptionibus: ita in ipsis contemplationibus esse apparet. Intelligens namq; ipse licet quantum non intelligat & cõtempletur, ante m̄tis tamen oculos quantum sibi proponit. Si enim albũ (verbi causa) intellexerit, vel calidum, vel quãpiam etiã odorũ differẽtiam, vel aliud quippiam quod partibus carere cõsetur, isthac semper omnia cum aliqua contemplatur & intelligit quantitate. aut enim superficiem quãdam albã, aut calidum meditatatur quoddam & cõsiderat corpus. Quod & si aliquando ad purum illum & venerandum primumq; se conuerterit intellectum, illi sanè statim consuetudinis huiusce vitio magnitudinem quãdam & molem, determinatãq; dimensionum interualloꝝq; distantias imaginando

Intelligẽs sem
per intellectus
rei quantitatẽ
applicare.

h. iij.

apponit & ingerit: & rursus albu[m] intelligens, vel odore[m], vel dulcedine[m], aut eiusmodi quippiam que non sunt quanta, ante oculos semper sibi quantum ponit, id est dimensiones quasdam cum illis & quantitates simul intelligit. Ceterum non eo quod quanta sunt quaedam, haec intelligit, sed ut albu[m] quidem (verbi causa) visus disgregatum quiddam est, & dissipatum: calidum autem ut disgregatum est dissimiles habentium partes, que heterogenea graeci vocant: & congregatum illorum quae co[m]similes habent partes, quae homogenea appellant. ea etenim istorum sunt rationes & naturae. Dulce praeterea caeteraque huiusmodi, per proprias & peculiare[m] dignoscit naturas. Quod autem huiusmodi etiam omnia cum quanto intelligat aliquo, vel inde est manifestum. namque albu[m] (ut diximus) cum superficie intelligit aliqua. superficies autem quantum quiddam est. Cum igitur intellectus (ut retro patuit) quodcumque intelligit, cum quantitate intelligit co[m]templaturque aliqua, huiusmodi autem fantasiae sunt opera: haec enim interserens se atque applicans ipsius mentis intellectibus (ut inquit Plato) non sinit pure & sincere veras intelligibilium cognoscere & perdiscere naturas, sed moles statim quasdam & dimensiones, necnon magnitudinum distantias representat: manifestum certe est quod nihil sine fantasmatum natura intellectus intelligit. quod hoc etiam in loco ex iis quae sequuntur, ostendere aggreditur Aristoteles.

Quae albi est ratio: & quae calidi.



Quod si natura fuerit quantorum quidem, verum indeterminatorum: ante oculos certe quantum ponit terminatum, contemplatur autem ut quantum est solum.

Cum retro dixisset Aristoteles quod licet non quantum quisquam intelligat, ante oculos tamen sibi proponit quantum. sunt autem (ut scimus) non quanta omnia alia praedicamenta praeter ipsum quantitatis genus, subiungit: quod si natura fuerit quantorum, verum indefinitorum & indeterminatorum, id est si id quod intelligitur, fuerit neque substantia, neque qualitas, neque relatio, neque praedicamentorum quippiam reliquorum, verum quiddam ex iis fuerit quae in genere quantitatis existunt, ut linea, ut superficies, ut corpus: si huiusmodi, inquit, fuerit, non terminatum autem: interminata enim secundum quantitatem ipsius lineae est natura: ponit quidem intelligens & perscrutans ille, & describit quantitatem determinatam, omnis enim descripta linea (ut retro dictum est) determinata est quantitatis. intelligit autem non tanquam determinatum quiddam, sed simpliciter ut est quantum, id est simpliciter ut est linea, & interminata linea. Lineae namque ratio & definitio terminata & definita non includit in se quantitatem. Figurae igitur linearum & triangulorum in fantasia ad quiddam sunt terminatae secundum magnitudinem. quantum enim fuerit descriptus triangulus, tantus a virtute fantastica imaginatur. Vniuersale vero quod ab illis colligitur abstracturque figuris, secundum magnitudinem est interminatum. Nullum namque vniuersale magnitudine praefinitur determinaturve aliqua, licet illius semper intellectio cum aliqua magnitudinis est mole, quae admodum descriptae imagines cum magnitudine semper sunt aliqua. Aduertendum autem est isthaec non de practico dici intellectu, verum de illo qui est in habitu. is autem illa intelligit non secundum quod magnitudines, neque secundum quod determinata habet quantitatem, sed ut omnino sine magnitudine existunt, licet magnitudinis quaedam (ut diximus) succurrat & intercedat fantasia. Si autem cum magnitudine intelligit, palam est quod cum fantasia intelligit. Nihil igitur sine fantasmate intelligit & contemplatur.

Intellectus practicus. Intellectus in habitu.



Quam igitur ob causam intelligere non contingit sine continuo, & sine tempore ea quae non sunt in tempore, alius est sermo.

Cum praemisisset Aristoteles quod omnia quaecumque intellectus in habitu percipit & intelligit, cum fantasia aliqua intelligere, & magnitudine, necnon etiam tempore videtur: semper enim (ut recte ait Themistius) intellectibus fantasia est complicata nostris, vel iuuans, vel impediens: iuuans quidem, ut in mathematicis est videre disciplinis. Vicem namque abaci nimium nobis praestat illa ad descriptiones figurarum rationesque conformandas, ad quas respiciens animus vniuersales inde elicit notiones. Impediens autem, ut in contemplationibus, intelligibiliumque speculationibus, & diuinarum rerum perceptionibus animaduertere licet, quibus illa figuras & magnitudines, colores quinetiam indeceter applicans, magnam in nobis ad dignam quaerere posset in loco quae obrem illa quae sine magnitudine sunt aliqua, & sine tempore, intellectus cum tempore intelligit & magnitudine: iccirco statim subiungit quod quaerere huiusce rei causam, ad alium spectat pertinetque sermonem, accuratiorē scilicet & excellentiorem. In praesentia enim dictum est id ideo accidere, quoniam fantasia intellectui copulatur & coniungitur speculati. In alijs autem locis hac de re ex quibus & accurate magis disertabitur, id est in prima philosophia. Huius enim causa est & ratio quoniam operatio virtuti & essentiae proportionari & quadrare debet. Intellectiuum autem hominis est in sensitiuo, ut trigonum in tetragono: ut a philosopho in secundo de anima commentario est declaratum. Et iccirco illius propria peculiarisque operatio est ea intelligere quae in fantasmatibus intelligi possunt: sicut intellectus separatarum substantiarum, quas diuinas appellant mentes, peculiaris est operatio res intelligere per se intellectas. Verum isthaec (ut diximus) ad primam pertinent spectantque philosophiam:

Themistius. Quo fantasia ad intelligendum iuuat: & quo praepediat.

Prima philosophia.

cui diuerfos intellectiuorum ordines & gradus dignoscere conuenit. Animaduertendum autem est quod hoc in textu philosophus non existentia in tempore omnia vocat illa quae immortalia sunt & aeterna.

Quae non sunt
in tempore.

Magnitudinem autem & motum necesse illo cognoscere quo & tempus: & fantasma communis sensus est passio: idcirco manifestum est quod horum cognitio per primum est sensitium.

HAec (vt arbitror) textus huius litera cum illa sanè est coniungenda in qua dictum est: ponit ante oculos quantum: intelligit autem non vt quantum. Cū enim dixisset quod intellectus ante oculos ponit quantum, & nihilominus intelligit non secundū quod quantum: non enim suapte natura intelligibile est quantum, sed nullam omnino habet magnitudinis molem: qua de re in secundo de anima commentario accuratius est pertractatum, vbi queritur quoniam modo intellectus intelligibilia percipit & intelligit: quoniam igitur cognitio in nobis fit magnitudinis & motus, quae sensilia sunt communia, & proprie quanta: dicit quod isthaec ipsa cognoscimus eadem animae parte qua tempus ipsum percipimus & cognoscimus. Tempus autem sensu primo cognoscimus. Illud autem, Fantasma communis est sensus passio, sic adductum est, quasi dicere velit, illa animae parte magnitudinem cognoscit & motum, qua cognoscit tempus. Est autem haec animae pars sensus communis, cuius passio est fantasia. Si igitur omnia illa à quibus intellectus vniuersalia abstrahit, imaginabilia sunt & fantasiabilia: absque fantasia enim (vt dictū est) intellectus nihil intelligit, vel coadiuuante, vel impediante: fantasia autem & memoria eadem sunt subiecto: & passiones quaedam siue habitus sensus communis: manifestum certe est quod ad primum sensitium horum cognitio pertinet & spectat. quod etiam ex hoc palam esse potest, quoniam multa ratione carentia animalia memoriam habere videntur.

Intelligibilium vero rerum memoria non sine fantasmate est: propterea contemplabilis quidem rei per accidens sanè erit: per se autem primi sensitui. Quapropter & alijs quibusdam inest animantibus, & non solum hominibus, & opinione aut prudentia praeditis: quod si intellectiuae esset partis, non multis sanè aliorum inesset animalium, forteque mortalium nulli, quando neque nunc omnibus, quoniam non omnia temporis sensum habent. semper enim quando memoria operatur (vt retro diximus) quod vidit hoc, aut inaudiuit, aut didicit, simul sentit quod ante. Ante autem & post sunt in tempore. Cuius igitur partium animae est memoria, palam est, quod illius videlicet cuius est fantasia: & memorabilia per se quidem sunt quaecunque imaginabilia existunt: per accidens autem eorum quaecunque non sine fantasia.

HOc in textu non ab re (vt videtur) reassumptum est illud, memoriam scilicet intelligibilium non esse sine fantasmate, propter magnam illam (vt diximus) interpositionem: vt literae continuitas seruetur & dignoscatur. Dictum est enim retro quod intelligere non est sine fantasmate: & est ac si diceret quod illa de quibus ceu intelligibilibus est memoria, non sunt per se intelligibilia, sed imaginabilia & fantasiabilia. Dicimus autem nos illa esse intelligibilia, & intelligibilium esse memoriam, vel quia intellectus circa illa operatur, ita quod simpliciter sunt imaginabilia & fantasiabilia quando primus circa illa operatur sensus, intelligibilia autem quando intellectus fantasiae applicatus circa illa agit & se exercet. Vel sic inquam intelligibilium memoria esse dicitur, quoniam ab ijs quae memorantur, intelligibilia sanè abstrahuntur, & vniuersales rerum notiones. Quod si res hoc se habet modo, palam est, inquit, quod memoria per accidens ipsius est intelligibilis rei, siue ipsius intellectiui: per se autem primi sensitui, id est primi & communis sensus. Quod si ipsius passio intellectus esset memoria, intelligibilium sanè per se esset memoria. Manifestum autem est (vt praedictum est) quod primi sensitui passio vel habitus est memoria, quoniam plerisque brutorum adesse videtur, & non solum hominibus, quibus opinio inest & prudentia. Si enim non esset primi sensitui, sed alicuius intellectiuarum partium: nulli profecto aliorum inesset animalium, cum intellectu omnia sanè careant bruta. Cum autem dixit quod non inesset memoria multis aliorum animalium, subiungit, forteque mortalium nulli. quod est ac si diceret, fortasse nulli irrationabiliū, quoniam illorum nullum mentis est particeps. per mortale enim

Quomodo
intelligibilium sit
memoria.

hoc in loco, ratione carens intelligere videtur animal. Cum etiam dixerit quod multa percipiunt tempus animalia, bruta scilicet & ratione carentia (non enim omnia tempus percipere valent) istud adstruens & confirmare cupiens, subdit: semper enim quando operatur memoria &c. Nam (ut retro diximus) asinus qui (verbi causa) superioribus diebus in scrobem decidit quampiam, cum eam rursus conspicit, vel quando lupi vocem audit a quo malum prius habuit, sentit sane & cognoscit quod prius in illam delapsus est scrobem, necnon prius sonum inaudiuit illum infesti sibi inter animalia & hostis. Scrobem igitur declinat illam, & a lupi fugit congressu. Cum autem ante & post temporis sint differentie, sentire certe & percipere tempus asinum est necesse. Postquam autem de huiusmodi loquutus est philosophus, breui sane epilogo quae dicta sunt colligit, dicens manifestum esse cuiusnam sit memoria: quod primi scilicet sensitiui. Huius enim etiam passio est fantasia. Et quod sunt memorabilia quidem per se illa quorum per se est fantasia: per accidens vero ipsa etiam intelligibilia: illa videlicet nobis innuere volens quae non sine fantasia existunt. illorum enim (ut diximus) cognitio est cum fantasia. Quod si per accidens horum est memoria, palam est quod memoria non est habitus vel passio ipsius intellectus. Si enim illius esset passio memoria, intelligibilium etiam per se esset memoria: quod fecus esse ostensum est retro.

Quod memoria non est passio vel habitus ipsius intellectus.

Dubitare autem non ab re quis poterit, cur praesente quidem passione, re vero absente, non praesentis recordetur? Manifestum profecto est quod huiusmodi quippiam a sensu in anima productum intelligere oportet, aut in corporis parte quae illum continet, ut passio illa velut quaedam sit pictura, cuius habitum memoriam esse dicimus. illa enim quae fit motio, imprimit veluti sensilis effigiem rei, eorum more qui annulis signant. Quamobrem ijs qui in multa sunt agitatione aut propter passionem, aut propter aetatem, nullus sane memoriae est usus, ut si in fluentem aquam is incideret motus, & ea sigilli impressio. nonnullis vero ob naturae frigiditatem, velut in antiquis aedificiorum structuris, & ob duritiem recipiendae passioni ineptis, nulla imprimitur figuratio. Et hanc ob causam adolescentuli valde, & senes, non bene sunt memores. Effluunt enim alteri quidem propter incrementa, alteri vero propter decrementa. Parique modo qui mentis agilitate vigent, & qui tardo sunt ingenio, non bene memores esse apparent. illi enim humidiores quam opus sit, ij vero sicciore existunt. Alteris igitur in anima non perstat imago: alteros autem neque tangit.

Animaduertendum est quod passionem hoc in loco Aristoteles figuram vocat illam siue simulacrum & reliquias quae ab actu sensilibus primo inscripta inculptaque sunt sensiterio. Rem vero appellat sensibile illud a quo huiusmodi est effecta similitudo, & imaginis illius typus. Hanc autem dubitationem admodum necessario hoc in loco adducere videtur. namque ex illius solutione memoriae ipsius natura clarissime manifestari continget. Ad quam enim animae spectet partem pertineatque memoria, retro satis est declaratum. Quae autem ipsius sit natura, nondum ab illo nobis est demonstratum. Est autem dubitatio huiusmodi: quonam modo figura illa praesente, & circa illam operante memoria, meminisse illius censetur rei quae non est praesens. Verum etenim consentaneum esset, ut illius circa quod operatur, meminisset. Post adductam vero dubitationem, prius quam illius nobis solutionem afferat, modum recenset quo in nobis imagines illae & simulacra a rebus efficiuntur externis: dicitque quod eiusmodi quiddam ab ipsis actu sensilibus in primo fit sensiterio, cuiusmodi in cera fieri percipimus ab ijs qui annulorum sigilla & imagines sigillando imprimunt. quod retro etiam dictum est, cum fantasia ipsius naturam inuestigare curauimus. Fit igitur veluti pictura quaedam in illo, cuius habitum & permanentiam memoriam sane nuncupamus. Caeterum cum in primo sensiterio huiusmodi imprimuntur notae, & ea pinguntur imagines, si quidem forte fortuna id in vehementi quapiam reperiatur motione (est autem huiusmodi, cum augetur animal, vel decrescit & diminuitur) haudquaquam memoria fieri contingit: vel si fit aliqua, labilis sane illa est, & non belle se habet. Quemadmodum enim inculpti sigillum annuli currenti imprimi non potest aquae, ut aliqua inde reddantur imagines: pari rationis modo neque in primo sensiterio vehementi concito motu, vel propter crescentem adhuc in puerilibus annis

Cur neq̄valde
pueris neque
valde senibus
fit memoria.

ætatem, vel ob aliquem ægritudinis cuiuspiam morbum, & passionē, aliquid bene imprimi, aut expressē insigniri potest. Quamobrem valde pueris, inquit, non fit memoria propter vehemētes in illis & cōcitatas naturæ motiones, quibus ætas sanè illa augmenti causa toto corpore commouetur. cōtrā etiam contraria de causa istuc ipsum decrepitis etiam contingere videtur senibus, cum propter decremēta & defluentis iam naturæ recursum, tum propter inualescentem ætatis illius frigiditatem, & naturalē corporis siccitatem. non enim imprimi simulacra imaginēq; possunt illæ, sed franguntur & euanescent. quod si quæ forte fortuna adhæserint, eæ profecto paulopost nullo negotio obliterantur & intereunt: quemadmodum, inquit, in antiquis parietum structuris temporis longinquitate iam fatiscētib; calcem & opus tectorium, si superinducatur, decidere videmus: & non solum nihil de nouo capere & retinere cōspicimus, sed si qua in illis erant picta prius, vel omnino decidere, vel longo euanescentia æuomutila & obscura conspici animaduertimus. Non igitur memores sunt valde pueri, propter vehemētē (vt diximus) vniuersi corporis motionem: neque valde senes, cum propter eandem, diuerso tamen modo, motionem, tum propter nimiam corporum frigiditatem & ariditatem. in currentibus enim aquis si imaginem cuiuspiam sigilli imprimere contendes, nihil sanè plus profeceris, quàm si eandem in ferri natura, vel in duris marmoribus insignire coneris.

AT vero si circa memoriam huiusmodi est accidens, vtrum ne huiusce meminit passionis, an illius à qua est effecta? Si enim huius, absentium certe non erit memoria. Si vero illius, quo pacto sentientes hoc, absentis meminimus quod non sentimus, siue simile est in nobis vt figura, siue pictura? Si autem huius ipsius est sensus, cur alterius erit memoria, & non huius? Qui enim per memoriam agit, hanc contempletur passionem, & istam sentit. Quo igitur modo absentis meminit? Hoc enim continget modo & videre & audire illud quod non est præsens.

Postquam dubitationem mouit philosophus retro enarratam, nonnullaque etiā inseruit alia quæ ad illius solutionem nonnihil facere videbantur, eandem rursus reassumens dubitationem, Si tale, inquit, est accidens circa memoriam. id est, si ipsa est ceu habitus picturæ cuiusdam & imaginis, quærēdum sanè est vtrum ne figuræ illius & imaginum meminit animal, an rei illius cuius simulacrum & imago figura esse dicitur, memoriam habet. Si enim solius imaginis & simulacri illius meminit, nulla certe absentium erit memoria. Absentia autē hoc in loco res ipsas appellat à quibus sanè imagines illæ in primo sensiterio sunt insignitæ. Si vero imaginum figurarumq; nō meminit illarum, quonam modo illorum quæ non sentit, memoriam habebit? Per illa autem quæ non sentit, absentia, id est res ipsas nimirum hic intelligit. Quomodo igitur memorabitur animal an imagines illæ figuræve & simulacra sint similia vel non similia illis rebus quarum simulacra sunt & imagines? Hæc cum dixit philosophus, sermonem rursus reassumēs dicit: si huius ipsius sensus est, id est si sensus & operatio huius est picturæ & imaginis, cur huius etiam nō erit memoria, sed alterius, id est ipsius absentis rei? Ille enim qui per memoriam operatur, & illi vacat, passionem illam & figuram spectat & inspicit, & illam sane sentire dicitur. Quod si hoc res se habet modo, quonam modo non præsentis meminit rei, quā nō sentit? Profecto enim hoc poterit videre modo quod non videt, & id audire quod non audit.

Nest vt contingit hoc & accidit? Sicut enim in tabella pictum animal, idem & animal est, & imago, & idem vnum ambo: amobus autem esse non est vnum: licetque illud contemplari vt animal, & vt imaginē: ita id quod in nobis est fantasma existimare oportet & ipsum per se contemplabile quiddam esse, & alterius imaginem. Vt igitur de per se, contemplabile quippiā est, aut fantasma: vt vero alterius, tanquam imago & rememoratio.

Hoc in textu simul dubitationis ponitur solutio, & simul memoriæ natura declaratur. Est autem id quod in tabella pictum est animal, simul, inquit, animal, & imago. hoc videlicet modo. quando enim quispiam illud inspicit, & circa illud operatur, solummodo de artis considerans peritia, & illam vel admirans, vel contrā reprehendens & damnans, neque omnino animaduertens ad id cuius pictum illud animal imago esse cēsetur: eo in casu illud solummodo pictum dicitur esse animal.

Quando autem cum hoc quod id ipsum cernit, animaduertit etiam & cōsiderat quod pictura illa est imago & similitudo, verbi causa veri leonis, vel equi, tunc leo ille vel equus pictus similitudo est & imago veri leonis vel equi. Et tunc id vnicum est animal, & similitudo: verum alio & alio modo. Quē admodum igitur in istis est videre quæ diximus: ita simulacra illa & reliquæ quæ in primo sensiterio ab externis sunt impressa sensilibus, quæ ipse nunc appellat fantasmata, existimare conuenit quod de per se quidem naturæ sunt quædam & res, necnō etiam quod externorum sunt similitudines obiectorum: quemadmodum animal in tabella pictum est quidem de per se natura quædam & res: & alterius præterea cuiusdam imago est, veri scilicet animalis. Cum igitur communis sensus, & animæ vis sensitiua, circa illud operatur vt huiusmodi est: contemplabile sanè & inspectabile istuc est quiddam, & fantasma siue imago. Cum autem circa illud operata animaduertit etiam quod alterius est simulacrum rei, tūc id ipsum est memorabile: & talis animæ operatio memoria appellatur.

Taque cum ipsius operatur motio, si quidem vt per se est, eo senserit anima: quasi intelligibile quippiam, aut fantasma sibi incurere videtur. Quod si ab alio, tanquam in pictura vt imaginem contemplatus fuerit, & Coriscum non conspicatus tanquam Coriscum, tunc certe huius contemplationis alia est passio: & quando vt pictum contemplatus fuerit animal: & in anima hoc quidem vt contemplabile fit solum: illuc autem vt ibi quoniam imago, memorabile.

Geminas sensitiuæ potentiæ operationes hic ponit Aristoteles, per quas circa insignitas illas in primo sensiterio ab externis rebus imagines agere & operari potest: vt inde nobis memoriæ naturam ostēdat. Dicit igitur, cum ipsius operatur motio, id est quando natura ipsius operatur, & sensitiuam mouerit animam, si quidem senserit & perceperit ipsam imaginem & figuram vt huiusmodi est: illud sanè est fantasia, & talis ei⁹ operatio fantasia appellatur. illud enim, quasi intelligibile quiddam aut fantasma sibi incurere videtur, idem est ac si diceret sensitiuam animæ potestatem quando simpliciter circa ipsum operatur vt tale, tunc certe illud vt intelligibile quiddam sentire, & ad illam fantasmatis accedere speciem. Si autem vt ab alio est, quemadmodum in pictura: vt imaginem & similitudinem contemplatur. id est, si autem vt ab alio est factum, & vt alterius imaginem aspicit, verbi causa vt imaginem Corisci cernit, non videns ipsum Coriscum: alia est, inquit, passio hæc, & alia contemplatio, quando scilicet aspicit vt imaginem, & vt ab alio factam similitudinem. Hæc enim passio siue contemplatio seu speculatio tunc memoria appellatur: & illud quod hoc cōsideratur modo, memorabile siue memoratiuum denominatur: & aliud ab hoc est quando vt pictum animal speculatur, & non vt alterius est similitudo. Spectrum enim hoc dicitur, siue visum, vel fantasma: & illa quæ circa id versatur operatio, fantasia vocatur. Illud autem, Et in anima hoc quidem vt contemplabile fit solum: illud autem vt ibi quoniam imago, memorabile: idem est cū ijs quæ retro sunt adducta. rursus enim quod dictum est, ostendit animalis exemplo in tabella depicti. Verum breuiter admodum & cōcise prolatum est: cuius tamen integer sensus hoc se habet modo, quæadmodū ibi pictum in tabella animal videndi potestas aliquando vt animal cernit, interdum vero vt animalis imaginem: ita & in anima hoc quidem fit vt intellectio & fantasma, illud vero vt memorabile. Fantasma enim cum picto proportionem habet animali, quando vt huiusmodi est inspicitur: ipsum autem memorabile cū eodem proportionem habere videtur, cum vt alterius inspicitur simulacrum.

Hanc ob causam interdū ignoramus huiusmodi in anima nobis excitatis motionibus, quoniam prius sensimus, si quoniam sensimus, id accidit: & si est memoria, necne, ambigimus aliquando. Quandoque autem accidit intelligere & reminisci quod quippiam prius audiuius aut vidimus. Hoc vero cōtingit quando contēplans vt ipsum permutetur, & contemplatus fuerit vt alterius.

Sibi instans philosophus, & exquisitæ declarationi quàm maxime studens, hoc etiam in textu memoriæ naturam ostendere contendit. Quod dicit autem, est huiusmodi: quoniam essentia & natura ipsius memoriæ est vt non fiat & operetur circa imagines simulacraque illa simpliciter vt talia sunt, sed vt ab alijs sunt facta rebus, & aliorum sunt similitudines obiectorum: idcirco aliquando,

inquit, ignoramus si accidit id quoniam prius senserimus. verbi gratia conspexi quādoq; animal quodpiam, aut sermonem quendam de quopiam inaudiui docente. postea vero non exiguo intercedente tempore sermonis quidem illius memini: non recordor autem neque considerare valeo à quoniam proferente & docente sermonem illum perceperim: & quoniam istuc ego animaduertere nequeo, penes me ambigo, dubiusque sum animi, vtrum ne ego sermonis illius tunc inuentor sim & pater, an illum de quopiam audiui: perpendoq; & examino vtrum ne memoria sermo sit ille, aut non sit memoria comprehensus, sed nuper à me editus. Non enim recordari possum à quoniam illum audiui, vt proferre valeam dicere que q; tali scilicet tempore & loco à tali doctore illum ego sermonem audiui, cuius nunc memini. Aliquando autem considerate & percipere possum q; non sum huius sermonis inuentor ego & pater, sed ab alio quopiam illum audiui, adiunctis tempore & loco. Istuc autem accidit, id est posse percipere & animaduertere q; in presentia hunc ego sermonem non reperi & confeci, sed prius audiui, quando considerans vt ipsum, id est vt intellectionem & fantasma sentiens, commutor & ambigo, & ad illum v alterius respicio similitudinem. Et hæc quidem dictorum est sententia. Iteram vero quæ dicit, Et hanc ob causam interdum ignoramus excitatis in anima huiusmodi nobis motionibus: ita (vt arbitror) quispiam recte aptare poterit, anima commota & excita ab aliquibus simulacris & imaginibus à sensilibus effectis rebus. hoc enim significat illud, quoniam prius sensimus, aliquando nescimus & ignoramus si quoniam senserimus id accidit, id est si ab aliqua sensatione id est effectum: & propter hoc perpendimus & ambigimus si memoramur, an secus facimus.

It autem aliquando contrarium, vt Antipheronti contigit Oreitæ nonnullisque alijs extra se positis. Fantasmata enim dicebant vt facta, & vt meminissent. Hoc autem accidit cum quispiam non imaginem cōtemplatur vt imaginem. Cōmentationes autem in reminiscendo memoriam conseruant. id autem nihil aliud est, quàm sæpe contemplari vt imaginem, & non vt per se est. Quid igitur est memoria, & ipsum meminisse, dictum est: quoniam fantasmatis, vt imaginis cuius est fantasma, habitus est: præterea cuiusnam partis in nobis, quoniã scilicet primi sensitiui, quo etiam tempus percipimus.

In hoc literæ (vt apparet) contextu, continuatio est & consequutio ad id quod retro dixerat, videlicet, & si est memoria, aut non ambigimus aliquando. Cum enim dixisset quod interdum memorati sentire videmur: apparet namq; aliquando nobis (vt dictum est) quod nunc primo hanc rem sentimus, quãuis nõ primo illam sentiamus, sed quoniam iam diu illam sensimus & percepimus: sic in presentia affici videmur, & vere illius meminimus: cum inquam illa dixisset, infert nunc philosophus. Fit autem aliquando cōtrarium, & nobis videtur sensationes, quas hoc in loco fantasmata vocat, memoratioes esse quasdam. Antipheron enim Euboicus ex Oreo ciuitate, cuius in tertio etiam Meteororum cōmentario (vt Alexander scribit) philosophus meminisse videtur, propter visus imbecillitatem, cum quempiam aduersus se conspiceret venientem, suspicabatur se illum tunc haudquaquam videre, sed illius meminisse quem iam diu certe vidisset. Hoc etiam inquit compluribus mēte captis, & extra se positis, siue imaginosis vsuuenire solere. ijs enim ferè omnibus fantasmata & imagines, aut etiã illa quæ extrinsecus sentiuntur, huiusmodi apparent, veluti per protensum ante tempus à se fuerint conspecta & visa, & hoc interdum dicunt & clamant, tanquam illorum meminerint. istud autem fit, id est quod fantasma hoc, & illud quod nunc cernitur, meminisse videantur, quando quis videlicet non imaginem vt imaginem spectat. imago enim est (vt aliquoties diximus) illud quo spectatur velut existens ab alio deductum & pictum siue conformatum simulacrum. non imago autem, sed res vel fantasma, siue spectrum, seu visum, vel quomodolibet id appellare malueris, est id quod suapte natura tale per se est, neque alterius est. Quando igitur non imago vt imago spectatur, tunc non memorati meminisse videmur. Quod Antipheronti Oreitæ vsu contigisse retrodiximus. ij etenim contrarium pati videntur ijs qui meminerunt quidem, se autem sentire, & fantasia vti imaginariq; existimant. Subdit postmodum philosophus, q; commentationes, id est meditationes & studia memoriam conseruant & custodiunt. Cōmentari enim & meditari nihil aliud est quàm crebro simulacra illa retractare, & reliquias spectare vt aliorum sunt imagines, & non vt res quædam & visa per se existentia. Sic enim spectare & considerare, fantasia sanè est vti, & non memoria. Post quæ adducta philosophus vniuersum de memoria sermonem de more suo breui sanè colligit epilogo, dicens abunde se pertractasse quidnam sit memoria, & quid ipsum meminisse. Est enim, inquit, memoria fantasmatis vt imaginis cuius est fantasma, habitus. id est, memoria est habitus fantasmatis, illius inquam quod est similitudo, & vt est similitudo rei cuiusdam extrinsecus sita, à qua illa fantasmatis effecta est figura. Quando enim fantasma vt ima-

Antipheron
Oreites.
Alexander.

Quid fantas
ma siue spec
trum sit: &
quid imago.

Quid sit com
mentatio siue
meditatio.

Exactus de
memoria ser
mo.

ginem alicuius cernit, tunc meminisse quispiam dicitur: & huiusmodi operatio memoria appellatur. Est igitur memoria (ad clariorem enim doctrinae modum non inutiliter idem sapius est repetendum) habitus fantasmatum ut imaginis cuius est fantasia. Non enim figura illa sufficiens est quae in fantasia est collocata, sed illam etiam oportet operationem quae circa eam versatur figuram, tanquam circa alterius imaginem versari & considerare. Asserit praeterea se dixisse philosophus memoriam primi sensitiui esse passionem: per primum sensitiuum communem & primum significare volens sensum: cuius esse cor sensiterium Peripatetici voluerunt: per quem etiam tempus cognoscere & percipere credimur.

Cor primi sensitiui sensiterium.

Reliquum autem est ut de reminiscencia dicamus.

Posteaquam de memoria, ipsiusque natura & modo retro (ut vidimus) pertractauit Aristoteles, hoc in loco consequenti doctrinae ordine de ipsa reminiscencia verba facere intendit. Est autem reminiscencia veluti renouatio quaedam prioris memoriae iam collapsae, & obliuionis interuentu deperditae: cum scilicet pictae prius in fantasiae tabula imagines continuitatem amiserint suam, solutaque & labefactatae penes euauerint. Quapropter memoriae quaedam species non ab re ipsa censetur esse reminiscencia. De qua prius quam ad literam explanationem deueniamus, non erit fortasse malum prolixius aliquid enarrare. Hoc autem modo id nobis maxime erit manifestum. Quando figurae illae de quibus retro sapius dictum est, reliquiarumque imagines in primo sensiterio ab actu sensilibus insignitae, integrae & constantes restant & permanent, perspicuitatemque & sinceritatem bene retinent & conseruant suam, sic ut nullo negotio, & modica cum re sensitiuam animae mouere valeant potestate, & ab eadem inuicem moueri & profertur, non maneat & mutata, sed incolumes & integrae tanquam aliorum imagines: tunc profecto id est (quod sapius diximus) memoria. Quando vero totius quidem partem aliqua incolumis restauerit, simulacrorumque imagines integras seruauerit: pars autem alia euauerit, & penitus exoleuerit, aut obscura & adubrata fuerit, ceu iam iam euanescere sit parata, ita quod neque ipsa bene mouere valeat sensitiuam animae vim, neque contra ad illa comode moueri & profertur possit: tunc si ex illa integra incorruptaque simulacrorum parte vegetus animus quibusdam prius motionibus excitatus, discursu quodam & resolutione partem illam obscuram & mutilam & tantum non euanescentem explicauerit & inuenit, hoc reminiscencia nuncupatur, ceu restitutio quaedam & renouatio prioris iam collapsae memoriae, non vniuersae inquam (hoc enim de nouo discere, & disciplina potius quam reminiscencia vocanda esset) sed illius portionis. Quando enim per resolutionem & tanquam replicationem quandam ex quapiam illius parte reliquam & restantem collegerimus, id certe est, & esse dicitur reminiscencia. Quando autem toto amisso & deperdito, totum ipsum rursus inueniendo reassumpserimus, id nimirum disciplina vocatur, qua seipsum quis docere censetur. Nihil enim differt a principio quippiam discere, aut cum oblitus est quispiam alicuius totius, id rursus inuentione assequi. Non enim ex parte reliquam quaerit & inuestigat, sed omnium oblitus, totum rursus acquirit. Praeterea hac etiam via & modo de ipsa reminiscenciae natura insinuari potest. Ex actuali (verbi causa) visione vel auditione in communi sensiterio, huius videlicet carminis, imprimatur imago & typus: Arma virumque cano Troiae qui primus ab oris. Quod enim in hoc contingit versu, in alijs nimirum omnibus accidere censetur. Huiusmodi igitur imago, siue carminis huius conformatio, si integra puraque persistit, ita ut quoties nobis libitum fuerit, totum hunc versum continenter nulla haesitatione profertur possimus: tunc carminis illius sane memorari dicimur. Si autem ex huiusmodi carmine quippiam, verbi causa illud, Arma virumque cano, integrum constansque perdurauerit: reliqua vero illius exciderit pars, aut non integra incolumisque permanserit: ipsaque postmodum quaerens & commotus animus, & nonnihil a quibusdam excitus figuris & imaginibus, siue similibus, seu diuersis, & contrarijs nunquam (huiusmodi enim aliquando illam mouere & excitare sane videntur) quod reliquum est carminis inuenit & explicauerit, tunc reminisci dicimur: & isthaec nimirum reminiscencia appellatur. Ex quibus cuius palam esse potest, simplicium nominum & vocabulorum non proprie reminiscencia esse, sed aut memoriam, aut disciplinam: nisi fortasse in illis priori restante syllaba, vel quacunque alia, ex illa postmodum totum id nomen inuestigamus & venimus. Est autem id quod in ipsa accidit reminiscencia, haudquaquam ab simile picturae antiqui operis, & iam euanescentis, cuius tamen quaedam adhuc integrae restant notae, quae non incommode visum mouere possunt, a quibus comotus sane & excitus animus reliquas obscuras & oblitteratas notas comprehendere & resarcire, atque restantibus illis recte applicare & coaptare potest, iudiciumque postmodum ferre imaginem illam verbi causa Herculis esse, aut Apollinis, quoniam clauam habere videtur, vel lyram. Pari igitur modo in figuris illis accidit & simulacris in primo sensiterio ab externis rebus insignitis. in illis enim similiter ex manifestis & perdurantibus partibus resolutione quadam & discursu partes reperimus & inuenimus deperditas, & obliuione iam labefactatas & amissas. Est igitur reminiscencia (ut ea quae dicta sunt, breuiter colligamus) neque facta illa & impressa nunc figuratio (sensus enim in actu, huiusmodi est passio) neque illa quae iam dudum facta fuit conformatio quae adhuc perdurat, & tota est integra (istuc enim est memoria) sed figuratio quaedam & conformatio iam dudum facta, cuius pars sane quaedam integra & incorrupta perdurat: pars autem reliqua abiit iam & euauit: qualia videtur simulacra ab annulorum sigillis impressa si quo casu ad aliquam rem duram & asperam offenderint. apparent namque tunc etiam, verum confusa

Digressiucula reminiscenciae declaratae essentiam.

Quo disciplina a reminiscencia differat.

Quid sit reminiscencia.

& abolita, neque clare sua reddere & referre valent lineamēta. Quo in loco id etiam obiter animaduertē- dum esse cenſeo, quod ad reminiscētiā necessario sequitur memoria. qui enim reminiscitur, quodāmodo etiam meminisse videtur, cum aliquam prioris memorię portionem integram incorruptamque referret, à qua excitus postea (ut dictū est) animus abolita & deperdita inuestigat simulacra. Et hæc de reminiscētię natura breuiter sint præmissa: quamobrem ad philosophi literam reuertamur.

Reminiscētiā
requirere me-
moriā.

Reliquum autem est ut de reminiscētia dicamus. Principio igitur quęcunque in problematis vera inuenta sunt, supponantur ut vera. neque enim memorię resumptio est reminiscētia, neque apprehensio.

Quos hic epicherematicos appellat sermones, id est, disertantiū rationes, problemata sanē sunt quę disputantes sibi inuicem proponere solent: & idcirco hoc in loco sic nobis inuerrere placuit. Dicit igitur philosophus quęcunque in problematis de reminiscētię natura fuerint prolata, in præsentia supponantur, & pro confessis habeantur, neque illorum quispiā hic rationes ex postulet. quod enim semel est ostēsum, intempestiue & superflue sanē rursus ostendi videtur. In problematis autem ostensum & demonstratum est quod neque memorię resumptio ipsa est reminiscētia, quemadmodum voluere nonnulli: neque rursus eiusdem apprehensio, siue assumptio. Quidam enim dixerunt reminiscētiā memorię esse reassumptionem: nonnulli vero eam esse voluerunt memorię apprehensionem & susceptionem. Nihil autē horū sanē est reminiscētia. Qui enim reminiscitur, neque reassumit, neque sumit memoriā, sed fantasmatum consequutiones in seipso existētium & perdurantium sumere dicitur, & integra & illesa memorari. Reassumere autem cenietur quod illis continuum est in ipsa reminiscētia, & quod iam euauerat ex integris, renouare. Postquam vero dixit reminiscētiā non esse memorię resumptionem, neque aliam quampiam de nouo apprehensionem siue assumptionem, statim subiungit quidnam ipsa sit, prius breuiter ostēdendo quid ipsa nō sit, cum tamen esse videri possit.

Um enim primo didicerit quispiam, aut patiat, neque vllam resumat memoriā (nulla enim præfuit) neque à principio sumit. quando autem factus fuerit habitus aut passio, tunc est memoria. quamobrem vnā non fit cum passione.

Abijs quę non sunt reminiscētię, sed ab illa separantur & determinantur, reminiscētię naturam ostendere volens philosophus, nō reminisci, inquit, illum dicemus qui nunc primo quippiā sumit & discit quod nō prius aliās sumpsit & didicit. id enim illum sibi vendicare & discendo acquirere asseueramus, reminisci vero minime. siquidem reminiscētia est prioris renouatio memorię postquā intercedens obliuio imaginum continuitatem dissoluerit. Non igitur illud quod didicit & adhuc meminit, nulla interpellante obliuione, reminisci dicitur. Neque à principio, inquit, sumit. id est, neque nunc à principio, inquit, sumit qui reminiscitur. Si enim à principio nūc sumeret, discere certe diceretur, & non reminisci. illum enim qui nūc primo discit, hoc verbi causa, In noua fert animus mutatas dicere formas Corpora: non dicimus reminisci, sed discere. Non sumit igitur primo ille qui reminiscitur, sed habet quidem aliquid (ut dictum est) sumit autem id quod continuum est illi quod habet, quod etiam ipse habebat prius, licet interpellante tēpore, vel alio quouis casu illud iam dudum amiserit. Est igitur illud, neque à principio sumit, idē valēs ac si dixisset, neque nūc primo sumit illud cuius reminisci dicitur. Quando enim assumptum fuerit, & factus iam illius extiterit habitus, ita ut possit quispiam am cū sibi libuerit & quoties totā sine mora aliqua vel hæsitatione illarū imaginum seriē proferre, tūc id proculdubio memoria est, & nō reminiscētia. Hoc enim per illud rursus ostēdit cū dicit, quādo autem factus fuerit habitus aut passio, tunc est memoria. Cōcisus autē admodum & obscurus est sermo: planior vero & cōsequētiōr sanē litera esset si hoc se haberet modo. Quādo enim factus fuerit habitus aut passio, ita quod statim nullo negotio reddere possimus illū nihil immorantes neque expectantes, ut ex quapiā illius portione colligamus reliquā, memoria istuc sanē est, & nō reminiscētia. Et quoniā tunc est memoria quādo habitus aut passio facta fuerit, idcirco, inquit, vnā nō fit cum passione. id est, memoria nō fit simul cū passione. nō enī fit memoria cū generatione & impressione ipsius figure, & imaginū illarū, & passione inulta & facta in primo sensiterio ab actu sensilibus: sed quādo scilicet in primo sensiterio huiusmodi optime impressa fuerit passio, & talis imaginū cōfiguratio ex assidua externorū sensuū circa sensilia obiecta operatione, & intercesserit tēpore. Examinat autē (ut videtur) & corrigit in verbis istis philosophus ea quę de memoria dicta sunt retro, ut reminiscētię naturā melius & accurate

tius nobis insinuare & ostēdere valeat, ostensa & declarata illa quam erga memoriā habet differentia.

Praeterea quando primo in individuo & ultimo factum est, passio quidem iam inest patienti, & sciētia, si quidem habitum aut passionem scientiam appellare conuenit: (nihil enim obstat per accidens nonnullorum meminisse quæ scimus) memorari autē per se non inest nisi intercesserit tempus. In præsentia nanque meminit eius quod vidit, aut passus est ante: non illius quod nunc patitur in præsentia, meminisse censetur.

Hoc in textu philosophus dearticulatus etiā exprimit quæcūq; ad memoriæ declarandā naturā facere videntur. Vocat autē indiuiduū & vltimum in præsentia ipsum nunc, quod in continuis quantitatibus puncto proportionē respondet. Cū enim in tēpore & naturalia omnia, & ea quæ arte constant, effici dicantur, proprius certe & peculiaris omnibus finis ipsum nunc accedere videtur. Literæ autē totius cōsequentia & continuitas huiusmodi sanè esse censetur. Praeterea quando primo in individuo & ultimo factum est, id est facta fuerit passio, illa quidem inest patienti, similiter & sciētia, si licet habitum siue passionem scientiam appellare: memorari autem non est prius quàm aliquid intercedat tempus. Alia vero omnino in mediū sunt coniecta. Hæc autē ratio a priori nimirū ratione distare videtur. namq; in illa dixerat philosophus qd nō est memoria: neq; sanè memorari dicimur quādo passiones & figuras illas suscipimus, non autē iam perfecte illas suscepimus. in hac autem dicit qd neq; in ipso nunc quod in præsentia est, in quo iam perfecte configurationem suscepimus illam, memorari recte dicemur. non enim memorari cōsemur eorum quæ nunc didicimus & probe tenemus, sed eorum quæ ante per quoddam tēporis spatium percepimus. Passio enim aut scientia quæ nunc in me facta est, inexistit quidem, verum istuc nō est memoria, sed erit utiq; memoria cū tempus intercesserit quoddā, & ego quod in me est, prompte & nullo negotio proferre valero. quod enim vidi vel didici prius, illius vere meminisse nūc dicor. quod autem nūc didici, haudquaquā recte meminisse me dicere possum. Illud autem, nihil enim obstat per accidens nonnullorum meminisse quæ scimus, in medio est coniectum, & per parenthesin, id est, interpositionem, est legendum. Dictum est enim retro quod scientiarum per accidens est memoria.

Manifestum quinetiam est quod meminisse est, non rememoran-
tem in præsentia quod à principio senserit, aut passus fuerit: ve-
rum quando resumpserit quam prius habebat scientiam, aut
sensum, aut id cuius habitum memoriā dicebamus, hoc est tunc eorum
quæ dicta sunt, quippiam reminisci: ad ipsum autem memorari, memo-
riam sequi contingit.

Cum retro disquisisset philosophus & enucleasset quænam memoriæ sit natura: in præsentia quæ sit reminiscētia nos docere aggreditur. obscure autem admodum hoc in loco hac de re suā profert sententiā: principioq; statim vocabulorū inuersionē quandam facit. vbi enim est ist' textus principio meminisse, quando scilicet dicit: manifestū quinetiā qd meminisse est: id sanè meminisse loco ipsius reminisci est accipiendū, ut iste sit sensus: manifestū quinetiā est qd reminisci est nō rememoran-tem in præsentia quod à principio senserit, aut passus fuerit. id est, memoria retinentē & cōseruantem integras & illesas illorū imagines, sed quando sciētiam quā prius habuerat, aut sensationem, aut quoduis aliud cuius habitū memoriā vocamus, iam labantē & euanescentē, ex permanente inquā & restante illorū parte, quærens quis & inuestigans resumpserit. Vbi etiā per ea quæ dicta sunt, scientiā & sensum philosophus intelligit. Subaudire autē oportet tūc esse reminiscētiā, cū ex restāre principio aliquo quispīā id quod prius habuerat, sed causa aliqua amiserat, rursus reassumit: verbi causa cū mēte quispīam hoc tenuerit hemistichiū: Arma virūq; cano. & residui fuerit oblitus: si quærēs ex primo postremū inuenerit & resumpserit, illum sanè reminisci dicimus. In litera autē in qua dicitur, ad ipsum autem memorari memoriā sequi contingit: inuersio etiam censetur esse vocabuli. pro memorari enim reminisci intelligendum sanè est: ita quod sit sensus, quod ad ipsam scilicet reminiscētiā accidit memoriā consequi. Quemadmodum enim dictum est, quicumque reminiscitur, quodammodo etiam meminisse censetur: prioris enim memoriæ portionem quandam per ea quæ meminit, deperditam reassumit.

NEquæ hæc profecto simpliciter, si cum præessent antea, rursus fi-
ant: sed est quomodo hoc contingat: & est quomodo non. ean-
dem enim rem bis eundem discere & inuenire contingit. Remi-
nisci igitur ab huiusmodi differre oportet: & pluri existente
principio quàm ex quo quispiam discit, reminisci.

Quoniam sæpius accidere videt̃ q̃ cum prius quispiã aliquid didicerit, aut inuenit, illius post-
modum penitus oblitus, veluti si nũquã id didicisset aut inuenisset, rursus postea per doctri-
nam aut inuentionem idem acquirat & discat, obliteratãq; penitus imaginum illarum ser-
riem de nouo sibi vendicet, vt prius in illo fuerat: idcirco dicit philosophus nihil prohibe-
re eundem eandem bis rem inuenire aut addiscere. huiusmodi autem non esse reminiscen-
10 ter asseuerat. Nam neq; prius cum rem illam à principio didicit, eam in se imaginum conformatio-
nem habebat: neq; in præsentia cum illam de nouo discit aut inuenit, aliquam imaginum illarum cõ-
figurationem in se possidet. obliteratæ enim sunt penitus formæ illæ, nec reliqui habent quicquam.
Verum reminiscencia est (vt sæpius diximus) cum aliquo restante principio, ipso medio reliqua reas-
sumere quis potest. Dicit igitur q̃ differre oportet ab huiusmodi ipsum reminisci, id est à doctrinis &
disciplinis. Cum autem dixit pluri existente principio, caute admodum & secure statim subdit, q̃ ex
quo quispiam discit. Quoniam enim omnis doctrina & omnis disciplina ex præexistenti fit cogni-
tione & principio (vt ipse in posterioribus analyticis nos docuit) fit autem & reminiscencia ex præce-
20 denti quodam principio: idcirco subdit, ex pluri existente principio. tanquam si diceret, fit quidẽ di-
sciplina à quodam inexistente principio: verum principium à quo ipsa est reminiscencia, maius est &
valentius quàm illud à quo est disciplina.

Fieri autem contingunt reminiscen-
tiam quoniam hæc post illam na-
ta est fieri motio. Et si quidem ex necessitate, palam est quando
illa mouetur, hanc etiam moueri. Si autem nõ necessario, sed ex
conluetudine, vt in pluribus mouebitur. Contingit autem quosdã semel
magis consuesse, q̃ alios sæpius motos. Quamobrem quædam semel vi-
dentes illorum meminimus magis quàm alia multotiens.

Cum retro dixerit philosophus quanam reminiscen-
tiam ipsius existat natura, in præsentia ad ma-
iorem etiam illius declarationem subiungit quoniam fiat modo. Quoniam enim, inquit, natæ
sunt in anima fieri motiones, vna scilicet post aliam, & alia rursus eodem modo post aliã, eam
sanè ob causam homines reminisci contingit. Quæ admodum enim in catenarum structuris & serie
30 annulo commoto vno, illi etiam contiguus necessario mouetur annulus: simili rationis modo cum
eadem concatenationis series & ordo imaginum quæ sunt in anima, & in primo illius sensiterio, esse
censeatur, non immerito mota & excita sensitiua anima ab illarum aliqua, consequens etiam figura
& contigua imago eandem mouet animam: verbi causa est musicus Coriscus, & lyram habet qua
canit. In primo igitur animæ sensiterio figura imprimitur lyræ, necnon ipsius Corisci. Posthac au-
tem verbi causa forte Socratem conspicio lyram tenentem. Quo statim viso, lyræ Corisci confestim
reminiscor: & ex illius lyra, Corisci etiam ipsius illico reminiscor. Præterea ad istuc ipsum, ab hinc
quatuor annos quendam audiui musicum carmen quoddam voce fidibusque canentem: nunc autem
40 Socrate audito qui coram me tibijs canit, aliud quidem à priori illo verbisque diuersis carmen, verum
æquali structura, paribusque rythmorum modulis compactum, illico excita simili harmoniæ concẽ-
tu in me anima carminis sanè reminiscitur illius quod ab hinc quatuor (vt dixi) annos de musico illo
inaudiuit: nec solum illius, sed ipsius etiam musici qui illud cecinerat. Loci quinetiam & temporis in
quo & quando illud cecinerat, reminiscitur. Sunt igitur figuræ quædam & imagines quæ necessario
se inuicem consequuntur, in quibus fieri non potest vt vna excita & commota, non statim illi conti-
gua excitetur & moueatur: verbi gratia, vt istuc etiã exemplo declaremus, si Socrates quæpiã pugno
percussit dũ disputat, fieri nõ potest vt ipsius Socratis cũ illo disputatis reminiscatur, & illius nõ remi-
niscatur qui inter disputandũ à Socrate pugno percussus fuit. Similiq; modo rarũ sane est quæpiã alicu-
ius theorematis reminisci, & quãdo illud didicit: nõ reminisci autẽ à quonã illud didicit. Quando igit̃
50 mouebit̃ quispiã motũ Socratis, id est, quãdo reminiscet̃ Socratis, manifestũ q̃ hũc etiã mouebit̃, id est,
q̃ reminiscet̃ illi⁹ qui à Socrate pugno percussus fuit. Si igit̃, inquit, necessaria est figurarũ imaginũq;
i. j.

consequutio, & motus qui ab illis sunt, sic ut necessario hic quidem præcedat, ille autem subsequatur: fieri certe non potest ut priori excitata imagine, non excitetur etiam & sequatur reliqua posterior. Si autem non erit necessaria, inquit, consequutio, sed ab aliqua proueniat assuetudinis sequela, non semper ad primam secunda sequitur imago: sed ut in pluribus, inquit, sequitur. Contingit enim aliquando prima mota non moueri secundam. Quod hoc sanè manifestetur modo: Interdum volens quis (verbi causa) dicere & nominare caniculares dies, haud bene reminisci poterat, sæpiusq; hæsitabat, donec considerare assuevit, sæpius id ipsum retractando, de cane animali. Ab eodem enim syllabæ initio incipiunt ambo illa vocabula. à cane igitur excitus ille, & illius sanè figura commotus, nullo postmodum negotio caniculæ reminiscebatur. Similiq; modo cum quispiam crebro obliuisceretur Tauromenium proferre (est autem Siciliae opidum eo nomine appellatum) de tauro considerare assuevit: & ab illius postmodum imagine excitatus animus, Tauromenij facile reminiscebatur: cum tamen neq; imaginem canis, ut in priori exemplo, caniculares consequantur dies: neq; tauri formam, ut in posteriori, Tauromenium. Verum assuetudine utrunq; facile consequi poterat, quæ in huiusmodi plurimū posse censetur. Posthæc subdit philosophus quod quibusdam accidere videtur ut semel moti assuescant magis quam pleriq; alij, etiam si sæpius moueantur. Sunt enim nonnulli ingenio agili, & valde ad hoc apti, ut paruo scilicet assuetudinis studio ex vna re facile alterius valeant reminisci, qui prima imaginata & conspecta figura, secundā facile proferunt: cōtrā pleriq; se habere videtur, qui natura ad reminiscendum inepti, licet sæpius fuerint meditati ex cane (verbi causa) proferre caniculares dies, nihilominus canis interdum meminerunt, canicularium vero dierum reminisci nequeunt, sed canis imaginata & inuenta figura, hæsitant sane, neq; ultra procedere valent. Vel hoc etiam de ipsis figurarū formis simulacrisq; non ab re intelligi potest. aliquæ enim figurarum habiles commodæq; sunt ad reminiscendi opus, quia bene memorabiles: aliæ vero incommodæ & ineptæ.



Quando igitur reminiscimur, per præcedentes quasdam motiones mouemur, quoad per eam moueamur, post quā illa fieri cōsuevit. Quamobrem quod sequitur, indagamus ab ipso nunc, aut alio quopiam: necnon à simili, aut à contrario, aut proximo: & idcirco fit reminiscentia. Horum nanque motiones partim quidem sunt eedem, partim vero simul: nonnullorum etiam habent partem. Quāobrem paruum sanè est quod restat quod post illud est motum. Hoc igitur quærent modo. Atqui non quærentes etiam sic reminiscuntur, cum post aliam motionem illa facta fuerit. Magna autem ex parte alijs factis motionibus quales diximus, fit & illa.

Prosequitur hoc in textu Aristoteles reminiscentiæ modum nobis pluribus declarando. Vocat autem à principio statim præcedentes motiones, illas scilicet quæ rem cuius reminisci debet, præcesserunt: verbi causa, ut ipse etiam inferius dicet, volens quispiam temporis reminisci in quo aliquid in præterito fecerit, reminiscitur verbi causa lactis: ex cuius imagine albedinem sanè considerat: inde serenum cogitat aërem: inde humidum: & ab hoc tandem reminiscitur Autumni. si quidem ea fortasse temporis fuit constitutio in qua rem illam fecerat. Similiq; modo pictam in pariete conspiciens lyram, verè reminiscitur lyre: & ab hac rursus quærens, musici reminiscitur Corisci: à quo carminis reminiscitur illius quod olim ille ad lyram cecinerat, si quidem rei illius reminiscendum fieri oportebat. Motus igitur ille, præcedentes sanè sunt motiones, quoad ad musicum peruenit Coriscum: post quem carminis (ut diximus) subito fit reminiscentia. Post motionem namq; musici Corisci, carminis illius fieri cōsuevit reminiscentia. Ab ipso nunc igitur, id est, à lyra quæ nunc in pariete picta conspicitur, ipsius reminiscitur carminis. Interdum autem hoc etiam, inquit, fieri contingit ab alio. Si enim contingat post carminis imaginem qualemcunq; contiguam & consequentem esse imaginem, columnæ verbi causa: ab ipsa etiam columnæ forma carminis reminisci continget. mota enim columnæ imagine, simul carminis mouetur imago. ab illa igitur columnæ imagine simul etiam carminis reminisci poterit. Interdū, inquit, hoc etiā accidit à simili, nonnunq; à cōtrario, aut etiā à cōtiguō & vicino. & à simili quidē, veluti ab imagine Socratis veri reminiscimur Socratis, à cōtrario autē, quādo à nigri imagine, albedinis reminiscimur. à vicino vero & cōtiguō, quādo ab hoc verbi causa, In noua fert animus, reminiscor illius quod sequitur, videlicet, mutatas dicere formas. vicinū enim & contiguū hoc illi est. aut quādo ex canis scilicet imagine, lupi reminiscor. vicina enim & velut cognata huiusmodi sunt animalia. Fit igitur reminiscentia vel à simili, vel à cōtrario, vel à vicino & cognato, hoc quo dictū est modo. Et à simili quidē, quoniā eadē ferè similiū sunt motiones. Qui igitur mouetur per si-

Cur à simili-
bus, cōtrarijs
& vicinis re-
minisci contin-
gat.

guram & simulacrum, per rem ipsam quodammodo à qua illa deducitur similitudo, moueri censetur, quare à similitudine illa necesse est illius statim reminisci cuius illa est similitudo. A contrario autem, quoniam contrariorum simul sunt motiones. Simul enim (verbi causa) cum disgregatione est congregatio: & simul cum frigiditate est caliditas: licet alterum interimat alterum. A vicino autem, & ab illo quod prope est, quoniam eius quod restat, quædam quod prope est, pars esse censetur. id enim significare vult per illud: nonnullorum etiam partem habent. Hoc enim, mutatas dicere formas, illius sanè est pars, In noua fert animus. mota igitur parte aliqua, reliquum moueri illi contiguum, vero consentaneum est: quemadmodum in catenæ annulis euenire retro dictum est. Postquã vero dixit, nonnullorum etiam habent partem, statim subdit. Quãobrem paruū sanè est quod restat, quod post illud est motu. per quæ intelligere (vt arbitror) vult philosophus vel quod cuiusque rei maius est principium quàm illa quæ consequuntur, vt inquit ille, Dimidium facti qui bene cœpit habet. & inuento principio prona sunt alia & facilia. cum enim illud habetur, intellectus postmodum colligit & inuestigat reliqua, paruaque cum re illa inuentis applicat. Vel quod si recordabitur quispiam verbi causa viginti carminum, si reminisci sexdecim contigerit, quatuor reliquorum carminum nullo negotio reminisci poterit. Subdit deinde philosophus dicens. Hoc igitur quærunt modo, vel à similibus scilicet, vel à contrariis, vel ab ijs quæ prope sunt, ipsam reminiscuntur: & non quærentes etiam sic reminiscuntur, id est, neque à similibus, neque à contrariis, neque ab ijs quæ prope sunt, interdum homines reminisci valent, quando per aliam quandam motionem commotis occurrat illa quæ inuestigatur & queritur: verbi gratia nonnunquam dum reminiscimur carminis, Socratis etiam reminiscimur: quod tamen carmen neque Socrati simile est, neque contrarium, neque de eorum numero quæ propinqua esse dicuntur. Fit igitur interdum hoc modo reminiscencia: verum vt plurimum alijs factis motionibus quales diximus, id est, similibus, contrariorum, & cognatorum siue prope existentium, fit reminiscencia.

Principium totius dimidium.

Nequè vero consyderare oportet quomodo memoremur illa quæ procul sunt, sed ea quæ deprope. Manifestum enim est quod idem est modus quo modo nulla inquisitione consequens dicit, neque in ipsa reminiscencia. Consuetudine enim hic post illum sibi inuicem consequuntur motus. Et cum reminisci sanè voluerit, hoc faciet, & motionis principium accipere quæret: post quod illa erit.

A Memorandi modo hoc in loco philosophus reminiscendi nobis ostendit modum. Vocat autem hic ea quæ sunt procul, antiquiora, quæ longum ante tempus vidimus vel audiuius, vel didicimus: de prope autem appellat illa quæ pridie verbi causa vel nudiustertius, vel omnino non multo ante vidimus, siue didicimus. Est autem quod dicit, huiusmodi, oportet nos in ipsa memoria videre quoniam modo huiusmodi interdum rei memorati, alterius etiam meminimus: & vt in ipsa memoria res se habet, eodem etiam modo in reminiscencia se habere credendum est. Quæadmodum enim, inquit, in memoria contingit hanc motionem post illam fieri, id est, hanc memoriã fieri post illam: ita in ipsa etiam erit reminiscencia. Vel hoc est inquam quod hic ab Aristotele dicitur: vel loco illius quomodo memoremur, intelligendum est quomodo reminiscamur: ita vt vocabulorum sit commutatio & abusus, vt retro etiam vidimus. Et hoc modo talis reminiscencia erit sententia: oportet autem consyderare quomodo illorum reminiscimur quæ prius quidem & pauloante didiceramus, verum eorum oblitum sumus. nihil enim prohibet aliquem eius rei obliuisci quã pauloante percepit & didicit. oportet igitur in ijs consyderare: & quo modo res se habebit in istis, sic se habere sanè existimandum est in alijs etiam quæ ante longum extensumque tempus didicimus, vel sensu percepimus. Manifestum enim est quod idem reminiscencia est modus in ijs & in illis, id est in ijs quæ ante multum tempus didicimus, & in ijs quæ pauloante percepimus. Quæadmodum enim in ijs quæ deprope sunt, non diu, neque multum quærentes, sed ex quodam principio quod habemus, discimus & colligimus id quod sequitur (consequuntur autem, vt diximus, ipsi assuetudinẽ motus, in inquam post illos) ita sanè quando voluerimus alicuius rei reminisci cuius iam diu scientiam adepti fuimus (hoc enim intelligere oportet) id ipsum faciemus, siue alius quispiam faciet. Cum autem dixit hoc faciet, breuiter statim quod oporteat facere, subdit dicens, quæret sumere principium motionis post quã illa erit. Quemadmodum enim in ijs quæ deprope sunt, ab inexistente principio eorum reminiscitur quispiam quæ consequuntur: ita & in illis quæret principium à quo postmodum quod voluerit poterit inuenire.

Alia literæ expositio.

Quamobrem celerrime & optime à principio fiunt reminiscencia. Quemadmodum enim consequutionis ordine adinuicem se habent res, ita & motiones: & bene memorabilia sunt quæcunque

i. ij.

ordinem quendam habent, vt mathematicæ disciplinæ: alia vero prae & difficulter: & hac in re reminisci ab iterum discere differt: quod poterit sanè ex seipso moueri ad id quod principiū consequitur: quando vero non, sed per alium, non sanè meminit. Plerunque autem reminisci quidē iam non valet, quærere autem potest, & inuenit. id autem fieri contingit multa mouenti quoad eiusmodi excitauerit motionem quam res ipsa sequatur. Meminisse enim est mouentem inesse potētiam. id autem est vt ex seipso quispiam, & ab ijs quæ in se habet, motionibus (vt dictum est) moueatur. Principium autem accipere oportet. Quapropter à locis videntur reminisci aliquando. huius autem rei causa, quoniam celeriter ab alio ad aliud transit: vt ex lacte ad album: ex albo ad aërem: ex hoc ad humidum: à quo postmodum autumnus reminiscitur, id quærens anni tempus.

Quoniam magna est (vt vidimus) affinitas & naturæ cognatio memoriæ cū ipsa reminiscētia, idcirco altera alteri ad doctrinæ claritatem multum quantū conferre videtur. Et sicut in memorandi opere sumpto quodam principio omnia recte succedere videtur, & bene memorabilia iure esse censentur illa quæ ordinis adinuicem habent seriem, ita eadem ipsa in reminiscētia eodem se habere modo videntur. Quoniam enim in reminiscendi opere principium (vt dictum est) multum confert & facit, idcirco in quibus huiusmodi sunt principia, si ea sanè tenuerimus, omnium certe consequentium præclare reminiscemur: quemadmodum, inquit, in mathematicis est disciplinis. In geometricis enim verbi causa theorematibus, præcedentium conclusiones, consequentium sanè sunt præmissæ cōclusionū. Neque hoc ab re, mehercule, vt enim se habent res adinuicem in consequutionis modo: ita illarum motiones se habent & reminiscētiæ. Nam quemadmodum in sensibus si consequenter posita & bene ordinata fuerint sensilia, verbi causa visilia, bene certe illa visus cernit & perspicit: si autem temere & confuse iacuerint, non bene: ita in imaginibus & figuris animæ rem se habere censendum est. Quapropter bene memorabilia sunt, inquit, illa quæ ordine sanè & consequutionem adinuicem habent. quæcūq; autē huiusmodi nō existunt, difficulter sanè memoriæ cōmendantur. Post hæc dicta philosophus differentiam statim adducit quandam inter disciplinam & reminiscētiā repertam. nō enim eadem sunt, vt Platonem voluisse dicūt, qui superficetenus verba illius perpendunt. Reminisci enim dicitur homo quando ex se ipso, & à principio in se reperto & existente ad ea mouetur quæ id consequuntur principiū. quādo autem non per seipsum, sed ab alio, id est præceptore mouetur, disciplina sanè dicitur illa, & non reminiscētia. Subdit postmodū philosophus quod plerūq; non statim quispiam reminisci potest rei quæ voluerit, quærere autem, & illam inuenit: istuc autem non statim fit, verum multis agitur exercitijs; motionibus, per illam tandem mouetur ad quam certe consequitur id quod à principio quærebat. Quemadmodum enim multæ guttatim cadentes stillæ habilem reddunt petram vt excuari possit, illarum autem nouissima, de quorundam sententia, id sanè efficere dicitur: ita in cordis humore res se habere existimatur. Sæpius enim is commotus & excitus tandem per illam mouetur agiturque motionem, à qua quod quærere illico emergere censetur: quod sanè inueniens anima ab vltiori tandem cessat disquisitione. Est igitur, inquit, reminisci, vim quandam inesse mouentem. Vim appellans siue potentiam, principium illud de quo sæpius est commemoratum. istuc enim animam excitare dicitur ad resolutionem & disquisitionem eius quod reliquum esse videtur. Quamobrem à locis, inquit, reminisci interdum videntur homines. loca siue locos appellans, contraria, similia, cognata, vicina, necnon huiusce notæ reliqua: vel etiam loca denominans illa quæ in nobis sunt principia: vel locorum etiam ipsorum facies & conformationes. Quæ admodum enim à locis ijs quæ nobis ab ipso in Topicorum commentarijs sunt tradita, & in primo etiam artis rhetoricæ libello exposita, habiles sanè & prompti facti, ad omnia possumus problema ta commode differere: ita etiam à quibusdam in nobis cōformatis insignitisque locis siue principijs consequentia paruo negotio adiungere & resarcire valemus. Vel igitur principia ipsa hoc in textu vocat loca, vel corporea & extrinseca intelligit loca, vbi collocantur imagines, ex quibus sanè localis appellata est memoria: vel hoc etiam intelligi potest modo, quod sæpius scilicet quispiam rem vidēs & audiens aliquam, illam postmodum quærens discurrit sanè & ratiocinatur vbinam illam vidit, aut audiuit: locique illius forte memoratus, facilè reminiscitur & quando, & de quo rem illam audiuit. Huius autem rei exemplum ponit philosophus, cuius nos pauloante mentionem fecimus, in sequentis literæ contextu.

Quo differant
disciplina &
reminiscētia.

Vbi de locis
tractatur natu
ra.

Simile autem est vniuersale principio, & medium omnium. nam si non prius, saltem cum ad id peruenerit, memorabitur: vel neque amplius, neque aliunde: vt si quis considerauerit in quibus A B C D E F G H. Si enim non ipsius H E meminerit, in ipso certe E H memoratus est. Hinc enim ad ambo moueri contingit, & ad D, & ad E. Si autem nihil horum quaerit, ad ipsum C deueniens memorabitur, siue G, siue F quaerit. Si vero non, ad ipsum A. & hoc semper modo.

Vniuersale hoc accipitur in loco vel pro omnino, & vt in pluribus, ac si vniuersaliter diceret, vel vniuersale communes ipsos vocat locos, à contrarijs scilicet, ab æqualibus, à cōiugatis, reliquosq; eius notæ locos. Vbi etiam cum dicit, & mediū omnium, illud sanè et superfluum videtur. quāobrem est (vt arbitror) quod hoc in loco dicit, huiusmodi Mediū omniū vt in pluribus assimilatur principio. nam mediū inuentio ad reminiscentiam multum quantū nos iuuare videtur, & ad quaesita nos rei inuentionem tanquam manu deducere. Cuius certe rei exemplū more suo in elementis litterarum ponit, vt vniuersalem sanè huiusce rei ostensionem nobis afferat. Si quis enim, inquit, consideret in quibus A B C D E F G H. id est, si imagines quispiam aliquas, siue motiones per quas mouetur anima ad indagacionem & inuentionem rei quaeritæ, secundū exposita consideret elementa, & in illis ea constituat: illarum autē mediū ipsum sit E: hoc sanè inueniens quaesitor ille, si forte illo videlicet E inuento, non peruenit ad id quod quaerit: cū ad ipsum perueniet H, planè memorabitur. Quoniam enim mediū inuenit, cōtingit moueri & ad E, & ad D. Vocat autē E, & ipsum E, & illa quæ ipsum E consequuntur. sunt autem F, G, H. Similiq; modo D appellat & ipsum D, & etiā C B A. Cū peruenerit igitur ad H, reminiscetur vtiq; nihil enim prohibet post E medium ipsius H reminisci, & postmodum ipsius E, & postea ipsius G. Vt autem in notioribus terminis, clariorq; doctrinæ modo huiusmodi elementorum ostēdatur ordo, ipsum E medium ponatur, verbi causa symposium, F autem Socrates, G vero vapulare à Socrate, H autem Lyra. Nihil igitur prohibet reminiscētem quempiam symposij, statim reminisci lyræ, & postmodum q; vapulauit, & postea quod à Socrate. Atqui post symposium consequens erat statim Socratis reminisci, & postea q; ab illo vapulauit, & postremo ipsius lyræ. supponatur enim q; vir ille à Socrate Lyra sit percussus. Quoniam autem dixit q; medium principio assimilatur, statim huiusce rei subiungit causam. Hinc enim, inquit, ad ambo moueri contingit. ipsum enim C medium, via est & limes ad ea quæ consequuntur F G H, & ad illa quæ præcedunt D C B A. Et fieri certe potest vt quemadmodum ab ipso H vel G vel F reminiscimur cuiusnam voluerimus rei: ita etiā ab ipso A vel ab aliquo consequentium ipsum A. Si autem E non erit medium, sed ipsum C: ad ipsum perueniens C quispiam, propositæ sanè rei reminiscetur: aut ad ipsum A: veluti ibi ad ipsum veniēs H reminiscetur. Exemplum subscriptum est in notioribus terminis, vt clarior reddatur ostensio.

A	B	C	D	E	F	G	H
Athenæ.	Lycium.	Platonis domus.	Prima mensis.	Symposiū.	Socras tes.	à Socrate vapulare.	Lyra.

Vr autem interdum quidem ab eodem reminisci contingit, interdum vero non, in causa est, quoniam ab eodem principio ad plura moueri contingit, vt ex C ad D, aut ad F. Nisi igitur ab antiquo moueatur, ad consuetius sanè mouetur. quemadmodum enim natura, sic & consuetudo est: quāobrem eorum quæ crebro tractamus, celeriter reminiscimur. Vt enim natura hoc est post illud, ita & operatione: ipsum autem multotiens naturam efficit. Quoniam autem vt in ijs quæ natura constant, fit & præter naturam, & fortuito: ita in ijs quæ consuetudine constant, fiet magis, quibus non similiter inest natura. Quapropter ibi & aliter interdum moueri continget, præsertim cum abduxerit inde huc: & hanc ob causam cum opus fuerit nominis reminisci, similis

quidem meminimus: in illo autem solœcismum facimus. Reminiscendi igitur ratio hoc se habet modo.

Quoniam sæpius accidit nobis (vt retro diximus) q̄ memorati canis verbi causa, caniculæ non reminiscimur, quãuis multis moueamur excitemurq; motionibus, & illud enixe perquiramus: nonnunquã autem illico cum canis nobis succurrit imago, caniculæ reminiscimur: quæri autem non immerito potest quam ob causam id accidat, q̄ idem, vt inquit, ex eodẽ, id est caniculæ ex cane, reminiscimur: interdum autẽ non: idcirco huic occurrens quæstioni philosophus, huiusce rei causam esse dicit, quoniam contingit plures moueri quempiam motiones ab eodẽ principio: verbi causa ab ipso c ad ipsum F, vel ad ipsum D. Sit enim mediũ c, extrema autem F & D. Si igitur magis consuetum erit ipsum F quã ipsum D, mētem sanẽ ad se trahet. Si enim erit F verbi causa canistrũ, c autem canis, D vero canicula: ab ipso c magis mouebitur anima ad ipsum F, quã ad ipsum D. cõsuetum enim magis q̄ canicula est canistrũ. Et nõ solũ hanc, inquit, ob causam, id est propter assuetudinẽ, sed etiã si hæc quidem imaginũ erit antiqua, illa vero recens & noua: recẽs profecto magis mouebit excitabitq; imago quã vetusta. Nihil autẽ prohibet interdũ antiquã magis mouere q̄ nouam, si quidem noua obscura fuerit, & superficietenus inhærens: vetus autẽ & antiqua clara sit & perspicua. Dicit igitur, nisi ab antiquo moueatur, id est, nisi antiquum fuerit simulacrum, & consuetum (hoc enim oportet intelligere) ad nouitium certe & magis consuetum mouebitur. Huiusque rei statim subiungit causam, dicens: quemadmodũ enim natura, sic & consuetudo. Natura enim quæ magis consueta sunt, semper efficit & prosequitur: idcirco mos ipse & consuetudo non ab re idem efficere videtur. Vsum enim alteram esse naturã ipse est qui dicit: & hanc ob causam illorum cito reminiscimur quæ diu multũque cõsiderauimus. Quoniam autem isthæc breuiter admodũ à philosopho sunt adducta, idcirco insistẽdũ nobis & declarandũ est magis, hoc maxime modo. Si quidem igitur non erit antiqua & consueta imago illa, aut noua & inconsueta: verum cum noua & recens, tum pertractata & consueta: ad illã utiq; mouebitur animus. neq; enim ad nouam & incõsuetam de facili mouebitur, neq; ad antiquã & incõsuetam. Similiq; modo si altera fuerit vetus & assueta imago, altera vero recens & defueta: ad antiquã proculdubio mouebitur imaginem. Isthæc enim propter assuetudinis frequentem vsum vt recens est, sicut econtra noua imago nullo exercitationis perfricata vsum, vt antiqua sanẽ esse censetur, & iam euasens. Prosequitur postmodum philosophus isthæc ad verbũ subiũgens. Sicut enim natura hoc est post illud, ita & operatione. Sicut enim ad formã ignis sequitur caliditas: pari modo ad ignis reminiscẽtiã, caliditatis cõsequitur reminiscẽtia. Quo in loco per operationem, consuetudinẽ intelligere oportet. Sunt enim ex consuetudine quædam quorum cum reminiscimur, illico eorum etiã reminiscimur quæ illa cõsequuntur. Animaduertendum autem est quòd cõsuetudinẽ hoc in loco actum siue operationem appellauit: quoniam ex tali actu siue operatione talis nimirum fit cõsuetudo. Quod autem sæpius fieri consuevit, in naturam sane transire videtur. Cæterum quoniam in ijs quæ natura constant, nõnunquam intercedere videtur error, & quod præter naturam est: simili certe modo hoc etiã accidere cõtinget in ijs quæ consuetudine fiunt, eoque magis in istis, quo minorẽ firmitudinis constantiam stabilitatemque in se habere videntur, quã ea quæ natura constant. Si autem hoc res se habet modo, nihil sanẽ prohibet illum qui reminiscitur prioris cuiusdam imaginis, errare & falli circa posteriorem, & aliter quã oportet moueri: cum alioquin hinc illo trahatur à re pertractata & consueta magis. Et quoniam nos alia aliã abstrahunt & abducunt, idcirco cum opus fuerit alicuius nos reminisci nominis, alterius quidem similis reminiscimur, ad quẽsitum autem interdum non peruenimus nomen: sed circa illud & in illo vtimur, inquit, solœcismo. Cum enim verbi causa reminisci voluerimus Leophanis, si capti similitudine, Leosthenis reminiscimur, in errorem certe incurrimus, & solœcismo vtimur manifesto, cum aliud pro alio proferamus nomen. istuc enim solœcismi quædam est species.

Quod autem præcipuum est, ipsum cognoscere oportet tempus, aut mensurate, aut indefinite. Est autem quiddam quod diuidit maius & minus: rationabile autem est sicut magnitudinem. Intelligit autem quæ magna sunt, & quæ procul, non quòd eò notionem extendat: quemadmodum visionem quidam asserunt. Etenim cum non sunt, similiter intelliget: sed rationem quandam mouebit. In ipsa enim similes sunt figuræ & motiones.

Cum in ijs quæ prædicta sunt, abunde nos reminiscẽtiæ naturam docuerit Aristoteles, hoc in loco commune quiddam cum memoriæ ipsi, tum reminiscẽtiæ nobis insinuare videtur, dicẽs q̄ præcipuum & maximum in huiusmodi rebus oportet nos cognoscere & percipere tẽpus, in quo scilicet discẽtes quippiã, aut vidẽtes, vel audiẽtes, aut gustãtes, illi sanẽ reminiscimur, vel mẽsurate

Vsum alteram esse naturam.

- inquit, id est determinate & præfinita, verbi causa ab hinc quatuor annos calēdis Martijs id vidim⁹ siue didicimus, seu audiuimus. Vel indefinite & indeterminate, videlicet quod aliquando vidimus vel audiuimus, nulla nominata neque præfinita temporis differentia. Si enim hoc non fuerit, & tempus ipsum determinate vel indefinite non cognouerimus, continget sanè nobis existimare quod minime rei illius reminiscimur, sed illā nunc primo imaginamur, & à nobismetipsis nullo præcedente vestigio proferimus. Quamobrem summa est necessitas cum in memorijs, tum in reminiscētijs tempus etiam ipsum cognoscere. Postquā autem dixit quod præcipuum est cognoscere tempus, subdit: Est autem quiddam quod diiudicat maius & minus. id est, necesse est aliquid esse quo sentiens anima iudicet plus & minus ipsius tēporis. Subiungit etiam modum per quem fit iudicium. Quemadmodū enim, inquit, cogitatio & animæ vis cogitativa magnitudines diiudicat & perpendit, non quod extrinsecus ad illas prodeat, sed
- 10 imagines mouens & simulacra ab ipsis effecta magnitudinibus in fantastico spiritu. semper enim fantasia cogitatio iungitur: cum nihil aliud cogitatio esse censeatur, quā intellectus operatio fantasiae applicati & coniuncti. Iudicat igitur magnitudinū moles cogitativa potestas, non quia prodeat ad illas (ut dictum est) quæadmodum velle videntur illi qui visionem pervisillum radiorum extramissionem fieri asseuerarunt. Namque si hoc ita esset, magnitudines sanè cogitatio iudicaret quando essent præsentis: de absentibus autem iudicium haudquā ferre posset: cuius certè oppositum ipsa nos docet experientia. Iudicium enim sæpenumero de illis fert dum absunt. Quemadmodum igitur inquam (ut vnde digressi sumus reuertamur) cogitativæ animæ vis magnitudines diiudicat: ita rationi consentaneum esse videtur, animæ vim sensitivæ iudicare & perpendere maius vel minus in tempore, non quia extrinsecus prodeat, & extēdatur foras, sed quia movet vel movetur potius ab imaginibus & simulacris quæ intrinsecus sunt impressa & insignita.
- 20

Quid cogitatio esse dicatur.

Quoniam igitur differt quādo maiora intelligit? An quod illa intelligere, minora? Omnia enim quæ intus sunt, minora ut proportionem ad ea quæ extra sunt.

- Q**uando anima (ut retro dictum est) per magnitudinis similitudinem quā in se habet, ipsam cognoscit magnitudinem, quærit hoc in textu philosophus quoniam cognoscit modo & reminiscitur siue diiudicat maiorem & minorem magnitudinem, & quomodo illarum cognitio à reminiscētia differre censeatur. Quando igitur, inquit, maiora intelligit. i. reminiscitur illorum, quo differt ab illo quando minora comprehendit? Statimque post quæstionem subiungit responsum. An, inquit, eo differt, quo illa quidem, id est maiora intelligere, est minora intelligere? quod est subaudiendum. Breuiter enim admodum & concise illa adducta est litera. maiorum enim cognitio animæ excitat iudicium ad distinguendum inter illa, & ea scilicet quæ eiusmodi non sunt, videlicet minora. quamobrem illis cognitis, necessariò & ista cognoscuntur. Subiungit præterea quod minora cum interius sint, prius cognoscuntur: & illorum sanè prius & citius reminiscimur. Ex quibus postmodum ad vltima & maiora traducimur. Omnia igitur, inquit, quæ intus sunt, minora existunt, & proportionem minora Quæcumque enim in orationis cuiuspiam magna comprehenduntur periodo, cum illius sint partes periodi, minora sanè illa censentur esse periodo. Et omnino interiora omnia ipsis extrinsecus positus sunt minora: atque id proportionem fieri cōtingit. Quoniam enim rationum proportionaliter (ut sic dicamus) se habet similitudo: ista autem inter se similitudinem habent in quantum vnus quidem continet, reliquum vero continetur: idcirco dixit, ut proportionem se habent. Per illa autem quæ sunt extra, maiora intelligit. Proportionaliter autem & quæ extra, & quæ intra sunt, proculdubio se habere videntur.
- 30
- 40


Licet autem fortasse sicut in formis proportionem accipere, sed in ipso, ita in ipsis distantijs.

- P**rosequitur hoc in textu philosophus, & in ijs etiam quæ sequuntur, nobis ostēdere quoniam modo maiorum minorumque in nobis cognitio & reminiscētia se habere censeatur: dicitque fortasse ita esse de magnitudinibus & distantijs locorum siue tēporum, ut est de speciebus formisque rerum. vnde sicut in ipso cognoscēte diuersæ sunt similitudines & motiones proportionem respondētes diuersis rerum formis siue speciebus, verbi gratia equo & boui & cani: ita etiā diuersis quātitatibus maioribus & minoribus diuersæ & distractæ similitudines & motiones in nobis verissimiliter correspondēt. Vel, inquit, quæadmodum se habet in formis, id est in rebus ipsis, vel intellectibus aut memorijs & reminiscētijs: ita proportionem se habebit in distantijs, id est, tēporibus. cōprehēdūt namque illa tēpora, & illis proportionem respondere vidētur. Ut enim res minor ad maiorem se habet, in eo quod illa quidem continetur, hæc vero continet & cōplectitur illā: ita proportionaliter se habet tēpus maius ad tēpus minus: & per assignatā postmodum proportionem analogiā, ut se habet tēpus maius & productius ad rē maiorem, ita se habet tēpus minus ad rē minorem. Quod autem ita se habeat res, quæ figuris scilicet siue speciebus proportionem correspondeat
- 50
- i. iij.

tempus, id est intellectis vel memoratis rebus: huiusmodi affertur demonstratio, quæ primo probat quod extrinseca cum intrinsecis eo quod continentur & continent, adinuicem proportionem respondent: & qui continentia intelligit, contenta etiam intelligere censetur. Secundo autem loco, quod tempus etiam res ipsas consequitur, & proportionis analogia secundum suas partes cum rerum partibus secari diuidique percipitur. Demonstratio autem hæc est:

Quemadmodum igitur si AB, BE mouetur, facit AD . proportionem enim sibi respondet $AC, & CD$: cur igitur potius CD , quam FG efficit?


Quoniam in demonstratione ista multa sanè inest obscuritas, tum quia breuiter admodum & concise prolata est: tum etiam quia elementorum adductorum in quibusdam inuersus & variatus est ordo: idcirco prius quam ad illius explicationem me conuertam, nonnulla de quibus retro etiam diximus, ad clariorem illius doctrinam non ab re reassumenda esse duxi. Cum igitur retro præmississet philosophus quod in memorandi opere & actu cognoscere & percipere oportet tempus: similique modo in ipsa reminiscètia, cum in omni (ut dictum est) reminiscendi actu ipsa etiam incurrat memoria: subiunxissetque præterea replicando, quod in huiusmodi operibus oportebat determinate siue indefinite & indeterminate tempus cognoscere: præterea etiam quod exteriora, id est, maiora reminiscens quispiam vel intelligens, interiorum etiam, id est minorum reminiscitur: proportionem enim huiusmodi inter se respondent res: quæ autem sunt eiusmodi, simul sanè intelliguntur, siue memorantur, seu reminiscuntur: si quis enim quadricubiti reminiscitur, bicubiti etiam reminisci dicitur: Cum hæc inquam dixisset & præmississet philosophus, hoc in loco prius quidem demonstrat quod proportionaliter se habent interiora exterioribus: secundo autem loco quod rerum memoriae siue reminiscentiæ cum temporis cognitione complicantur. Vbi etiam ostendit quod adinuicem tempora proportionem sanè habent, maiora scilicet ad minora, & viceuersa minora ad maiora tempora. Quemadmodum enim res ipsæ siue memoriae seu reminiscentiæ maiores ad minores se habent, & e contra: ita in temporibus esse censendum est. Parique proportionis modo quemadmodum tempora maiora se habent ad res maiores, ita minora tempora ad res minores. His igitur non inutiliter (ut arbitror) decursis & animaduersis, ad literæ contextum accedamus. Quo in loco primo animaduertendum esse censo, quod breuis (ut diximus) & concisus, defectiuus quidem etiam huiusce literæ videtur esse sermo: cuius integra sanè lectio hoc se habere (ut arbitror) debet modo. Si AB, BE mouetur, facit AD . Est autem sicut AB ad BE : sic AC ad ipsum CD . quæ ob rem sicut ille qui intelligit quadricubitum, intelligit etiam bicubitum, siue meminit, seu reminiscitur: ita ille qui intelligit vel meminit vel reminiscitur AB, BE , intelligit vel meminit vel reminiscitur ipsorum AC, CD . In præsentia enim philosophus per moueri ostendit intelligere & meminisse & reminisci. Quod autem illud, facit AD , illi æquiualeat, facit AC, CD : declarat per illud quod statim subiungit, proportionem enim sibi respondent $AC, & CD$. Est autem quod dicit, huiusmodi: proportionaliter enim se habent AC, CD , ipsis AB, BE . Quemadmodum enim AC se habet ad AB : ita se habet CD ad BE . Quare potest etiam proportio commutari. Illud autem, Cur igitur potius CD quam FG facit: idem est ac si diceret, quemadmodum ille qui intelligit AB, BE , intelligit etiam AC, CD : sic & ille qui intelligit AC, CD : intelliget utique AF, FG .



Aquemadmodum AC ad ipsum AB se habet, ita ipsum H ad M se habet: Has igitur simul mouetur. Si autem FG voluerit intelligere, ipsum BE similiter intelligit. Loco autem ipsius HI, KL intelligit. hæc enim ita se habent quemadmodum FA ad BA .

Postquam dixit & declarauit philosophus quomodo proportionaliter adinuicem se habent res, in præsentia docet nos quomodo simul cum rei ipsius motu, etiam temporis fiat perceptio. Sumitur autem hoc in loco illud, *an*, pro *et* copula: ac si diceret, Et quemadmodum AC motus ipsius rei, se habet ad AB motum: ita H ad M : videlicet KH motus ipsius temporis, ad KM motum. appellat enim solū H , ipsum KH : sicut solum M , ipsum KM . Vult igitur dicere & ostendere philosophus quod si cut

se habet minor res ad maiorem: ita se habet minus tēpus ad maius. In illo autem ubi dicit, Has igitur simul mouetur: per illud has, temporis simul & rei motiones intelligit. Quē admodū enim si quis piam currens A C, A B, necessario mouetur K H, & K M: sic ille qui meminit A C, A B, necessario meminit K H & K M temporis. Si autē F G intelligere velit: quod dicit hoc in loco, id potentia valet: Quē admodū secundum A B, B E, & A C, C D, mota & excita anima nostra intelligens vel reminiscēs, simul sentit K H, & K M tempus: pari rationis modo si F G, id est si A F, F G voluerit intelligere, siue reminisci: ipsum B E, id est ipsum A B, B E similiter intelliget (sicut diximus) simul cum temporis perceptione, videlicet K M, M N. Dicit autem, loco ipsius H I, K L intelligit. id est, pro K M. commutata enim sunt hic elementa ista, & H pro K positum est, cum sit ex parte ipsius temporis. I autem loco ipsius M collocatum est. pro K M igitur intelligit K L. Quoniam enim K H, K M, tempora dicuntur esse ipsorum A C, A B, ipsum autem K L ipsorum A F, F G: mouetur autem A F, F G: manifestū est quod mouebitur in ipso tempore K L, quod est totalis tēporis pars K M, sicut A F pars est totalis rei A B. Illud autem quod sequitur, Hæc enim se habent quemadmodum F A ad B A: huiusmodi sanè est: Hæc, videlicet K L, K M proportionaliter se habēt ad ipsas A F, A B. Patet igitur & cuius est manifestam quod intellectiones siue memoriæ seu reminiscentiæ proportionaliter se habent ad tempora: & quod simul cum ipsis rebus est consensatio & perceptio temporis. Huiusce autem rei ostensio in descripta examinetur figura.



Vando igitur simul rei & temporis fit motus, tunc memoria quispiam operatur. Si autem istuc non agens existimauerit, meminisse se existimat. nihil enim prohibet quēpiam decipi, & sibi videri, cum nihil meminerit: memoria autem operantem, non existimare, sed latere se recordari, haud sanè contingit. Hoc enim est ipsum meminisse. Quod si rei fiat motus sine illo qui est temporis, aut hic absque illo, non sanè meminit. Is autem qui est temporis, duplex est. Modo enim mensura non meminit: veluti quod nudiustertius: sed certe quod olim fecit. Aliquando autem & mensura: verum meminit etiam quauis non mensura. Dicere enim solēt quod meminuerunt quidem: sed quando, nesciunt: cum istuc ipsum quando, commensurata quantitate nō cognouerint. Quod igitur non ijdem memoria valeant, & bene reminiscētes sint, dictum est prius.

Ostendere in ijs & declarare nobis Aristoteles intendit quānam veræ sint memoriæ & reminiscentiæ, & quæ ambarum huiusmodi animæ virium falsæ & adulterinæ sint apparentiæ. Dicit igitur quod quando simul cum re ipsa temporis fit perceptio mensura, id est definite &

D. propor-
tius (D)
10
admodum
ueritas & vna
nomina de
nencia esse
scere & per
miniscendi
operibus op
exteriora, id
tur: proporti
tur, sine mem
ci dicitur. C
p. proportio
unilcentiz r
onē sanè hab
nim res ipse
ribus esse e
maiores, ita
tuertis, ad l
mima dicitur
sefectius qu
gra sanè lect
E mouetur, s
ribit solū, fac
c D. quāob
tiam bicub
lligit vel me
minit vel res
philosophus
unisci. Quod
c D: declarat
im sibi resp
dis: proportio
Quē admodū
E. Quare po
Cur igitur po
nemadmodū
A F, F G
psum Hæc
G voluent
item ipsius
A ad B A
m se habent
perceptio, s
A c motus ip
motum. app
sophus & l

determinate, vel sine mensura, id est sine determinatione præfinitione ve aliqua, tunc est memoria vel reminiscētia. Cōuenit enim hoc de vtriusq; sanè proferri. Si autē existimauerit istuc non agens, id est, si existimauerit quispiā se meminisse: vere autē non meminit: is existimat se meminisse, & , supplendum est, vere & proprie non meminit. Verū quia sic etiā isthæc legitur litera, Si autē existimauerit istuc non agēs memorari: tūc huiusmodi erit sensus, Si existimauerit quispiā meminisse, & vere nō meminit, supplēdū est, hoc nō est memorari, siue memoria. Verū ex ijs quę sequūtur, superior lectio rectior sanè esse videtur. Subiūgit enim Nihil enim prohibet quēpiā decipi & falli, ita q̄ se meminisse credat, cū tamen in rei veritate non meminerit, neq; recordetur: & hoc non ab re, quoniam tempus à re disiungit & separat: illorumq; simul non fit motio: vt Antipheronti Oreitæ vsu contigisse censetur, qui ob visus (vt aiunt) imbecillitatem, occurrentem sibi & obuiam factū amicū & familiarem cū cerneret, haudquāquā se illū videre putabat, sed illius tam diu cōspecti & visi meminisse. Ab illo enim præsens cū præterito tempore percipiebatur res. Subdit postea philosophus: Memoria autem operantē non existimare, sed latere se recordati, haud sanè contingit. quod est ac si diceret: aliter res se habet in illo qui per memoriam operatur, id est quōrem coniunctam temporis considerat & animaduertit. is nanq; recte meminit, neq; potest aut existimare se non meminisse, aut latere. Hoc enim est ipsum meminisse, circa memoriam scilicet operari, & rem simul cum tempore percipere & perpendere. Quamobrem statim subdit: Quod si rei fiat motus sine illo qui est tēporis, aut hic absq; illo, nō sanè meminit. ignuere volens ad memoriam & reminiscētiā necessario hos duos motus coniunctos esse oportere. Subiūgit postmodum duplicem temporalis motus distinctionem. vel enim commēsurati, id est distincti & determinati motus est tēporis: & sic memoriæ & reminiscētiæ veræ & exactæ esse cēsentur. Vel motio est indeterminati & indefiniti tēporis: & hoc modo nihil sanè prohibet illas esse etiam memorias & reminiscētiās, licet non adeo exactas & exquisitas. Qui enim meminit se vidisse Socratē in Academia deambulātem calendis Iunijs, is profecto recte & exacte meminit, si quidē id contingat hoc accidisse modo. Qui autem se Socratem Athenis aliquando conspexisse meminit solummodo, cum illum verbi causa in Academia anno elapso calendis Iunijs deambulātem viderit: is meminit quidem rei, temporis vero minime: quapropter non exacte & exquisite meminisse dicitur. Postmodum subiūgit philosophus concludendo abunde se docuisse retro quod non iudem memoria valent, & bene sunt reminiscētes: & quam etiam ob causam id accidere dicatur. Hæc nos pro mentis nostræ captu, ingenijq; mediocritate, literæ huius textum explicantes, commentati sumus, Aristotelicæ sententiæ consona & consentanea esse rati. Cæterum Themistius in paraphrasi sua, illumq; sequutus G. Ephesius, siue quisquis fuit ille, qui glossulas in commentarios hos edidit, aliter hūc locum exposuere: quos ego viros honoris causa nomino, eorumq; sententię libens volensq; me subscribo: illorumq; ideo interpretationē hoc in loco apposui, vt Aristotelis studiosi videant & perpendant quid viri illi hac de re sensisse videntur. Afferunt igitur illi duplicem in ipsa memoria fieri deceptionem vt videatur esse memoria, cum tamen non sit. Et vno quidem modo quando consentire videtur anima, q̄ hoc videlicet fantasma Socratis est imago, cum non sit Socratis, sed (verbi causa) Platonis, qui Socrati est similis. Credit igitur tunc meminisse, & tamen non meminit. Non solum autem, inquit, si circa fantasma fiat deceptio, non est memoria: sed etiam si circa locum & tempus: vt si ante elapsum mensem mihi hoc in lycio accidit, ego autem in præterita hebdomada in Academia id mihi contigisse existimem: neq; hoc sanè est memoria: & sic hoc fit modo deceptio & error. Altero autem modo quando neq; circa tempus, neque circa locum deceptio fit & error: sed cum solummodo non considerat quispiam quod meminit. Quē admodum enim sapius cōsiderantes de aliquo, & intente contemplati, haudquaquam percipimus illa & animaduertimus quæ nobis ante oculos obuersantur: pari contingit modo quempiam rei cuiusdam memorantem non considerare quod meminit, propter alium quempiam vehementiorem animi motum. Quo in casu dormienti sanè is non immerito assimilari videtur, qui somnia quidem videt & versat: non sentit autem se dormire, neq; somniare percipit & animaduertit. Afferunt autem literam in textu illam, Si autem istuc non agens existimauerit meminisse: primum deceptionis ostendere modum circa ipsam memoriam, illam vero quæ dicit, Operantem autem memoria, non existimare, sed latere se recordari: declarare secundum deceptionis modum. Hoc enim est ipsum meminisse, id est, hoc est igitur memoria, non latere memorantem, sed scire & percipere quod meminit. Non igitur est, inquit, memoria & reminiscētia, si motus rei fit sine temporis motu, aut temporis motus sine motu rei: sed oportet quod tam rei quàm temporis motus sibi inuicem proportionaliter quadrent, neque separati à se inuicem existant.

Antipheron
Oreites.

Themistius.
G. Ephesius.

Memoria autem & reminiscētia non solum tempore differunt: verum etiam quia memoriæ quidem complura aliorum animalium participare videntur: reminiscētiæ autem nullum sanè ex cognitis animalibus (vt ita dicatur) præter hominem. Huius autem causa, quoniam reminiscētia tanquam ratiocinatio quædam est. quod enim

ante audiuit vel vidit, vel quippiam huiusmodi passus sit is qui reminiscitur, ratiocinatur: & hoc veluti quæsitum est quoddam: id autem solis ijs contingit quibus à natura consultandi inest facultas. Porro consultatio ratiocinatio quædam est.

Inter memoriam & reminiscentiam ostendere nobis studens distinctionem differentiamque philosophus, dicit non solummodo tempore illa distingi & esse diuersa: tempore namque prior est memoria, posterior vero reminiscentia, cum memoriæ renouatio & sit & esse dicatur ipsa reminiscentia: sed etiam quia solus inter omnia animalia reminisci censetur homo. Quam rem præsentem in textu philosophus hoc ostendit modo: Cui reminiscentia inest, illi profecto ratiocinandi inest vis & facultas. **10** Quemadmodum enim ille qui syllogismo vtitur, aliam propositionem post aliam colligere videtur: ita ille qui reminiscitur, minora maioribus colligit & comprehendit. Ratiocinandi igitur vis quædam reminiscenti adesse videtur. Cui autem ratiocinandi inest vis, eidem certe inest etiam vis & facultas quærendi. Qui enim ratiocinatur, syllogismoque vtitur quippiam inuestigans & quærens, discursu uti quodam animaduertitur. Cui vero quærere conuenit, illi & consultare & deliberare naturaliter inest. Qui consultat enim, quærit sanè quidnam sibi expediat facere. Cui igitur inest reminiscentia, eidem certe consultandi inest facultas. sed solus inter omnia animalia consultare & deliberare dicitur homo, cum solus ratione vtatur. Solus igitur homo inter animalia omnia reminisci censetur. Et hæc certe est vera & legitima inter memoriam & reminiscentiam differentia.

Quod solus inter animalia homo reminiscitur.

20 **Q**uod autem istuc, corporea quædam sit passio, & in eiusmodi fantasmate reminiscentia sit inquisitio, id sanè declarat, quod plerique commouentur cum reminisci nequeunt: & licet cogitationem valde inhibere, & non amplius reminisci contentant, nihilominus: quod potissimum melancholicis accidit. Hos enim fantasmata excitant maxime.

Post assignatam (vt visum est) inter memoriam & reminiscentiam distinctionem, & naturæ differentiam, ostendere nobis philosophus volens in quonam corporis sensiterio ipsa fiat reminiscentia, & cuiusnam dicatur esse passio: à literæ statim principio affirmat illam esse corpoream passionem. Cum enim ipsum reminisci ad cogitatuam animæ spectet vim (vt retro est declaratum) consultare namque mentis & intellectus est, cuius etiam est reminisci: cumque sine fantasia opera istuc effici non possit: anima enim ea quæ in corde sunt simulacra mouens & excitans, quæ fantasia nomen & vim habent, reminisci censetur: valde profecto accurate & commode reminiscentia corporea à philosopho appellata est passio. ipsum enim cor, & in eo commorantem spiritum, in quibus simulacra illa & species quodammodo inesse dicuntur, mouens & excitans animus, reminiscentiæ in nobis est causa: & iccirco reminiscentiam dixit inquisitionem & inuestigationem esse fantasmatis in eiusmodi corpore existentis. Quemadmodum enim si quispiam Ciceronis orationem legere velit aliquam, ex orationum illius commentarijs literas prius quærit inscriptas: ita cogitatuæ vis animæ facere videtur. Cor namque ipsum chartæ habet loco: fantasmatis vero vt literis vtitur: ipsa autem legentis obtinet vicem. **30** Quod autem corporea sit quædam passio ipsa reminiscentia, euidens est, inquit, signum quod nonnulli commouentur & conturbantur cum reminisci volentes id consequi nequeunt. multum enim diuque laborantes in illarum disquisitione imaginum, agitantur certe & commouentur: volentesque postmodum huiusmodi disquisitionem inhibere & compescere, neque amplius quærere, haudquaquam ab æstu illo, excitæque cogitationis salo cessare possunt. Quâuis enim cogitatio cesset illa, & inquisitio deponatur, ea tamen quæ comota sunt idola, illi vexant, & male habent: imò vero illi etiâ interdum magis afficiunt, & acius multant: vt famis tempore esurientem afficit magis & conturbat abstinentia cum à præparatis appositisque escis abstinere, & se inhibere contedit. Quâobrem in talibus reminiscentiæ disquisitionibus simile quiddam pati videtur quale in contemperationibus & vehemētibus mētis cogitationibus sanè patimur. Sæpius in huiusmodi constitutionibus accidit nobis quod cum aliquod nomen siue carmen crebro & vehemēter protulerimus, postmodum vero à cogitandi opere cessauerimus, & ab illa prolotionis assiduitate vacauerimus, ita quod neque amplius illud proferamus, neque proferre intēdamus, vt sæpius velimus nolimus illud **40** nobis occurrat: neque solum in mētem cogitationemve, sed in os etiâ veniat, & præsto sit. Quemadmodum igitur in ijs, sic & in reminiscentijs contingit. Cessantes enim, & mentem ipsam siue cogitationem compescentes, neque amplius interdum reminisci volentes, nihilominus molestant nos motus illius, & vndique occurrere videntur, coguntque nos ad se conuerti. Hoc autem nullo fieret modo nisi isthæc corporea esset passio. nihil enim incorporeum de ipsius sententiâ mouetur. Moto enim corde, aut humore

Nihil incorporeum moueri de philosophi Aristotelis sententiâ.

Melancholicos
in iugi motio-
num versari
salo.

qui est in corde (nihil enim refert vtro dicatur modo) in eo quod quærimus reminisci, non de facili postmodum quiescit & consistit illa agitatio. Maxime autem commoueri & conturbari melancholicos dicit philosophus, quoniam ea corporis cōstitutio, & is habitus bene & facili est mobilis. Cum enim huiusmodi complexionis homines in multa iugiq; versentur motione, vt in sequenti de somno & vigilia dicit commētario: melancholia nanq; est abundantis & multi necnon crassi spiritus cōmotio: quando in illis motum fuerit fantasma, acruatim illico excitantur & ruunt alia propter superfluentem in illorum spiritibus & cordibus repertum humorem bene & facili ter mobilem, & leui de causa exagitari natum: quæ postmodum fantasmata cogitatiuæ vim animæ molestania, & veluti pungentia & vellicantia, etiam si se compefcere ab vltiori disquisitione studeant illi, non sinit, neque quiescere patiuntur.



Quòd autem non in ipsorum arbitrio sit reminisci, in causa est, quòd sicut iaculantes arbitratu suo telum sistere nequeunt, ita reminiscentiam exercens & inuestigans, corporeum quiddam mouet: in quo est passio. Molestantur autem maxime quibus humiditas circa sensitium locum esse contigerit. non enim facili excita à motu cessat, nisi quod quærebatur occurrit, & commotio dirigatur.

Hoc etiam in textu nos docet philosophus corpoream quandam passionis qualitatem ipsam esse reminiscentiam, quoniam in nonnullis exciti motus, non ponuntur neq; sedantur facili. Dicit enim quòd in illorum non est potestate reminisci, vbi non est intelligendum (vt arbitror) illud quod sonant verba, quòd scilicet in illorum non est potestate reminisci cum voluerint. id enim hoc in loco ad propositum non facit: & retro hac de re sufficienter est pertractatum: sed est ac si dixisset, non facili cessare possunt semel propter reminiscentiam commoti & exciti: neque in illorum est arbitrio motiones illas semel agitas & excitas cōponere & sedare. Cuius sanè rei cum similitudinis perspicuitate causam statim profert. Nam sicut, inquit, in proiectionum arbitrio & potestate non est post proiectum lapidem, illum reuocare, & cessare facere: principium enim illi motionis præbentes, illa ab eo amplius remouere non possunt, sed velint nolint iter inceptum prosequitur lapis: ita reminiscentis animus vna excitata imagine, à qua multæ postmodum nullo suscitatur negotio, illarum haudquaquam compefcere & inhibere cum vult potest motiones. Ex quo corporeum quippiam in reminiscendi opere interuenire certissimum est: & reminiscentias corporis cuiusdam esse passiones, vero est consentaneum. Hac autem in re molestari maxime melancholicos dicit: quod in præcedenti etiam dixerat textu: huiusmodi in præsentia addens rei causam, quam non adduxerat retro: nos vero illam explicauimus: quãobrem illa in præsentia non repetimus, cum alioqui litera ipsius clarus sit contextus.

Hanc ob causam timores & iræ cum exciti fuerint, contra mouentibus rursum illis, non sedantur: sed ad idem contrariò mouent: similisq; sanè est passio nominibus & melodijs & orationibus cum illorum quippiam intentè ore profertur. Cessantibus enim, & pergere nolentibus, rursum canere occurrit, aut proferre.

Ira.
Timor.

Quòd reminiscentiæ, vt timores & iræ, corporeæ sint passiones, rursus hoc in textu ostendit & docet Aristoteles. Cum enim ira sanguinis circa cor sit ebullitio & feruor: timor autem eiusdem sit constrictio sanguinis in ipso corde, & veluti delitescencia quædam & recessus: quæ ambæ sanè affectiones patiente quippiam fiunt corpore: quamobrem non immerito corporeæ censentur esse passiones: & retro etiam ostendisset philosophus cur ille qui alicuius reminisci querit rei, haud facili sedare & cōpefcere potest excitos inde motus, qui velit nolit sepius procedunt, & tumultum efficiunt, illucq; male habent: cum supra memorata inquam dixisset philosophus, hoc adducit in loco quam ob causam neq; ira conciti, neq; timore consternati à suis affectionibus facili cessare possunt, & ad priorem mentis statum deduci: vt ex hoc etiam id quod principaliter intenditur, sit ostensum. Dicit igitur, cum exciti fuerint timores & iræ, id est quando feruorem vel illius contrarium sanguis qui circa cor est, passus fuerit, ipsum commouent conturbatq; cor, & feruescere aut frigescere illud quodammodo faciunt: quamobrem non ex facili illæ desinunt cessantq; motiones. non enim facili feruescens aut algida effecta sanguinis natura ad priorem reducitur habitum. sed ad idem, inquit, contrariò mouent, id est, sed efferuescens ab ipso sanguine cor e contrario in illum agit, & cōcalescere facit magis. Excalfactus autem sanguis vicissim cordis auget feruorem. Cum enim solidius & cōpa-

Etum magis corpus sit cor, tum calefcit magis, tum feruorem suum diutius retinere conseruare que valet quam sanguis, aut illius spiritus. illa nanque ambo cum rariora sint, & incalefcant cito, calere etiã desinunt cito. Cuius contrarium propter eam quam adduximus causam, ipsi accidit cordi. Subdit postmodum philosophus quod huiusmodi passio quæ in reminiscentijs cernitur, necnon in timoribus & ira, assimilatur planè melodijs & carminibus quæ concinuntur, siue prolatis nominibus, & sæpius pronunciatis. In ijs enim cum quippiam magna & assidua mentis vocisq; cõtentione proferatur aut canitur, etiam cum cessare & desinere volunt illi, haudquaquam id posse facere percipiuntur, sed velint nolint in illis sæpenumero eiusmodi perdurant perstantq; motus. istuc autè iccirco, quoniã imagines illæ & rerum simulacra sæpius excitata, iugi postmodum motione agitantur, & in organo commouentur corporeo.

Vnt autem qui superiores corporis partes maiores habent, & qui pomilionibus sunt similes, minus ad memoriam apti ijs qui cõtuario se habent modo: quoniam in sensitiua parte multum grauitatis habent. Neq; enim motiones à principio consistere possunt, sed dissipantur: & in reminiscendi opere eadem non facile recte procedere queunt. Prima quinetiam ætate pueri, necnon valde senes propter motum memoria minus valent. ij nanque in multo sunt decremento: illi vero in multo augmento. Et alioqui valde pueri ad multam sanè ætatem pomilionum speciem referunt. De memoria igitur, & ipso memorari, quænam illorum sit natura, & qua animæ parte meminerunt animalia, & quidnam ipsum sit reminisci, quòve fiat modo, & quam ob causam, iam dictum est.

Quod in hoc dicitur textu, cum ferè clarum sit, & omnibus peruium, breuiori profecto explanationis lumine indigere videtur. non bene enim memorari dicit illos qui supernas corporis partes amplas habent, maiorésq; & crassiores infernis partibus. Hoc autem iccirco, quoniam supernum in illis organũ à materiæ multitudine crassitudinèq; oppressum est & aggrauatum: & hanc ob rem sensilium in illis motiones diutius permanere nequeunt: sed humiditatum copia crassarum confusarumque intereunt & dissipantur. Pomiliones quinetiam ipsi, quos nanos vocant, cum eiusmodi corporum habeant conformationem, talem nimirum naturæ in se habere defectum animaduertuntur. hebetes enim sunt, & obliuiosi: neq; memoriæ quippiam mandare, neq; bene reminisci possunt. Illud autem, Valde pueri ad multam sanè ætatem pomilionum speciem referunt: id sanè valet, quod valde pueri non solũ quia in multo iugiq; sunt augmẽto, & vehemẽti humorum motu, non bene sunt memoratiui, sed etiam aliam ob causam id illis accidere videtur: quoniã scilicet valde pueri pomilionum speciem referunt, & natura sunt nani, id est, supernas corporis habent partes infernis vastiores & crassiores, vt omnibus palam est. Cur autem (quod huic sermoni oppositum esse videtur, cum non sit contrarium) tenacissimi (vt aiunt) sumus eorum quæ prima ætate & à pueris didicimus, alia profecto causæ censetur esse ratio: quam cum in physicis quæstionibus nostris explicauerimus, hoc illam in loco sanè reticendam duximus, cum alioquin ad præsentium explanationẽ nihil facere videatur. Post hæc dicta philosophus breui sanè & claro epilogo (vt sui moris est) quæcũq; de memoria & reminiscẽtia retro pertractauit, perspicue colligit, eaq; cõtstringit & claudit.

Pomiliones
nani.

FINIS.

N. LEONICVS THOMAEVS LV.
CAE BONFIO S.



Imonides Cous, Luca Bonfie, vir præsentis ingenij, & inter melicos poëtas elegantissimi, cū aliquando in symposio hospitem inter colloquentes alios tacitum, & nulli verba conferentem discumbere animaduertisset, ad illum conuersus, Hospes, inquit, si quidem insipiens es, sapienter profecto facis: Si vero sapiens es, insipienter sanè & inhumane agere videris. Neq; hoc immerito mehercle. æque enim (vt arbitror) culpandos iure esse illos existimabat qui quæ penes se habēt bona, quibus multi nullo impendio iuuari possunt, ingrato, ne dicam inuidio premunt silentio: & qui cum nihil ex culti eruditiq; habeant, præposterō tamen mentis iudicio semper garriendo insulsitatem ignorantiamq; suam, quæ non ab re Heraclitus vel maxime oculenda esse dixit mala, famæ rumusculos aucupari credentes, in vulgus proferre & propalare contendunt. Quorum cum magnam sanè copiam & in re literaria, veluti in triticea messe auenarum & lolij prouentum superiora tulissent tempora, non immerito vsu euenit vt in laudabilium cum præceptorū, tum librorum & studiorum sterilitatem & inopiam, auorum & patrum etiam nostrorum inciderit ætas: cum quibus satis belle sanè tunc agi videbatur, si duorum aut trium celebrium autorum, quorum opera bono quodam & felici fato siue casu aliquo temporum illorum iniuriam effugerant, nomina perdiscere, & commentarios vtcunq; lectitare illis contigisset. Ita enim omnia Barbarorum non minus armis quàm libris ea tempestate præuenta & occupata erant, vt nullus in Italia reperiretur locus qui politioribus literis sedem confugiumq; præstare posset. Neque id tantum humanioribus contigerat studijs (leuior enim vnica in re certe fuisset iactura) sed Dialectica, Geometria, Arithmetica, Musica, Ars medica, ipsaq; denique bonorum omnium parens &ATRIX Philosophia, temporū vitio barbarare & inepte loqui didicerant, nomenclaturæq; maiestatem, & rerum peritiam duro & incondito elocutionis stylo dehonestauerant. Verum deo fauente maximo, ab Orientis aliquando plaga afflictis & penè deploratis artibus primum luminis affulsit iubar, felicitq; sortis euentu Græcia iam pridem præceptores nobis trāsmisit & libros: à quibus postea annis voluētibus isthæc satis exulta & illustrata ætas in nullo non studiorum genere planè profecisse videbatur, antiquorumq; insistentis vestigijs, explosa iam & deturbata barbarie, præclarum latinitalis cultum induere cœperat: cum ecce ex transuerso sæua bellorū rabies, & horrendi tumultus vniuer-

LV.
sam ferè concussere Italiam, peruijsq; Alpium limitibus hinc Galli & Hi-
spani, inde Theutones & effera Germanorum natio vniuersum transpa-
danum Venetiæq; tractum magnis exercitibus occupauere. Qua certe re-
rum tēporumq; constitutione cum alia multa quæ pacis tempore vigēt &
coalescunt (vt par est) apud nos defecere, tum studia etiam omnia & artes
planè pessum iēre, adeo vt nisi quis illas posthac propitius respiciat deus,
in maximo res sit metu ne bonæ artes in profunda rursus demersæ caligi-
ne per longa postea tēporum curricula delitescāt. De Platonis enim sen-
tentia nihil æque disciplinis & studijs officere solet, ac pestilentia & bel-
la: quæ certe vtraq; cum per hos annos passim debacchentur & sæuiant, il-
lorum etiam euenta non immerito expectanda contenderim. Verùm hæc
in fatis iacent: quorum neq; Dij (vt aiunt) ipsi necessitatem superare pla-
nè possunt. Nos vero, Bonie humanissime, qui neq; per ætatem, quæ iam
grauis esse cœpit, neq; ex prioris vitæ instituto aliud quippiam in præsen-
tia agere possumus, quātum nobis conceditur, animum a dura temporū
seuocātes memoria, vt nobismet ipsis quoad dabitur viuamus, in studijs
certe viuimus, & cum legendo, tum scribēdo otia conterimus, & hoc tan-
tum negotio tempus fallimus: expletisq; iam commentarijs de sensu &
sensili, necnon de memoria & reminiscētia, illos de somno & vigilia, quos
tibi dicauimus, sedulo contexebamus. Vale.

IN COMMENTARIOS DE
SOMNO ET VIGILIA.



DE somno autem & vigilia, quænam sint, perscrutandum est: & vtrum propria sint animæ, an corporis, an communia: & si communia fuerint, cuiusnam sint partis, corporis ne, an animæ, & quam ob causam animatibus insunt: & vtrum ne omnes vtriusq; participes sint, aut eæ quidē alterius tantum, illæ vero alterius: vel eæ quidem nullius, illæ vero vtriusq;. Præterea etiam quidnam sit somnium: quàmve ob causam dormiētes aliàs quidem somniant, aliàs vero non somniant. An dormientibus quidem semper accidit vt somnient: verum non recordantur: & si hoc fit, quā ob causam fiat. Præterea vtrum ne futura prævidere contingat, an non: & si contingat, quonam id contingat modo: & vtrum ea quæ ab hominibus effici debent, an illa quorum dæmonium est in causa: & quæ natura fiunt, aut casu.



Post commētariolū de memoria & reminiscētia, non ab re naturali quodam doctrinæ ordine Aristoteles commentarios de somno & vigilia & de somnijs nobis tradere voluit, quoniam cum in istis (vt aliquoties dictum est) paruorum naturalium libellis de communibus quibusdam animæ & corpori proprietatibus sensuum opera consequentibus pertractare decreuisset, & in priori de memoria commentario de eisdem verba fecisset, verum quæ magis ad animam quàm ad corpus vergerent, animalibusq; tantum conuenirent perfectis: in ijs quos in manibus habemus commentarijs, de communibus etiam sibi loquendum duxit proprietatibus sensuum consequentibus, ijs tamen quæ cum corpore magis faciant, & ex illius esse parte cēseantur, & alioquin vniuerso animantium competunt generi. Huiusmodi autem sunt somnus & vigilia, & somniorum etiam visa, & si qua ex ijs prædici prænosceve possunt. Proponit autem à principio statim ad clariorem dicendorum doctrinam, ea de quibus est verba factururus: quæ quoniā satis patent, & nullo explanationis splendore indigere videntur, ideo consultò illa nunc præterire decreui: cum alioquin (vt arbitror) non minus reprehensionis merito incurrere videantur illi qui perspicuis clarisque rebus præpostere lucem conantur dare, cum sæpius etiam illis officiant: quàm qui obscuras res & implicatas sicco (vt aiunt) pede pertransire & transmittere festinant. Illud autem obiter non tacuerim, in vniuerso tam variæ tamq; late patētis propositionis ambitu, in exemplaribus græcis Atticorum more principale desiderari verbum, quod sanè subintelligi oportet, dicendum est: aut, consyderandū est: quod latini interpretes à principio statim non immerito addidere, cum latina lingua huiuscemodi constructionis non admittat vsum. Sed & illud etiam animaduertendum esse censeo, cum dicitur: An dormientibus quidem semper accidit vt somnient: non esse scilicet solutionem illius quod statim ante dubitando prolatum est, sed enunciationem & expositionem quandam. Nam istuc etiam est in quæsitis, & illa de re postmodū pertractabitur. Nam illud, An quorum dæmoniū est causa, iccirco dictum est, quoniam ex nonnullorū (vt videbimus) sententia, somnia à dijs hominibus mitti, magna assertione confirmatū est: & licet non omnium quæ hominibus appareant, plurium tamen insomniorum, & eorum præcipue quæ ponderis aliquid habent, & prædictionem, dæmonium esse in causa, non contemnendi philosophi voluerunt.



Pincipio igitur hoc palàm est, quòd eidē animalis parti vigilia inest & somnus. opposita nanq; sunt, & vigiliæ somnus priuatio quædam esse videtur. Sæper enim extrema cum in alijs, tum

in ipsis natura constantibus, in eodem quod illorum sit capax, fieri videntur, & eiusdem esse passiones. dico autem ut sanitatem, & morbum: pulchritudinem, & deformitatem: robur, & imbecillitatem: visum, & cæcitatem: auditum, & surditatem.

Propositum est philosopho hoc in textu quod illius sanè partis passio est somnus, cuius etiã dicitur esse vigilia. Non enim per aliã quidem partem, verbi causa per cor fit somnus: per aliã vero, videlicet per cerebrum fit vigilia, sed in vna & eadem numero parte ambo fieri cõsentur. cū enim somnus & vigilia sint cõtraria, circa idem subiectum certe non simul, sed successiue fieri nata sunt. Huiusmodi enim cõtrariõrum natura esse cõsetur. Postquã autẽ ex contrarietatis natura, cuiusmodi somnus & vigilia esse videtur, in vna & eadẽ numero parte ambo fieri nobis ostendit philosophus, consequenter quãnam illa sit pars, nobis insinuat. Ultima autem & extrema hoc in loco cõtraria vocat quæ sunt ad aliquid, & omnino opposita omnia. Illud autẽ, cum in alijs, tũ in ipsis natura cõstantib⁹, est ac si diceret, in naturalibus, & in ijs quæ arte cõstant. In quo enim arte constantium est harmonia siue consonantia, in eodem sanè illo est dissonantia: & in quo est ordo siue compositio, in eodem inordinatio & dissolutio esse perhibetur. Quamobrem in quo etiam est somnus, in eodem ipsa est vigilia. Contrariantur enim huiusmodi ut habitus & priuationes: ut paulopost videre cõtinget. Istuc autem per inductionem similitudinẽ in alijs rebus sumptam ostendit Aristoteles.

Ræterea ex ijs etiam est manifestum. qua enim re vigilantẽ animaduertimus, eadem sanè dormientem. illum etenim qui sentit, vigilare arbitramur: vigilantemq; omnem vel extrinsecam sentire, vel aliquam in seipso motionem. Si igitur vigilare in nullo alio est quã in sentiendi opere: manifestum profecto est quoniam qui sentit, hoc vigilat & dormit quodcunq; dormit.

Hac etiã rationis via probat Aristoteles quod in ea parte in qua est vigilia, somnus etiã reperitur. hoc autẽ modo procedere videtur ratio, credim⁹ & pro certo tenemus illum qui sentit, vigilare: & omne id quod vigilat, sentire arbitramur vel aliquã internã in semet motionẽ, vel externã aliquã motionis speciẽ. sunt autẽ internæ quidẽ motiones, intelligere, discurrere, fantasia uti, huiusmodiq; alia pleraq;. Externi autẽ motus illi sunt qui à sensilib⁹ fiunt rebus extrinsecus nos mouentib⁹. Si igitur vigilia nulla alia in re suã habet esse nisi in sensilib⁹ cū internis, tũ externis: manifestum sanè est quod qua animalia sentiunt parte, illa etiã vigilię munij perfungentur. Si autẽ hoc res se habet modo, palam etiam est quod illa stertunt animalia. Dormient igitur & vigilabunt eadem animalia parte: neque hoc ab re. In quo enim vnum est oppositorum, in eodem etiam reliquum reperitur.

Qui interni sunt animalibus: & qui externi motus.

Quoniam autẽ neq; animæ proprium sit sentire, neq; corporis: cuius enim est potestas, eiusdem etiam est actus: is autem qui vocatur sensus ut actus, motio quãdam corpore medio ipsius est animæ: manifestum sanè est quod neq; propria animæ huiusmodi est passio, neq; inanimatum corpus sentire quippiam potest. Cum autem in alijs determinatum sit de ijs quæ veluti animæ appellantur partes, & quod altrix quidem potestas à reliquis seiungi potest, aliarum autem nulla absque illa esse potest: manifestum profecto est, quibuscunq; aliarum animalium sola insunt incrementa & decrementa, illis somnum & vigiliam haudquaquam inesse, ut stirpibus. Non enim sensitivam habent partem, siue separabilis sit illa, siue inseparabilis. Potestate enim & essentia separabilis est.

Cum dixerit retro philosophus quod qua vigilant animalia parte, eadẽ etiã dormire cõsentur: ex hoc cõsequenter colligit quod neq; solius est animæ vigilare & dormire, neq; corporis solius, sed compositum videlicet & cõstitutum ex anima & corpore. Ad hoc autem ostendendũ dicit: Cuius enim est

k.j.

potestas, eiusdem etiā est actus. Quo enim valemus videre vel audire, vel scribere, hoc nimirum operamur & agimus. Quāobrem conuertentes verum etiam erit dicere, quo scilicet operamur, eo certe possumus & valemus. Sensus autem actu, neque corporis est de per se, neque solius animæ, sed coniunctim animæ & corporis. Siquidem sensus actu, motus est in anima factus ab extrinsecus sensilibus, intercedentibus sensiterijs: vt in cōmentarijs de anima sufficiēter est pertractatum. Si autem res hoc se habet modo, manifestum sanè est quod neque animæ propria est sentiendi passio, neque ipsius corporis. Si autem neutrius istorum separatim, sed coniunctim amborum, palàm certe est quod vigilare & dormire non est alicuius istorum separatim, sed amborum coniunctim. Illud autem, siue separabilis sit illa, siue inseparabilis: idem est ac si diceret, siue separabilis sit sensitua animæ vis ab altrice subiecto, quemadmodum separabilis est ratio, siue non, eadē valet ratio. Quod enim aliud ratione est sensitiuū à nutritiuo, clarissimū sanè est. Si autem subiecto etiam separetur, non adeo omnibus palàm est. Plato enim voluit illa à se inuicem separari: & altricem quidem animæ vim in iocinore siue hepate esse: sensituiam vero in corde. Siue igitur subiecto separabile sit nutritiuū à sensitiuo, siue non, istuc sanè in confessis habetur, ratione & suapte natura aliud esse sensitiuū à nutritiuo. Quod autē nutritiua animæ vis à reliquis eiusdē potestatibus separari possit, cū illæ haudquaquā à nutritiua disungi queāt, abunde & sufficiēter in cōmentarijs de anima est pertractatū. quod hic etiā cursim tēgit, dicēs stirpiū gen⁹ haudquaquā somni & vigilię participare, cum sensu careāt, & solitariā nutritiue animæ habeāt potestātē.

Similiq; modo quod nihil sanè est quod semper vigilet, aut dormiat semper, sed iisdem insunt animalibus vtræq; eæ passiones. Nulli enim animali sensu prædito neque dormire, neque vigilare contingit. Nāq; istarum vtræq; passionum in primi sensitui collocatur sensu: sed neque horum contingit alterum eidem semper inesse, vt animalium aliquod sit genus quod semper dormiat, aut semper vigilet.

Hoc in loco ostendit Aristoteles quod omne quod vigilat, aliquando etiam dormire videtur: & omne quod dormit, interdum etiam vigilat. Nullūq; sub lunæ orbis complexu reperitur animal quod vel semper vigilet, vel dormiat semper: sed vicissim eæ sibi inuicem in animalium genere succedunt passiones. Illud autem, Nulli animali sensu prædito & c. signare vult quod nullum profecto est animal quod vtriusq; ijs priuetur & careat, ita vt neque vigilet, neque dormiat. istuc enim ijs quæ anima carent, peculiare & proprium esse censetur. inanima enim neque dormire, neque vigilare dicuntur. omne autem animal (vt demonstrabitur) vicissim dormit & vigilat. Cum autem dixit quod nullum est animal vtriusq; ijs carens passionibus, huius statim rei subdit causam, dicens: Nāq; istarū vtræq; passionum & c. Passiones vocans vigilare & dormire: primum autem sensitiuum, animā ipsam sensituiam, quæ sanè in corde collocari dicitur, quemadmodum in alijs est ostensum. Si igitur vigilare & dormire primi sensitui sunt passiones, nullum profecto reperietur animal quod ijs careat, & neque dormiat, neque vigilare percipiatur. à sensituiam enim anima characterem animalia omnia habent suum, & huiusmodi esse censetur.

Quid primū
sensituum.

Ræterea quæcunq; natura aliquod exercent opus, quando id excesserit tempus in quo quippiam facere possunt, lassescere illa, & ab opere cessare necesse est: vt oculi contuētes: pariq; modo manus, reliquaq; omnia quæ aliquid operis habent. Itaque si sentire rei cuiuspiam est opus, illudq; planè omne excesserit tempus in quo continue sentire potest: deficiet profecto, neque id amplius faciet. Cū igitur ipsum vigilare præscriptum sit eò, quod soluti sunt sensus: contrariorum autem alterum quidem necessario adest, alterum vero non: vigilare vero & dormire, contraria: & omnibus alterutrum inesse necesse est: summa profecto erit necessitas dormiendi.

Animaduertendum est quod huius textus alia etiam reperitur litera, quæ hoc se habet modo: Amplius quorum est aliquod opus secundum naturam, quando superauerit tēpus in quo potest aliquid facere & c. sed vtriusq; eadē est sententię series. Vult enim per hæc verba nobis ostēdere philosoph⁹ quod omne quod vigilat, necessario etiā dormit: neque fieri posse vt animal aliquod semp

vigilet. Ad hoc autē ostendendū huiusmodi prius sumit dignitatē & certissimā propositionē, quæ cunctis scilicet natura aliquod exercēt opus, quādo id exceſſerit tēpus in quo quippiā facere possunt, id est illud naturale suū opus, laborare & lassescere illas necesse est, neq; ulterius procedere posse. cū autē ultra procedere nequeat, cessare illa & quiescere necesse est. Istuc autē in singulis rerū inspicietibus manifestū sanè esse videtur. Tumēta enim sarcinas per aliquod præfinitū cum tēporis tum spatij intervallū portare valēt: si quis autem ultra id ferre illa cogat, nihilo plus proficiet. cadent enim, & humi procūbent, neq; vi aliqua aut verberibus cōsurgere poterunt. Parīq; modo in omnibus non solum arte, sed etiam natura constantibus animadvertere licet. Agens namq; omne præfinitos & terminatos actionis suæ fines & terminos habet, ultra quos haudquaquam amplius agere potest: actionūque præfinita & constituta habet temporis spatia: quæ si coactum, aut sponte sua exceſſerit, defatigari, & ab opere cessare illud, summa est necessitas. Cū igitur in omnibus hoc se res habeat modo, manifestū sanè est quod in vigilandi opere sic se habebit, cum operatio quædam & actio ipsa sit vigilia. præfinitū igitur temporis excedēs modū in vigiliæ opere, animal defatigatur & cessat, & in illius nimirū contrarium delabitur, id est somnū. Cæterū cū cōtrariorum inter quæ non est mediū aliquod, aut quæ se ut habitus & priuationes habēt, si alterū non adest, necessario adesse alterum dicitur: vigiliæ autē cōtrarius est somnus: nō ab re altero absente, adesse alterum necesse est. omne autē quod vigilat, necessario etiam dormit. Quamobrem nullum est animal quod perpetuū vigilet. Hæc igitur vniuersa literæ est sententia, quæ quo ad partes suas satis clara est, neq; alia indiget expositione.

Omne agens
præfinitos ac
ctionis suæ
habere terminos.

S igitur huiusmodi passio est somnus: is autē ob vigiliæ superfluitatē imbecillitas est quædam: porro vigiliæ excessus aliàs morbi gratia, aliàs sine morbo fit: quare imbecillitas & dissolutio similiter se habebit: necesse sanè est omne quod vigilat, etiā dormire cōtingere. Sæpe enim operari haudquaquam potest. Similiq; modo nullū semper dormire cōtingit animal. Sōnus enim quædam sensitivæ partis est passio, quasi vinculū quoddam, & immobilitas. Quāobrem omne quod dormit, sensitivā habere partē necesse est. sensitivū autē id est quod actu sentire potest. Ut autē per sensum proprie & simpliciter agat dormiēs animal, fieri nō potest: iccirco experrectilis necessario omnis est somnus. Et alia quidē animalium omnia ferè genera, cū natātium, tum volucrum & pedestriū, somni participare videntur: pisciumq; genus omne, necnō quæ mollia appellātur, dormire conspectū est: & omnia sanè quæcūq; oculos habent. Quinetiam ea quæ duros habēt oculos, & insecta etiā dormire certū est, quāvis eiusmodi omnia brevioris sint somni: quapropter vtrum dormiant necne, nos sæpe latet. Quæ autem ostreaceum habēt tergus, an dormiant, sensu adhuc nō est compertum. Quod si cui proposita verisimilis videtur ratio, illi sanè assentiri poterit. Ex ijs profecto manifestum est quod in somni opere animalia cōmunicant omnia. siquidem eo quod sensum habet, omne circūscribitur animal. Porro sensus quodammodo immobilitatem, & quasi vinculum esse dicimus somnum: huius autem relaxationem & solutionē, vigiliā. Stirpium autē genus nullum harum est particeps passionum, cum absq; sensu neq; somnus insit, neq; vigilia. Quibus vero adest sensus, ijs profecto & contristari inest, & in voluptate esse. quibus vero hæc adsunt, ijs & appetentia inest. stirpibus autem nihil horum inesse videtur.

I N hoc literæ cōtextu ostēdere intēdit philosophus quod somnus & vigilia omnibus insunt animalium generibus, cum sensu ipsorum sint passiones, à quibus animalia characterē sanè capiūt suū, & eiusmodi esse cōsentur. Cōsequētiq; doctrinæ modo etiā declarat, stirpiū genus omne, cū sensu careat,

A sensib? animalia characterem accipiunt.

Quomodo su-
perfluentes
cum somni-
um vigiliae &
in morbis &
sine morbis
fiant.

Quod pisces
dormiant.

Plinius secun-
dus.
Piani appella-
ti pisces.
Thynni.
Molles pisces.
Cancrorum ge-
nera.
Ostreacea.

neque somnum etiam neque vigiliam in se prorsus recipere. Vbi animaduertendum esse cenfeo quod a prin-
cipio statim ipsius textus interpositio quaedam est, quae sensum distinguere & discōtinuare videtur: cō-
ueniens autē illius cōsequutio est huiusmodi: Si igitur huiusmodi passio est somnus, necesse est omne
vigilās dormire. Alia vero quae cōtinenter leguntur, in medio sanè sunt cōiecta, quae huiusmodi in-
dicare videntur sententiā: Cum quippiā propriā excefferit potentiā per quā vigilare potest, nimirū
deficit, & à vigiliā cessat opere. Quoniā vero nōnulli consuetū vigiliarum tempus aliquādo excedere
videntur, & vltra proprias etiā vires vigilādo perseverāt: quidā enim sex aut septē etiā dies adiunctis
noctib⁹ vigilādo trāsmiserunt, aut morbi alicuius causa, aut etiam sine morbo, vt ipse scribit: nōnulli
enim propter enectā & macilentā corporis habitudinem nimiāq; siccitatem etiā line aegritudine lō-
gas perferre possunt vigilias: non immerito ipsius vigiliā impotentia etiā, quā imbecillitatem dici-
mus, id est somnus, vltra cōueniens extendi & produci potest tempus, cum morbi causa, vt in lethar-
gicis est videre: tū etiā nullo existente morbo, sed ex corporis ipsius habitu, vt in pueris ob superfluē-
tem humorum abundantiam & copiā: quae tamen vtraq; vel ad cōtraria sua sunt cōmutata, somnus
quidem ad vigiliā, vigilia autem ad somnum: vel in quibus perseverāter durauerunt: mortis & corrup-
tionis illis sanè fuerunt causae. Cum istuc (vt dictum est) hoc declarauit modo Aristoteles, alia rur-
sus via id ipsum ostendere ita aggreditur. Quoniā somnus sensitiuā animae partis est passio, & quasi
vinculum quoddā & immobilitas (vt retro ostensum est) sensitiuum autem dicitur nō solum quod in
praesentia per sensum operatur, sed etiā quod non operatur & agit, verū operari & agere potest, quae
admodum risibile dicimus, non quod rideat, sed quia ridere possit: omnis autē potentia reducitur ad
actum, & in ipsum sanè recurrere dicitur, vt in primo de caelo commentario est demonstratum: sum-
ma est necessitas dormientem, qui vigilandi habet potentiam, aliquando vigilare. Et quoniam dormi-
re est à sensibus cessare, quoniam dormiens praepeditos & quasi occupatos habet sensus: dormientem
non sentire, vero consentaneum est. Si enim sentiret, in eodem certe simul contraria essent. quod fieri
non potest. Id autem ostendit cum dicit, Vt autem per sensum proprie & simpliciter agat &c. Illud
autem proprie & simpliciter additum est propter fantasmatia quae in somnijs cernuntur. Sensationes
enim quaedam huiusmodi sunt visa, vt ipse in sequentibus dicit. Verum non proprie neque simpliciter
huiusmodi sunt sensationes, neque proprie illa sentire dicitur animal, sicut dum vigilia vtitur. Quod au-
tem somnus immobilitas quaedam, & quasi nexus & vinculum ipsius sit sensus, retro dictum est.
Subdit postmodum quod omnia animalium genera dormire animaduertuntur. quod tanquam mani-
festum indiscussum relinquit. De piscibus etiam, de quibus sanè aliqua esse posset ambiguitas, hoc
idem non ab re asserit. id autem deprehendi potest non oculorum argumento (non enim habent ge-
nas sive palpebras) sed ipsa quietis immobilitate. cernuntur enim placidi, ceu soporati: neque corporis
quippiam praeter caudas leuiter mouentes, & ad tumultum quēcunq; expauescentes. De thynnīs
autem liberius affiatur. Iuxta ripas enim petris adhærentes somno oppressi visuntur. Plani quini-
etiam pisces (vt Plinius secundus memoriae prodidit) in vado, vt manu saepe tollantur, quiescere di-
cuntur. In piscium quinetiam genere dormire eos qui molles appellantur, vt polypi sunt, & sepiae,
& loligines: & eos qui praeduros habent oculos, vt cancrorū sunt species, & locustarum, & squillarum,
manifestissime apparet ad sensum. Hoc idē etiam de insectis affirmat, quorum nimirum somnus si-
lentio apparet: quae tamen omnia breuioris esse dicit somni. De ijs vero animalibus quae duriorem
habēt testā, & in ostreaceo sunt genere, vt ostrea appellata, purpurā, conchylia, vtrū dormiāt necne,
nōdum sensu cōpertū esse dicit: sed si cui persuasum sit verā esse hac super re vniuersalē rationem, is
etiā de huiusmodi haud immerito illi assētiri poterit. Quēcūq; autē sequuntur: omnia sunt manifesta.
Illud autē, stirpiū autē genus nullū horū est particeps, affirmat quod stirpiū generi neque somn⁹ inest, neque
vigilia: neque cōtristari, neque in voluptate esse: & onino illis nulla naturalis appetētiā adest inclinatio.

Huiusce autē rei signū est, quod altrix pars somni magis tempore quā
vigiliā opus peragit suū. Alūtur enim tūc & crescunt magis:
quippe quae nihil ad hęc indigeāt sensu. Quā autē ob causam dor-
miāt animalia, & vigilēt, & quonā sensu, aut quibus, si quidem per plures
fiant, cōsiderandū est. Quoniā autē nōnulla animalium omnes habent sen-
sus, quaedā vero non habent, vt auditū, visum: nanq; tactū & gustatum ha-
bent omnia, nisi animalium quippiam fuerit imperfectū: de ijs autē dictum
est in cōmentarijs de anima: fieri autem non potest vt dormiens animal
quouis simpliciter operetur sensu: manifestum sanè est quod eandem inesse
omnibus passionem necesse est in eo qui vocatur somnus.

Quonia stirpes aluntur & crescunt, & sibi similes etiam ex sese dare & producere valent: ne quispiam existimare possit illas etiam contristari, & voluptatis sensum habere: nonnulli enim Platoniorum letari ipsas dixerunt plantas: & poetarum quidam letas & tristes dixerunt segetes: iccirco hoc in loco tangit quod non omnia quae aluntur, tristitia & voluptatis sensum merito habere censentur. nam in ijs proculdubio sensu praeditis animantibus tunc maxime altricem agere cernimus vitam, quando sensuum ipsorum cessat opus. Noctu enim magis quam interdiu digeruntur & conficiuntur cibi: in cremetibusque conducit & corpulentiae eo tempore huiusmodi ciborum concoctio. Si igitur quae sensu sunt praedita, tunc magis aluntur & auferuntur cum sensibus non utuntur, manifestum profecto est nullo illa indigere sensus auxilio ut nutriantur & crescant: quoniam afferere non oportet quia nutriuntur, iccirco sensitivam habere animam. Quae autem illam non habet, neque dormire neque vigilare merito censentur: sed neque contristari, neque in voluptate esse iure dicetur. Iis igitur ceu praebitis philosophus subdit perscrutandum posthac esse quae ob causam dormiant & vigilet animalia: & quoniam, aut quibus intercedentibus sensibus quod iccirco dixit, quoniam somnus & vigilia cum sint passiones communis sensus, qui omnium potestates habet sensuum, uno & pluribus mediis non immerito fieri censentur. Caeterum cum sit demonstratum quod animalia dormiunt omnia, palam nimirum esse potest illius sensus somnum esse passionem, quae omnia proculdubio habet animalia. is autem sensus est tactus. sine tactu namque nullum consistere potest animal. Gustatus namque qui ad animalium conseruationem est necessarius, tactus sane quidam esse censetur. In litera autem illa ubi dicitur, Fieri autem non potest ut dormiens animal &c. illud simpliciter (ut retro diximus) ob infomniorum visa additum esse videtur. Insomnia enim quodammodo sensationes quaedam esse censentur: simpliciter autem & proprie sensationes illae esse dicuntur quae ab externis mouentur obiectis, ut visiones, auditiones, per quas operari & agere dormiens animal haudquaquam potest. Si autem istuc hoc se habet modo, manifestum profecto est quod eandem inesse omnibus passionem necesse est in eo qui vocatur somnus. eadem vocans passionem hoc in loco, ipsam sentiendi priuationem: & illud non sentire, quod plane dormientibus adesse percipitur.

Platonici
Poetae.Comune sensum
omnium potestates habere
sensuum.

Si enim hoc quidem, illo vero non: hoc sane dormiens sentiet. id autem fieri non potest. Quoniam autem singulis inest sensibus partim proprium quoddam, partim vero commune: proprium quidem ut visioni videre: auditui vero audire: eademque in alijs ratione: est etiam communis quaedam potestas quae omnes consequitur sensus, quae videt & audit & sentit. Non enim visu cernit quod videt, & iudicat certe & iudicare potest quod diuersa sunt dulcia ab ipsis albis, neque gustatu, neque visu, neque utrisque: sed communi quaedam omnium sensiteriorum parte. Est enim vnus sensus, & proprium sensiterium vnum: essentia autem cuiusque generis sensuum diuersa, ut soni, & coloris.

Hoc probat in textu philosophus quod retro scilicet dixerat, fieri videlicet non posse ut dormiens animal per quempiam sentiat sensum. Si enim per aliud, inquit, sentit, per aliud vero non sentit animal, erit profecto simul sentiens & non sentiens. quod fieri certe non potest. ut dormit enim, erit sane non sentiens. ligamentum namque & nexus (ut saepe dictum est) ipsorum somni est sensuum. ut autem sentit, quando istuc etiam supponitur, sentiens plane erit. Hoc autem nihil aliud est dicere quam idem animal simul esse vigilans, & non vigilans. quod proculdubio fieri non potest. Subdit postea philosophus sermonem de communi sensu, quoniam modo is omnes consequatur sensus: & de omnibus praecipue vnus existens, iudicium ferat: ut principale nobis ostendat intentum, huius scilicet communis sensus passiones esse somnum & vigiliam. Quod autem neque visu iudicemus quod cernimus, neque auditione quod audimus, sed alio quodam, id est communi sensu, qui (ut saepe dictum est) in corde collocatur, quasi in arce quadam: in secundo de anima abunde est demonstratum. Qui sane communis sensus vnus quidem est subiecto, cum tamen ratione sit plures: quoniam genera, id est subiecta singulis sensibus, siue obiecta illa appellare malimus, multa sunt. siquidem alij sunt colores a sonis, ijque rursus alij a saporibus & odoribus. Esse igitur cuiusque sensus, & illius ratio, est aliud. Est autem sensus iste communis veluti circuli centrum, a quo multae ad circumferentiam ducuntur lineae. Hoc igitur centrum & vnum est, & multa quodammodo, ut in commentarijs de anima est declaratum.

Sensum commune
quasi
circuli esse centrum.

Istuc autem simul cum tactili existit maxime. id namque ab alijs separatur sensiterijs, cum alia ab illo disiungi non possint. Dictum est autem de ijs in contemplationibus de anima. Manifestum igitur est vigiliam & somnum huius sensiterij esse passiones: quoniam omnibus inest animalibus. Solus

k. iij.

enim tactus omnibus inest. Si enim eo quod omnes quippiam patiatur sensus, somnus fieret: absurdum: si quibus neque necesse est, neque quodammodo fieri potest ut simul agant, hos simul cessare, & esse immobiles necessarium esset.

ζωόφυτον
mediū in-
ter anima-
lia & plā-
tas genus.
Sensus cōmū-
nis & tactus
eadem.

Nō necesse est
sensus simul
agere omnes.

Sensum dicit communem simul cum tactu existere, quoniam sine tactu nullum existit animal, ceu omni carens sensu. separabilis autem ab alijs sensibus est tactus, ut in ostreorū genere est videre, & in ipsis etiā marinis spongijs, omninoque in omnibus illis quæ cōmuni vocabulo græci ζωόφυτα appellant, cum in medio animalium & plantarū interstitio reponi cōseantur. ijs namque solitarius sensus adest tactus: reliquis autē omnibus priuatur sensibus. De gustatu namque nō est ambigendum, quē necesse sanē habēt, ut alātur & viuāt animalia omnia. Gustatus autē tactus est quidā: ut in cōmētarijs de anima est demonstratū. Cū igitur ab alijs sensibus separabilis sit tactus, manifestum certe est quod simul cū ipso cōmūnis est sensus. Si autē quod verū est, audacter proferre licet, tactus sanē & cōmūnis sensus idē esse vidētur. Huius enim omnia cōmunicare animalia necesse est, & non auditus aut visus, aut olfactus. Quāobrem somnus non immerito tactus passio esse dicitur, & nō alterius sensus. Cū autē dixit quod somnus & vigilia tactus sunt passiones, subdit statim: Si enim eo quod quippiam omnes patiatur sensus, somnus fieret, absurdum. Ex quibus nimirū verbis breuiter admodū & obīcure ostēdi videtur quod somnus nō est omniū passio sensuū, sed solius sensus tactus. Declarat autē id ex cōtrario, hoc præcipue modo: Si non est necesse omnes simul sensus operari & agere, neque etiam simul omnes necesse cessabūt & quiescēt. Quod autē nō necesse simul omnes operātur & agūt sensus, manifestū sanē est. Nulla enim est necessitas vidētē audire aut olfacere, aut gustare: vicissimque reliquorū nullus necessario infert reliquos, ut in alijs cōtingit videre in quibus necessaria est cōsequutio. Ambulāti enim necesse est locū mutare: & currētē moueri necesse est: nō autē vidētē audire, aut audientē olfacere est necessariū. Et nedū omnes simul operari sensus nō est necessariū, sed neque omnes etiam simul operari quodammodo est possibile. Alterius enim actus, ab actu alterius præpeditur sæpius & repellitur. Cernētes enim quippiam cū magna animi intētionē, interdū quæ nobis dicūtur, haudquaquā percipim⁹ & audimus: & omni mētis intētū aliquid audiētes, delata sæpius sub oculos non videmus. Si igitur non est necessariū, imō (ut diximus) quodammodo fieri nō potest ut omnes simul operētur sensus, proculdubio est manifestū, neque simul omnes quiescere, & cessare simul omnes, esse necessariū. Quæ enim sit necessitas illū qui nō videt, simul etiā nō audire: & illū qui nō audit, nō videre, reperiri haudquaquā potest.



Contrariū enim illis accidere, rationi consentaneū est magis, non simul scilicet quiescere: sed ut nos nūc asserimus, de huiusmodi re rationabiliter se habere videtur. Cū enim sensiteriorū omniū præcipuū, & ad quod alia tendūt omnia, quippiam patitur, reliqua etiā simul affici omnia necesse est: illorum vero quopiam minus idoneo existēte, ut hoc tale sit, nulla est necessitas. Ex multis autem compertum quod non eodē modo cessant sensus, & illis non utitur animal, existit somnus: neque quoniā sentire non possunt. in animæ nāque defectu huiusmodi quippiam accidit. Sensuum enim imbecillitas est animæ defectus. Ad hunc etiam modum quædam fiunt amentia. Præterea quibuscumque arteria quæ in collo sunt comprimuntur, ij certe omni carent sensu: verum cum visus imbecillitas acciderit. Neque in quouis sensiterio, neque quālibet ob causam, sed ut nunc est constitutum, quādo in primo fuerit, quo sentit omnia. Cum enim istuc defecerit, omnibus etiam alijs sensiterijs necesse est non posse sentire. Cū vero illorum quippiam, huic non est necesse.

Prosequitur in istis Aristoteles declarādo quod somnus nullus partialis sensiterij, sed cōmūnis solū modo sensus est passio. Hoc autē utitur ostensionis modo. Magis enim, inquit, rationi consentaneum est simul omnes sensus operari, quā simul omnes cessare & quiescere. Si autem simul operari illos non cōtinget, multo certe minus omnes simul cessare illos cōtinget: quod non adeo rationi est cōsentaneū. Quod autē, inquit, somnus nō est eo quod omnes sensus otīantur & cessant, palām esse potest ex illis qui animo deficere dicūtur. In illo namque cōsternationis casu omnes quidē quiescūt sensus, somnus vero tunc adesse non dicitur. Nullus enim vnquā dixit animo defectū dormire quēpiam.

Similiter modo etiam in amentibus. Vocat autem hoc in loco amentiam, insaniam & furorem: quasi qui eo modo laborant morbo, extra mentem sint positi. In huiusmodi enim constitutione existentes nonnulli carnes suas mandunt & lacerant, neque sentiunt. Aut amentiam in presentia intelligi vult illam ab omnibus sensibus abstractionem & seuoactionem, quam ecstasim vocant. Ibi enim sanè omnes otiantur sensus, non tamen eiusmodi dormire dicuntur. neque enim isti, neque furore perciti audiunt aut videt, aut per quospiam operantur sensus. Præterea, inquit, si quis duas illas arterias quæ in colli lateribus utrinque iacent, compresserit aut colligauerit, non sentiens statim efficitur homo: & tamen nullus tunc esse somnus dicitur. Sed vere, inquit, tunc adest somnus, cum neque impotentia vel imbecillitas sentiendi circa aliquod sit sensiterium, neque quacumque de causa. Cōtingit namque aliquo casu sensiteria mutilari & destrui: quare imbecillitas tunc circa illa & impotentia non est somnus. Accidit etiam nonnumquam quod licet mutilata non sint sensiteria, sunt tamen præpedita epilepsiæ (verbi causa) morbis, vel apoplexiæ, aut ob arteriarum illarum (ut diximus) compressionem. Quæ omnes passiones non sunt neque sanè vocantur somnus: qui profecto animalibus contingere censetur cum in primo sensiterio huiusmodi acciderit impotentia & imbecillitas: cum hoc deficiente, reliqua necessario deficient omnia: reliquis autem cessantibus, istuc cessare & deficere non sit necessitas.

Non omne sensuum defectio nem esse somnum.
Epilepsia.
Apoplexia.

Quam vero ob causam accidat somnus, & qualis eiusmodi sit passio, dicendum est. Quoniam autem causarum complures sunt modi, namque & cuius gratia, & unde motionis initium, necnon materiam, & rationem, causas nuncupamus: principio igitur cum naturam alicuius gratia facere asserimus, istuc autem bonum quiddam est: quietem vero omnibus quæ nata sunt moueri, non possunt autem semper & continue cum voluptate moueri, necessariam esse & utilem: somno vero veritate adducti hanc applicant translationem, quasi requies sit: quam ob rem salutis gratia animalibus inest: vigilia autem finis est: sentire enim & sapere omnibus est finis quæ illorum alterutrum habet: optima namque isthæc: finis autem optimum.

Postquam in ijs quæ ante dicta sunt, Aristoteles ostendit (ut vidimus) somnum & vigiliam esse passiones primi sensitiui, id est communis sensus, consequenti doctrinæ ordine in utrisque causas omnes inuestigare contendit. Naturalis enim philosophi est omnia causarum genera de subiecta sibi re perquirere & pertractare, quas omnes à principio statim literæ commemorat, cuius gratia, finem vocat, licet non vltimum. Finis enim gratia cum in ijs quæ arte consistant, tum in ijs quæ natura existunt, sunt quæcumque videri videtur. Unde autem motionis initium, ipsum vocat efficiens. Materiam autem & formam quæ rationem nominat, nullo verborum ambitu, sed nudis appellat vocabulis. Cæterum prius quam ad literæ serie exponendam me conuertam, nonnulla sanè quæ de somno & vigilia antiqui memoriam prodidere philosophi, in medium afferre decreui, ut quid viri illi senserint, & in quibus cum Aristotele ijs de rebus vel conuenerint, vel dissenserint, paruo negotio quispiam videre & dignoscere valeat, indeque certiorē stabiliorēque huius rei doctrinam merito sibi comparare possit. Alcmeon igitur Crotoniates (ut ab antiquioribus incipiamus) sanguinis retrocessu in confluentes venas, somnum in animalibus fieri dixit: vigiliam autem confusione fieri quadam eiusdem sanguinis, & deriuatione in vniuersum animalis corpus: totale autem illius abscessum, mortem esse affirmavit. Empedocles autem Agrigentinus refrigeratione quadam & algore illius quod in sanguine est calidi, somnum fieri voluit: hoc autem à cibo & potu animalibus nimirum accidere, quod si superfluerit, conuenientemque excesserit modum, mortem proculdubio representari dixit. Diogenes verò somnum dixit fieri cum profusus per venas & redudus sanguis, illas quidem repleuerit, aerem vero in illis existentem in pectus ipsum & subiecta illi loca impulerit. Tunc enim partes illas solito plus incalescere, somnumque inde effici & prouenire. quod si ab ipsis venarum fistulis omnis exierit & defecerit aer, mortem inde consequi necesse est. Plato autem, cum quo etiam Stoici facere videntur, somnum fieri sensitiui spiritus remissione affirmavit, cum ad principem partem, quæ anteriorem capitis inter duo supercilia obtinet locum, delatus fuerit: animæque & corporis nimirum illum esse commune. Cuius vestigijs Aristoteles & Peripateticorum chorus inherentes, licet alio docendi modo, idem tamen sensisse videtur. Somnum enim commune animi corporisque passionem esse affirmarunt: fierique illum tum calido quod in corde est, ab esculentis poculētisque quodammodo refrigerato, tum halitu quodam ab eo quod in thorace est humido caput petente, & illud occupante. Totale autem refrigerationem & omnimodum algorem, mortem sanè esse quæ non amplius communis sit animo & corpori, sed solius existat corporis. Animam enim ipsam mortem haudquaquam tagere posse voluerunt. Verum de ijs posthac etiam suis dicet in locis. Ad literam igitur explicatio.

Digressio circa somnum & vigiliam.

Alcmeon.

Empedocles.

Diogenes.

Plato & Stoici.

Aristoteles.

Mortem solius esse corporis.


k.iiij.

Translato vero
cabulo somni
quietē vocari.

nē iā veniam. Pro qua animaduertēdū est q̄ post enumerata causarū genera à finali ipsi⁹ somni incipit causa philosophus, tāquā à nobilissima & præcipue necessaria: dicitq̄ quietē, id est somnū, cū necessarii animalibus omnibus, tū maxime vtilem esse. Cū enim omnia sensuū opera nō sine aliqua fiāt passione, nullūq̄ cōtinuatis laboribus non fatiscat animal: ad illius certe salutē & cōseruationē, & ceu necessarię refectionis modū, somni quietē prouidā machinatam fuisse naturā, qua corporis simul animiq̄ restituantur & redintegrantur vires, vt lassum pauloante & deficiens animal, post somni peracta munia integrum surgat & vegetum. Quamobrē, inquit, non inconcinne hominū consensus translato vocabulo somnum quietē vocare decreuit. Proprie enim quies motionis dicitur esse cessatio: per metaphoram autem, significanti sanē appellatione, somnum, quietem, & dormire, requiescere omnes certe denominant. Quo in loco non inutiliter etiam animaduertēdum esse iudico quod licet somnus necessarium quippiam sit animalibus, & vtile, & bonum, vt cuius gratia est omnia ista, & vt nō proprius & peculiaris animalium finis. Salutis enim & cōseruationis gratia (vt dictum est) somnus esse censetur: vigilia autem verus est finis. quod statim probat philosophus dicens. Sentire enim & sapere omnibus est finis quæ illorum alterutrum habent. istæ enim vel fines sunt, vel sine quibus fines esse non possunt, animalibus videlicet ratione vtentibus, & illa etiam carentibus. Illud autem alterutrum in litera signanter additū sanē est, quoniam quibus animalibus intelligere inest, illis etiā inest sentire: sed non ecōtrario, cum in animalibus ratione carentibus solummodo sentire inexistat. Ratio autem ista ad primam syllogismorum figuram hoc reduci potest modo: Vigilia est sensus vel intellectio:

Vigilia verum
animalium est
se finem.

Finis Sēl⁹ vel intellectio Vigilia



omnis sensus vel intellectio est finis: vigilia igitur est finis. Et minorem quidem propositionē vt manifestam non probat philosophus. quis enim merito ambigat vigilantem necessario vel sentire, vel intelligere? Maiorem vero quæ dicit quod sensus vel intellectio est finis, ostendit cum dicit, optima nanq̄ isthæc. In confessis enim est, & alibi etiam est probatum, finem esse optimum. Cæterum quoniam in principio textus vbi incipit litera, quoniam autem causarum cōs plures & c. longa satis sequitur interpositio, quam, cum excedēs est, hyperbaton græci vocant: animaduertēdum sanē est quod illius reductio & assignatio est vbi legitur: Quamobrē salutis gratia animalibus inest. omnia enim alia sunt interiecta, & illucuscq̄ sententia pendere videtur: vbi sanē hoc vocabulum, manifestum, vel extrinsecus sumi debet: vel illud quāobrem, loco ipsius manifestū, est sumendum.

Necessariū præterea est cuiq̄ animalium inesse somnum. Necessitatem autem ex suppositione dico: quoniam si animal est suam ipsius habens naturā, quædam illi necessario adesse oportet: quæ sanē si existunt, alia etiam quædam adesse necesse est. Præterea quoniam motu, & actione in corporibus facta, cum dormire, tum vigilare animalibus contingat, posthac dicendum est. Alijs igitur animalibus, vt exanguibus, passionis huiusce causas vel easdem esse, vel proportionem respondentes, existimandum est. Sanguine vero præditis, easdem quæ hominibus: quamobrem ex ijs omnia sunt cōsideranda. Quod igitur sensus initium ab eadem animalium fit parte à qua motionis exordium est, in alijs prius est determinatum. Hæc autem cum tripartita sint loca, media sanē sita est inter caput & imum ventrem. In ijs igitur quæ sanguine prædita sunt, ea est pars quæ in corde sita est. omnia nanq̄ sanguine prædita cor habent, & sensus motionisq̄ proprie initium inde est.

Consuetum est philosopho pleriq̄ in locis, & iam receptum, vt materiam necessitatem ex suppositione denominet. si enim quippiam animal esse supponatur, in re ista de qua loquimur, ad vitam illius cōseruandā necessarium est vt alatur. cum autem istuc nutrimento fieri oporteat, summa est necessitas vt exhalationes calidæ operante natura ab escis potionibusq̄ commotæ ascendant, caputq̄ petant: illis autem eleuatis, & à cerebri frigiditate compactis & constrictis, rursus inferne illas in pectus delabi, & ad ea quæ circa cor existunt loca deuolui necesse est, ex quo nimirum somnum effici (vt paulo post ipse dicit) manifestum sanē est. De materiæ igitur necessitate, vt visum

est, si est animal, illud dormire est necesse. Litera autem & illius continuitas hoc in loco satis clara esse apparet. Quoniam autem hanc ipsam rem in hominis specie ceu in nobiliori & nobis manifestiori subiecto demonstrandam sibi proposuit Aristoteles, iccirco dicit quicquid de ipso ostensum fuerit homine, de reliquis etiam animalibus sanguine præditis esse ostensum existimare oportere: & quæcunque de vtrisque ijs, eadem de animalibus sanguine carentibus esse existimandum, ita quod somni & vigiliæ causæ in omnibus ijs vel eadem sunt omnino, vel proportionem consimiles. Illud autem, cum tripartita sint loca &c. signare videtur quod pars illa à qua sensus est initium, locus est medius inter caput & imum ventrem, id est aluum. statimque quinam huiusmodi sit locus, subiungit Sanguine enim præditis in corde sanè is est locus. ab illo etenim origo sensus & motus proculdubio esse censetur. Dicitur enim est in commentariolo de morte & vita, & ibidem (vt videbimus) ostensum, quod animalis initium à corde est: & in ipso alix, augmentatrix & sensitiva animæ existunt potestates: quæ certe omnia vnum subiecto existunt, licet ratione differant.

Motus igitur initium quod spiritus sit principium, manifestum est: & omnino refrigerationis origo inde est: & ijs quæ respirant, humoresque refrigerantur, ad salutem illius quod in hac parte est calidi, natura comparauit. Qua de re separatim infra pertractabitur. ijs autem quæ sanguine carent, & insectis, & ijs quæ non respirant, in proportione illi correspondente parte. Conatus enim spiritus cum exurgens, tum vero residens cernitur. Palam autem est hoc in ijs quæ ex vnica membrana integras habent alas, vt vespæ sunt, & apes, & muscæ, & reliqua id genus omnia.

Quod quidem cor spiritus sit initium & origo, in commentarijs tum de generatione, tum de animalium partibus sufficienter est pertractatum. Quod autem ipsius etiam animalium motionis idem cor spiritu intercedente & medio sit origo & causa, in libello de animalium motu ostenditur: & ex hoc etiam breuiter patere potest. Cum enim propter voluptatem vel tristitiã ij qui in corde sunt spiritus, dilatentur vel constringantur, illorum sanè vi & potestate animalium certe corpora loco mouentur. ij autem spiritus à corde (vt dictum est) tanquam à perenni quodam fonte scaturiunt & emanant. Manifestum igitur est quod omnis motionis causa ipsum est cor: (nihil enim refert vtrum cor dicamus, an spiritum, cum ab ipso corde spiritus procedere censeatur) quo intercedente omnes nimirum in animalibus fiunt motiones. Quod autem ab ipso etiam corde refrigerationis procedat initium, tum in commentariolo de animalium spiratione dicitur, tum ex retro dictis etiam manifestum esse potest. Siquidem ab ipso dilatantur & constringuntur pulmones, per quos ineptus expellitur aer, aptus autem & refrigerans excipitur, & intro admittitur. Spiritus enim in corde constrictus, vel expansus per nervos à corde exeuntes, simul ipsos constringit & dilatat pulmonum sinus, illosque ad opus proprium aptos efficit. Hac autem de re dicit per se, id est, in peculiari commentario se posthac pertractaturum, quod (vt diximus) facit in libello de animalium spiratione, qui sanè ijs iungitur commentarijs qui de morte & vita inscribuntur. Dixit autem cum spirationem ipsam, tum ab humore intrinsecus suscepto refrigerationem, in quibus isthæc fiunt animalibus, salutis nimirum fieri causa, & vt naturale calidum cum quo vita manet, in esse conseruetur suo, ne scilicet ignescat, & radicale appellatum consumat exiccatque humidum, in quo sanè nihilo secius quam in ipso calido animalium consistit vita. Quo in loco animaduertendum est quod per ea quæ respirant, perfectiora intelligit animalium genera, cum terrestria, tum volatilia, quæ pulmones habent, & aerem trahunt frigidum ad interni refrigerium caloris. per illa autem quæ humore refrigerantur, piscium signare vult genera, quæ respirare non valent, cum pulmones non habeant, branchijs autem ad innatum calidi refrigerium frigidam admittunt aquam. In vtrisque enim eadem, licet modo quodam diuerso, refrigerandi est necessitas. Subditque postmodum quod in ijs animalibus quæ sanguine carent, neque spirant (vt insectorum genus est vniuersum) spiritus etiam inesse censetur in ea corporis particula quæ cordi proportionem respondet. illa etenim pars vt in animalibus sanguine præditis est cor, ita in illis cordis se habet loco, & illorum spiritus esse origo censetur, siue rei cuiusdam quæ spiritui proportionem respondet. Animaduertimus enim in insectorum genere manifeste particulas quæ incisuris illis siue inuolucris adiacent, incessanter cum dilatari, tum constringi. id autem vniuersum genus *ὀλόπτειρον* philosophus vocat: nos vero vt potuimus in presentia inuertimus, ex vnica membrana integras habens alas. non enim ex dissectis diuisisque abinuicem pennis, vt in volucrum genere, illorum constant alæ, sed ex integra quadam & vnica membranula sunt conflata.

ὀλόπτειρον insectorum genus.

Sed quoniam mouere quippiam aut facere sine vi haudquaquam fieri posse videtur: robur autem spiritus contentio efficit: spirantibus quidem, eius qui extrinsecus aduenit: non spirantibus autem, eius qui est connatus: iccirco bombum quendam facere animaduertitur illa quæ alas habent, cum mouentur, spiritus scilicet attritu in transversum septum incurrentis eorum quæ membranaceas habent alas. Mouentur autem omnia sensu aliquo vel cognato vel alieno in primo sensatione facta. Quod si somnus & vigilia huiusce passiones sunt partis, in quo sanè loco, & in qua parte primo fiunt somnus & vigilia, manifestum. Mouentur autem plerique dum dormiunt, multaque faciunt vigilantium opera, non tamen sine imaginibus, sensuue aliquo. Somnium namque quodammodo sensus quidam est, qua de re paulo post dicemus. Cur autem somniorum quidem à somno exciti meminerunt, vigilantium vero opera non recordentur, in problematicis quæstionibus est pertractatum.

Theophrastus
de spiritu.

Libellus de
animalium pro-
gressione.

Quæ domesti-
ca, & quæ ex-
ternæ sint sen-
sationes.

Puribus in locis in commentarijs de generatione animalium dictum est quomodo ipsius principium spiritus in animalibus vires efficiat & subministret, sine quibus facere quippiam animalia, aut se mouere non posse hoc in loco dicit Aristoteles. Is autem contentus & vnitus cum robur & vires faciat, ut illis in commentarijs est pertractatum, & à Theophrasto in libello de spiritu manifestissime est demonstratum: in spirantibus quidem animalibus, is qui extrinsecus aduenit spiritus, istuc facere animaduertitur. Inspiratus enim aer contentus, ipsos in corde vnit spiritus, qui restituti & quasi compacti in ipsis neruis & musculis, validas nimirum animalibus suggerunt vires. In illis autem animalium generibus quæ non respirant, intraneus & connatus idem operatur spiritus, viresque ad se mouendum & quippiam agendum illis subministrare censetur. Quamobrem dum volant illa quibus a natura datum est ut alas habeant, ut illorum genus est quod membranaceas illas habet, in transversum ingruens septum connatus ille spiritus, membranulæ illius attritu bombum efficit. non enim exterior aer ille est qui sonat, sed internus & connatus spiritus: licet nihil sanè prohibeat ab exteriori etiam aère in insectorum genere fieri sonum quendam dum volant. siquidem scissuram habent & rimulam sub ipsa transversa membranula, ut in libello de respiratione pluribus est ostensum. Literæ autem ipsius constructio est huiusmodi: quoniam mouere quippiam sine viribus haudquaquam contingere potest. Vires autem spiritus contentio facit. in respirantibus quidem animalibus extrinsecus hoc facit spiritus: in ijs autem quæ respiratione carent, internus & connatus istuc ipsum nimirum efficit spiritus, utrinque contentione roboratus. Declaratur postmodum quoniam fiat modo in illis ab interno spiritu sonus. Subdit postmodum breuiter admodum philosophus de causis motuum animalium: qua de re longiores habet sermones in commentarijs tum de animalium motu, tum etiam de progressionem eorundem. quem libellum ego ut alios inuerti & exposui, cum tamen illius paraphrasin prius conscripserim. nam neque Gaza illum latinum fecerat, cum reliquos de animalibus commentarios inuertisset: neque in latinis translatis commentarijs vsquam apparebat. In quo (ut dixi) commentario diffusius istuc ipsum pertractatur, quod hoc in loco à philosopho signatur potius quæ explicetur. Dicit enim quod animalia mouentur omnia sensatione aliqua vel interna, quæ propriam vocat: vel externa in primo sensiterio effecta. ubi per propriam vel internam sensationem intelligi vult philosophus inclinationes & motus illos qui intrinsecus in animalibus fiunt. mouentur enim animalia ab appetitionibus quibusdam, & ab effectis in illis fantasiæ imaginibus. Per externas autem sensationes, motus ab extrinsecis sensilibus effectos intelligit. Quoniam autem somni tempore moueri nonnullos, & opera etiam vigilantium agere manifeste apparet: illos nimirum à phantasmate imaginibusque nonnullis, id est, ab interna sensatione moueri concitarique asseuerat. Vbi etiam dicit insomnias sensationes esse quasdam, de quibus se posthac pertractaturum pollicetur. Quamobrem autem dormientes insomniorum quidem meminerunt cum excitantur, non recordentur autem eorum quæ ut vigilantes somni tempore fecerunt, in problematicis quæstionibus palam se fecisse dicit. Verum nos neque apud ipsum, neque apud Alexandrum Aphrodiseum, licet diligenter & sedulo perquisierim, huiusmodi quæstionem reperire potuimus.

Consequens autem est ijs quæ dicta sunt, recensere quibusnam effectis rebus, & vnde passionis cum vigilandi, tum dormiendi origo deducatur. Manifestum autem est quoniam cum animali

simul ac sensum habere cœperit, necesse sit & alimentum initio assumere, & auferere. Vltimum autem omnibus est alimentum: sanguine quidem præditis ipsa sanguinis natura: carentibus vero sanguine, id quod proportionem illi respondet. Sanguinis autem receptacula ipsæ sunt venæ, quarum origo est cor. ex sectionibus autem palam est quod dicitur. Alimento igitur extrinsecus in susceptiua ingrediente loca, exhalatio sanè ad ipsas fit venas, ibiq; immutatum in sanguinem vertitur, ad principiumq; tendit. De ijs autem in libello de alimento dictum est. Verum hac de re quædam in præsentia eius gratia sunt repetenda, vt motionis initia contemplantur: quæ vere sensitua particula affecta somnus accidat & vigilia. non enim quæcunq; sensitua partis imbecillitas (vt diximus) somnus est. Amentia namq; & præfocatio quædam, & animi defectus, eiusmodi efficiunt imbecillitatem.

Somni & vigiliæ efficientes causas hoc in loco nos docere volens Aristoteles, dicit necessariū animalibus sanè esse cum primo sensum habere incipiunt, alimentum recipere, vt nutrentur, & inde ad naturæ illorum conueniens & requisitum perueniant augmentum. sine restauratione namq; deperditi (vt dictum est) haudquaquam fieri potest vt diutius duret permaneatq; animal. Quo in loco signanter admodum addidit qd necessarium est animali simul ac sensum habere cœperit, tum primo alimētum capere: quoniam foetus, quem medici embryonem vocant, in vulua etiam alitur, vt rû vt planta potius quàm vt animal alitur. postq; vero sensum acceperit, tunc primo vt animal ali dicitur. sensitua autem illi ingeneratur anima de aliquorum sententia, cum primo in lucem est editus, nam constrictiones illæ, & quasi compressiones, nonnullarumq; partium extensiones quas dum in ventre est facere sentitur infans, ab illa non fieri aiunt per proprios & peculiare sensus, sed iccirco fieri autumant, quoniam animati pars est, quod sanè mouetur, illi applicata, & veluti annexa. Sciendū igitur est qd extrinsecus esculenta poculentaq; in animalium ventres coniecta & intestina (isthæc enim susceptiua dicit loca) ibidem concocta, & in appellatum à medicis chilum commutata & conuersa à naturali calore, qui ijs in locis multus reperitur, per iocinoris postmodum venas, quæ in mesenterio appellato collocantur, ad ipsum transferuntur iecur, ibiq; ipsius virtute in sanguinis commutata naturam (vt in commentarijs cum de historia, tum de partibus animalium pertractatur) ad ipsum principium scilicet cor transmittuntur per meatus quosdam & poros qui à iocinore ad ipsum cor deriuantur & permeant. Quo in loco perfectiori sanè coctura transmissus digeritur & conficitur sanguis, veraq; illic & exactam sanguinis capit formam. namq; ille qui in iocinore est effectus, de Peripateticorum sententia non est perfectus adhuc sanguis, sed via quædam & preparatio ad verum sanguinem: licet Galeno medicisq; aliter sit visum. Cum igitur (vt in alijs ostensum est) omnes à corde originem habeant venæ, supra memorati fibrarum canales illi sanè famulantur, imperfectiq; adhuc à iecore sanguinem in ipsum transfuehant cor. Aliæ vero riuulorum more à corde exeuntes venulæ, defecatum iam sanguinem in vniuersum deriuant corpus. quamobrem suscipientia loca ventrem & intestina (vt retro dictum est) appellare videtur, principium vero ipsum cor. His autē de rebus in libello de nutrimento se pertractasse inquit philosophus, qui tamen (quod sciam) neq; apud græcos, neq; apud nostros vsquam reperitur. Subdit postmodum qd non quæcunq; imbecillitas sensitua partis est somnus. quod etiam retro dixerat. nam in amentijs, & animi defectu, & in quibusdam etiam præfocationibus, & ijs quas vuluæ strangulationes vocant, imbecillitates sanè & impotentia apparent, nullus tamen in ijs qui ea patiuntur, inesse existimatur somnus: qui profecto esse cœsetur, cū circa sensum tactus huiusmodi existit affectio siue passio: vt retro sufficienter est declaratum.

Peris que autem in valido animi defectu aliquando facta est fantasia. Verū hoc aliquā sanè habet difficultatē. Si enim animo defectum dormire contingit, fantasma profecto illud somniū esse continget. Porro multa sunt quæ referre solent ij qui in vehemēti animi defectu fuere, & qui pro mortuis sunt habiti: de quibus omnibus eadem

Quando sensitua ingeneratur anima.

De peripateticorum sententia in iocinore contra medicos non perfectus fit sanguis. Galenus.

Libellus de alimento.

existimāda est ratio. Cæterum (vt diximus) nō quælibet sensitivæ partis imbecillitas est somnus, sed ab alimenti exhalatione hæc sanè efficitur passio. Quod enim exhalat, quodamtenus impelli, tum retrocedere & commutari Euripi more necesse est. Calidum autem cuiusque animalis sursum natum est ferri. Cum vero in supernis fuerit locis, simul rursus remeat, & retro fertur. Vnde fit vt post cibum potissimū fiant somni. Tunc enim multum simul & corpulentum humidum sursum fertur: quod simul ac constiterit, aggrauat certe, dormitaréque facit. Cum vero ad inferna delabitur, retrocedensque ipsum propellit calidum, tunc sanè somnus efficitur, dormitque animal. Indicio autem sunt soporifera. Hæc enim omnia 10 caput aggrauāt, siue esculenta fuerint, seu poculēta, vt papauer, mādrago- ra, vinum, lolium. Quinetiam qui in somnum delabuntur, & dormitant, istuc pati animaduertūtur: caputque & palpebras haudquaquam attolle- re possunt: atq; istiusmodi potissimū somnus est post assumptos cibos. Multa enim tunc à cibus est exhalatio.

Quod quidem fantasmata nonnulla valde animo defectis interdum appareant, hoc in loco nō inficias it Aristoteles. namq; istuc in plerisque manifeste percipitur: & id omnis experta est & concessit ætas. Quod autem eiusmodi visa sint somnia, nonnullam habere dicit difficultatem. si enim animo defectum, inquit, dormire censemus, somnia etiam illum videre existi- 20 mabimus. verum sæpius dictum est neq; animi defectum, neq; præfocationem, & vuluæ strangulatū aut apoplexiam somnum esse. Quamobrē fantasmata illa & imagines quæ animo defectis apparere & obuersari dicuntur & solent, haudquaquam somnia esse existimandum est. Dicit autem animo defectos multa narrare solere, necnon qui etiam pro mortuis sunt habiti, quæ in passione illa constituti viderint vel audiuerint: quorum cum apud veteres rerum scriptores nonnulla memoriæ sint prodita, vnum in præsentia subtexam quod apud Plinium secundum legisse memini. Scribit enim is author in septimo naturalis historiæ suæ commentario, Romæ Corfidios quosdam fratres ex equestri ordi- 30 ne fuisse: accidisse autem Corfidio maiori vt videretur expirasse: apertoq; testamento hæredem recitatum minorem Corfidium funeri instituisse. Interim eum qui videbatur extinctus, plaudendo concinuisse mysteria, & narraffe à fratre se venisse: commendatam sibi filiam ab eo. Demōstratū præterea quo in loco defodisset aurum nullo conscio: & rogasse vt ijs funeribus quæ comparasset efferretur. Hoc eo narrante, fratris domestici propere annunciauere exanimatum illum: & aurum vbi dixerat, 40 reperiunt. Hæc Plinius. De omnibus autem huiusmodi eandem existimandam philosophus esse dicit rationem, fantasmatum scilicet nonnullorum apparentiam, quæ sanè ad somnia non sunt referenda, cum neque animi defectus, neq; vuluæ strangulatus & præfocationes, neq; amentia aut apoplexia, somni merito esse dicantur. Quæ autem sequuntur, tum ex philosophi verbis clara sunt, tum etiam manifestiora erunt si breuiter quædā altius repetamus. Meminerimus igitur q; omne calidum 50 sursum ferri natum est. quamobrem exhalatio quæ à cibus fit & potibus, cum calida sit & humida, ad cerebrum vsq; ascendere censetur, secūq; illuc nonnullas trahere superfluitates: quo sanè pertingens & accedens, cerebriq; frigiditatem offendens, ab illa condensata & compacta, rursus inferne deuoluitur, Euboici (vt ait) more Euripi, qui hincinde sæpius in die concitatis aquarum rapitur cursibus & recurribus. Inde autem deuoluta ipsum petit cor, & calidum in illo existens frigida sanè hebetat retūditq; qualitate: quo veluti egelido & tepescente effecto, dormitat primo, crebroq; capitis nutu languescit animal: postmodum etiam in pfundum delabitur somnum, stertitq; couisq; quoad à cordis connato calore in sese reducto, & idcirco corroborato, id quod defluerat concoquatur, & digestionem accipiat. Quamobrem post assumptos cibos præcipue fiunt somni, quoniam eo maxime tē- 60 pore multa & corpulenta humiditas caput petens, quoad eo loci fuerit, illud sanè replet & aggrauat. Quod, inquit, declarant ea in constitutione cum oculorum cōniuentium grauitates, tum crebræ capitis motationes, & palpebrarū casus. Quod autem corpulentæ & crassæ humiditates caput repleāt & illud grauent, testimonio nobis esse posse dicit simplicia illa siue composita pharmaca quæ à medicis soporifera nuncupantur. isthæc enim omnia manifeste percipiuntur humiditates quasdam cor- 70 pulentas in caput rapere, & illud sanè replere. Sunt autem ex illorum numero quæ somnum faciunt, ex poculentis quidem vinum, & id potens, & meracius sumptum: ex esculentis vero, cum papauer &

Plinius secundus de Corfidio maiore & minore fratribus.

Omne calidum sursum ferri.

Euboicus Euripi.

mandragora, & lolium, vt ipse refert, tum pleraque alia quæ in præsentia recensere superuacaneum esse arbitror.

LX laboribus præterea quibusdam somni fiunt. Nam labor certe liquandi vim habet: id autem liquamentum quasi crudum est alimentum, nisi fuerit frigidum. Morbi quinetiam quidam id ipsum efficiunt, quicunque ab excrementis cum humidis, tum calidis fiunt: quod febrientibus & lethargicis accidit. Prima quinetiam ætas. Infantes nanque vehementer dormiunt, quoniam vniuersum sursum rapitur alimentum. Huiusce autem rei signum, quod supernarum partium magnitudo in prima ætate infernas excedit, quia ad illas fit accessio. Et hanc etiã ob causam epilepsiam incurrere solent. Porro epilepsia similis est somnus: quamobrem plerisque huius morbi initium dormientibus accidere consuevit. Et sanè dormientes tentantur, vigilantes vero minime. Cum enim multus sursum latus fuerit spiritus, rursus descendens venas turgescere facit, quibus meatum per quem fit respiratio, obstruit. Quapropter neque infantibus, neque eorum nutricibus conferunt vina. Nihil enim fortasse refert, ipsi, an nutrices bibant. Paucum autem bibere debent, & dilutum. spirituosum nanque est vinum, in primisque quod est nigrum. Adeoque supernæ partes infantibus alimento sunt refertæ, vt neque quinq; mensium ceruices inflectere possint. multa namque humiditas, quemadmodum valde ebrijs, sursum fertur. Quinetiam rationi consentaneum est huiusmodi passionem esse causam cur ab initio in vulua quiescant foetus.

Somni plerisque hoc in loco Aristoteles recenset causas, quæ tamen omnes ad vnam propriam & principalem, diuersimode tamen, referri videntur causam, eam videlicet quæ retro adducta est. labores namque quosdam & lassitudines somnum inducere efficereque dicit, quicunque videlicet corpora dissoluunt & liquefaciunt, superfluentesque ob caliditatem motu conflata commouent humiditates, quæ sanè in ventris viscerumque receptaculis reperiuntur. ab illis enim vapores eleuari, caputque petere necesse est, secum deportantes corpulenta quædam & crassa corpuscula. Quemadmodum enim in mundo ipso exhalationes siccae semper miscetur cum humidis, & sursum ascendunt: ita in animalium corporibus crassa semper exhalatio cum tenui miscetur vapore. Cum autem dicitur labor liquandi vim habet, subdit etiam quidnam sit id liquamentum, quod sanè velut indigestum & crudum esse vult alimentum, si calidum certe fuerit, & non frigidum. Frigidum namque condensatum colliuationi haudquaquam aptum & commodum esse censetur. Animaduertendum tamen est quod huiusmodi colliuationem de quo in præsentia loquitur, aliud & diuersum est ab illo de quo in commentarijs de generatione animalium longiores facit sermones philosophus, quam $\sigma\upsilon\nu\tau\eta\epsilon\iota\mu$ ibi appellat. Illud autem, Prima quinetiam ætas. est ac si diceret, similiter etiam in prima ætate fiunt somni. Quod autem in prima ætate multum alimenti sursum feratur, vel euidentem est signum id quod ponit, quod tunc videlicet superiores partes inferioribus sunt maiores, veluti superne lato alimento: necnon qui pluri & copiosiora vtuntur alimento, maiores sanè illas habent partes. Quoniam autem epilepsia, quæ comitiales appellatur vtuntur alimento, maiores sanè illas habent partes. Quoniam autem epilepsia, quæ comitiales appellatur vtuntur alimento, maiores sanè illas habent partes. Quoniam autem epilepsia, quæ comitiales appellatur vtuntur alimento, maiores sanè illas habent partes.

30
40

Quis labores somni efficiant.

Cur infantes supernas partes infernas maiores habent. Somni Epilepsia similis.

Quomodo epilepsia fiat.

Aspera arteria spiritus semina,

Vini infantibus nocuum.

Cur foetus primis diebus non sentiat.

tas venas astuare & turgescere, in altumque erigi & excrefcere: quibus sanè turgescantibus, spiritus ipsius nullo negotio via meatuque obsepiuntur & coarctantur, ipsaque in primis aspera arteria, quam $\omega\rho\rho\rho$, id est spiritus meatum & transitum appellat, qui per illam ad refrigerandum transmittitur cor. Hac autem obsepta & coarctata, neque inspiratio amplius neque respiratio de facili fieri possunt: unde epilepsia & apoplexiam fieri contingit. Et quoniam in pueris supernae partes semper alimento abundant, quod idem est dicere, spiritu, qui sanè ex alimentis illi aetati convenientibus, & in spiritum conuertit aptis & commodis, conflat & efficitur: vinum autem maxime spirituosum, & (ut ita dicam) inflatum est: idcirco dicitur infantibus à vini potu prohibendos, & ab illorum nutricibus vini usum semouendum. Nihil enim referre, vtrum ne illis, an eorum nutricibus vinum praebeatur, à quibus lac sanè sugunt alteratum, multaque vini secum trahens naturam. Infantibus enim, ut ebrijs & vinolentis, multae & crassae humiditates semper in caput feruntur. Signumque huiusce rei esse dicit, quod infantibus ceruice sunt obstipae & rigidae, neque illam flectere nisi post quintum mensem facile possunt. quam etiam dicit esse causam videlicet superfluentem humiditatum abundantiam, cur primis statim à conceptu diebus in vulua existens non sentiat foetus. immobilis enim per id tempus quiescit, dum plantae magis quam animalis eo loci vitam degit.



Minimo autem somniculosi sunt qui tenues & immanifestas habent venas: nec non pomiliones: & qui magni sunt capitis. illorum enim angustae sunt venae, ut non facile defluat quae descendit humiditas. Pomilionibus autem, & ijs qui magna habent capita, sursum versus exhalatio & impetus multus est. At vero qui laterum sunt venarum, propter liberam meatuum transmissionem minus somniculosi sunt: nisi forte aliam quampiam habuerint passionem: neque rursus melancholici. interior namque friget locus: idcirco illis exhalatio non est multa. Quamobrem edaces sunt, cum existant duri: & quasi nihil cibi iuuentur, ita illorum afficiuntur corpora. Atra namque bilis natura existens frigida, nutrimentum etiam locum frigidum reddit, nec non alia etiam loca ubi potestate istuc affuerit excrementum. Quamobrem ex ijs quae dicta sunt, palam est quod somnus, caloris ad interna recessus quidam est, & naturalis antiperistasis propter enarratam causam: quapropter contemplatis multa sanè est commotio. Unde autem deficit, & in frigidatur, & ob talem frigiditatem palpebrae concidunt, & superna quidem, & quae extra sunt, frigescent. Interna autem, & quae inferius sunt, calida existunt, ut pedes, & quae intrinsecus sunt.

Hoc in loco consequenti doctrinae ordine nobis ostendit Aristoteles quanam hominum constitutiones & habitudines ad somnum sint pronae & decliues: & quae contra non facile & parua cum re in illum declinent. Dicit autem pomiliones, quos nanos vocant, & eos qui grandia habent capita, praeterea qui minutas neque apparentes habent venas, esse somniculosos: ostensionemque ab ijs qui immanifestas & minutas habent venas, primo inducit. Somnum enim ijs facile incurrere censetur qui angustas habent venas, quoniam spiritus à capite descendens, & minutulas illas facile replens venulas, exhalare non potest & permeare, & ut par est dissipari & diffundi ob venarum angustiam & costrictionem. quod enim arctum & angustum est, & repletur facile, & protensiori tempore eiusmodi perseverat. Cum igitur eiusmodi habitudinis homines tali frigescant redundantia & plenitudine (namque & ventres etiam ipsi repleti frigidiores sanè redduntur) perseverans longo tempore spiritus qui calore alioquin ut diffundi possit indigere videtur, longiores profecto in illis efficit somnos. In huiusmodi igitur corporum constitutione, longioris certe somni sunt causae, spiritus venulas illas nullo (ut diximus) negotio replentes, tardaque & difficulter ob illarum angustias inde diffluere valentes. In pomilionibus autem & nanis, praeterea in illis qui grandia habent capita, eiusmodi rei alia sanè videtur esse ratio, quoniam enim multi & crassi ex universo corpore vapores in caput rapiuntur, illud sanè repleri necesse est. Feruntur autem idcirco, quoniam ijs supernas corporis partes infernis maiores habent. quae ob rem pluri etiam indigere alimento illas necesse est. Frigefacti igitur ijs, per refluxum multi & crassi

Cur angustarum venarum homines sint somniculosi.

Cur grandium capitis homines somniculosi existunt.

inferne deuoluuntur: id autem quod multum est, ab æquali calore tardius concoqui & digeri natum est. Quæ sequuntur autem, cum manifesta, tum etiam retro explanata sunt. Quod autem dura & sicca sint melancholicorum corpora, palam est. non enim bene aluntur, quoniam bene digerere non valent. naturalis namq; frigiditas illorum concoctionibus multum quantum officere videtur. Assimilantur igitur melancholici stirpibus in arëti siticulososq; natis solo, quæ commode ali augescereq; nequeunt. Atram vero bilem quandam esse superfluitatem & excrementum, cum medicorum ratio attestatur omnis: tum ipse etiã philosophus plerisq; in locis id ipsum asseuerat. Edaces autem ipsos esse melancholicos iccirco existimari potest, tum quia non belle (vt dictum est) aluntur: tum quia natura sunt frigidi. Frigidi autem est semper appetere, vt calidi est digerere, & concoquere. Bili namq; vëtris os excitante & mouëte, valenter cibos appetunt melancholici. Quoniã autem ab imbecilli postmodum calido male concocti secundum plurimas sui partes in excrementa & superfluitates abeunt, idcirco parum ab illis iuuari possunt: & ideo aridi melãcholici perseverant. Illud autem, Vbi potestate istuc affuerit excrementum: idem valet ac si diceret: vbi inuentum fuerit potestate hoc excrementum & superfluitas, id est istius excrementi vis. Nihil enim prohibet in iocinore (verbi causa) atrã bilem existentem, potentiam & vires suas in caput refundere. Igne enim hoc in cubiculo succenso, quodã tenus illius efferrî caliditatem animaduertimus: & absinthio hic contrito, illius sanè amaritudo satis longe sentitur. Quamobrem manifestum est, inquit, qd somnus est concursus & recessus ipsius caloris ad interna animalium, id est ad ipsum cor. Calor enim somni tempore in illius se abdit vëtriculis, quoniam ex illis pullulare etiam & scatere percipitur. Quoniam autem legentes sæpius & aliquid contemplantes in somnum delabimur, huius causam breuiter admodum, & iccirco subobscurè subiungit dicens: Quapropter multa sanè contemplantis est cõmotio. In motu enim & agitatione multa existente anima dum contemplatur & cogitat, siue quippiam accurate & intente legit, præpedita sanè digestionem, & alimento haudquaquam bene confecto, crassam & corpulentam exhalationem in caput ferri necesse est: quæ postmodum descendens, & in cor (vt dictum est) decidens & deriuans, conuiuere & obdormiscere nos cogit. Et hoc quidem interiectum fuisse videtur: literæ autem ipsius continens tenor & series talis esse existimanda est. Quamobrem ex ijs quæ dicta sunt, palam est qd somnus caloris ad interna recessus quidã est, & naturalis antiperistasis, id est cõtrarius quidam conatus propter enarratam causam. Vnde autem deficit, & infrigidatur. Quando enim calidum ad inferna defluit, manifestum est qd in ijs quæ sursum sunt, planè deficit: illo autem deficiente, necesse est quæ sursum sunt infrigidari: ijs autem frige factis, palpebras concidere necesse est. Id enim quod omnes continet & temperat partes, calidi sanè est natura. Habemus igitur in ijs etiam cuius gratia animalia dum dormiunt coniuuent, oculosq; claudunt. Sũt autem somni tempore interna omnia, & pedes etiam ipsi calidi, propter caloris ad inferiora & internas corporis partes retrocessum. Antiperistasin autem hoc vocat in loco, calidi in se recursum propter contrariæ circumstantiã qualitatis.

Cur melãcholici sint edaces.

Cur melãcholici siccis & enectis sint corpora.

Cur legentes sæpius in somnum delabuntur.

Quid antiperistasis.

Cur animalia cum dormiunt coniuuent, & oculos claudunt.

CAeterum ambigere quispiam posset cur post assumptos cibos validissimus fiat somnus: necnon cur soporiferum sit vinum, aliaque pleraque tales habentia caliditates. Nã rationi haudquaquam consentaneum est somnum quidem esse infrigidationem, somni vero calidas esse causas. Vtrum igitur hoc accidit, quoniam vt ventriculus cum inanis est, calidus sanè est: repletio vero illum infrigidat propter motum: ita & ij qui in capite sunt meatus & loca, frigescent subeunte exhalatione? An vt perfusis calido, confestim aduenit horror: ita eo loci calido ascendente, cõfertum refrigerat frigus, naturalemq; hebetat calorem, eundemq; retrocedere cogit? Præterea multo ingesto cibo, quem secum subleuat calidum, vt ignis infrigidatur lignis superiniectis, donec cõcoquatur. Somnus enim (vt dictum est) efficitur cum corpulentum quippiam sursum à calido per venas ad caput fertur. Cum autem non amplius potest, sed copia superauerit quod sursum est latum: iterum depellitur, & deorsum fluit. Quamobrem calido subducto quod sursum ferebat, concidunt homines (soli enim inter reliqua animalia erecti sunt) & prolapsus quidẽ amentiam facit: postmodum vero fantasiam.



Quoniam retro dictum est somnum à frigiditate fieri, idcirco hoc in textu rationi cōsentaneā philosophus huiusce rei adducit quæstionē: quamobrem scilicet post assumptos cibos & potus profundissimi fiant somni. Cum enim vinum calidum esse perhibeatur, huiusmodiq; esculenta ferè sint omnia, ratione carens cuipiā fortasse apparere posset, post hæc assumpta validos fieri somnos. Frigidæ enim rei calidas esse causas haudquaquā vero est simile. Hanc igitur dubitationē hoc in loco quatuor probabilib⁹ rationibus dissoluit Aristoteles. Ultimo autem loco responsionem adducit illam, quæ sibi cum verissima esse videtur, tum ad rei ipsius naturam maxime accommodata. Vtrum ne igitur hoc accidit, inquit, quoniā quæadmodū vëter vacuus & inanis existens calidus sanè est, ipsa autè repletio illum infrigidat propter motū, id est, propter accessum suum (sic enim hoc in loco intelligendus est motus) hebetat enim & veluti extinguit internum calorem esculentorum immodica repletio, quæadmodum ignem copiosa lignorum coaceruatio: pari modo ipsi in capite meatus & pori cum à copia & multitudine, tum à crassitudine ascendentium repleti vaporum infrigidantur: quibus frigefactis exhalatio nimirum illa cōpingitur, compactaq; postmodū deorsum fertur. Vel igitur hanc ob causam fit somnus post cibos & potus: vel quemadmodum illis, inquit, qui calida perfunduntur aqua, non ab re quidam confestim accidere solet horror. calido enim consperso, exterior frigiditas per antiperistasin in vnum collecta, horrorem sanè efficit illum: ita in ijs calore caput petente, cōgregatum confertūque cerebri frigus, & ideo corroboratū, id certe quod ascēderat calidi & humidi facilè superat & compingit: quod postmodum ab illo compactum, pondere suo deorsum labitur. Vel igitur ob hæc etiam causam post cibos & potationes fiunt somni: vel quemadmodū ignis pluribus aceruatim impositis lignis infrigidari quodammodo & extingui videtur, tanquā contrariam sentiens qualitatem: ita multis ingruentibus cum esculentis, tum poculentis, infrigidatur, siue potius hebetatur ipse calor internus, somnusq; fit & perseverat quoad alimētum quod ingestū est conficiatur, & convenienti concoquatur digestionē. fit enim tunc somnus propter ascēsum & rursus descensum corpulētorum & compactorum vaporū, qui cū amplius superne manere non possunt, inferne deuoluūtur & ruunt. Quamobrem subducto calido in somnū cōcidūt homines. Concidere autē siue decidere dixit homines, quoniā recubantes dormiunt: istuc autē idcirco faciūt, quoniā inter animalia reliqua solus erectæ staturæ est homo: bruta vero animalia, cū stantia, tum iacentia & prostrata dormire visuntur. Amentiam autem hoc in loco rursus vocat omnimodam sensuum quietem & otium, quasi procul ab omni mente hominis constitutionem: cū scilicet profundissimo homines dormiunt somno, nullis somniorum apparentibus visis, vt post assumptos cibos & potus primo statim dormitionis tempore accidere solet, calido scilicet valenter hebescente, & omnibus præpeditis sensibus, & penitus occupatis. Postmodum vero fantasiam facere dicit, id est somniorum visa, quæ procedente somni tempore, & cibis concoqui & digeri incipientibus, manifeste fieri solent, cum non tam profundo & arcto homines dormiunt distinenturq; somno.

An propositæ quidē nūc dissolutiones eiusmodi sunt, vt cōtingat infrigidationem fieri: verum principaliter is qui circa cerebrum est locus, vt in alijs est pertractatum? Etenim omnium quæ sunt in corpore, frigidissimum est cerebrum: ijs vero quæ non habent, id quod illi proportionē respondet. Quemadmodum igitur à solis calore exhalās humidum cum ad superiorem peruenerit locum, illius algore frigescit, compactumq; deorsum fertur, denuoq; fit aqua: ita in calidi ascensu feculenta quidem exhalatio in pituitam coalescit, quamobrem destillationes fieri animaduertuntur: alitrix autem & non morbosa concreta inferne delabitur, calidumq; refrigerat. Vt autem refrigerari possit, & non de facili exhalationem recipiat, non nihil sanè confert tenuitas & angustia illarum quæ circa cerebrum sunt venularum. Et refrigerationis quidem hæc est causa, quāuis caliditate redundet exhalatio.

Quartam & commodissimā propositæ quæstionis dissolutionem hoc in loco adducit Aristoteles, prioribus tamen haudquaquam reiectis & explosis, quas dixit posse cōtingere ad infrigidationis effectum, cuius sanè opus somnus esse censetur. Dicit igitur locū qui circa cerebrum est, frigidissimam scilicet animalium partē, esse in causa cur ascendentes illæ exhalationes frigescant, & somnum postmodū faciant. Vbi animaduertendū esse censeo q̄ in litera vbi di

Prima solutio
ad quæstionē.

Secunda dissolusio.

Tertia solutio

Quid amentia.

Quarta ad
quæstionem
dissolutio.

citur, Verum principaliter is qui circa cerebrum est locus, intelligendum est extra, in causa est, siue est causa. Frigiditas enim illius ob cerebri copiosum algorem in causa sanè est cur ascendentes ad illum vapores frigescant. Frigidissimum autem esse cerebrum in animalibus, sicut cor calidissimum, cum omnes ferè physici asseuerauerunt, tum euidens etiam dicitur ratio, cum ex cerebro destillationes & catarrhi, cæteraq; id genus naturaliter frigida defluant: ex corde vero spiritus & sanguis deriuent, quæ caliditate excellere animaduertuntur. Quæ postea sequuntur, clara certe sunt & manifesta, vbi ex similitudine illorum quæ in maiori fiunt mudo, cum calidi halitus eleuati, & à mediæ regionis frigiditate compacti, & in imbrem coacti, rursus inferne in pluuiam deuoluuntur, ostendit calidas exhalationes à cerebri frigiditate compactas deorsum ferri: & si quidem impuræ fuerint ille, & superfluentibus excrementis scatentes, in destillationes & pituitas catarrhosq; cõuersæ inferne descendunt. Si autem altrices fuerint & salubres, inferne deuolutæ, cum calidum ipsum refrigerant, somniq; sunt causæ: tum concoctæ & digestæ non nihil ad vigiliam etiam facere videntur: & alioquin ad multa etiam opera animalibus sunt commodæ & proficue. Nam phlegma non morbosum in sanguinem transire dicitur, vt Aristoteli in commentarijs de animalium partibus placuisse videtur. Ad in frigidationem autem de facili fiendam dicit multum conferre venularum angustias quæ circa cerebrum existunt. eæ etenim ob sui tenuitatem & constrictionem parum habent caloris. quod autem paucum est, iniuriæ sanè est obnoxium, & à suo contrario paruo negotio pati natum est. Concludit postmodum hanc esse in frigidationis causam, frigidissimam videlicet cerebri naturam, venularumq; in ipso tenuitate & angustiam, quâuis exhalationes caliditatis vi ad ea perueniant loca sursum delatæ.

Cerebrum in animalibus frigidissimum: contra calidissimum est cor.

Phlegma utile in sanguine conuertitur.

EXcitantur autem quando fuerit concocta & euicerit quæ cõpulsata fuerat in angustum à circumstanti copiosa caliditas, sanguisq; crassus à synceriore discretus fuerit. Est autem tenuissimus quidem sanguis & purissimus, is qui est in capite: crassus autè & feculentus maxime ille qui in infernis est partibus. Vniuersi vero sanguinis origo (vt hoc in loco, & in alijs etiam determinatum est) ipsum est cor. Eorum autè qui in corde vtrinque sunt sinus, communis est medius: illorum vero vterq; ab vtraque suscipit vena, & ab ea quæ magna vocatur, & ab aorta: in medio autem fit secretio. Verum de ijs constituere, magis proprium aliorum est sermone. Quoniam autem post cibi assumptionem maxime indiscretus est sanguis, idcirco somnus efficitur, quoad purior quidem secretus sursum, turbidior vero deorsum feratur. Cum autem hoc contigerit, ab alimentorum leuata onere animalia excitantur. Quæ igitur dormiendi sit causa, explicatū est, quod videlicet corpulentæ res sursum à cõnato calido antiperistasis adunatim ad primum sensiterium. Præterea quid est somnus, quod scilicet primi sensiterij comprehensio, vt in opus exire non possit, ex necessitate quidem effectus: (nō enim contingit esse animal, nisi ea quæ ipsum constituunt, contigerint) salutis verò gratia. saluat enim requies.

Post somni enarratas causas hoc in loco philosophus, & in cõmentarioli huius calce vigiliæ etiā nobis designat causas: dicitq; animalia excitari, & a somno consurgere, quando corpulenta illa & frigida exhalatio à qua effectus fuerat somnus, concocta & digesta fuerit superante & præuolente calido, quod eousq; compulsum & à circunieccta frigiditate compactum, copiosum sanè existens in angustum deuenerat locum, in ipsum scilicet cor: quamobrem corroboratum posthac, frigus quidem propellit & superat, quod se prius propulsauerat, corpulentasq; exhalationes illas conficit sanè & digerit. Ex qua certe cõcoctione suapte vi facta, tenuissimus quidem sanguis & defecatissimus ad alendas superiores, capitifq; maxime, transmittitur partes: turbidior vero & feculentior contra ad infernas amandatur alendas. Vniuersi autem initium & originem sanguinis (quod retro etiam dixerat) ipsum esse cor asserit. Quomodo autè in hoc se exercent opere ipsum cor, hoc in loco philosophus signat magis quā exprimat: quapropter pro breui cõpèdiariaq; huius loci explicatione obiter animaduertendum est quod vt ad præsens spectat propositum, ex assumptis cibis potionibusq; prima in ventre, quem stomachum vocant, fit digestio, vbi illorum vtilior & accommodatior pars in succum

Cor omnis initium sanguinis.

l.j.

Differētia me-
dicorū & phi-
lofophorū
in fecūda di-
geftione.

conuertitur, quem chylum appellant medici: fecunda autem concoctio & digestio fucci huius quem chylum vocauimus, in ipfo fit iocinore: vbi is de medicorum ſententia in ſanguinem vertitur: ſiue vt aſſeruere phyſici, in mediam quandam naturam fucci & ſanguinis. quæ poſtmodum maſſa per venā quæ magna appellatur, parſq; illius eſt venæ quæ concaua dicitur, in dextrum cordis ſinum, quē ven- triculum medici vocant, recta fertur, ibiq; verus ex ipſa ſanè efficitur ſanguis. In corde enim (vt phi- loſophi ferè omnes voluere) ſanguis eſſentialem ſuam recipit formam, cum nullibi ante verus fuerit ſanguis. Cæterum ab hoc poſtmodum dextro cordis ſinu quaſi à perēni quodam fontis initio in vni- uerſum ſanguis diffunditur corpus, & per eius fibras vbique deriuat. In medio autem cordis ſinu, qui certe tranſitus eſt & limes inter dextrum & ſiniſtrum cordis ſinum, ſecernitur ſanè & defecatur ſan- guis, vt in ſiniſtro poſtmodum ſinu conuertatur in ſpiritū, perq; aortam arteriam, quæ ab eodem ſinu initium & originem habere cernitur, per omne poſthac corpus diſpergatur, illudq; vnde quaq; viuifi- cet. Calentis enim & agilis ſpiritus opus eſt motum præſtare animalibus & vitam. Hoc autem in lo- co ſanguinem in vtroſq; ſinus ſiue vētriculorum capacitates, ab vtriſque venis, magna ſcilicet & aor- ta, deriuatum, in medio ſecerni & defecari ſinu, velle videtur Ariſtoteles. Verum vltiorem hac de re diſquiſitionem in præſentia prætermittit, dicitque huiusmodi rei pertractationem ad alios conueni- entius pertinere ſermones. libros (vt arbitror) nobis ſignificare volens cum de animalium generatio- ne, tum de eorundem partibus. Quod ſequitur autem, ex retrodictis manifeſtum eſt, nulloque pro- ſus oſtenſionis indiget lumine. Narrat enim philoſophus cur poſt aſſumptos cibos animalia ferūtur in ſomnum: curve confectis & digeſtis illis, rurfus eadem excitantur & vigilant: præterea q; ſomnus primi ſenſiterij, id eſt communis ſenſus eſt paſſio, ſiue comprehenſio, & vinculum illius, cū in opus ſuum exire non poteſt: ſimulq; materialem ſomni & finalem cōiungit copulatq; cauſam. Neceſſariū enim eſt, vt conſeruetur & perduret animal, ipſum ali ab extra aſſumptis cibis & potibus: ijs autem corpus ingreſſis, agente in illos connato calido, exhalationes ſurſum ferri neceſſe eſt: quibus ſuperne latis, poſtmodumq; deuolutis (vt ſæpius dictum eſt) ſomnum fieri ſumma eſt neceſſitas: qui alioquin animalium ſalutis cauſa à prouida factus eſt natura. Siquidem requies ſaluat, languidaſq; & iam fati- ſcentes propter diutinam vigiliam animalium reficit & reſtaurat vires.

Materialis &
finalis ſomni
cauſæ.

F I N I S.

N. LEONICVS THOMAEVS STE-
PHANO SAVLIO S.



Somniorum ratio, Sauli eruditissime, vt varios in plerisque & inter se etiam dissidentes habuit assertores, ita abstrusam & difficilem sanè habere videtur explicationem: neque immerito mehercule, quando quidnam somnijs ipsis incòstàtius, vel incertum magis dici aut cogitari possit, haud facile reperire contingit: quæ certe, vt alia omittam, tum precipue cõstare censentur, cum animæ non constant vires, sed somno quasi vinculis quibusdam præpeditæ cessare omnino & feriari videntur: nisi contra id ipsum fortasse est in causa (vt plerique asserunt) cur & somnia percipiant homines, & cur ex illis nonnullas etiã futurorum præsensiones animaduertere possint. Verum quicquid id est, arduum certe & abstrusum, plenumque immensa difficultatis est negotium, certam & indubitam de huiusmodi re ferre sententiam, cuius latentes & hominum iudicijs ignotas rerum natura voluit esse causas. Hinc apud veteres rerum scriptores, naturæque ipsius interpretes, varia sanè hac de re fuere sententia. Epicurus etenim & Metrodorus (vt ab ijs initiu capiã) necnon Xenophanes, inania somniorum visa, & irrita quaedam naturæ ludibria, idolis somni tempore animu nostru incurfantibus esse voluerunt. Cumque diuinatione ijs, & futurorum præsensiones è vita penitus exploserint: neque pondus habere vllu somnia, neque ab illis prædici quippiã præsignarive posse asseuerarunt. Stoici autem ab ijs tota (vt aiunt) diametro seiugati, somnia deorum bonitati & prouidentia proculdubio accepta retulerunt, ab illisque cum præmonitionibus quippiã & consulentibus, tum planè vetantibus & prohibentibus, hominum generi salutariter illa præmitti mandarique voluerunt: non cõtemnendamque diuinationis partem, quam Maticen appellat, ex illis nimiru pendere dixerunt. Quãobrem Chrysippus vir magni inter Stoicos nominis, necnon Antipater, & Heracleotes Dionysius, alijque plerique eiusdem dogmatis celebres viri, præclaros de somnijs cõmentarios reliquerunt. Antipho quinetiam Atheniensis inter vetustiores, & Artemidorus ex recetioribus, acutissimi somniorum celebratur interpretes. Horum sententijs medijs quodãmodo fuisse videtur cum Academici, tum Peripatetici, philosophorum omnium sine cõtrouersia facile principes: qui neque somnia pondus habere omnia, futuraque præmonstrare voluerunt: neque rursus omnia inania penitus & irrita esse cõtenderunt: verum illa sæpenumero à corporeis in nobis excitari affectionibus, & cum fantasias quasdam diurnasque cõsequi cogitationes, tum ab innatis intelligentijs motionibusque cõmoueri. Nonnunquam autem diuinitus etiã mitti, cum dormiente & cõsoluto corpore soluitur & vigilat animus, seque ab illo, vt fieri potest, seuocat & abducit, & superioribus adherescit & copulatur naturis: qualia profecto

Et diuina sunt somnia, quæ certe præmōstrare præsignare uel futurorū ad-
huc in obscuris iacētia euēta certissime posse creduntur. Quapropter Py-
thagoras & Plato locupletissimi sanè authores, quò in somnis certiora vi-
dere possimus, quodā cultu atq; victu præparatos p̄ficisci ad dormiēdū iu-
bent. Fabaq; idcirco Pythagoreos abstinuisse nōnulli asserūt, quoniā id ci-
bi genus nō minus mētē q̄ vētrē inflare & cōturbare existimetur. Socrates
quinetiā in ijs libris quos de republica cōscripsit Plato, asserit illos qui mo-
derato cultu atq; victu, quieti sese tradiderint, ea animi parte quæ mētis &
cōsiliij est, agitata & erecta, bonarūq; cogitationū epulis saturata, quæ-
tis visa trāquilla & veracia cernere. Quorū sentētijs vniuersa profecto accedere vi-
detur vita, & hominū hac de re ab initio omniū cōstans semper fuit assen-
sus: multa q; insuper ars ipsa medica somniorū prædictionibus cōstāter re-
fert accepta. Quod si testimonijs etiā istuc ipsum cōfirmare quis voluerit,
exemplorū certe plena sunt omnia. Nā, per deū immortalē (vt antiquiora
repetā) quid certius aut diuinū magis illo potuit esse somnio quod Alexā-
dro Macedoni visum, cū rerū scriptores apud græcos pleriq; tum apud no-
stros Cicero memoriæ p̄didit? Qui cū aliquando Ptolemæo familiari suo
assideret anxius, q̄ telo ictus venenato, immēsis doloribus animā agebat,
somnia oppressus secūdū quietē videre visus est draconē eū quē Olympi-
as mater alebat, radiculā quādā ore gestātē, simulq; dicētē quo illa loci nasce-
retur: neq; is lōge aberat: eius autē esse vim tantā, vt Ptolemæū facilē sana-
ret. quāobrē cū experrectus id somniū amicis narrasset, illorū persuasione
misisse q̄ radiculā illā quærerēt: qua inuēta & Ptolemæū cōfestim sanatū di-
cūt: & pleriq; militū qui simili telorum genere fuerāt vulnerati, incolumes
euaferūt. Quæ etiā Simonidis poëtæ somniū vniuersa celebrauit antiq̄tas,
qui cū naufragū quendā in littus eiectū cōspexisset, & misericordia motus
illū sepelisset, nauimq; postridie cōscendere cogitaret, ea quæ cōsequuta est
nocte per quietē ab eo quæ sepultura donauerat, moneri visus est ne id fa-
ceret. si nauigare contenderet, eū sanè naufragio esse periturū. Itaq; Simo-
nidem rediisse, periisse cæteros qui tum nauigassent. Sed quid ego nūc an-
tiqua recolo, cū recētia domesticaq; nobis suppetāt exempla? Ego etenim
(vt de alijs taceam) de charissimi patris morte, qui dū Patauij studijs ope-
rā darē, Venetijs vita functus est, clarissimo certe somnio præmonitus fui.
Sed quorsum hæc? fortasse inquires Sauli. vt itelligas scilicet libellū de som-
nijs quæ latinū facere & explicare aggredimur, tibiq; dicare cogitamus, in-
ter Aristotelis cōmētarios nō cōtēnēdā in se habere naturæ disquisitionē.
siquidē de re p̄tractat illa quæ (vt vidisti) cū dissidētiū inter se philosopho-
rū varias mouerit opiniones, abstrusam profecto & cognitu dignā essen-
tiæ suæ habere rationē nō immerito existimari potest. Vale.

IN LIBELLVM ARISTOTELIS DE SOMNIIS.



Ost hac autem de somnijs est pertractadum: in primis- que cuinam animæ parti obuersentur, & vtrum contem- platiuæ passio sint, an sensitiuæ. ijs enim solis ex ijs quæ nobis insunt, aliquid cognoscimus. Quod si visus opera est visio, & auditus auditio, & omnino sensus ipsum sen- tire: isthac autem sensuum sunt communia, vt figura, & magnitudo, aliæque huiusmodi: propria vero, vt color, sonus, sapor: con- niuens autem & dormiens nullum videre potest animal: similique modo in reliquis: idcirco manifestum est quod in somnis non sentimus. Nõ igitur sensu somnium sentitur.



Ost expeditos de somno & vigilia præclaros (vt vidimus) commetarios phi- losophus in præsentī libello de somni passione quadam quæ somnium appel- latur, & de ijs quæ homines quietis vident tempore, pertractare aggreditur: statimq; à principio de ipso quærit somnio, vtrum ne intelligenti animæ acci- dat parti, an illi quæ sentit, cum ijs sanè solis cognoscitiuis animæ partib; ho- mines vt animaduertantur: ostendetq; vt videbitur, neutrius istarum partiũ de per se somnium esse passionem. Cæterum antequam ad literæ explicatio- nem deueniamus, non erit fortè malũ rem ipsam de qua pertractaturi sumus, altius repetitam enarrare, variatq; de ipsa veterum philosophorum sententi- as recensere, vt ad illam post hac nobis facilius sit accessus. Epicurus igitur & Metrodorus (vt ab ijs ex- ordiamur) necnon Xenophanes (vt aiunt) inania somniorum visa, & vana quædam naturæ lucubria, somnia esse voluerunt, idolis, simulacrorumque imaginibus somni tempore animum nostrum incur- santibus. Cumq; diuinationem ij, & futurorum præensiones à vita penitus exploserint, neque pon- dus etiam vllum habere somnia, neq; ab illis prædici quippiam aut præmonstrari posse asseuerave- runt. Stoicorum autem vniuersa natio, ab ijs tota (vt aiunt) distans diametro, somnia Deorum sanè bonitati & prouidentie ascripsit: ab illisq; cum præmonentibus quippiam & consulentibus, tũ pla- nè vetantibus & prohibentibus, hominum generi illa præmitti asseruit: non contemnendamq; diui- nationis partem (quæ manticen appellant) ex somnijs nimirum pendere dixit. Quamobrẽ Chrysi- pus vir magni inter Stoicos nominis, necnõ Antipater, & Heracleotes Dionysius, alijq; pleriq; eius- dem dogmatis celebres viri præclaros de somnijs cõmentarios posteris reliquere. Antipho quinetiã Atheniensis inter vetustiores (cuius etiã meminit Cicero) & Artemidorus inter iuniores, acutissimi somniorũ celebrãtur interpretes. Cæterum istorum quodãmodo medij, philosophorũ sine controuer- sia primarij, Academici scilicet & Peripatetici, hac de re isthac sensisse videntur. Somnia nãq; neque pondus habere omnia, futuraq; præmonstrare voluerunt: neq; rursus omnia vana penitus & inania esse asseuerarunt, sed aliã quidẽ illa in nobis à corporeis excitari affectionibus, & cum fantasias quasdam, diurnasque consequi cogitationes: tum ab innatis intelligentijs motionibusq; moueri: qua- doque vero diuinitus ea mitti, cum scilicet dormiente & cõsopito corpore soluitur animus & excita- tur, seq; ab illo segregat & abducit: & quemadmodum illius fert natura, dijs ipsis iungitur & copula- tur, qualia profecto & diuina sunt somnia, & præmonstrare præfagireq; dicuntur: & futurorũ adhuc in obscuro iacentia euenta præostendere creduntur. Quamobrem Pythagoras & Plato locupletissi- mi authores, quod somni tempore certiora videremus, preparatos quodam cultu atq; victu ad dormi- endum proficisci asserunt. Fabãq; idcirco Pythagoreos abstinuisse nonnulli asseuerauerũt, quoniam is cibus non minus mentem q̃ ventrem inflare & conturbare existimetur. Socrates quinetiam in Po- litia asserit illos qui moderato cultu atq; victu quieti sese tradiderint, ea animi parte quæ mentis & consilij est, agitata & erecta, saturatãq; bonarum cogitationum epulis, quietis visa tràquilla & vera- cia cernere. Quorũ sententijs omnis profecto astipulata est ætas, & hominũ hac de re ab initio omni- um constans semper fuit cõsensus, somniorũq; euentus complurium, & præmonstrationes, cũ apud græcos, tum apud latinos rerum scriptores, vt postmodũ cõtigerunt, memoriæ sunt prodite. Cæterũ ijs prætermisiss, ne impendio longiores simus, quẽdam etiam hic obiter in mediũ adducere volumus quæ ad rẽ de qua mox pertractaturi sumus, multũ sanè lucis asferre poterunt. Animaduertẽdũ igitur est q; in sensiterijs nostris ab extrinsecis impressæ insignitæq; obiectis quædã permanẽt durantque

DIGRESSIO

Epicurus. Metrodorus. Xenophanes.

Stoici.

Chrysippus. Antipater. Dionysius. Heracleotes. Antipho. Artemidorus. Academici. Peripatetici.

Pythagoras. Plato.

Socrates in Politia.


De somniorũ natura & esse- tia.

20
30
40
50

reliquiæ, simulacra scilicet & imagines ab actu sensilibus impressæ, & quasi in tabellis quibusdã depictæ, vt in commentarioli huius sequenti declarabitur processu. Horum autem simulacrorum & imaginum siue idolorum (nihil enim refert quomodolibet illa voces) quædam integra & illesi vt impressa fuerant restant & perseverant: nonnulla vero conturbantur, & ob nimios caput petentes vapores, confunduntur, neque integri quippiam conseruare possunt: pleraque etiam penitus obliterantur & euanescent, alijsq; ingruentibus occuluntur sanè & intereunt. Quæ igitur idolorum vel restauerint integra, vel ita remanserint, vt non penitus euauerint, sed offuscata vel confusa nihilominus perseverauerint, in ipsum postmodum cor cum vaporibus descendente, qui somni tempore à cerebro deuoluuntur, principio sensitiuo applicata, & inconcinne ingruentia, ipsum sanè haud aliter mouere censerentur, quàm si ab actu sensilibus excitaretur. & hoc certe modo confusa quædam minimeq; constantia efficere somnia non ab re existimantur. Et hæcenus de antiquorum circa somnia sententijs, & naturæ ipsorum essentia sit pertractatum. Ad literæ igitur contextum deueniamus, vbi sanè nos primo docet philosophus somnia non esse passiones ipsius sensus actu, antè nos commonefaciendo quidnam ipsum sit videre, aut audire. siquidem visionis opera ipsum est videre, & auditus audire, & omnino sensus sentire, siue circa propria operentur sensilia, siue circa communia. Vbi communia dicit esse sensilia figuram & magnitudinem, subintelligens etiam motum & tempus. quæ sanè omnia eiusmodi esse dicuntur, quoniam pluribus percipi dignoscij possunt sensibus. Propria autem sensilia dicit colorem, sonum, & saporem esse, quæ solummodo ab vnico & peculiari suo sensu dignosci & comprehendi possunt: de quibus omnibus cum proprijs, tum communibus sensilibus, cum accurate in commetarijs de anima sit pertractatum, non est cur longiores hoc in loco sermones nunc explicentur. Si igitur dormientes neq; circa propria neq; circa communia sensilia operari & agere possunt, circa huiusmodi autem & aliud nihil sensus ipsi actu operantur & agunt, meridiana (vt aiunt) luce clarius est somnia actu sensus non esse passiones: cum & alioquin operari per ipsos sensus ideo contingit nobis, quia sensilia extrinsecus nobis coram fiunt obiecta. In somnis autem, & conuictibus clausisve oculis, nihil sanè nobis obijci occurrere potest quod cerni queat, & visum nostrum mouere. Syllogismi autem ratio in secunda figura hoc sanè constat modo. Qui somniat, circa externa sensilia non operatur. Qui sentit, circa externa sensilia operatur. Qui igitur somniat, proprie non sentit. Non igitur sensationes sunt somnia: neque sensu igitur somnium sentitur aut percipitur.

Somnia & propria sensilia.

circa sensilia operatur



somnia n. sentiens.

Ed profecto neq; opinione. non enim solum quod accedit, dicimus hominem esse vel equum, sed etiam album, & pulchrũ, quorum sanè aliquid vere vel falso sine sensu opinio dicere non potest. Somni autem tempore animam contingit hoc ipsum facere. nam eodem sanè modo id quod accedit, quod homo, & quod pulcher est, cernere conspiciamur. Quinetiam præter somnium aliud etiam quiddam intelligimus, vt cum vigilando aliquid sentimus. De eo enim quod sentimus, sæpenumero etiam aliquid cogitamus. ita & in somnis præter ipsa fantasmata alia plerunque intelligimus. id autem perspicuum esse poterit, si quis mentem adhibeat, & expectatus meminisse contèdat. Iam vero nonnulli talia viderunt somnia, qualia videntur illi facere qui ex memorandi præceptis propositas collocant res. illis enim plerunque accidere solet præter somnium aliud quippiam ob oculos loco ponere fantasmatum. Quapropter perspicuum est quoniam neq; somnium est omne quod in somnis cernitur fantasma: & quoniam quod cogitamus, id opinione opinamur.

Somnia non esse cogitationis opera.

Cum ostensum sit in supra enarratis (vt vidimus) non percipi sensu aliquo somnia, hoc in loco demonstrat etiam Aristoteles opinione eadem percipi non posse. quod sanè est dicere opinionis passiones non esse somnia, id est ipsius cogitationis potestatis. qui cogitant enim, opinari etiam dicuntur. Ratio autem est huiusmodi. Quoniam enim somni tempore non solum dicimus & asentimur quod id quod eregione videtur accedens, est homo vel equus, vel omnino substantia, sed quod etiã

est album, vel bonum. Videns enim ego in somnis (verbi causa) Socratem, non solum dico quod est Socrates, sed etiam quod est simus, quod ventrosus, similique modo de reliquis quae illi accidunt. Assentiri namque opinionationis est proprium: cum nihil aliud sit opinatio, quam suspicio quaedam circa contingentia aliter se habere. Si quidem igitur simum aut ventrosam opinatio sine sensu percipere haudquaquam valet: sensus autem somni tempore quiescunt & otiantur: non sunt certe in somnia opinionationis, id est cogitativae virtutis passiones. Quam etiam rem alia probat ratione philosophus, hoc modo. Si enim dum opinamur, semper consideramus nos opinari: in somnis autem non semper hoc nobis accidere videtur: manifestum sane est quod somnia non sunt opinionationes. Atqui, inquit, oportet cognoscere quod praeter somnium aliud quippiam consideramus. Quispiam enim quietis tempore videns Socratem, saepe numero considerat quod illum in somnis videt. quod mihi aliquando visu sane contigit. Visus enim sum in somnis videre in abdito quodam loco unam reperisse numismatum antiqui operis plenam, & adhuc somno oppressus dicere, profecto hoc est somnium, & non res constans & vera. Praeter somnium igitur aliud intelligimus, cum somniamus nos somniamus cogitamus. Quemadmodum enim in vigilia videns quempiam, non solum illum conspicio, sed etiam illud considero, quod ille a me vere & in vigilia cernitur: pari modo quietis tempore aliquid cernens, quod dormiens & somnians id cerno, saepe numero assevero. Si igitur haec res hoc se habet modo, manifestum est, inquit, quod non omne fantasma somni tempore vere somnium esse dicetur. huiusmodi enim videntur esse somnia, cum minime sint vere somnia, sed fantasmata effecta a sensibus actu precedentibus, quae somni tempore nobis occurrere videntur, cum percipere & diiudicare valemus illa nos prius dum vigilaremus fuisse imaginatos. Vigilia enim quodammodo esse censetur, posse considerare quod id quod videmus, sit somnium. Quod autem saepe numero aliud quippiam somniamus consideremus, perspicuum esse potest, inquit, iis qui mentem adhibeant, contendantque saepius cum a somno excitantur & surgunt, eorum quae in somnis viderint, meminisse. Quemadmodum enim illi qui student & curant meminisse & proferre verbi causa versus quosdam aut orationes quas alio proferente perceperunt, melius recordantur quam illi qui de improviso & ex tempore id ipsum proferre contendunt: ita in ipsis sane est videre somnium. Magis enim & melius meminerunt illi qui experrecti memoriam visu & exercitatione circa visa somnia habilem reddiderunt, quam qui nihil curae huic rei impertierunt. Et haec profecto uniuersalis est explicatio sententiae quae hac in litera continetur. Illud autem, iam vero nonnulli talia videntur somnia, hoc signare videtur, quod nonnulli aliquando somni tempore fantasmata talia videntur de quibus sane considerare valuerunt aliud quippiam praeter fantasmata. Quemadmodum enim, inquit, qui videntur ex memorandi praecipitis propositas collocare res: ita contingit iis qui somnia cernunt, aliud quippiam ob oculos loco ponere fantasmatum, id est in loco illo ubi fiunt fantasmata, videlicet illa quae sunt somnia. Dixit autem ob oculos vel ante oculos, id est manifeste. In somnis enim nullus est oculorum usus. Quo in loco animaduertendum est circa memorandi praecipita adductam a philosopho similitudinem, quod ipse in Topicis suis dixit oportere syllogismos quos nobis proponunt iis quibus cum disputamus, in memoratiua ponere & collocare parte: similique modo si problemata nobis quaedam proponantur: horumque omnium meminisse quoniam proposita modo illa, & quomodo ipsi syllogismi latere non possint: ut videlicet tanquam a regula & canone aliquo excitati de facili possimus similia facere. Quemadmodum igitur illis accidit saepius a quopiam referuato syllogismo vel problemate alia pleraque posse argumetari & proponere: simili modo dormientibus aliud quiddam ante oculos contingit praeter somnium ponere, id est manifeste considerare de aliquo quod non est somnium. Illud autem, quoniam id quod cogitamus, opinionatione opinamur, huiusmodi est: Imaginor (verbi causa) & cogito de sole quod est maior terra, & istuc etiam ipsum demonstro. Accidit autem post talem considerationem quod in somniis non solum videor mihi solem videre, sed etiam imaginari quod is ipse maior est terra.

Quid opinatio: & quid illi sit proprium.

Quae non sint somnia, cum tamen apparent somnia.

Praecipita memorandi.

DE omnibus autem iis intantum est manifestum, quod eadem res qua in morbis vigilantes decipimur, somni tempore eadem efficit passionem: cum sanis etiam, & probe noscētibus, pedalis tamen sol esse videatur.

Vera somnia hoc in loco a non veris scilicet & fantasmatibus diiudicat & discernit Aristoteles: & a quam re fieri dicuntur, magis signat quam ostendit & exprimit: passionemque, id est deceptionem & vanam apparentiam, illa vocat. cuius rei prolixior sane explicatio hoc se habet modo. Quemadmodum enim in morbis quibusdam crassus ascendens spiritus, & caput petens (ea enim in constitutione corporis crassi sane & corpulenti videntur esse spiritus) conturbat crassitudine sua, inordinatque afficit motu, qui febris sane efficitur causa, visum spiritum, efficitque ut decipiamur, existimemusque interdum unum esse duo: pari que sane modo lineamenta quaedam quae in parietum tectorio forte visuntur, picta eo loci videri & apparere animalia facit, cum nulla penitus ibi sit pictura: illarum enim linearum species absque materia in nostrum incurstantes visum, & a crasso illo spiritu conturbatae & confusae, talique aut tali compositae modo & ordine, ob visui spiritus ab eleuatis vaporibus inordinatum effectum motum, praesentium nobis pictarum imaginum apparentiam nimirum praebere videntur: quod admodum igitur in aegritudinibus & morbis istuc apparet, ita & in somnis res se habere videtur. Turbulenti namque

praesentia spiritus, huius sane deceptionis causa esse existimatur. Cū enim sensilia extrinseca in sensum agant, & in sensiteria ipsa: & cū illa quæ in ijs efficitur passio, non solum in ipsis existat sensiterijs, dum sensus circa sensilia operantur, & actu sunt, sed etiam ablati sensilibus adhuc restant reliquæ illorum quædam, & imagines in ipsis perdurant sensiterijs (vt posterius ipse nos docebit Aristoteles) ex ijs profecto reliquijs quæcunque perdurant neque penitus obliterantur & intereunt, somni tempore propter exhalationem & vaporum superfluentem copiam nonnullæ sensitiuo appellentes principio, quoniam tunc spirituum fit retrocessus, & ad internas corporis partes regressus: mouētesque sensum non alio sanè modo quàm externa faciunt sensilia cum actu illum mouent, somniorum proculdubio efficiunt diuersitates. Quando igitur multa fuerit & crassa illa quæ descendit exhalatio, ita vt nos lateat, neque diiudicare possimus quæ somnia cernimus, decipimur tunc, & idola videntes, sensiliumque reliquias, ipsa videmur cernere & percipere sensilia: huiusmodique vera non immerito esse censentur somnia. Cum autem non crassa admodum neque multa huiusmodi fuerit exhalatio, sed mediocri se habens modo, ita quæ nos non lateat: tunc profecto falli non dicimur, sed dormientes adhuc (vt retro dictum est) sepe numero dicimus, hic quidem apparet Socrates, sed non est Socrates, verum illius idolum, & somnij visum. Et eiusmodi sanè non vera sunt somnia, sed fantasmata quædam, & reliquæ externorum sensilium adhuc perdurantes. Ex quibus profecto apparere potest quæ somni tempore descendens spiritus est in causa cur aliquando decipiamur, & vera cernamus somnia: cur interdum non fallamur, fantasmataque potius quædam quam vera videamus somnia. Qui etiam spiritus in morbis quibusdam in superioribus corporis existens partibus in causa etiam est cur iudicio plerumque fallantur homines. Cum autem dixit quæ eadem res, scilicet spiritus, causa est cur etiam in morbis constituti homines, & somni tempore consopiti decipiantur, subdit: cum sanis etiam & probe noscētibus, nedum ægris & dormientibus, eadem nonnunquam accidere videatur deceptio, siue propter immensam spatij distantiam qua cernens à re visa distat oculus: siue quoniam non belle interdum affecta est visio. Videtur enim ijs qui in naui existunt, cum illa commotis, terram etiam moueri: cum illa sanè quiescat, ij vero moueantur. Huiusmodi autem ratio per locum à maiori videtur esse deducta. Si enim vigilantibus & cernentibus sol nobis apparet pedalis: quod etiam ita esse Epicurei voluerunt, qui non dubiā sensuum iudicio veritatem ascripserunt: præterea in naui vectis terra videtur moueri: in quibus manifestissime decipi nos contingit: multo profecto id accidet magis in morbo constitutis, magisque etiam dormientibus nobis.

Vnde fiunt
somnia.

Quæ vera
sunt somnia
& quæ non
vera.

Ratio sumpta
à maiori.



CAeterum siue idem animæ fantasticum, siue diuersum sit à sensitiuo, nihilominus nulla fit deceptio absque videre quippiam & sentire. peruerse enim videre, & perperam audire, vere videtur quippiam est, & audientis: non illud autem quod arbitratur. Somni vero tempore positum est nihil videre, aut audire, neque omnino quippiam sentire. An igitur nihil quidem videre, verum est: nihil autem sensum pati, haudquaquam verum? Quinimmo visionem aliquid contingit pati, necnon alios etiam sensus. Horum autem vnūquodque vt in vigilante applicat quidem quodammodo se sensui, non autem eo applicat modo vt in vigilante. Et aliquando quidem opinio asserit quod falsum est id quod videtur, plerumque autem fallitur, & fantasma cōsectatur. Quod igitur neque opinantis est, neque cogitantis isthæc passio quam somniare vocamus, manifestum sanè est: sed neque sentientis simpliciter. Videre nanque esset, & audire simpliciter. Verum quo id fiat modo, perscrutandum est. Supponatur igitur, quod alioquin est manifestum, quæ sensitiui sit passio, quandoquidē & somnus. Non enim in alia quidē animalium parte inest somnus, in alia vero somnia videre, sed in eadē. Quoniā autē de fantasia in cōmentarijs de anima dictū est: & est quidem cū sensitiuo idē ipsum fantasticū: esse autem aliud fantastico est, & sensitiuo: est autem fantasia, ea quæ à sensu actu facta est motio: somnium autem quoddam apparet esse fantasma:

quod enim in somnis cernitur fantasma, somnium appellamus, siue simpliciter, seu quodam modo fiat: manifestum profecto est quod sensitui quidem est somnia videre, huius autem ut est fantasticum.

Quia retro dixerat Aristoteles quod diuersum ab ipso fantasmate est somnium, quæ tamen ambo somni tempore vident homines: namque verum est somnium, cum decipiuntur plerique creduntque se vere quod in somnis cernunt, videre: fantasma vero, siue visum id sanè dicitur esse, cum quis somni tempore videt quidem aliquid, diiudicare autem potest se non vera videre, sed somniare: qua in re nulla sanè est deceptio aut error: cum hoc inquam sit retro explanatum, prosequendo philosophus subdit quod siue eadem sint virtus fantastica & sensitua, siue diuersæ sint animæ potestates: (quod iccirco ambigendo ponit, quoniam in alijs est pertractatum quomodo eadem, & quomodo diuersæ sint virtutes: & paulopost etiam de hac ipsa loquetur re) nihilominus, inquit, ista deceptio, quæ scilicet in vero fit somnio, non fit absque videre & sentire aliquid, id est, non fit deceptio ista nisi veri quippiam cernatur. Quo in loco animaduertendum sanè est quod iccirco nos in textus translatione deceptionem posuimus, cum textus sic sonet græcus: nihilominus non fit absque videre, & quippiam sentire. quia defectiuus apparet esse sermo, & huiusmodi subintelligi videtur verbum, quod nos perspicuitatis gratia addendum esse duximus. Quod autem somni tempore non fiat deceptio, nisi quippiam etiam veri cernatur: hoc philosophus declarat modo. Quædam modum enim, inquit, male & peruerse audire dicimur, cum aliquid quidem audimus, sed non illud quod audire nos arbitramur: similisque modo peruerse videmus, cum quippiam cernimus, sed non id quod cernere existimamus: ita somni tempore nobis contingere videtur. Licet enim in veris somnijs decipiatur, aliquid tamen veri cernimus: quod nisi cerneremus, non profecto somnium videre diceremur. Hoc autem constituto, & ut vidimus, explanato, philosophus quasi sibi occurrentem afferens instantiam, subdit: Somni vero tempore positum est nihil videre aut audire. quasi dicere velit, non recte sanè dixisse videmur quod somni tempore similis est deceptio ipsi obauditioni (sic enim malam & corruptam auditionem nunc dicamus) aut peruerse visioni. peruersa namque visio, & ipsa obauditio fiunt eò quod audiamus vere aut videamus aliquid. Somni autem tempore nihil nec audimus nec cernimus. Hanc igitur hoc in loco ad prædicta afferens philosophus instantiam, clarissime illam dissoluit, nihil quidem videre aut audire asseuerans somniantem, sicut extrinseca percipiunt sensus obiecta: visionem tamen & auditionem, aliosque præterea sensus somni tempore sentire & percipere nimirum posse, quoniam aliquid videntur pati, & quodammodo affici. In litera autem illa quæ statim sequitur, ubi scribitur: Horum autem vnumquodque ut in vigilante &c. per illud vnumquodque, intelligere debemus reliquias & imagines quæ remotis etiam externis sensibus in ipsis referuatæ sensiterijs perdurant, quas diximus ad sensituum principium somni tempore cum retrocedentibus exhalationibus peruenire, illudque pulsare. Dicit igitur quod vnumquodque horum ut in vigilante applicat quidem & inferuntur sensitui principio: non autem eodem inferuntur modo somni tempore ut in vigilantibus contingit. Inferuntur enim vigilantibus imagines & figuræ sensilium sensitui principio, dum sensus scilicet circa sensilia operantur obiecta quæ extra sunt posita. Non similiter autem id dormientibus accidit nobis, sed alio & alio modo: & interdum quidem (ut retro diximus) quando videlicet non est multa neque crassa exhalatio, opinio, id est cogitativa virtus (ad hanc enim ipsum opinari & opiniones nimirum referuntur omnes) dicit & asserit quod falsum est id quod videtur. non enim est Socrates (verbi causa) sed Socrati simile simulacrum. Interdum autem cum multa & crassa se circumfuderit exhalatio, cogitativa sanè ipsa fantasma sequitur, id est non diiudicat se somniare, & falsa videre, sed circa vera se versari existimat. Et hæc nimirum est deceptio illa quæ proprie somnium appellatur. Quoniam autem spiritu mediante per quem fiunt somni, ipsa etiam fieri dicuntur somnia: somnus autem (ut retro est demonstratum) sensitivæ est animæ partis passio: manifestum sanè est quod somnia etiam eiusdem erunt animæ partis passiones siue affectiones. Quamobrem clarissimum utique erit quod vnius & eiusdem rei cum somni ipsi, tum somnia sunt passiones. Quæ deinde sequuntur, clara sanè sunt, ubi dicit quod sensitivum & fantasticum eadem subiecto existunt, diuersa vero ratione. quod plerisque in locis est declaratum, peculiariter autem in commentarijs de anima. Illud autem quod in textus calce adducitur, Quod enim in somnis cernitur fantasma, somnium appellamus, siue simpliciter, seu quodam modo fiat: dictum est propter id quod retro declarauimus. non enim omnia fantasmata simpliciter & proprie dicuntur somnia, quanuis in somnis appareant, sed illa à quibus decipiuntur (ut diximus) & quæ vere cerni existimantur. namque alia non proprie somnia, sed huiusmodi lato appellantur vocabulo, quæ vulgo visiones vocant. Illud autem, manifestum profecto est: & reditio sanè, & integri sensus est comprehensio, qui ad supra enarratum refertur: Quoniam autem de fantasia &c. Concludit autem philosophus quod ipsius sensitivæ animæ potestatis est videre somnia: non certe ut sensitiva est (proprie namque externa sentit obiecta) sed ut est fantastica, id est ut eadem est subiecto cum fantastica animæ potestate, cuius obiecta, id est reliquias & idola simulacra ve somni tempore primum sanè mouent sensitivum.

Sensitivum & fantasticum eadem subiecto: diuersa ratione.

Somnium à visione aliud esse.



Vid autem est somnium, & quonam fiat modo, ex ijs quæ somni tempore accidunt, maxime cognoscere poterimus. Sensilia enim per vnumquodque sensiterium in nos sensum efficiunt: ea autem quæ ab illis fit passio, non solum operantibus sensibus sensiterijs inest, sed etiam cum recesserint. Similis enim isthæc videtur esse passio ijs quæ sunt lata. Huiusmodi nanq; nihilominus mouentur quanquam motor illa amplius non attingit. is enim aërem commouit, qui iterum commotus aliam aëris partem commouit: & hoc sanè modo quoad consistat, cum in aëre, tum in humore facit motum. Similiq; modo in alterationibus fieri existimandum est. quod enim à calido calefcit, proximum calfacit, & ad initium vsq; deducit. Quamobrem in illo quod sentit, cum alteratio quædam sit is qui actu est sensus, id ipsum contingere necesse est. Quapropter passio hæc est non solum operantibus sensiterijs, sed etiam cessantibus, cū in profundo, tum superficie tenus. Manifestum autem id est cum continenter aliquid sentimus. nam licet sensum transferamus, ea nihilominus comitatur passio: vt de sole ad vmbra. Contingit enim nihil tunc cernere ob motionem à lumine adhuc in oculis restantem: nec minus si ad colorem quempiam longo conspexerimus tempore, vel album, vel viridem, eiusmodi profecto apparet omne id ad quod visum trāfferimus. Similiq; modo ad solem, aut aliud quippiam splendidum conspicientes si conuerimus, apparet obseruantibus è regione qua visum cernere contigerat, primo quidem idem color, postea vero in puniceum conuertitur, tum in purpureum, quoad ad nigrum perueniat colorem, & euanescat. à re præterea commota mutantur, vt à fluminibus, & ab ijs maxime quæ concitatissime fluunt, quæ quiescunt, apparent moueri. Ab excellentibus quinetiā sonis surdastri homines redduntur, & à valentibus odoribus male odorantes: similiterq; in alijs. Et isthæc quidem hoc manifeste accidunt modo.

Cum in ijs quæ retro dicta sunt, declarauerit & ostenderit Aristoteles cuiusnam animæ partis sint somnia per se passiones: hoc in loco quidnam sint, quòve fiant modo, nos docere contendit, ponitq; patentibus sanè & accuratis verbis id de quo aliquotiès verba fecimus, quòd videlicet sensilibus non solum præsentibus, sed etiam absentibus passio quædam & affectio ab illis inusta restat & permanet in ipsis sensiterijs, quæ illa sanè mouere possit, licet alio rationis modo quàm cū præsentia fuerint oblata sensilia. id autem multis & euidetibus exemplorum testimonijs probare nobis & manifestare contendit: primòq; loco proiectorum nobis efficacem sanè adducit similitudinem: vbi primo separato mouente, neq; amplius rem motam contingente, successione adhuc mouentium in illa perstat & remanet motus, quoad mouentium paulatim deficiant vires, quas primus impressisse & subministrasse mouens censetur. Hocq; in aëre & in humore, id est aqua, huiusmodique rebus fieri asseuerat. Lapis nanq; à Socrate (verbi causa) in aquam coniectus, partem aquæ illius vbi decidit, mouere videtur: illa vero commota proximam certe mouet: & illa iterum aliam: neq; huiusmodi in gyrum conuolutæ cessant motiones quoad primi motoris illis impressæ perstiterint vires. Similiq; modo in alterationibus cōtingere etiā dicit. Parte enim (verbi causa) calefacta vna, vicinam etiam calefcere animaduertimus, eundemq; vel similem calorem intercedente illa in aliam etiam remotiorem deriuari, quoad ad initiū deueniatur. hoc sanè in loco initium appellans, vbi ille desinit calor, & vbi motionis illius est quies & cessatio. Quod etiam in sensibus fieri non ab re dicit esse, cum quidam alterationum motus ipsi sint sensus, vel non sine alteratione fiant quædam. In profundo autē dixit, vel superficie tenus, propter sensilium impressas imagines, quæ interdum quidem stabiles sunt

De proiecto-
rum motu.

Non sine al-
teratione ali-
qua fieri sen-
sus.

& permanentes, aliàs autem leuiter insignitæ, & quodammodo euanidæ, translatione non inconcinne sumpta ab annulorum sigillis quæ ceræ tum leuiter & superficiè tenus imprimi cernuntur, tum valenter & profunde sunt insignita. Cæterum haud contentus sanè his philosophus in tam clara re alias etiam non minus perspicuas adducit ostensiones, species & similitudines declarans ab obiectis sensilib⁹ in sensiterijs nostris, illis iam remotis & absentibus, remanere. Si enim quispiam, inquit, solem contuitus fuerit, postmodumq; ad vmbra transierit, neq; solis amplius contueatur iubar, is profecto aliquandiu nihil cernere valet. adhuc enim luminosi corporis illi ob oculos obuersatur species, vniuersumq; illius occupat visum, disgregatōsq; & dissipatos adhuc à lumine visiuos habet spiritus. Quod in splendida etiam corpora, necnon actiuo aliquo & efficaci colore delibuta contuetibus visu euenire solet. in illa enim aliquandiu conspicientes, visumq; postmodum ad alia transferentes, omnia sanè eodem infecta cernunt colore, siue albus is fuerit, siue ceruleus, aut viridis. impressè enim in illorum oculis & persistentes adhuc prius conspictorum colorum restant species. Et quoniam licentior hac in ostensione Aristoteles vsus stylo, cōsuetæ sibi oblitus esse breuitatis planè videtur, rursus ad solis conspicti similitudinem reuertitur, dicitq; ab illius lumine insipientium oculos occupari adeo, vt illis postmodum conuiuentibus & clausis, si ad illam respiciant partem, primum quidem illis idē appareat color, solis videlicet splendescens: postea vero specie illa paulisper deficiente, & se remittente, puniceus sanè illis apparet color, qui adhuc quidem est splendescens, verū subobscurior, quali coloris apparētia ex oriente die matutino auroræ crepusculo clarum suffunditur cælum: isque postmodum deficiens magis, in purpureum sanè transire percipitur colorem: in qua certe coloris specie luci cum obscuro maior est permixtio. quam tandem speciem iam euanescentem, neq; amplius perdurare valentem, in suum contrarium, id est nigrum deficere asserit. Et non solum huiusmodi in rebus istuc accidere dicit, vt species scilicet abscedentibus obiectis remaneat & perdurent, sed etiam in alijs diuersi generis contingere. Si quis enim, inquit, in concitatissime currentem aliquandiu despexerit fluuium, is sanè si aliò oculos deflexerit, stantes certe res veluti motas conspiciet, moueriq; cum ædificiorum exstructiones, tum terræ infixæ stirpes illi manifeste videbuntur. Motus enim ob oculos illi obuersatur species, & semel percepta durat & permanet imago. Similiq; modo ab excellentibus quidem sonis furdastris fieri videmus multos: vt à priscis rerum scriptoribus memoriæ traditū est illos esse qui iuxta cadentem habitant Nilum: quæ locū Cataractas appellat. Et ab excellentibus quinetiam odoribus male odorantes efficiuntur multi. omnis enim excellentia vel corrumpit sensum si superfluës & nimia fuerit, vel illum penitus occupat, suumq; proculdubio esse facit. Vniuersa autē ista per longum (vt patuit) processum fuere adducta, vt clarissimam ostendant rem, sensilia videlicet cum sensum moueant, si semel efficaciter mouerint, nonnulla sui vestigia in sensiterijs relinquere, quæ illis etiam absentibus perdurantia, agere quippiam possint.

Abcedentibus
obiectis im-
pressas rema-
nere species.

Excellentes sensu
sile sensum
corrumpens.
Nili Cataractas
ctas.

Quod autem sensiteria celeriter paruas etiam sentiant differen-
tias, indicio est id quod in speculis fieri animaduertitur: qua de
re secum considerans quispiam, perquirere sanè & ambigere pos-
set: & simul ex hoc erit manifestum, visum vt aliquid patitur, ita aliquid
etiam agere. Si enim in menstruorum profluuijs mulieres in nitida con-
spexerint specula, summæ eorum parti nubecula quasi cruenta imprimi-
tur. quæ, si nouum fuerit speculum, haud leui sanè negotio inde abstergi-
tur. si vero antiquum, non adeo est difficile. Causa autem (vt diximus) est
quod non solum ab aëre aliquid patitur visus, sed agit aliquid & mouet,
quemadmodum alia splendida. Visus nanq; de splendescentium ordine
est, & colorē habentium. Oculi igitur rationabiliter afficiuntur, vt quæuis
alia corporis pars: & alioquin natura venularum sunt pleni. Quamobrè
excitis mensuris propter conturbationem & sanguineam ebullitionem
in nobis quidem quæ in oculis est differentia non apparet, quæ tamen in-
est. Eadem enim natura genialis est seminis, quæ menstruorum. Aër au-
tem ab illis mouetur, aëremq; speculo proximum & illi cōtiguum eadem
afficit qualitate, quali ipse affectus est: is autem speculi summam partem:
quemadmodum vestimenta quæ maxime sunt nitida, celerrime maculas

contrahunt. Nitidum enim quicquid accipit, accurate indicat, minimaque in primis motiunculas. Aes autem quoniam laeue est, qualemcunque maxime sentit contactum. Considerare autem oportet aeris contactum illum quasi attritum esse quendam, & absterfionem, & lotionem. ob puritatem vero, quotacunque fuerit, conspicua apparet. Cur autem non celeriter a nouitijs exeat speculis: cum nitor, tum leuitas in causa est. Aliter enim in eius modi sidunt maculae, & quoquouersus diffunduntur: propter puritatem quidem ad fundum: ob leuorem autem quoquouersus. In antiquis vero non perstat, quoniam non aequae penetrat macula, sed superficie tenus magis. Quod igitur a paruis motiones fiunt differentijs, & quod velox est sensus, quodve non solum patitur colorum sensiterium, sed contra etiam agit, ex ijs sane manifestum est.

Quoniam (vt retro vidimus) dixerat Aristoteles, multisque etiam rationum euentijs confirmauerat a sensili re in ipsis sensiterijs quandam effici passionem, quae restaret remota etiam & absente re illa: hoc in textu probare intendit & ostendere quod non solum patiuntur sensus a sensilibus, sed etiam agunt quippiam: idque ex quadam accidentis declarat appa-
 rentia, quae sane sic se habere conspicitur. Si enim menstruorum tempore foemina in speculum leue & bene tersum conspexerit, illius certe contuitu speculi deperit nitor, nubeculamque (vt ipse ait) cruentam in superficie contrahere cernitur. quod profecto haudquaquam contingere posset, nisi visus ipse quippiam in speculum ageret, & non solum pateretur illius imagines & simulacra recipiens. Huiusque rei causas hoc in loco philosophus per totum ferè literae huius contextum inuestigare traderetque contendit, similitudines adducens & exempla nonnulla cur id merito contingere existimetur: multisque profecto in hac ostensione, vt etiam in superiori, videtur esse Aristoteles. Et haec quidem pro omni praebata sint textu. Particulatim autem primo declarat non solum vehementes sensilium motiones (quod retro dixerat) a sensibus praesentiri, sed paruas etiam & leues illorum recipere actiones & impressiones. quam rem statim a speculorum imaginibus, refractisque declarat speciebus, quae cum leues admodum sint & spirituales, in visum tamen agere possunt. Atque hinc super principali reflectitur proposito, dicens palam esse quod sensus visus de quo in praesentia est sermo, non solum patitur suscipiendo visilium scilicet species, sed etiam quippiam agit. speculorumque exemplo istuc ipsum probare contendit: quae profecto si fuerint nitida & bene tersa, maculas quasdam contrahere videntur si menstruis profluentibus in illis mulieres conspexerint. Neque hoc inquit esse mirandum, cum eo praesertim tempore sanguis in illis conturbetur maxime, & ebulliat: & cum vniuersam corporis molem, tum oculos maxime petat & occupet ob venularum in illis existentium copiam. quamobrem macula illa siue nubecula speculis inusta, sanguinis quodammodo colorem referre videtur. Magna enim uero illi malo inest vis: & vt rerum plerique asserunt scriptores, non solum speculis nitorem adimit, sed ipsis etiam nocet foeminis. si quidem illitum id virus abortum facere dicitur: satisque insuper omnibus esse pestiferum, & praegnantibus noxium animalibus. Quo in loco animaduertendum esse censeo quod in litera ubi dicitur, Oculi igitur rationabiliter afficiuntur, vt quaeuis alia corporis pars: & alioquin natura venularum sunt pleni: quamobrem excitis menstruis propter conturbationem & sanguineam ebullitionem. defectiuus videtur esse sermo: illique sane addi oportere censeo, hoc videlicet, huiusmodi fit passio. siue, in speculis fit nubecula. siue aliud quippiam eiusmodi. Nam statim subdit in nobis quidem in genitalis seminis emissionem similem in oculis fieri differentiam, non apparere autem in speculorum nitoribus, propter album illius colorem, licet & menstrua, & semen genitale eiusdem esse naturae censeantur. vtrunque enim vltimae digestionis in animalium genere superfluitas quaedam esse perhibetur. Post haec istiusmodi actionis passionisque modum recenset philosophus, dicens sanguineam exhalationem ex menstruate mulieris oculis per immanifestos exeuntem: meatus propinquum sane inficere aere, qui postmodum sibi contiguo eundem infligit passionis affectum: similique modo ille aliam aeris inficit partem, quoad speculi summam partem, id est, superficiem is pertingat aer, a quo sane illa traducitur passio, speculorumque infligitur: quae nimirum in tersis nitidisque speculorum orbibus & cito inducitur, & manifeste apparet. pura enim quaecunque & nitida cum maculas celerrime contrahunt, tum illas clare ostendere & indicare videntur. quam sane rem a nitidarum similitudine vestium clarissime ostendit philosophus. Quoniam autem propter aeris ad speculum contigui attritum & confricationem quandam vel absterfionem, talem vult effici passionem philosophus: id ipsum etiam exemplo fulcire & ostendere nititur, dicitque aes laeue & politum qualemcunque maxime sentire contactum, id est, laeuore suo & poli-

Refractas a speculis imagines in visum agere.

Cur menstruorum tempore mulieres speculorum nitore maculent.

Admiranda menstruorum vis.

Genitale semen & menstrua mulierum eiusdem esse naturae.

tura manifestas maxime nobis ostentare in se existentes maculas : vel ad quemcunq; contactum resonat (ita enim hic etiam exponi potest locus) quoniam in illo nō frāgitur neq; dissipatur aër, sed integer permanet & resonat. Quemadmodum igitur læuore suo aër omnem sentit cōtactum, vt scilicet vel inficiatur, vel resonet: ita speculorum nitor & paruas tactus sentit differentias, & illas clarissime ostendere potest, cum propter speculi læuorem partes illę subtiles non dissipentur, sed continuitatē referuantes suam (vt in sonis est videre) speciem & imaginem ostentant suam. Pro quo animaduertēdum cenſeo, quōd exemplum de contacto aëre magis quadrat proposito, si de macula cōtracta intelligatur, quæ propter aëris læuorem nullo negotio clarum sui affert indicium, quā si de sonis intelligatur. potest enim aër adeo leui contactu attingi, vt nullus ex eo elidatur sonus. Quamobrem, inquit, patere potest solutio ad quæſtionem in textus principio adductam : cur scilicet in nouitijs speculis inuſtæ à menstruatis fœminarum oculis non de facili abstergantur maculæ : in antiquis autem non idem contingere videtur. ob læuorem enim, inquit, illorum splendidūmq; nitorem tum cōtinuæ apparent maculæ, non interpolatæ inæqualitatibus quibusdam, tum etiā profundæ videntur. Læuor enim ille continuitatis est causa : nitor autem & puritas, quōd bene & alte descendentes appareant maculæ, sanè efficit. In antiquis autem cum is non sit læuor (tempore enim multæ abſcedentes ab illis particulæ, illorum sanè superficiem inæqualem reddunt) non eadem certe continuitas inueniri poterit: & cum similis adeo non adsit nitor & puritas, neq; ita ingredi maculæ illæ, neq; adeo manifeste apparere poterūt. Specula autem vel aërea, vel ex chalybe, aliquāve metallorum mixtura, hoc in loco debent intelligi, vt arbitror: quæ apud antiquos in communi erant vſu. Suprà dictorum vero postmodum breuis subditur epilogus.

Responsio ad
retro adductā
quæſtionem.

Testimonio autem ijs quæ dicta sunt esse possunt cum ea quæ vis
nis accidunt & vnguentis, tum factitium oleum, & vinum.
Proximarum enim rerum celeriter odores recipiunt: neq; illo-
rum modo quæ iniecta aut commixta sunt: sed eorū etiam quæ iuxta do-
lia reponuntur, aut adnascuntur, odores capiunt.

Quoniam retro (vt vidimus) à philosopho præmissum est speculorum nitorem aëre interce-
dente & medio ab oculis mulieris menstrua habentis infici, & maculas contrahere, hanc nos
bis attestatam vult etiam esse rem ex ijs quæ vis & oleis manifeste contingere videtur.
Testimonio enim, inquit, esse possunt ea quæ vis accidunt, nec non oleum, & vnguenta.

30 In huiusmodi nanq; omnibus factitia quidem cum hærbarum & seminum variorum, tum iniectorū
etiam aromatum diuerſos reddūt odores. Hinc apud medicos rhodinum legitur oleum, & mastichis
num, & nardinum, aliq; huiusmodi factitia olei genera denominantur. Neq; ab ijs differentia apud
eosdem vina reperiri factitia contingit: quæ omnia de vnguentis etiam dici possunt. omnia nanque
ista impositarum rerum varios capiunt odores. Cæterum in vis etiam peculiari quadam sui natura
istuc ipsum fieri præcipue videtur quod à philosopho hoc in textu recensetur. proximarum nanque
rerum contagio extraneos recipere odores nihil æque ac vinū deprehenditur. Hinc est quōd ij qui de
vis scripsere authores, deq; illorū repositorijs, cellisq; vinarijs, procul ab illis faceſſere iubent omnia
sanè quæ male olent: ita quōd neq; sterquilinijs vicinent, neq; illis adiaceāt cloacæ. Arborū quinetiam
radices annatarum, ficus præcipue & caprifici, odoris ingrati causa procul esse iubent, ob facilem o-
40 dorum omnium in vina transitum. Dolijs quinetiam interualla dari iubent, ne vicinitate serpent vi-
tia, vini contagione semper occyſſima. Id autem alio fieri non potest modo, nisi aëre intermedio, vt
in speculis dictum est quæ à menstruofarum oculis mulierum maculas contrahunt, vicinum per-
transeat & deriuetur malum.

Vini naturam
facile omnes
recipere odo-
res.

Adeam autem disquisitionem quæ initio proposita fuit, vnum
quidem supponatur, quod ex antè dictis est manifestum, quōd
scilicet abſcedente externo sensili, sensiles restāt imagines. Præ-
terea etiā quōd faciliter in perturbationibus versantes, facile in ipsis deci-
pimur sensibus: in alijs vero alijs: vt formidolosus in metu: amator in amo-
re: vt ex parua plerunq; similitudine illi quidem hostes cernere videatur:
50 huic vero rem amatam. Et istuc ipsum quo quisq; perturbator fuerit, eo
à minori apparet similitudinis nota. Eodēq; modo in ira, cupiditatibusq;

omnibus facile decipiuntur omnes, eoque magis, quo in perturbationibus fuerint magis. Quãobrem febre laborantibus ex modica interdum similitudine linearum compositarum animalia in parietibus apparēt: huiusmodi res interdum ita cum morbis intenduntur, vt nisi valde à morbo fuerint oppressi, illos non lateat quòd falsum est quod cernunt. quòd si valentior fuerit morbus, ad illa etiam mouentur.

Post ea quæ retro dicta sunt, & tanquam digressionis cuiusdam modo enarrata, ad principale reuertitur propositum Aristoteles, duasque in primis adducit suppositiones, quarum altera quidem ex ijs quæ dicta sunt, est manifesta: alteram vero ipse nonnullis rationum declarat euidētis. Primo igitur supponit, quòd ex commemoratis clarum esse dicit, idola siue simulacrorum imagines quæ ab extrinsecis fiunt sensilibus, illis sanè absentibus & remotis, in ipsis sensiterijs perdurare, quæ profecto mouere illa possunt, & ideo sentiri. Secundo autem supponit loco, quòd etiam statim probat, quòd in sensibus ipsis multæ fiunt deceptiones, illis præcipue qui in excellentibus versantur animorū perturbationibus. occupatus namque in re quapiam animus, totusque ex illa pendens, haud recte alias discernere & diiudicare valet: paruisque momentis & similitudinibus modicis illuc sanè quo vergit trahitur, & secundum prævalentem in se perturbationis cuiusque iudicat motionem. Formidolosus enim, inquit, cum in excellenti timoris iactetur salo, paruula similitudinis oblata nota hostes se videre semper existimat. Si enim quempiam à longe conspexerit accedentem armatum, fugit illico & delitescit, armorum occasione illum iudicans inimicum & hostem, qui illius fortasse amicus est & hospes. Similiterque rationis modo ille qui amoris conflictatur curis, vel à vestium colore quopiam excitus, vel à simili capitis ornatu commonefactus, dum aliam cōspicit, amatam se videre existimat puellam. Eoque magis eiusmodi fieri deceptiones inquit, quo perturbatio illa intenditur magis. Magis etenim perturbati cum decipiuntur magis, tum minori vt id ipsum patiantur, & omnino fallantur, similitudinis indigent nota. Quòd etiam in iracundia, & omnino in quacunque vehemēti animorum perturbatione manifestissime apparere dicit. conturbati enim homines, & vehemētibus animi commotionibus agitati, paruo negotio decipi & falli possunt. Quam sanè rem claro etiã febrientium & ægrotorum declarat exemplo. In huiusmodi enim constitutionibus propter vehementem humorum ab extraneo calore agitationem, peruersa cum mentis, tum oculorum etiam apparent iudicia: pictasque sæpenumero in parietum tectorijs conspicientes siue lineas, seu inhærentes maculas quasdam, exigua inducti similitudinis apparentia, maculas sanè illas animalia esse suspiciantur. Quòd mihi aliquando in ardentissima febre vsu euenit. Illud autem, Nisi valde à morbo fuerint oppressi, illos non latet quòd falsum est: talē videtur habere sensum: si quidem non valde ægrotauerint illi, & male se habuerint, sed mediocriter à febre fuerint vexati, non sanè latebit eos quòd illud scilicet quòd in parietum tectorijs apparet animal, vere non est animal. illos igitur non latet, sed bene comprehendunt quòd id nō est animal, sed lineæ quædam vel maculæ in tectorio parietis ita iacentes & compositæ. Quòd si validus & vehemens fuerit morbus, plerumque latet veritas, creduntque se videre animalia, & ad illa mouentur, id est, de illis ita iudicant.

Causa autem cur hæc ita eueniant, est, quoniam non eadem potentia princeps iudicat pars, & ea in qua fantasmata fiunt. Indicio autem esse potest, quòd sol quidem pedalis apparet: sæpenumero autem aliud quiddam contra fantasiam reclamationat. Digitorum quinetiã commutatione vnum duo videtur: veruntamen non dicimus esse duo. Certior enim tactu est visus. Quòd si solus esset tactus, iudicaremus profecto vnū esse duo. Deceptionis autem causa est, quòd non modo sensibili motu apparent quæcūque videntur, sed ipso etiam sensu commoto, si quidem eodem modo moueatur quo à sensibili: verbi gratia terra nauigantibus moueri videtur, cum ab alio visus moueatur.

Quoniam retro dixerat Aristoteles quòd in mediocribus morbis apparentes in parietum tectorijs lineæ siue maculæ videntur quidem esse animalia ipsi ægrotò, non latet autem illum quidnam vere sint, neque omnino decipitur: hoc in textu assignare nobis intendit causam curam lineæ illæ siue maculæ cum appareant animalia, nihilominus haudquaquam

fallūt mediocriter ægrotantē illū. Dicit igitur, causa autē cur hæc ita eueniāt, id est, q̄ appareāt quidē animalia, non decipiatur autē ille: vel etiā quòd appareant, & ille fallatur (vtrifq̄ enim idem quadrare potest sermo) est, q̄ non eadem potentia iudicat princeps & domina pars, & ea in qua fantasmatata fiūt. Vbi per principem partem, cogitatuam intelligit, siue intellectum: per eam vero in qua fantasmatata fiunt, ipsum sensum. Non enim eadē vis est mentis & sensus. sensus nanq̄ ægrotare possunt, & male se habere: mens vero ipsa recte valere. & huiusmodi de re à Galeno medicorum præcipuo
 10 plerifq̄ in locis multa & præclara fuere conscripta, qui cum Aristotele bene conuenire videtur. Quādo igitur fantasia quidem ægrotat, mens vero bene valet, apparent quidem lineæ vel maculæ in parietis tectorio existentes, animalia: intellectus autem & mens reclamāt, illa non esse animalia asseuerantes. Quando autem simul cum sensibus ipsa etiam patitur mens, & non belle habet, tunc certe circa apparentia illa fallitur, perperamq̄ iudicat, assentitq̄ illud esse quod non est. Postquam autē dixit quòd non eadem potentia mens & sensus iudicant, subdit statim: Indicio autem esse potest & c.
 20 indicium & signum inquit esse, quoniam visioni quidem sol pedalis apparet quantitatis, ipsa autē reclamat mens, & cogitativa animæ vis, asseritq̄ illum nedum tam exiguæ non esse quantitatis, sed multis etiam partibus tota terra esse maiorem. Si autem eadem potentia cum sensus, tum ipsa mens iudicarent: quod ipsi profecto videretur sensui, idem etiam menti & cogitatiuæ appareret. Cæterum quid nos (quasi dicat) in præsentia contendimus quòd non eadem potentia iudicant sensus & intellectus, quando neq̄ sensus etiam ipsi eadem potentia diiudicare percipiuntur? Perfectiorū etenim sensuum & nobiliorum perfectiores & accuratiores perhibentur esse potentia. In digitorū enim cō-
 30 mutatione, vnum duo videtur. Si quis enim medium super indicem posuerit cancellatim, quippiamq̄ postmodum extremis illis tetigerit digitis, illud certe vnum existens sibi duo esse videbitur. quod nos sæpenumero in pilula vel ciceris grano experti sumus. Tactui igitur id sanè quod vnum est, duo esse videtur. visus autem non duo esse asserit, sed vnum. Certior autem arbiter & iudex hac in re visus est quàm tactus. Quem etiam auditu ipso certior lepidissimus poëta Plautus asseuerat, cum dicit: Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem: Qui audiunt, audita referunt. qui vident, planè
 Plautus.

40 sciunt. Si igitur eadem potentia non iudicant tactus & visus, nam si iudicarent, idem sanè semper iudicarent: multo certe minus mens & sensus eadem potentia iudicare existimabuntur. His de cursis Aristoteles sensuum deceptionis veram & attestatam nobis adducit causam, dicens quòd non modo sensili moto, id est mouente, apparent quæcunq̄ videntur, sed etiam ob ipsorum sensuum motum, cum scilicet in seipsis mouentur vt ab externis mouerentur sensilibus, nonnulla peruersè cerni videntur: quod in ijs apparet qui in perturbationibus positi vehementibus, ex parua rerum similitudine perperam iudicare animaduertuntur. Cuius rei clarissimum statim ponit exemplum eorum qui nauigijs vectantur. Cum enim nauis agitatione, illorum commoueatur visio, stantem & immotam terram motari iudicant: qua in re manifestissime illos decipi certum est.

HX his sanè manifestum est quòd non solum vigilantibus adsunt motus & qui ab externis fiunt sensilibus, & qui ab ipso sunt corpore: verum etiam cum ea fit passio quæ vocatur somnus, tunc apparent magis. Interdiu enim ab operantibus exturbantur sensibus & cogitatione, obscuranturq̄, vt exiguus ignis à magno, modicæq̄ mœstitiæ
 40 & voluptates ab immodicis. illis autem cessantibus parua etiam eminet: noctu vero propter partialium sensuum vacationem, & agendi imbecillitatem, quoniam calidi ab extrinsecis ad intrinseca refluxus fit, ad sensus principium deferuntur, fiuntq̄ manifesti composito tumultu.

QVoniā retro dixerat Aristoteles q̄ non solum à sensili extrinsecus mouēte apparent simulacra quæ cernuntur, sed etiā à sensibus ipsis de per se motis, id est intrinsecus, cum eo mouētur modo, quo etiam ab extrinsecis mouerentur obiectis, ipsa etiam apparēt simulacra: istuc ipsum magis declarando prosequitur, dicens quòd hæc ipsa simulacra, quæ scilicet reliquæ sunt extrinsecorum sensilium, non solum vigilantibus apparent, sed multo etiam magis somni tempore dormientibus repræsentantur. In præsentia autem motiones vocat ipsa simulacra, quoniam non sine quadam fiunt motione, & ipsa etiam mouere cēsentur. motus autem qui ab ipso sunt corpore, vocat affectiones quasdam & perturbationes, vt dolores, voluptates, timores, amores, & id genus cætera. Subiungitq̄ etiam causam cur isthæc somni tēpore magis appareant. Interdiu nanq̄, inquit, licet in primo sensiterio simulacra ab extrinsecis sensilibus non minus insignita existant, quàm in somnis & noctu: obliuerantur tamen ista & exturbantur à validis & vegetis sensuum operibus, quæ vehementer sanè imprimantia, & sibi mentem adhibere cogentia, illa dissipant & repellunt. Cogitatio

Magnos motus
minores
offuscant.

nes quietiam, & intentæ rei cuiuspiam contemplationes nonnihil ad hoc facere videtur. quod autem magni & excellentes motus, minores præpediant & offuscant motiones, claro demonstrat exemplo, tum duorum inter sese ignium, parui scilicet & magni collatione, ubi paruus à magno superatus, aut nihil, aut parum mouere videtur: tum voluptatum & mœstitiarum mediocrium cum excellentibus comparatarum similitudine. Et profecto ita res se habet. sicut enim ignis pusilli claritas officitur & veluti obscuratur ab excellenti solis splendore: & omnino quod multiplici proportione quippiam excedit, id sanè hebetat & offuscat: ita sensuum opera interdum, & vehementium speculationum contentiones, simulacris in corde existentibus officiunt, illaque minus apparere sinunt. Quibus declaratis philosophus peculiarem de somnijs sententiam breuiter & manifeste recenset, dicens somni tempore apparere nimirum illa, quoniam propter sensuum vacationem, agendiq; otium & impotentiam, nihil illis tunc officiat: cum alioquin innatum eo tempore calidum petat interna, cum quo huiusmodi imagines ad sensus principium delatae, aut in illo existentes, calido mouente, & omni extrinsecus penitus cessante tumultu, fiunt manifestæ.

Existimare autem oportet ita singulas continuo fieri motiones, ut paruas illas vertigines quæ in fluminibus fiunt: quæ sæpenu-
mero quidem sunt similes, nonnunquam vero propter contrariū

impulsum in alias dissoluuntur figuras. Ac propterea post assumptos cibos, & infantibus nulla fiunt somnia. vehemens enim est commotio ob eam quæ ex alimento est caliditatem. Quamobrem ut in humore si quis vehementer agitauerit, interdum nullum apparet simulacrum: nonnunquam apparet id quidem, verum distortum omnino, ut aliud sanè quàm quod est appareat: quiescente autem purè & perspicuè apparēt imagines: ita somni tempore fantasmata, motionūq; reliquiae quæ à sensibus accidunt, interdū quidem cum vehemētior sit antedictus motus, delentur penitus: nonnunquā autem cōturbatae apparēt visiones, & monstrificæ, & non constantia somnia, qualia melancholicorū sunt, & febrietium, & temulētorum. omnes enim huiusmodi passiones cū sint spirituosæ, vehemētem excitant motū, & conturbationē. sedato autē & secreto sanguine in ijs quæ illū habēt animalibus, integer ab vnoquoq; sensuū simulacrorū motus tū constantia obijcit somnia, tū apparere aliquid & existimare facit. Et ab ijs quidē quæ à visu deferuntur, cernere videntur: ab illis vero quæ ab auditu, audire: similiq; modo ab alijs sensiterijs. nam quia inde motus ad principium est delatus, vigilanter cernere videntur, & audire, & sentire. Quia autem visus interdū moueri videtur non motus, ut diximus: & quia duo motus tactus annūciat, vnum videtur duo. Omnino enim quod est ab vnoquoq; sensu, affirmat principium, nisi aliud quippiam præstantius aduersetur. Apparet igitur omnino, videtur autem non omnino id quod apparet: nisi id quod iudicat, distineatur, aut proprio motu moueatur.

Postquam in calce præcedentis textus dixit Aristoteles quod somni tempore simulacra illa & imagines quæ in primo sunt sensiterio, propter otium & cessationem tunc omnium sensuum non impedita neq; disturbata, excitante & descendente simul calido apparent, & manifesta fiunt: hoc in textu miro sanè similitudinis exemplo, maximeq; significāte quoniam id fiat modo, plane nobis ostendit: ignotāsq; insuper multarum quæ in somnis cernuntur apparentiarum declarat causas. Dicit autem oportere existimare ita fieri somni tempore vnumquēq; motum in primo sensiterio: per motum siue motiones, simulacra & imagines intelligere volens, quæ in corde sanè existunt, & sensitua motas anima, calido scilicet sequestre & medio, ut paruas in fluminibus vertigines, vortico

fāsque commotiones, quæ aliquando quidem similes fiunt, interdum vero diuersæ, & ad alias transeū-
 tes figuras propter aquarum ad se inuicem incurfus, necnon riparum siue obstantium stirpiū occur-
 sus. Quemadmodum enim illæ aliās quidem restant, circularémque construunt figuram, aut turbinatā
 siue cylindricam: nonnunquā autem petris aut stirpiū collisæ radicibus, & alijs insuper vorticibus
 obuiam factæ, dissipantur, & ad alias sanè trāsmutantur figuras: ita profecto singulariū motiones si-
 mulacrorū, quæ tanquam in subiecto sunt, sanguine scilicet, & cordis spiritu, aliquando quidem eadē
 perdurant & integræ, aliās vero non perstant, sed in alias permutantur: & quoniam ex hac (verbi cau-
 sa) in illam mutari figuram sine medio haudquaquam possunt, cum plura plerumque intercedant me-
 dia: rationabile sanè est, quinimo potius necessarium, primum sensitium non solum moueri ab ijs
 10 quæ sunt à quo, & in quem, sed ab omnibus etiā intermedijs. Quemadmodum enim hæc (verbi cau-
 sa) nebula quæ sub leonis cernitur forma, commutatāque per nonnulla media, & ad hominis formam
 configurationémque demum perueniens, non solum à visu sub leonis percipitur forma, & finaliter ho-
 minis: sed etiā sub omnibus intermedijs proculdubio percipitur formis, siue delectabiles fuerint il-
 læ & spectabiles, siue tristes & ingratae: ita etiā primum sensitium non solum extrema in somnis
 sentit & percipit: sed omnia etiā intermedia. Porro isthæc intermedia, vt etiā extrema ipsa, tum
 monstrifica interdum sunt & horrenda, tum plerumque grata, & amœnitatis voluptatīscque plena. Cæ-
 terum postquam somniorum rationem huiusmodi philosophus, vorticifarum similitudine aquarum,
 quo explicauimus modo, declarauit: alio rursus ab aquarum natura sumpto exēplo, istuc ipsum no-
 bis declarare cōtendit. Quæadmodum enim, inquit, stātes aquæ in quibus redduntur & apparent in-
 20 spectantium imagines, si cōmoueantur à quopiam, aut illam non reddūt imaginē: aut si representare
 videantur, confusam profecto & mutilam illam reddere videntur: ita sanè & idola quæ somni appa-
 rēt tempore, cum vehementior sanè quædam intercesserit motio, ab ipsis inquam vaporibus qui à ci-
 bis eleuati caput petunt, indèque postmodum deuoluuntur, interdum quidem apparere non solēt, vt
 in nuper genitis infantibus verisimile est accidere: nonnunquam autem confusa & mutila appa-
 rent, turpēsque & monstrificas præ se ferunt effigies: cuiusmodi somniorum enormitates cum melan-
 cholici & febrientes cernere videntur, tum temulenti, & qui multo se ingurgitauerint mero. Melan-
 cholici nanque, quam bilem atram vocant, & temulentia, in multa vehementiq; agitati spiritus com-
 motione consistunt. Vt igitur vbi vehementes & concitæ sunt cōmotiones, nullum apparet somniū:
 vbi autē motiones quidē sunt, verū non adeo excellētes & citæ, vt imagines illæ & simulacra dissipa-
 30 ri & interire possint, sed confundi solūmodo & transponi, monstrifica profecto & foeda nonnunquā
 fiunt somnia: ita cibis & potibus concoctis, & discreto sanguine qui ab illis effectus est, transmissōque
 per vniuersum animalis corpus, in ijs inquam quæ sanguinem habent: tunc sanè simulacrorum ima-
 ginūque constantes apparent effigies: tunc etiā mitiora & magis grata obuerfantur insomnia: & à
 quocumque sensuum oblata idola, & in primo recondita sensitio, eo sanè mouent modo, quo præsen-
 tia si adessent mouerent obiecta. Et hoc certe modo somni tempore cernere videmur, & audire, & tā-
 gere, & olfacere, & omnino sentire. Verum quoniam is interdum sensus multis occupatur exhalatio-
 num vaporibus, aliās vero non adeo præpeditur & distinetur: iccirco dicit, cum motus imaginum ad
 principium, id est, primum sensitium, est delatus, vigilanter cernere & audire videntur homines &
 sentire, si videlicet id principium non fuerit valde occupatum: verbi causa quando cernentes Socratis
 40 imaginem dicere & affirmare possunt illam esse Socratis imaginem, & non verum Socratem. Istuc
 enim est vigilanter cernere, id est vigilantium more absque deceptione & errore videre & sentire idola
 illa & imagines in primo sensitio existentes. Cum autem primum sensitium occupatur magis, &
 veluti totum opprimitur & habetur: tunc videntes imaginem iudicare nequeūt quod illa est Socratis
 imago, sed verum se Socratem videre existimāt: quod retro verum & exactum esse diximus somniū,
 cum illud prius, visum, siue vſitatiōri vocabulo visionem appellauerimus. In litera autem vbi dicitur,
 Quia visus interdum moueri videtur nō motus, & c. signare vult philosophus, & hanc rem examinare
 in ijs quæ de sensuum deceptione retro dixerat. Cum enim ostensum sit quod interdum fallitur visus
 circa peculiare obiectum, cum scilicet in nauigio commotus oculus stantem à longe iudicat moueri
 terram: & illum qui à currentibus velociter aquis visum aliō defert, quæcunque statim conspexerit,
 50 quasi nutantia & mota conspiceret: præterea quod tactus vnum iudicat esse duo, quando (vt dixim⁹)
 quispiam cancellatim superimpositis digitis quippiam tetigerit: cum isthæc inquam prius dixerit,
 pauloque post quod primum sensitium à diuersis sensibus recipit motiones, id est, inde sibi transmis-
 sas simulacrorum effigies: dicit quod si somni tēpore hæc eadem accidant, ita quod & terra videatur
 moueri, & vnum duo apparere, isthæcque vt visa sunt, à sensibus ad primum sensitium transmittan-
 tur: decipitur certe illud, & ea sicut accipit iudicat. nam ita ea sensus adduxerunt, & inde ad ipsum
 eiusmodi transmissa sunt simulacra: nisi, inquit, præstantius quiddam contradicat, cogitativa scili-
 cet ipsa & ratio. Vbi enim fallitur tactus, nedum cogitativa non fallitur, sed neque visus decipi perhi-
 betur. Quodcumque igitur affert tactus, siue visus, seu aliorum aliquis sensuum: principium, id est pri-
 mum sensitium, tale dicit esse, quale illud accepit. quamobrem si vnum vt duo affert tactus, ipsum
 60 sanè principium duo esse dicit, sed statim (vt diximus) tum præstantior ipso tactu visus, tum cogita-
 tiua ipsa reclamatione: sed cum etiā ipse visus solis magnitudinem pedalis iudicat esse quantitatis, af-
 fertque illam vt pedalem ad primum sensitium, illum esse pedalem in somnis idem asserit principii.

Qui monstra-
 ficas in so-
 mnis cernunt
 imagines.

Nihil enim prohibet (vt diximus) has etiam sensuum fallacias in somnis videri: cæterum cogitatiua visu ipso præstantior reclamationem, dicitque non esse solem pedalis quantitatis, sed terra ipsa multis partibus maiorem. Sub ijs dictis philosophus postmodum subiungit: Apparet igitur omnino: videtur autem non omnino id quod apparet. quod huiusmodi esse censetur: Apparet quidem in somnis vnū esse duo, & sol pedalis esse quantitatis: non videtur autem ista nisi penitus ab exhalationibus id quod iudicat occupetur. Si quidem igitur cogitatiua animæ vis non præpediatur & occupetur, apparet quidem: non videtur autem: id est, cogitatiua apparitioni non assentitur. Si autem occupetur & præpediatur: & apparet, & videtur. Cum autem dixisset, nisi occupetur quod iudicat, subdit (quod idem valet) vel motum fuerit propriam motionem. propriam vocans motionem siue motum, peculiarem illius operationem. eo enim modo ab alijs semotus seiugeturque rebus, illarum respectu occupatus sanè esse dicitur.

10

Quemadmodum autem diximus alios ab alia passione facile decipi, ita dormientes à somno, & eorum mouentur sensiteria, & ob alia quæ circa sensum fieri contingunt: quæ obrem quod exigua habet similitudinem, illud esse apparet. Cum enim dormit: plurimo ad principium defluente sanguine, ij qui insunt motus, simul deuoluuntur: alij quidem potestate, alij vero actu. Ita autem se habet, vt hoc in motu hic alius ab illo emineat motus: si vero is intereat, hic alius: & adinuicem ita se habent, quæ admodum ficti ranunculi qui supereminent aquæ cum liquefcit sal: eodem sanè modo potestate insunt. Cùm autem quod prohibebat remiserit, in opus exeunt: dissolutique in paucis sanguine qui reliquus erat in sensiterijs, mouentium habentes similitudinem, vt ea quæ visuntur in nubibus, quæ hominibus & centauris assimilant, celeriter commutantur. Horum autem vnū quodque (quæ admodum dictum est) illius quod actu est sensibile, sunt reliquæ: digressioque vero sensibili, licet vere dicere quod tale est qualis Coriscus.

Dictum fuit retro quod vigilantes ob vehementes affectionum impressiones nonnunquam falluntur, vt in metu & amore clare ostendit philosophus: necnon propter sensiteriorum commotionem: vt oculi in nauigio commoti, vel à currenti celeriter fluuio visuius spiritus agitated, stantia quæque moueri decernunt, vel propter aliquam (vt dictum est) similitudinem. Id ipsum igitur in somnis etiam contingere nunc dicit Aristoteles. Si enim paruam habuerit similitudinem Calliæ imago cum Socratis imagine, vt idolum lupi cum idolo canis: cernens quispiam Calliæ imaginem vel lupi, Socratis se imaginem vel canis cernere existimat: & alio rursus modo, videns Calliæ imaginem, ipsum verum se contueri Calliam arbitratur, ob similitudinem (vt dictum est) intercedentem. Et omnino hoc in loco quod retro est tactum, philosophus asseuerare videtur, easdem videlicet in somnis fieri deceptiones, ijs quæ in vigilijs fiunt, cum eadem simulacra & imagines calido impetente ad primum deuoluantur sensiterium. Actum autem motus, id est, simulacra hoc in loco dicit illa, per quæ actu anima operatur sensitiua. Potestate autem siue potentia vocat illa per quæ existentia operari potest. Subdit postmodum philosophus: Ita autem se habet vt hoc in motu & c. id est, in ipsa imagine cum exhalatione calida quæ ferè est sanguinea descendente ad principium sensitiuum. in illo enim veluti in subiecto sensilium imagines sunt & idola. Hoc autem in loco declarat quomodo ad se inuicem illi se habent motus siue imagines. ad quod sanè declarandum istiusmodi nobis in præsentia non inconcinnum succurrat exemplum. Est Socrates (verbi causa) syderalè habens scientiã, qui nunc per illam operatur & docet. Est etiam Callias eandem astrorum habens scientiã habitu, sed nihil in præsentia de illa considerans. Præterea est etiã Plato qui per anni spatium discendè illi vacauit scientiæ. Coriscus quoque etiã est, qui nunc eidem incipit operã dare scientiæ. Est etiã infans nuper in lucem editus: qui neque habet, neque per ætatè eã discere potest scientiã. omnes igitur isti præter Socratem potestate scientes & astronomi esse censentur. Cæterum Socrati propior est qui actu illa operari dicitur, ipse Callias: Calliasque propior Plato quàm Socrati: Coriscus vero Platoni quàm Calliæ vicinior, remotior autem à Socrate & Callia: vt nuper editus infans remotissimus sanè est à Socrate qui per syderalè operatur scientiã. Vt igitur res se habet in ijs, ita se habent in potentia motiones siue imagines ad ipsum principium cum vaporibus descendentes, ita vt eæ quidem mouenti sint propinquiores, illæ vero remotiores. Ex quo verisimiliter existimari potest quod ad apparitionem huius imaginis actu (per motiones enim per totum hunc locum intelliguntur imagines & simulacra) statim apparebit, & illico post ipsum hæc alia motio siue imago

30

40

50

animam mouebit sensitiuam: & hac corrupta alia nimirum mouebit, quæ hanc immediate sequitur. Declarat autem ipse ea quæ dicere intendit, per exemplum quoddam fictorum ranunculorum qui apparent in aqua cum sal colliquatur. Si quis enim ligneos fingat ranunculos quinq; verbi gratia numero: postmodumque in vasis alicuius fundo vnum ex illis ponat, iniectoque operiat sale: posteaque in salis illius superficie alium ponat ranunculum, quem simili operiat modo: aliosq; præterea similiter componere studeat, quantum solummodo in salis superficie ponens: proportionem quidem habebit iste qui cernitur ranunculus, imagini actu per quam nunc operatur anima: illi autem qui sale operati sunt ranunculi, ijs sanè imaginibus quæ potentia inexistunt. Si quis igitur illos hoc quo diximus composituerit modo, contingatque congelatum sal illud paulatim liquefcere: in superficie quidem primo quartus apparebit ranunculus, & actu sensibilis fiet, qui dudum potentia erat sensibilis: postmodum vero tertius: secundusq; post illum: vltimo autem apparebit loco is qui à principio in vasis fundo repositus fuerat. Quemadmodum igitur hoc in casu sale liquefcente, ordine quisq; suo quo repositi fuerant, actu sensibiles ij fiunt ranunculi: pari rationis modo in motibus continget illis & imaginibus. Dissipato enim & exhalato sanguine qui prohibebat, & ex crasso & turbido, tenui puroque effecto, in defecato & puro qui relinquitur & restat sanguine motus operantur istiusmodi, similitudinem habentes illorum qui mouent in sensiterijs, id est, existètes similitudines sensibiliu quæ faciunt motus in ipsis sensiterijs. vnde nimirum contingit quòd somnia quæ in extrema somni apparent parte, adueniente crepusculo, veriora sunt & efficaciora, quoniam puriores tunc temporis & minus turbulentæ imagines illæ quæ in sensiterijs sunt, principio applicare censentur, cum iam cessauerit illud quod eas conturbare & confundere poterat. Commutantur autem istiusmodi imagines celeriter, quemadmodum ea quæ in nubibus cernuntur simulacra, quæ hominibus aliàs, & centauris nonnunquam, alijsq; animalium figuris similia iudicant homines: & quæadmodum eæ in nubibus apparentes effigies ab alijs ad alia celeriter transire videntur, pari rationis modo nihil prohibet hos etiam motus, id est, imaginum istarum apparentias, ex alijs ad alia facillè permutari. Cum autem hoc præmisit, illico subdit philosophus, horum idolorum & imaginum quæ in somnis apparent vnumquodq; reliquias esse sensilium actu, quibus remotis & abscedentibus, nisi occupetur videlicet illud quod fert iudicium, verum est dicere quòd id non est Coriscus, sed simile Corisco.

Quæ essentia
sunt somnia.

QVando autem sentiebat princeps pars, & id quod iudicat, non dicebat Coriscum, sed propter hoc illum dicebat verum esse Coriscum: quod sentiens hoc ipsum ait, nisi omnino distineatur à sanguine: vt non sentiens hoc, mouetur ab ijs quæ in sensiterijs sunt motionibus: videturq; id quod est simile, ipsum esse quod est verum. Et tanta sanè somni est vis, vt id latere faciat. Quemadmodum igitur si quempiam oculo subiectus lateat digitus, non solum apparebit, sed videbitur etiam duo esse id quod vnum est: si vero non lateat, apparebit quidem, sed id non existimat: ita in somnis si quidem senserit se dormire, & passionem in qua sensitui est sensus, apparebit quidem, verum quippiam in seipso dicit, quòd apparet quidem Coriscus, non est autem Coriscus. Sæpenumero autem dormiens quispiam in animo suo dicit quòd somnium est id quod sibi apparet. Si vero illum quòd dormit lateat, nihil fantasia contradicit.

Quoniam retro dixerat Aristoteles quòd abscedente vero Corisci simulacro poterat quis dicere & iudicare ex ijs quæ in sensiterijs restant reliquijs, quòd sunt videlicet qualis est Coriscus, id est, similitudines sunt Corisci: hoc declarat in loco, quomodo, & cur ipsum primum sensiterium interdum quidem vera dicit, & recte iudicat, nonnunquam vero perperam, & iudicio fallitur. Pro quo animaduertendum quòd à principio statim literæ vbi dicitur, Quando autem sentiebat princeps pars, illud autem pro coniunctione enim sumitur, vt recta cum supradictis huius sit literæ continuatio. Quando, inquit, sentiebat princeps pars, & id quod iudicat, id est, quādo somni tēpore à sanguineis nō distinetur & occupatur descēdentibus vaporibus, id quod iudicat principium, tunc non dicit qd Corisci simulacrū sit Coriscus, sed propter idolum videt & animaduertit ipsum verum Coriscum. Simulacrum enim videns & sentiens dicit, certe hoc non est Coriscus, sed imago & idolum Corisci. Illud autem, nisi omnino distineatur à sanguine, declaratio est illius, Quando enim sentiebat princeps pars &c. Literæ autē constructio & cōsequutio hoc se habet modo, nisi principium à

m.ij.

fanguine penitus distineatur & occupetur, & existimet quòd illud quod est simile, sit ipsum quod est verum: tanquam sentiens hoc, mouetur à motibus qui sunt in sensiterijs, id est, sic mouetur tanquam sentiens. & quemadmodum illud quod principaliter sentit, nisi quid accidat, non decipitur: ita neq; hoc. Si autem sic occupetur quòd id quod est simile & imago, sibi videatur illud quod est verum, non mouetur ab imaginibus tanquam sentiens, & quodammodo vigilans, sed tanquam non sentiens. Quàdo enim (vt paulopost dicet) non occupatur, neq; sic est vigilans, vt sunt proprie vigilantia, neq; rursus dormiens, vt sunt proprie & vere dormientia, sed medio se habens modo inter dormiens & vigilans: id accidere videtur. Illud autem, quemadmodum si quempiam oculo subiectus lateat digitus, ad istuc sanè demonstrandum assumptum est, quòd principale scilicet interdum decipitur quando valde fuerit occupatum. Exemplum autem est retro adductum, cuius hæc est sententia. Quemadmodum in suppositione illa & permutatione digitorum, si oculus deciperetur vt decipitur tactus, non solum appareret vnum duo, sed etiam ita esse iudicaret: sic ipsum principium si occupetur, decipitur, & non recte iudicat. Ponit igitur tactum proportionaliter sensui communi: visum autem ipsi cogitatiuæ. Cætera sunt manifesta. Si enim principale quod iudicat senserit (id autem, vt diximus, est cogitatiua. sufficiens namq; est ipsa cogitatiua animæ vis cum vigilantium, tum dormientium se applicare conuenientibus operationibus) si quidem igitur senserit quòd dormit, & cum hoc comprehenderit passionem, scilicet somnium, in qua passione ipsius sensitiui est sensus (animæ enim sensitiuæ est sensus & operatio) apparet quidem: dicit autem quòd non est illud quod apparet Coriscus. Quòd autem sæpenumero videntes somnia, & adhuc stertentes, dicimus quòd illud quod videmus, est somnium, manifestum profecto illis est qui huic rei mentem adhibuerint. Cæterum autem quoniam hæc litera, Et passionem in qua sensitiui est sensus quam modo explicauimus, in quibusdam exemplarium alio se habet modo, hoc videlicet: Et passionis in quo est sensus illius qui dormit: nihil (vt arbitror) obstat hanc etiam pro virili declarare. Per passionem enim illius qui dormit, somnium intelligere videtur: quod retro (vt vidimus) passionem somni sæpius vocat. In illo autem dormientis dicit esse sensum, quoniam cum is ab operatione extrinsecorum vacet sensuum, hoc sentire & percipere dicitur modo: somnia scilicet videre per vnumquèq; sensuum sibi apparentia.

Cogitatiuam animæ vim cum dormientibus, tum vigilantibus se applicare posse.

Quòd autem vera dicimus, & motus quosdã fantasticos in ipsis esse sensiterijs, manifestum sanè erit, si quispiam intendens meminisse contenderit quæcunque in somnum delapsi & excitati patimur. Nam plerunq; ea quæ dormienti apparuerunt simulacra, excipit deprehendet esse motiones in sensiterijs. Pueris enim nonnullis, quauis omnino conspiciant, si fuerint tenebræ, multa apparent commota simulacra, ita vt sæpenumero expauescentes caput obuoluant.

Ex ijs quæ manifeste apparent, & quæ sæpius aliàs experta est, & nunc etiam experitur vita, ijs quæ retro sunt dicta, hoc in textu fidem astruere philosophus videtur. Vocat autem motus fantasticos, ipsas rerum imagines quæ in sensiterijs ab externis sunt insignitæ sensilibus, & ab ipsis postmodum sensiterijs in primum sensitiuū, id est ipsum cor, fuere transfusæ. Cum enim dixerit quòd somnia fiunt à simulacris & figuris ad primum sensitiuum deuolutis: oporteret autē rationabiliter perquirere vtrū eæ sensiliū imagines in ipso sunt corde: huic præuertens quæstioni philosophus dicit figuras illas & simulacra vere esse in corde, per hæc quæ dixerat in alijs illa esse sensiterijs. Si enim simulacra in sensiterijs reperiuntur, multo magis illa in primo reperiuntur sensitiuo est verisimile, à quo alia sanè suū habent esse, & quæ sunt, esse cēsentur. Manifestum igitur, inquit, quod si ita se habeat res, erit vtiq; si quispiam mentē adhibere voluerit, curaueritq; meminisse eorum quæ patimur & cū dormimus, & cum à somno experfecti cōsurgimus, id est, cum subito à somno exciti modico interiecto tēporis spatio eorum quæ vidimus meminisse contenderimus. Videmur enim videre nonnunquā eadē simulacra quæ somniando conspeximus, ante oculos nostros obuersantia: excitati inquam, & apertis stantes oculis. licet enim illa (vt retro est determinatū) cū calida exhalatione ad primū descendunt sensitiuū, nihilominus illorū adhuc in oculis perstant motus & perdurant. Quā sanè rem à puerorum somnijs testatā esse vult hoc in loco philosophus. ij namq; quoniam vigiliæ tempore quæcunq; cernunt, maxima cū intentione conspiciunt, firmiores certe constantioresq; impressas habent imagines. Somni igitur tēpore, & in tenebris maxime (nā à luminis claritate & splendore disgregantur & dissipantur leuiter constantia simulacra) si excitētur, apertis etiā oculis illa eadē nonnunquā contueri videntur quæ in somnis conspexerint simulacra: quæ si forte monstrifica fuerūt, oculū se perterriti, & caput obuoluunt, ne illa cōspiciant, dæmonum apparentias quasdam & effigies esse rati: quæ sanè motiones sunt quædam in oculis eorum iam ab ipsis sensilibus siue eorum reliquijs effectæ.

Cur pueri fantastata quæ in somnis viderint: experrecti etiam cernere se existimant.

HX ijs sanè omnibus concludere licet quòd somnium fantasma quidem est, verum somni tempore. Ea enim quæ modo dicta sunt simulacra, non sunt somnia: neq; si aliud quippiam solutis apparet sensibus: neq; etiam omne quod in somnis apparet, fantasma. In primis enim quibusdam accidit sentire quodammodo cum strepitum & lumen, tum sapes & contactus, debiliter tamen, & quasi procul. Iam vero inter dormiendum conspicientes, id quod languide stertentes (vt putabant) viderant lucernæ lumen, experrecti statim illud lucernæ esse agnouerunt. Gallinaceorum quinetiam & canum vocem debiliter audientes, experrecti manifeste perceperunt. Nonnulli item cum interrogantur, respondent. Accidit enim in vigilia & somno simpliciter, cum alterum adsit, alterum etiam quodammodo adesse. Quorum neutrum sanè somnium dicendum est. Neq; etiam quæcunq; in somnis præter fantasmata, veræ fiunt notiones: sed ipsum fantasma quod à simulacrorum fit motione, quando somni tempore repræsentatur, quatenus dormit, istuc est somnium.

HOc in textu per ea quæ retro dicta sunt concludit Aristoteles quænam fantasmatum motiones vera sint somnia, quæve fantasmata non sint somnia, licet somni appareant tempore: statimq; dicit in litera, somni tempore, vt excludat à somniorum ratione fantasmata illa & simulacra quæ aliquando (vt dictū est) in profundis tenebris nonnullis vigilantibus apparent: quæ fantasmata quidem sunt, non autem sunt somnia. ad esse enim somniorum, non solum requiritur esse fantasmatum, sed etiā quòd somni appareant tempore. neque si quippiam, inquit, solutis apparet sensibus, id est, liberis & operantibus sensibus, somnium videlicet esse censetur. Aegrotantes enim sæpius videntur sibi videre fantasmata multa, operantibus sensibus, quorum nullum sanè dicitur esse somnium. Subditq; post hæc philosophus, quòd neq; etiam omne in somnis apparens fantasma, vere somnium esse dicitur. Quæcunq; enim in somnis apparēt, quādo principale id quod iudicat, non penitus distinguitur & occupatur, fantasmata quidē esse dicit, non esse autē somnia planè asserit. Subiungitq; statim istuc ipsum exēplo declarans manifesto. Soni nanq; inquit, & strepitus quos dormiens quispiam sentit, luminis quinetiā splendor, & sapes, & tactus quos percipit dormiēs, vera nō sunt somnia. isthec enim dormiētes quodāmodo, & veluti in interstitio vere dormiētū, & vere vigiliantū, positi, sentire manifeste animaduertuntur: & sanè quodāmodo sentiunt, cū extrinsecus isthec vere fieri contingat. Sentientes autē somniare se credūt, & somnia percipere. qua in re nimirū falli videtur. neq; enim huiusmodi visa somnia sunt vera: neq; ipsi proprie & simpliciter dormire existimantur. isthec autē omnia debiliter sentire videtur, & tanquā procul existētia, quoniā occupatos quodāmodo & præpeditos à somni languore habēt sensus, in mediocq; (vt diximus) vigiliantū & dormiētium versantur interstitio. Acciditq; interdū nonnullis, inquit, dum labuntur in somnū, & oculis adhuc apertis dormire incipiunt, appositæ lumen lucernæ conspiciere: experrecti q; postmodū cognoscere & deprehendere id lumen fuisse è regione astantis lucernæ, quod sanè sibi tunc fuisse somniū videbatur. non enim dormiebāt, licet se dormire crederent. Multi præterea, inquit, gallinaceorū cantus, aut canū latratus noctu audientes, somniāq; id esse credentes, paulopost à somno experrecti, gallū aut canē non procul à se distātes repererunt, quorū paulo antè voces audierant. Nonnulli quinetiam somni tempore de quapiā perceptati re respondent: qui quoniā à somno surgentes sæpius non meminerunt neq; quòd interrogati à quopiam fuerint, neq; omnino q; ipsi loquuti sint, & ad interrogata responderint: manifeste profecto declarare videtur q; ea in cōstitutione positi neq; simpliciter vigiliabāt (meminissent enim utiq;) neq; simpliciter dormiebant. non enim aut percepissent, aut interrogati respondere potuissent. Subdit præterea philosophus vera non esse somnia notiones & contēplationes, aliāq; id generis, præter fantasmata ipsa: intelligens recta iudicia, & veros ratiocinantium discursus, qui interdum in somnis accidere videntur: cum iudicamus videlicet quòd illud quod cernimus, non est verus Socrates, sed Socratis imago: aut cum dormientes asseueramus nos somniare, & non vera cernere. Huiusmodi enim res (vt retro est dictū) vsitato apud plerosq; vocabulo visiones sunt, & nō somnia. His præmissis & declaratis, quæ somnia quidem videntur, non autem sunt somnia, quauis somni tempore fieri contingant, breuiter & clare admodum Aristoteles concludendo, verorum nobis naturam ostendit somniorum, dicens fantasmata illa siue visa recte vocari & esse somnia, quæ à commotis fiunt simulacris, eo quo retro diximus modo, somni tempore, cum verus & simpliciter dictus adest somnus.

Quæ sint vera somnia.

IAm vero quibusdam vsu euenit, toto vitæ spatio nullum vidisse somnium. Rarum profecto id est, contigisse tamen aliquando fertur: & alijs quidem id ipsum omnino perseuerauit: nonnullis autem procedente ætate, cum prius nullum vidissent somnium, postmodum videre contigit. Causa autem cur non fiant somnia, similis esse videtur illi quam de pueris, & de ijs qui post assumptos cibos statim dormiunt, retro diximus. Quibuscunq; enim hoc natura se habet modo, vt copiosa exhalatio summum petat locum, quæ rursus inferne deuoluta plurimum efficiat motum, ijs recta sanè ratione nullum apparet simulacrum: ætatis autem decursu haud sanè absurdum est si ijsdem somnia appareant. Mutatione enim aliqua aut per ætatem, aut per passionem facta, hanc accidere contrarietatem est necessarium.

IN calce huius commentarioli Aristoteles, vbi clarus admodum & manifestus est sermo, ex ijs quæ memoriæ sunt prodita, & à rerum scriptoribus literis commèdata, quosdam fuisse dicit qui nullum vnquam toto vitæ spatio viderunt somnium: quanuis id raro contigisse dicatur. Alios vero qui cum ad multam ætatem nihil in somnis vidissent, procedente postmodum tempore, cum in senium vergerent, videre cœpisse. statimq; verisimilem horum accidentium subiungit causam, dicens haudquaquam absimile quiddam ijs accidere videri, illi causæ quam retro de valde pueris adduxit, & de ijs qui post assumptos cibos statim cubitum eunt: quorum neutri somnia vident, cum vehementes & multæ exhalationes in huiusmodi constitutionibus caput petere animaduertantur, quæ simul lacrorum constantiam compositionemq; perturbent & dissipent. quo in loco claro admodum de valde commota aqua vsus est exemplo, quæ in se contuentium imagines reddere non potest. Horum igitur dicit naturam verisimiliter huiusmodi quippiam in se possidere. Quamobrem cum illi somnia non cernant, neq; istos cernere consentaneum esse merito censeretur. Quos tamen nihil prohibere asserit procedere ætate somnia videre posse. Cum enim multa fiat permutatio aut ætatis, aut passionis causa, hanc etiam rei istius sequi contrarietatem esse necessarium. contrarietatem appellans, videre scilicet somnia, & non videre. non videre nanq; ipsi videre contrarium esse censetur. Cæterum quoniam Aristoteles accidentis quidem huius in litera meminit, somnia scilicet plerosq; per omnem vitam non vidisse, nullius autem nominatim mentionem facit cui id contigisse dicatur, nihil (vt arbitror) prohibere videtur ea quæ mihi dum isthæc scriberem memoriæ succurrebant, hoc in loco in medium proferre. Plutarchus igitur Cheronæus in commentariolo de deficientibus oraculis, memoriæ id prodidit, Cleonem quendam Daulicum ex Phocide ætate sua fuisse qui se somnia nunquam vidisse asseuerabat: istucq; ipsum prioribus seculis Thrasymedi Heræo Arcadi contigisse, eo in loco idem est auctor. Rhianus quinetiam apud græcos non inelegans habitus poëta, in secundo Achaïcorum suorum scriptum reliquit, Atlantes Libycam gentem nullis vnquam somniorum visis fuisse obnoxiam: quod etiam Plinius secundus in quinto naturalis historiæ suæ commentario memoriæ prodidit.

Plutarchus
Cheronæus.
Cleon Dauli-
cus.
Thrasymedes
Arcas.
Rhian^o poëta

F I N I S.

N. LEONICVS THOMAEVS REGI-
NALDO POLO BRITANNO S.



Agna apud plerosque veterum, Pole, & ardua semper fuit quaestio, vtrum ne pondus haberent somnia, & alia qua quiescentis animi essent praesagia: an tota fortuita isthaec esset res, vt pleraque sunt alia, inaniaque naturae ludibria somni tempore nocturna essent visa. Hinc apud antiquos rerum disquisitores Stoici ab Epicureis, & vtriq; ab Academicis Peripateticisq; dissensisse videntur: & si exemplis res agatur, paria profecto vtrinq; fient. Verum quoniam deos esse credere, ab ijsque hominum generi consuli, non solum ex vsu vitae est, sed clarius etiam quam vt vllis adstrui rationibus debeat: non ab re ij mihi philosophi rectius sensisse videntur, qui somniorum visa etsi non omnia, nonnulla tamen hominum causa à superioribus mitti naturis contenderunt. Quorum de numero cum vniuersa poetarum videtur esse natio, qui apud graecos antiquissimum philosophandi genus inuenerunt, primiq; rerum naturae causas fabellarum inuolucris obstruxerunt: tum Pythagoreorum Socraticorumq; omnis sane fuit chorus. Quibus cum vniuersa postea assenserit vita, non iam ambiguae controuersiae, sed constantis veretq; certitudinis tota hanc esse rem constanter asseuerare possumus. Accedit ad hoc, si humanus immortalis est animus (quod alias de Platonis sententia in scripto Dialogo nostro à nobis probatum, nunc pro confesso & certo ponimus) & praesagire illum futura, & veraciter eadem praedicere posse, vero est consentaneum: eo praesertim tempore, quo liber ille magis, & à corporis sensibus tanquam à vinculis quibusdam solutus (quod in somnis sane accidere videtur) in sese conuersus, proprijs & peculiaribus vtitur motionibus. Adeoq; hac de re apud antiquos (praeter admodum paucos) nihil est dubitatum, vt Dicearchus inter Peripateticos vir sane celebris, qui reliqua diuinationis genera sustulerit, somniorum tamen praescita relinquat. Quod etiam fecisse Cratippum sua aetate summis Peripateticis parem, Cicero grauis est author. Verum nos, qui soli nunc sapere nobis videmur, quicquid cum nihil, aut certe parum habeamus, nihil tamen nobis detrahare & derogare volumus, omnia sane diuinationum genera sustulimus, & antiquorum fuisse deliramenta plane existimamus: & non tantum auguria, extispicia omnia, reliquaq; id genus, quae ne de nomine quidem cognoscimus, subsannamus & negligimus: sed somniorum etiam praesensiones,

quas quotidie experitur vita, quasi futiles & inanes cōtemnimus, & ani-
libus fabellis non absimiles esse affirmamus: nec iniuria mehercle, quando
nunc omnia de fece (vt aiunt) haurimus: optimarumq; artium disciplinis
non vt recte sciamus, sed compendij nostri causa operam damus: turpeq;
apud plerosq; non habere sit magis, quam in rerum ignoratione pulcher-
rimarū versari. Sed quid ego hæc in præsentia, quæ certe sine dolore cōme-
morare nō possum? Quin potius id ago quod mihi agendum est, & aureū
hunc de diuinatione per somnum libellum tibi Pole dicatum vt reliquos
latinum facio, & pro vtriusque explicō. Quod profecto mox faciam, si prius
te admonuero, somnia hæc quæ diuinitus mitti creduntur, tunc præcipue
apparere, cum inter vigiliam somnumq; humanus versatur animus, &
vitæ innixus suæ, consopito corpore expergiscitur quodammodo, & sua
ipsius agere existimatur. Vale.

De diuinatione per somnum
libellus
Pole dicatum
vt reliquos latinum facio
& pro vtriusque explicō
Quod profecto mox faciam
si prius te admonuero
somnia hæc quæ diuinitus mitti creduntur
tunc præcipue apparere
cum inter vigiliam somnumq;
humanus versatur animus
& vitæ innixus suæ
consopito corpore expergiscitur
quodammodo
& sua ipsius agere existimatur
Vale.

DE DIVINATIONE PER SOMNUM.



Divinationem quæ per somnum fit, quæve ab ipsis contingere dicitur somnijs, neque facile est spernere, neque rursus illi omnino fidem præstare. Quod enim omnes, aut plures aliquam habere somnia significationem arbitrantur, tanquam ab experiëntia dictum, fidem facere potest: & alioquin de nonnullis per somnia esse diuinationem non est incredibile. Rationem enim quandam id habere videtur, idcirco de reliquis etiam somnijs similiter decernere quispiam posset. Quia autem nulla ratione constans intercedere videtur causa propter quam
 10 fiant, id profecto illis fidem non præstare facit. Nam Deum quidem somnia mittere, præter id quod ratione caret, vt non optimis & prudentissimis, sed cuius est populo illa mittat, absurdum etiam esse videtur. Deorum autem sublata causa, aliarum certe nulla ratione constare videtur. Primam enim originem reperire cur nonnulli præfagiant de ijs qui ad Herculeas degunt columnas, aut ad Borysthenem, nostræ profecto mentis superat captum.



20 Ost libellum de somnijs, quem nuper explicauimus & interpretati sumus, philosophus commentariolum de diuinatione per somnia, statim subiungit. nam illis intercedentibus plerumque quid nobis posthac vel agendum vel declinandum sit præmonemur: coniectatiq; sapius valeamus de futurorum uentis quæ ad nos resq; nostras pertinent, diiudicare. Hanc autem dicit ex somnijs diuinationem neque penitus esse contemnendam, veluti nihil de futuris portendentem. nam tum experientia ipsa nos docet pleraque nonnullis præcedentibus signis hominibus contigisse: tum in huiusmodi re omnium ferè hominum cõstans est cõsensus. Vniuersalis autem fama, Hesiodo teste, haudquaquam est contemnenda. Dei enim quædam vox esse censetur. Neque penitus igitur inquit negligenda esse somnia, neque rursus illis omnimodam præstandam esse fidem: aut credere, quoniã in confessis est nonnulla diuinationem habere somnia, idcirco omnia quippiã præmonstrare. in illis namque aliqua intercedere potest ratio: veluti in genere somniorum quæ naturalia appellantur, corporisq; morbos & incolumitates præmonstrare valent. In omnibus autem quæcumque somni tempore viderint homines, similem subesse rationis
 30 modum haudquaquam verisimile esse videtur. Nam ad Deum, inquit, referre somnia, illique horum causas assignare, cum ratione carere videtur, naturam scilicet diuinam, quæ in se cõuersa, se solam intelligit & videt, cum sola sit semper intelligens & intellecta: ad huiusmodi friuola, fragilitatisq; humanæ plena negotia demittere: tum absurdum esse & indecens, deum fatuis plerisque & mente captis præmonstrantia mittere somnia, quod ferè accidere percipitur: prudentibus autem viris & optimis nihil per somnia significari. Semota autem & seiugata diuina causa, nihil sanè de facili reperiri potest cui merito id muneris possit ascribi. Nam quosdam præmonstrantia videre somnia de ijs qui in extrema occidentis degunt plaga ad Gaditanum oceanum, Herculeasq; columnas, vel de ijs qui in ultimo Ponti Euxini habitant sinu, Borysthenemq; colunt siue urbem, seu insulam: maius profecto esse videtur & occultius
 40 quæ vt humana prudẽtia, mentisq; nostræ discursu, illorum principia & causæ rite percipi & cõperiri possint. Quibus ex verbis Aristoteles, etsi non omnia, quædam tamen diuina esse somnia, quæ supra humanum mentis captum quippiã præmonstrare valeant, clarissime voluisse videtur. Quorum licet ignoretur causæ, non tamen ideo sunt abiicienda, aut diuini cuiusdam vigoris expertia esse illa existimandum est. Maxima namque pars, de illius sententia, eorum quæ scimus, minima est eorum quæ ignoramus. Quo in loco obiter mihi cum pleraque succurrant quæ hac de re apud varios rerum scriptores literis commendata lectitavi, quæ videlicet quibus veraciter somni tempore fuere prædicta, quãtũq; ars ipsa medicorum profecerit visis: tum id maxime quod Plinius secundus vir alioquin huiusmodi in rebus haudquaquam superstitiosus & credulus, in xxv. naturalis historię commentario memoriæ prodidit: quod quia cum pulchrum & scitu dignum est, tum Aristotelis verbis hoc in textu quæ accommodatum esse

Hesiodus.

Herculeæ columnæ.
Borysthenes insula.

Plinius secundus.

Cynorhodos.

Cur simplicioribus diuina cernatur somnia.

videatur, illius apponere verbis decreui. Scribens enim de herbis quibusdam, isthæc ad literam subiungit. Alias inuenit casus: alias (vt vere dixerim) Deus. Insanabilis ad hosce annos fuit rabidi canis morsus, pauorem aquæ, potusq; omnis afferens odiū. Nuper cuiusdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt radicem siluestris rosæ, quam cynorhodon vocant, eblanditam sibi aspectu pridie in fructu, mitteret filio bibendam in lacte. In Lusitania res gerebatur Hispaniæ proxima parte: casuque accidit vt milite à morfu canis incipiente aquas expauescere, superueniret epistola oratis vt pareret religioni: seruatusq; est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentauit. Hæc ille. Ex quibus profecto diuina quædam esse vult somnia, quæ pro absentibus interdum videantur, abstrusas habentia causas, quas humanus vestigare non potest animus: vt hoc etiam in loco fatetur Aristoteles, quæ Deum ipsum præmonstrare, vir religionem potius negligens quàm admirans, manifeste confessus est. Cur autem diuina isthæc somnia cuius est populo potius, id est simplicioribus appareat quàm prudentibus (quod absurdum in litera dixit Aristoteles) haudquaquam perscrutati ratione carere videbitur. Missa enim facio illa nunc, quæ simpliciores diuinæ naturæ cum propinquiores tum participabiles magis iure esse perhibetur: cum ij ad diuinum capiendum admittendumq; lumen sint aptiores, vt sacræ testantur literæ, cum dicitur, Qui abscondisti hæc à prudentibus, & reuelasti ea paruulis. & quod humana prudentia si ad deum conferatur, desipientia potius quàm prudentia appellari debet, & quæ illi quos quasi insanos & stultos quondam neglexit mundus, diuinorum reuelationem mysteriorum habere meruerunt, iuxta illud. Nos insensati vitam illorum reputabamus insaniam, & finem eorum sine honore. & rursum, Annunciauerunt opera dei, & facta eius intellexerunt. Vt hæc inquam missa faciamus omnia, non ab re sanè esse videtur, humanam prudentiam experientijs actionibusq; immeritam humanis, ad diuina recipienda somnia minusabilem & aptam videri: quæ solutus quodammodo animus, nihilq; cum vitæ illius specie agens quæ sibi cum corpore est communis, sed in separabili illa permanens vita, suscipere nimirum & clare cernere censetur: quid humilioribus plerūq; occultis euenisse causis liquidò est animaduersum. Cæterum de his aliàs plenius, si qua dabitur posthac occasio, nunc ad Aristotelis literam reuertamur.

Somnia igitur vel causas esse vel signa eorum quæ fiunt, vel accidentia quædam necesse est, vel omnia, vel de ijs quædam, vel vnū tantummodo. Dico autem causam quidem, vt lunam quod sol defectum patiat: vt defatigationem febris. Defectus vero signum, quod subitidus. Linguae autem aspredinem, ipsius febris. Accidens vero, quod deambulante quopiam deficiat Sol. Neque enim signum defectus hoc est, neque causa: sed neq; defectus deambulationis. Quapropter accidentium nullum neque semper fit, neq; magna ex parte. An igitur somniorum alia quidem sunt causæ, alia vero sunt signa eorū quæ corporibus contingunt? Elegantes nanque affirmant medici magnopere conuenire somnia obseruari. Et profecto ita existimare conuenit illis etiam qui artes exercent, & aliquid disquirunt, & philosophantur. eæ etenim quæ interdum fiunt motiones, nisi grandes fuerint & præualidæ, latere planè solent, si maioribus vigilantium motibus comparentur. Somni autem tempore contrario se habent modo. Parui nanq; motus, magni esse videntur. Palam autem id est ex ijs quæ in somnis plerūq; contingunt. Modico enim auribus percepto strepitu, fulmine ex tonitruis appeti se existimant: minimaq; destillante pituita, mel & dulces se degustare sapes. Atque etiam per ignem incedere, vehementerque calefieri, leui calore quosdam corporis partes incessente. Quæ tamen experrecti hoc se habere modo manifeste deprehendunt. Quare cum debilia omnium sint initia, manifestum sanè est quod morborum etiã, aliarūque passionum quæ in corporibus fieri debent. Palam igitur est quod isthæc ipsa in somnis necessario illustriora sunt, quàm vigiliæ tempore.

Posteaquā in huius commētarioli proœmio dixit Aristoteles incredibile non esse penitus circa somnia nonnullam diuinationem versari: diuinaque etiam quædam esse potius tetigit quàm explicuit somnia: hoc in loco, vbi libelli huius incipit tractatus, de naturalibus volens recensere somnijs, docereque quonam modo in ijs naturales quædam animaduertantur præfensiones, necessaria quadam diuisionis regula huiusmodi omnia comprehendere nititur somnia: dicitque illa necessario vel esse causas eorum quæ fiunt, vel signa, vel accidētia quæ fortuito eueniunt, vel omnia simul hæc, vel horum quædam, vel vnum tantummodo. Statimque quid per causam, & signum & accidens intelligere velit, clarissimis ostendit exemplis: lunam dicens solis defectus esse causam, cum inter conspectum nostrum & solis corpus mediam sese obijcit. ipsa autem astri, id est lunæ subingressio, solis defectus signum sanè esse censetur. Cum enim illam ad subingressum accedentem cōspicimus, futurum solis defectum certissime præcognoscimus & pronosticamus. Similique modo vehementem corporis defatigationem, febricidii cuiusdam causam fuisse dicimus. ex illa enim commoti & inflammati humores, spiritus naturam in vniuerso corpore, præcipueque circa cor accenderunt: quæ sanè rem febrem postea consequi necesse est. Linguae vero aspredinem, febris esse signum dicimus. namque cum ab illius extraneo calore per vniuersum corpus humiditates absumentur & intereant, in lingue sanè substantia, quæ suapte natura humida est, aspredinem apparere illam vero consentaneum est. Accidens autem dixit esse quod ambulante quopiam sol defectum patiat, vel quod deficiente sole deambulet quispiam. vtrūque enim vtriusque fortuitum esse accidens dicitur. quam accidentium naturam neque semper fieri asserit: neque ut plerūque & in pluribus: sed videlicet ut in paucioribus, & raro. His decursis profectur philosophus dicens quod somniorum quidē alia sunt causæ, alia vero signa. Et causæ quidē illa censentur esse somnia, quæcūque cum apparent, cogitativam excitant & admonent nostram ad aliqua perficienda exequendaque opera: admonētia scilicet nos priorum quorūdam. Quid autem istuc esse dicatur, paulo post ab ipso cognoscemus. Signa autem illa sunt somnia quæ passiones quasdam affectionesque corporeas vel animales nobis proponere & præmonstrare videntur. omnia autem ista (ut à principio diximus) de naturalibus philosophus cōnumerat somnijs, de quibus plurimus illi hoc in loco est sermo. Quamobrem subdit expertos & elegantes medicos commonere nos ut somniorum indicia & præmonstrationes diligenter obseruemus, illisque mentem adhibeamus. ex illis namque plurima morborum genera quæ instare censentur, pronosticati, paruo negotio illa declinare poterimus. Id autem rationabile dicit esse ab ijs considerari disquirique artificibus qui in arte sua & discurrere valent, & de quopiam etiam philosophari, id est ratiocinatione & discursu vti, causalque perquirere possunt: qualis profecto artifex medicus esse dicitur ille, qui & elegans sanè est, & in philosophiæ gremio enutritus. Quæ res non de solis etiam intelligi potest medicis, sed de quibusvis artificibus, qui & rite aliquid perscrutantur, & circa quippiam recte philosophari possunt. Subdit postea philosophus cur somnijs mens in huiusmodi rebus est adhibenda. nam licet eæ corporeæ præmonstrationes inter vigilandum etiā fieri censeantur, non tamen propter excellētes vigiliarū diurnos motus, vehementesque sensuū operationes, bene comprehendere & animaduerti possunt: quæ tamen somni tempore, cū quiescunt silentque omnia, sensusque ipsi feriantur & otium agunt, insigniter mouere & præsignare valent. quam rem clarissimis statim declarat exemplis, ostendens sanè quietis tempore paruas quasdam motiones existimari & videri ingentes & magnas. Paruus enim, inquit, strepitus stertētis iuxta aures factus, imaginationē illi fulminum & præsentiuū efficit tonitruorum: modicaque pituitæ stilla in gustatus sensiterium colliquata, saporis opinionem, cum dulcis, tum amari, qualis descendens fuerit humor nimirum, dormienti obijcit. Similique modo si dormiens quispiam calidas admodū corporis quasdam habuerit partes, igne sanè torreti, aut vehementius calefieri per somnum videbitur. Quæ tamen omnia experrecti & a somno surgentes exilia & modica fuisse animaduertent. Istæ autē parua, inquit, & exilia quæ somni tempore vidētur magna, præfensiones nimirum esse possunt & præmonstrationes cū futurorū morborū, tum passionū quarūdam & affectionū quæ in corporibus fieri debent. Omnium enim istorū, sicut aliarū etiā rerū, parua profecto & exilia sunt initia, quæ vigilantes (ut diximus) latent, dormientes vero latere non possunt. Præfagire igitur in ijs cōtingit somnijs non nihil eorū quæ ad corpus pertinere vidētur. neque hoc ab re. nihil enim subito fieri cōfetur, & quod non adumbrata quodammodo sui aduentus præmittat indicia. Quod nobis etiā manifeste aliquādo contigisse meminimus. ab hinc enim sex annos cū periculo se ægrotauī, prius quàm in id incidissem malū, sapius per quietem videbar per cœnosa quædam & maleolentia loca laboriose admodum ambulare. Crassi enim (ut arbitror) & glutinosi necnon corrupti humores, qui illius nimirum causæ fuerunt morbi, hæc sui indicia somni tempore præmonstrabant. Huiusmodi autem somnia nos medici obseruare & animaduertere iubent, ex quibus futurarum prognostica constitutionū circa corpora paruo negotio animaduerti possunt.

AT vero nonnulla in somnis apparētium fantasmatum, propriarum unicuique operationum esse causas, haudquaquam ratione caret. Quemadmodum enim cum agere quippiam debemus, aut in ipso sumus opere, aut etiam id iam peregimus, per recta plerumque

somnia in illis versamur, & agimus, quoniam à diurnis initijs præparatus existit motus: ita rursum necesse est eas quæ somni tempore fiunt motiones, diurnorum plerunq; operum esse principia, propterea q̄ illorū cogitatio nocturnis imaginibus iam est præuēta. Et hoc certe modo somniorum nonnulla & signa & causas esse contingit.

Postquam in ijs quæ retro dicta sunt ostendit philosophus q̄ nonnulla somnia, eorum quæ in corpore fiunt futuraq; sunt, signa existunt & indicia: hoc in textu sanè declarat quomodo somnia nonnullarum etiam operationum quæ interdiu fiunt, hominibus sunt causæ. illius autem ratio hoc procedit modo. Sicut enim, inquit, facturi quippiam, aut in opere existentes, aut post cōfectā etiā rem, nonnunquam somniare videmur ea quæ fecimus, vel factitamus, & in illis recte versari, quia videlicet mens ipsa commota & veluti manu deducta à vigilantibus curis, ea nimirum somni tempore cernit quæ vigilando quispiam agit, vel operatus est: ita sæpius necesse est contingere vt motus qui in somnis fiunt, nonnullarum sint operationum principia & causæ, quæ interdiu vigilādo postea agunt homines. Quæcunq; enim in somnis apparentia cogitationem mouerint, & ad opera quæpiam excitaauerint, quorundam memoriam præteritorum excitantia: isthæc nimirum experrectos mouent & excitant, & ad illa sæpenumero perficienda compellunt. Huiusmodiq; somniorum genus in causarū numero non ab re ponendum esse ducimus. Quemadmodum enim vigilantes sæpius aliquid cogitamus, quod sanè nobis in causa est vt quippiam postea faciamus, vel aliquid inueniamus: ita etiam somni contingere tempore est existimandum. Cogitatio enim tunc otium agens, ex imaginibus quas in corde repositas cernit, aliud quippiā imaginatur: à quo certe accidit vt illud postea à nobis efficiatur: dicereq; tunc solent homines q̄ cōfecti operis illius causa, id quod pridie viderant, fuit somniū. Quod autē ab alijs quibusdā alia plerūq; imaginari excogitariq; cōtingat, palā certe est. Sepi⁹ enim lyrā inspiciēs quispiā, de lyrico, verbi causa Socrate, cogitare cœpit: à qua rursum cogitatione ad aliā sanè deducitur, posteaq; ad aliam. Lubrica enim ad multa & bene agilis est cogitatio, à qua sæpenumero quietis tempore admoniti & excitati, vigilantes postmodum illius ductu multa facere aggredimur. Vt autē ad summā dicatur, & breuiter vniuersa cōcludatur ratio: vt operationes & actus diurni somniorum plerunq; sunt causæ, & verum est id quod dictum est, Omnia quæ sensu voluntur vota diurno,

Tempore nocturno reddit amica quies:

ita nihil prohibere censendum est nonnulla in somnis fantasmata diurnorū causas esse operū. Hæc autē cōuenit & par est dicere de ijs operibus quæ in arbitrio sunt nostro, & quæ nō diu post fieri debēt.

Verum plurima fortuitis similia habentur, illaque præcipue omnia, quæ remota sunt, & quorum in nobis nullum est initium: vt de bello nauali, & de ijs quæ procul fieri cōtingit. De ijs enim eodem se habere modo par est, ac si quopiam aliqua de re memorāte, id ipsum fieri cōtingat. Quid enim phibet sic se habere in somnis? quinimo multa eiusmodi incidere veri est simile. Quemadmodum igitur de aliquo meminisse, neque signum est, neque causa vt ille superueniat: ita somniū, illius quod euenit, neque causa est, neq; signum, sed casus. Quamobrem somniorum multa non eueniunt. Fortuita enim neque semper, neque magna ex parte fiunt.

In retro dictis à philosopho ostensum est, vt vidimus, quænam somnia ad causarum genus referri possunt eorum quæ à nobis postmodum factitantur: quæve futurarum rerum quæ ad corpus nostrum pertinere censentur, signa esse dicantur. Hoc autem in loco de somnijs loquitur Aristoteles, quæ accidentia quædam & casus siue fortuita esse asseuerat, dicitq; plurima somniorum ita censeret: huiusmodiq; vocat somnia remota, quoniā ab alijs fiunt & visuntur, & in nostra omnino nō sunt potestate, disiunctamq; à nobis rebusq; nostris habere vidētur rationem. Quid enim ad nos pertinere videtur, aut quodnam futuræ rei principium in nobis reperiri potest, bellum (verbi causa) nauale in Helleponto abhinc duos mēses futurum esse, posito q̄ id quispiam somni tempore visus sit videre, instructaq; in Helleponto concurrere classes somniauerit: quæ res postea vt visa fuit euenit? Aut

etiam si quippiam non clare & manifeste cernatur, sed per ænigmata: Dico autē ænigmata, cum in uolucris quibusdam nocturna obducuntur visa, & aliud ab alio euenire censetur: quorum explicatio nem interpretationemq; visorum, ipsi somniorum sanè profitentur interpretes. Verbi causa quidam per quietem vidit à fœmina sibi quadam melopepones dono dari, tenues quidem & oblōgos, verum in scorpionum caudas desinētes. Accidit autē paucos post dies ab huiusmodi somnio, illum à visa per somnum muliere contumelia quadam & dolore affici. Ex quo verisimiliter apparere potest, hoc ex somnio aliud per aliud præmonstratum fuisse, si quidem prædictum fuisse quippiam existimandum est. Aliud enim melopepones ab eo qui insequutus est dolor, proculdubio esse censetur. Quibus autē

10 accidentibus assimilantur somnia, manifeste declarat Aristoteles, q̄ ijs videlicet quæ raro admodum euenire solent. verbi gratia si quopiã de re quapiam considerante & cogitante, illa postea vt cogitata, fuit euenire dicatur. Casu enim & fortuito id manifestissime contingere videtur. Similique modo si ego (verbi gratia) amici cuiusdam absentis meminerim, & ille ad me eadem accedat hora, casus profecto & fortuitum quiddam esse censetur. nulla enim subest causa, quoniam ego illius memini, vt ille ad me accedere debeat. Ita si ego (verbi causa) naualem in Hellesponto fieri pugnam somniauerim, vel huiusmodi quippiam, non idcirco naualis consequuta est in Hellesponto pugna: aut meū præcurrens somnium illius fuisse causam est existimandum, sed casu & fortuito nimirum ista euenisse censetur. Et quoniam somniorum pleraq; huiusmodi esse comperiuntur, & accidentibus assimilantur talibus, idcirco illa vt videntur non euenire dicit Aristoteles.

20 **S**omnio autem quoniã nonnulla etiam somniant animalia, à deo certe missa non erunt somnia, neq; huius gratia fiunt, sed dæmonia sanè erunt: si quidem natura dæmonia est, nō diuina. Huius autem rei signum est, q̄ infimo genere homines futura præuidere possunt, & recte somniare, tanquam non mittente deo: verum ij quorum natura quasi garrula est & melancholica, varias sanè cernunt visiones. Cum autē multiplicibus varijsque moueantur motionibus, plerunque assequuntur, vt nonnulli contendentes rapiunt. Quemadmodum enim vulgo dicitur, si multa iacias, aliàs aliud iacies: ita in ijs istuc accidit. Quòd autem pleraque somniorum non eueniunt, nullum est inconueniens. Neque enim signorum quæ in corporibus sunt, neque etiam cælestium, vt imbrium & ventorum. Si enim alius valentior hoc acciderit motus, à quo cum fieri deberet, factum est signum, non fit. Multa que præterea recte cōsulta eorum quæ fieri expedit, incassum ceciderunt propter alia præstātiora initia. Denique non omne fit quod fieri oportebat, neque idem est id quod euenturum est, & id quod est futurum: sed nihilominus prima initia dicendum est esse à quibus aliquid non est confectum, & q̄ signa nata sunt isthæc esse quorundam quæ facta non sunt.

30 **C**um retro dixisset Aristoteles multa per somnia ostēsa non euenire, quoniam somniorum pleraque fortuita sunt accidentia, & casus quidam, quorum sanè natura extra id quod semper aut frequenter fit, esse solet: vt istuc etiã stabiliori confirmet fide, ostendere cōtendit à deo quidem somnia non mitti: sed à corporum natura, quam dæmoniam vocat, nimirum prouenire: quod duabus sanè efficit rationibus, cum somniantium animalium minimeq; futurorum quippiam præuidere valērium ostensione vtens: tum (quod retro etiam fecerat) stultorum hominū & despicabilium exemplo, qui plerūq; futura præuident, & recte somniant. Quòd autem nonnulla animalium somniant, clarius certe est q̄ vt illis ostensionum indigeat splendoribus. Canes enim dormientes sæpius sublatrare audiuntur, & veluti ad feræ cuiusdam præsentiam patulo oris hiatu appetere quippiam, inaniterq; faucibus conreptare animaduertuntur. Similique modo somniare equos, boues, capras, pecora Plinius Secūdus grauis sanè author palā esse dicit: crediq; asserit istuc ipsum propter ea quæ diximus, omnibus etiam accidere quæ animal pariant. Nocturna igitur visa hanc ob causam minime quidem à deo missa esse existimandum est. Dæmonias autem esse, id est naturales præmonstrationes, credendum, cum natura ipsa à qua sanè isthæc proueniunt somnia, dæmonia existimetur, & non diuina. Ex quibus

Quòd ratione carētia animalia somniant.

Plinius de canibus.

Diuisiōe ge-
nus somniorū
Aristotelem
nouisse.

Quid natura
de Academi-
corū sentētia

Melancholiam
in vehemēti
spirituū co-
mōtione vex-
sari.

Prouerbiū.

Cicero.

Plurimarum &
veterum pro-
gnostica non
semper eue-
nire.

philosophi dictis animaduertendū esse cēseo Aristotelem diuinorum quoddam somniorū genus etiā nouisse: quod in principio huius commentarioli tangere magis q̄ explicare illum diximus. Verum cū phylicas id superemineat causas, ad præstantiorēq; illorū perscrutatio spectet artificē, de naturalium solummodo diuinatione præmonstrationeq; somniorū hoc in loco verba facere voluit, quæ in causas, signa & accidentia, siue casus, non minus vere q̄ commode determinauit. Naturam autē hoc in textu dæmoniam vocat Aristoteles, vel quia deorū est instrumentū, & veluti ministra quædā: vel quia quod proxime aliquibus præesse videtur, vt natura rebus naturalibus, dæmonis nomine vocauerit philosophi: vel quia id quod similitudine quadam ad dæmonum genus mirabiliores quasdam & supra hominem actiones ederet, hoc nomine insigniuit antiquitas. Et profecto ita res se habet, nam, vt vniuersa voluit Academia, cum natura sit incorporea quædam essentia, à corporibus haudquaquā separabilis, illorū rationes continēs vniuersas, non immerito dæmonum sortita est nomen: cum alioquin opificiam etiam in se habeat potestatem, quæ inter præcipuas dæmonum generi nimirum adscribi censetur. Subdit postmodum philosophus q̄ quorūdam hominū natura est veluti loquax & garrula, vt illa melancholicorū esse existimatur, multa namq; ij (vt retro dictū est) quietis tempore cernunt visa, ceu loquaces & garruli multa loquuntur & garriunt. hoc autem idcirco, quoniam multæ & vehementes melancholicis fiunt motiones, cum melancholia sit (vt dictum est) in multa & vehemēti semper spirituum commotione & conturbatione. Quoniā autē ij multis excitantur & mouentur motionibus, semperq; in spirituum versantur æstu, verisimile sanē est illos nonnulla assequi & præuidere posse de futurorum euentis, quod statim similitudinū quarūdā exemplis ostendere nititur. Qui enim contendunt, inquit, & certant vt non solū vnū præueniendo rapiant, siue coronæ sint (verbi causa) siue nismisara, seu alia quæpiā quæ proijciuntur, sed multa appetunt, & rapere contendunt multa: & ij nimirum cū quæ proijciantur sint multa, non vacuis redire solent manibus, sed aliquid semper assequi conspiciuntur: ita melancholici dū somniant, quia multis agitantur motionibus (in motu namq; perpetuo illorum semper est sanguis, & qui in corde degunt, continuò agitantur spiritus) multa sanē assequi possunt & præuidere. Et quemadmodū etiam, inquit, in prouerbio dicitur, Si multa proieceris, aliās aliū percuties & assequeris. Siquis enim (verbi causa) multas iaculatus fuerit sagittas, aliud & aliud assequi potest, & plures feras prosternere: q̄ si vni cam solum emiserit sagittam, aut quod intendit non assequitur, aut semel tantū & vnum assequi potest: qui autē multa iacit (vt inquit Cicero) non nunq̄ collimat, id est assequitur & tangit: ita in melancholicorū somnijs accidere censendū est: qui cū multa quietis tempore propter enarratas videant causas, verisimiliter quædam assequi & præuidere valent. Non euenire autē plerāq; somniorū postea subiungit philosophus, quoniam cū illorū nonnulla (vt retro dictum est) signa sint eorum quæ in corporibus fiunt, inconstantem nimirum illa & vacillantem suā habere essentiā necesse est. Namq; idipsum etiā in vniuerso signorū genere planē animaduertere contingit. Cum enim elegantes dicant medici, vehementes quietis tēpore pauores, omnesq; præterea foetidarum rerum apparatus, & veluti subolfactus, futurorum esse præmonstrationes morborum: non semper tamen iidem asserunt huiusmodi somnia necessario consequi morbos. Alia namq; valentior insurgere potest causa, quæ omnia huiusmodi signa, veluti nebulas Aquilo, dissipet & expellat. excitata enim fortasse natura & præualens noxios illos & putridos humores, qui sanē portendebant morbos, aut concoxit, & bonos effecit, aut certe amandauit & expulit: quamobrem somniator ille haudquaquā ægritudinē incurrit. Quinetiam idipsum in mundanis, inquit, animaduertere contingit signis. Halo enim circa Lunæ apparens orbem, imbres sanē & pluias præmonstrare dicitur. nihilominus isthæc sæpenumero fallit ratio, vanūque fit prognosticum, ob siccæ plerūq; exhalationis præualentem vim, quæ pluias imbresque compescere potest. Similiq; modo ventorum signum futurorū Lunæ sydus esse censetur, cum non toto nitet orbe, sed sui parte dimidia (vt in meteorologicis est ostensum) clarescit: non tamen hoc præcurrente signo ventorum semper perflant turbines. Si igitur alia, inquit, valentior emerferit causa, quàm illa per quam apparuit halo, aut Lunæ non clarus per totū conspectus est orbis: neq; profecto decidunt imbres, neq; perflant venti. Subdit præterea q̄ non solum in alijs, & ijs præcipue quæ natura fiunt, sic se habere videtur res, sed nonnulla etiam quæ hominū arbitrato fiūt, & in illorū potestate existūt, hoc se habere videtur modo. Multa etenim quæ maturo incepta sunt cōsilio, ratos sæpenumero nō habēt euetus, propter nonnulla quæ de nouo emergere cōtingūt, quibus mentē adhibere cōuenit. nāq; in rebus agendis, tēporibus præcipue est parēdū. Illud autē, Deniq; nō omne fit quod fieri debuerat: signare sanē vult q̄ nō omnia fiunt quæ præmonstrātia habēt signa q̄ fieri debeant, & quæ fierent vtiq; nisi quæpiā valētior intercederet causa. Non idēq; esse dicit quod euenturū est, & quod est futurū. Quod enim euenturū est (ita enim nos in presentia latinū fecimus illud quod græci ἐσόμενον appellant) de necessitate futurum est. Futurum autem id dicitur, quod sanē contingit fieri, & non fieri. Qua de re in commentarijs de generatione & corruptione sufficienter est pertractatum.

DE ijs autem somnijs quæ talia non habent initia qualia diximus, sed remota vel temporibus, vel locis, vel magnitudinibus, aut horū sanē nihil, veruntamen eiusmodi in se non habent initia ij

qui vident somnium, nisi fortuito præuidere contingat, id profecto erit magis quàm vt dicit Democritus idola & effluxiones ad causam referēs. Quemadmodum enim cum quispiam aquã mouerit, aut aërem, id aliud mouit, illo autem cessante quodam tenus authore absente procedere contingit: ita nihil prohibet motum quempiam & sensum ad somniãtes peruenire animos, à quibus ille idola & effluxiones fieri asserit: & quocumque peruenire contigerit, noctu magis sentiri, quoniam interdiu si deferantur, euanescent. Noctu nanque tranquillior est aër, quia minus perflatae sunt noctes, & in corpore propter somnum sensationem facere, quoniam tenues dormientibus motus quàm vigilantibus sentiuntur magis. Porro ij motus imagines efficiunt, ex quibus eiusmodi futura præuident. Quapropter infimæ conditionis hominibus hæc accidit passio, & non ijs qui prudentia sunt insignes. Sapiētibus enim interdiu fierēt si mitteret illa deus. Hoc autem modo infimæ conditionis homines præuidere verisimile est. Siquidem horum mens haudquaquam est cogitabunda, sed tanquam deserta, & ab omnibus vacua, & quæ impulsæ secundum motorem agatur.

Cum retro de somniorum prædictionibus pertractauerit philosophus, quæ cum accidētia, tum signa esse existimantur, quibusve contingere soleant, & quo fiant modo: hoc in textu de reliquo somniorum genere nos docere aggreditur, & illorum præsentatione visorum quæ nullum in nobis principiū habere vidētur, ita quod ab illis certe somnijs sunt diuersa, quæ in causas & signa disternit nauit, nosque naturalia illa vocauimus, cum quippiam scilicet circa somniantis corpus vel animū præmōstrarent. Vocat autē ista remota, id est extermina & longinqua, cū tēporibus & locis, tum magnitudinibus: somnia nimirum intelligens illa quæ multum post tempus euenire animaduertūtur: & de ijs quæ ad remota & distantia pertinent loca, rei que cuiuspiam magnitudinem circūcernūt, veluti nos retro Plinio Secūdo teste de matre cuiusdam in extrema Hispania militantis, de que eius somnio diximus: & cuiusmodi etiam videri possunt somnia quæ de bellorum euentis, vrbiūque magnarū euerisionibus quippiam præmonstrare vidētur. Huiusmodi igitur somniorū genera, vel illorum etiã quæ principia non habent in ipsis somniantibus eorum quæ fieri & euenire debent: vniuersaliter, inquit, dicendum est, nisi voluerimus illa ad casum & accidēs referre (vt retro est dictum) alio se habere modo quod Democritus asserat, horum causas omnium assignare contendens. Dixit enim ille idolorum species quasdam noctis tēpore hominibus occurrere: quorum è numero benefica quædam & propitia, nonnulla vero malefica essent & noxia: quãobrem bonorum sibi occursum precatur idolorum. Huiusmodi autem idola cum magna, & hominum excedentia quãtitate, tum multiformia & varia esse asseruerat, eaque neque penitus immortalia, neque cito intereuntia, sed longæua, hominumque generi futura præmōstrare, aliàs quidē apparētia, & veluti in oculis versantia, nonnunquã etiam voces emittentia, quas somni tempore audire videntur homines. Dicit igitur philosophus quod ad huiusmodi somniorum præsentationes conuenientius esse videtur quod istas idolorum adducere machinas, dicere & opinari motiones quasdam & sensationes fieri, à quibus sic formato & configurato aëre, & per nares & aures somni tempore ad primum sensitium applicante, & ad illius sensiterium, id est cor accedente, somniantes quãdoque futura præuidere. Quomodo autem moueatur & cōformetur ipse aër ad effectus huiusmodi & opera, ab Alexandro Aphrodiseo in suo de dæmonibus cōmentariolo sufficienter (vt aiunt) est declaratum. nam ad manus nostras is non peruenit libellus. Habent enim cum operationes nostræ tū sermōnes quædam sui initia, à quibus nimirum fieri & prouenire debeant. Motiones autem huiusmodi assimilant Aristoteles ijs qui in aqua fiunt motibus, de quibus retro etiam sermonem fecit, cum primo scilicet mouēte semoto & cessante, adhuc in aquarum vorticibus perstat & remanet motio, alia videlicet parte aliam impellente, donec deficient motus illi, & aliquod sanè pertingentes cōsistant. Noctis autem tempore illos magis fieri asserit, quoniam tranquilliores sunt noctes, & minus perflatae. propter solis enim motū & calorem (vt in meteorologicis dictum est) plurimi interdiu excitantur ventūti, quas etiam sensationes & motus extrinsecus aduenientes noctu & in somnis sentiri magis & percipi dixit, quoniam parua tunc temporis (vt dictum est) videntur magna, & tales faciunt impressiones quæ sentiri sanè possunt, quæ alioquin interdiu, & solutis sensibus nō plus mouere possent, quàm exiguum candelæ lumen in meridiano sole sensilem efficere claritatem. Quoniã autem ij motus, siue

Democritus

Alexander
Aphrodiseus
de dæmonibus.Cur noctes
diebus tranquilliores,
& minus perflatae.

fantasmatum species noctu feruntur, occurruntque quibusnam occurrere cōtigerit, idcirco viles quosdā & infimae fortis hominiones praeuidere posse futura cēsendū est. Mittente autē illa Deo (vt plerique voluerunt) tū interdū fieri praeuolantia magis cōueniebat signa, cū mens vegeta uigilat: tum non cuius ē populo, sed sapientibus uiris & uirtutibus insignitis illa certe mitti oportebat. Affertque praeterea in textus calce causam quandam cur infimae fortis homines interdū futura praeuideāt magis quam sapiens uir & philosophus, quam nos etiam retro adduximus, dicens uulgarium mentē & cogitatiuā desertā esse & uacua, quāobrem à motionibus illis & imaginibus commota tū illas facillē recipere potest, tū mouentis arbitrio agitur sanē & ducitur. Secus autem in philosophis uiris esse censetur. Horum namque cogitatio pulchris sanē & excellentibus contēplationum motionibus referta, nihil extrinsecus facillē admittere potest. ab illis enim cōmota, minora & externa haudquaquam cernere & animaduertere ualet. Quēadmodum enim uigilantes interdum si accuratius quippiā imaginamur, illa nō cernimus quae oculis oblata sunt nostris: officit enim & propellit maior motus minores motiones: ita in somnis commota & excita cogitatiua animae potestas à motibus qui in illa sunt, uel figuris, quae plurima philosophantibus semper obuersionant uiris, haudquaquam cernere & animaduertere extrinsecos oblatos motus, est uerisimile. Et isthęc pro Aristotelicorū uerborū sententia & explicatione sufficiāt. Verum cogitanti mihi, & de huiusmodi somniorum praedictionibus sedulo disquirenti, illa profecto Academicorū uera uidebatur esse sententia, quā neque Aristoteles hoc in loco negat, & omnes praeter ea philosophi (exceptis ut diximus paucis) confirmare sanē uidentur, nonnulla uidelicet diuina esse somnia, quae cōsopito corpore, uigilante uero anima, uilitatis bonique alicuius causa hominū generi apparere solent. Verū ut isthęc in cōfessis est res, ita in ambiguo esse uidetur, quānā somniorū huiusmodi uerā & indubitata dicantur esse causa. Plerique enim Academicorū, animorū diuinitati haec ascribunt munera: inter quos princeps Iamblichus, quē diuinū sua cognominauit aetas, animū dicit hominis duplicē habere uitā, alterā quidē cū corpore existentē, simulque cū illo uersantē: alterā uero ab omni illius cōmercio & cognatione semotā. Cū igitur uigilant homines, plurimū uita uti asserit illa quae animae sanē & corpori est cōmunis: somni uero tēpore ab illa certe ueluti à uinculis animo inditis solutos, illa nimirū diuiniore uti posse uita, quae à materiae conditionibus generationeque est seiugata. Dormientibus igitur hominibus de quibus id fas est dicere & sentire, cū animus ueluti soluitur à corpore, tū uita illius species per se ipsam permanens separabilis separataque, siue intellectualis illa sit, siue etiā diuina, expurgitur excitaturque protinus, agitque quēadmodum diuina illius fert natura, futurorumque clara cernit initia. Quāobrem antiquā inquit medicinā inde primo inuētā, plurimū somniorū praedictionibus sanē debere: suoque etiā ait tēpore in Aesculapij sano quodā dormientibus somnia quaedā monstrari & apparere solita, quibus diuersa morborū curabatur genera. Ad summū, uir ille uniuersam somniorū diuinationem humanis ascribere uidetur animis, cū expurgati scilicet illi, & à corporis contubernio quātū fieri potest seiugati, peculiaribus excitantur motionibus, & sua ipsorum agere uidentur. Et profecto (ut Platonius inquit Synesius) sapiens res est animus à sensu colluione externorum otium agens & liber, qui naturas sanē illi ingerit alienas: cui ita se habenti, mundanum se prorsus adiungere Deum, à uero non esse inquit alienum. Prophyrius autē, nonnullique eiusdem sectae uiri, uniuersam hanc rem Dæmonum generi acceptā referre contendunt, dicuntque patrē illū mundi que opificē Deū, ut Deos humanis animis duces dedit: ita Dæmonas illorum curatores esse uoluisse. Bonos igitur hos & propitios Dæmonas, mediā scilicet inter deos hominesque naturā, nūquā officia deserere sua affirmant, sed iminentia passim à malis dæmonibus pericula pro facultate sua significare, cum somni tempore ostēdentes, tum per animos diuinitus inflatos praemonstrantes. Et si quis omnia quae ab illis per quietem praemonstrantur, discernere ualere: hunc certe cum omnium semper immunē malorum fore, tum uatē etiā futurum egregium constanter asseuerāt. Verū illos quidē semper & passim omnibus significare: non omnes autē signata ab illis comprehendere posse dicunt: quoniam nō omnes ad illorum cognoscenda intelligendaque monita sunt habiles & apti: ut quiuis ē populo notatos literarū conspicit characteres, scriptum uero legere non potest illud, nisi qui literas didicerit. Quamobrem somniorū praesagia refert Prophyrius partim ex nobis esse, quae sanē esse uidentur illa de quibus in expositione nostra retro uerba fecimus, & naturalia illa appellauimus: partim uero ab extrinsecis, quae Dæmonū scilicet generi ascripserunt illi. Plutarchus quinetiā Cheronæus, quem graeci Polyhistorē, id est multae historiae uirum, & multificiū cognominauerunt, in dialogo suo quē de Socratis Dæmonio inscripsit, Dæmonas somniorū praemonstrantium effectores esse uidetur asserere. ait enim Socratis mentē à corporeis seiugatam affectionibus, necessariisque solummodo cultus causa corpori coniunctam, habilē certe fuisse & idoneam ut ab accedente digne & decenter moueretur. Accedēs autem illud nō uocem fuisse suspicandum esse, sed sermonem sine uoce dæmonij tangentis eum illa ipsa re quam illi ostēdere uolebat. Vox namque plagae assimilis esse uidetur ut quadam animum percutientis, sermonemque recipere cogētis quando inter nos uerba cōferimus. Superior autem mens habilē mouet animum nulla intercedente plaga, illū re intellecta contingens: is autem illi cum uigilando, tum dormiendo obsequitur & paret, corporis affectionibus nullis reluctantibus. Ex quibus liquidū (ut arbitror) cuius apparere potest uirum hunc praesagia omnia quae tum somni tempore, tum uigilando humanis conceduntur animis, à superiori mente, id est à dæmonum natura illis nimirum praestari & concedi uoluisse, qui illorum admonitu & contubernio digni esse censerentur. Cur autem dæmonium illud Socratis, ut apud plerisque,

Cur viles homines interdum per somnia diuinent.

Digressio de somniorū causis quippiam praemonstrantium.

Iamblichus. Humanos animos duplices habere uitas.

Antiquā medicinam somniorū inuētā.

Synesius.

Prophyrius.

Dæmones animorum curatores.

Plutarchus de Socratis Dæmonio.

præcipueq; Platonē in Theage & Phædone legitur, nunq̄ illū impellebat, sed semper reuocabat: non cōtēnendē est disquisitionis initiū: quæ quoniā ad propolitū nō facit nostrū, in præsentia nō mouebitur: aliās, si dabitur, illā vestigare tētabimus. Synesius autē Platonicus inter posteriores Academicos vir magni nominis, somniorū prædictiones ab idolorū simulacrorumq; effluxionibus, quæ vndiq; in spiritu feruntur fantasticū, proculdubio fieri affirmavit: quod Democritū etiā apud antiquos sensisse si quispiā mentē illius recte perpēderit, & ad sententiā magis q̄ ad verba respicere voluerit, nō merito existimare poterit. nō enim corpulētas illum effluxiones, & rerum obstātia quædā & materialia idola euibrari & occurrere credidisse, virū alioqui talē, & naturæ indagatorē vel præstātissimū, merito existimādum est, sed formales quasdā & spirituales imagines emicare, & somni tēpore ad dormientium animos penetrare voluisse credēdum est: à qua certe opinionis ratione neq; philosophum dissentire Aristotelē retro enarratus nos docere potuit textus, qui præmōstrantiū somniorū, quorū principia in ipsīs nō reperiuntur dormiētibus, causas esse dicit motiones quasdā & sensationes, noctu magis q̄ interdiu ad quiescētes animos subintrātes, fantasmataq; efficiētēs, à quibus illi excitati futura sanè præuidere possent. Quid enim aliud quæso istuc est, q̄ id ipsum quod dixit Democritus, & mox proferet Synesius: aut vbi nā, nisi in verbis, & in ijs etiā modica videtur esse diuersitas? Quod enim idola ille & effluxiones, hic fantasmata vocat & motiones. nā q; neq; in ijs, sicut nec in illis vllū merito adhiberi possit corpus, crassum præsertim & obstipum, ijs certe perpendere licet qui recto mentis examine iudicare & sententiā ferre valent. Verum isthæc Democriti, imò veritatis causa obiter sint dicta. quāobrē ad Synesium vnde digressi fuimus reuertamur. Voluit igitur vir ille à rebus omnibus quæ vniuersi ambitu & natura cōprehendūtur, siue in præsentia existant, siue in præterito factæ fuerint tēpore, seu futuræ posthac expectentur (nanq; is etiā quidā existentia est modus) cū præcurrētes habeāt in rerum natura causas, idola quædā profluere, & ab eorū essentia iugiter emanare. quorum omnium vndiq; emanantiū, spiritū fantasticū, animæ scilicet vehiculū primum, clarissimū asserit esse speculū. circūeuntia nanq; simulacra eiusmodi, & à vero labētia statu, tū ob essendi imbecillitate, & indeterminatā infinitatem, tum quia à nemine dignosci percipi q; possunt, in hoc irretita spiritu, & illi sanè applicātia, tū primū sui effigiē ostendere & reddere posse asserit. Eorū igitur, inquit, quæ facta sunt, quoniā in essendi actum iam processerunt, perspicua passim mitti idola, donec tēporis diuturnitate imbecillia facta euanescent. Eorum vero quæ in præsentia existunt, vtpote quæ adhuc cōsistāt, validiora sanè & manifestiora peruenire simulacra: futurorū autē indefinita certe, & admodum indiscreta. Sunt enim hæc veluti præuolumina quædā & replicationes rerū nōdum præsentium, & ceu efflorescentiæ quædā immaturarū adhuc rerū & nondū perfectarū profilientes, & tanq̄ delitescentium seminū subobscura & adumbrata indicia. Quāobrē futurorū prædictiones nō omnibus esse inquit cognitæ & peruias, quoniā ab ijs obscuræ & adumbratæ omnino procedūt imagines, quæ sanè artē & iudiciū expostulēt singulare. Has autē dixit rerū imagines omnibus quidē significare & prædicere, illos autem solos cognoscere & intelligere qui illarum speculū, id est fantasticū spiritum depuratū defecatumq; habere curauerint, cū philosophiæ præparationibus, tū moralium virtutū operibus, alijsq; plerisq; quæ illū sanè dignū ad id operis efficere valent, & vt illi postmodum intellectus, ipseq; innotescat deus. Quapropter Pfellus vir cū academici tum peripatetici dogmatis in primis peritus, in suo de dæmonibus libello, dæmonas inquit nō omnibus, sed ijs dūtaxat qui illorū digni habentur cōtubernio, appropinquare, illisq; futurorū præscita largiri. Spiritui enim fantastico ipsos spiritus existentes nullo negotio copulari, copulatosq; & coniunctos, nullāq; emittētes vocem, sed internū immittētes sermonē, quiescētium docere animos. neq; hoc valde inquit esse admirādum. Quēadmodū enim qui loquitur, inquit, si procul loquatur, vehemētiori clamore indiget: factus vero propinquior in aurem clam infusurrat: q; si etiam posset cū ipso animæ spiritu copulari & coalescere, nullo prorsus egeret sonō, sed illius arbitrio conceptus sermo, nullo penitus vocis illaberetur strepitu: ita sanè dæmonū esse conuersationes, cum animis videlicet illis qui illorum digni contubernio esse censentur. Verum inquit à medicis huiusmodi rem & recentioribus philosophis haudquaquam recte perpendi, quoniā ij sensata solū cognoscunt, & quæ ad corpus pertinere videntur curant: quæcunq; vero sensus supereminet, animaduertere negligunt. Sed iam digressionis huiusce sit modus, & ad philosophi literam reuertamur.

Vr autem nonnulli qui ecstasin patiuntur, præuidēt, in causa est quoniam peculiare motus illos non præpediunt, sed dissipātur. extraneos igitur maxime sentiunt. q; vero quidā recte somniāt, & q; amici de amicis præuidēt maxime, idcirco cōtingere videtur, quoniā amici mutuas sibi inuicem curas impertiunt. Et sicut quæ procul sunt, cognoscunt & sentiūt maxime, ita cognitorū notiores sunt motus. Melācholicī autē propter vehemētiā, vt qui à longinquo iaculātur, sæpe collimant:

n.j.

Synesius.

Pro Democrito.

Spiritus fantasticus animæ primum vehiculum.

Cur futurorū prædictiones difficiles.

Pfellus de Dæmonibus.



Ur autem nonnulli qui ecstasin patiuntur, præuidēt, in causa est quoniam peculiare motus illos non præpediunt, sed dissipātur. extraneos igitur maxime sentiunt. q; vero quidā recte somniāt, & q; amici de amicis præuidēt maxime, idcirco cōtingere videtur, quoniā amici mutuas sibi inuicem curas impertiunt. Et sicut quæ procul sunt, cognoscunt & sentiūt maxime, ita cognitorū notiores sunt motus. Melācholicī autē propter vehemētiā, vt qui à longinquo iaculātur, sæpe collimant:

necnō ob celerē permutationem, celeriter id quod sequitur imaginantur. Quēadmodū enim Philægidis poëmata furore perciti ijs quę similia sunt coniūcta dicūt & cogitant, vt Venerem, itaq; ad primum annectunt. Præterea ob vehementiam ab alia motione illorum non extenditur motus.

Postquā in ijs quę retro dicta sunt, Aristoteles somniorū quæ in nobis principia nō habere videtur, præmonstrationes à motibus quibusdā & sensationibus siue imaginibus & simulacris quæ noctis tēpore primū petūt sensitium, fieri ostendit & asseruit: hoc in textu causas indagare contendit propter quas nonnulli præuidere & recte somniare dicuntur. Huiusmodi autē cum melancholicis esse cēsentur, tum ij qui ecstasin patiuntur, id est qui extra se positi quodāmodo insanix speciē quādam habere videntur, quales fuisse vates, & Sibyllas, & apud Delphos Pythiam, fatidicasque Dodonæ anus, memoriæ prodidit antiquitas: qui non solum per quietē & somniādo, sed vigilādo etiā præsentire & prædicere de futuris poterant. Huiusmodi igitur naturæ homines, sicut & melancholicos, recte somniare dicit Aristoteles, & futura præuidere, quoniam proprios nō habent motus externis officientes motibus. Cū enim in interstitio positi sint isti prudētū virorum, & omnino insipientiū, nihil ferē imaginantur aut cōsiderare tentant. Et cū, vt retro est dictū, huiusmodi homines vacuā habeant & desidē cogitatiuæ animæ vim, nullisq; impeditā imaginationū curis, rationabiliter sentire possunt quęcūq; extrinsecus in eos incurrūt. quę autē sint incurrētia & obuiātia ista quę aduenas & extraneos hic vocat mot⁹, retro dictū est, vbi de simulacris scilicet & imaginibus, siue à rerū naturis emicātibus & noctis maxime tēpore integris permanentibus, primūq; sensitium petētibus, seu à Dæmonū naturis beneficis nobis immisissis, siue à diuinorū penetralibus animorū in nobis excitis & cōmotis verba fecit. Subiūgit postea philosophus amicos de amicis sæpenumero recta somniare: statimq; subdit causam, dicēs amicos maxime sibi inuicē curas impartire. & profecto istuc haudquaquā ab re esse videtur. Amicitia enim cognatio quædā & affinitas animorū inter sese esse cēsetur: & idcirco concinne admodum de præstātibus dicitur amicis in duobus corporibus vniciū inhabitare animū. Si igitur alter de altero præsentire dicitur, non est admiratione dignū. Nā sicut amici de absentibus sæpius cogitāt amicis, dulcēq; memoriæ sensum illorū semper habent: ita etiā in somnis sæpenumero cum illis versantur, recteq; de illis idcirco somniare possunt. Exemplorū plena sunt omnia: & nos retro, cū de matre quę filio in Hispania militanti herbam somnio præmōstratā indicauerat, diximus: tū in præfatione quadam nostra de Alexātri Macedonis somnio mentionem fecimus, quo præmonitus & edoctus ille Ptolemæo familiari suo ex vulnere venenato moriēti, salutē sanē fuisse perhibetur. Melancholicos quinetiam recte somniantes, & futura nonnunquā præuidentes dicit, quoniā illorū (vt retro dictum est) natura vehementes habet motus, & varias illorum cōmutationes. Vt igitur sagittis arcuq; vtens, qui multa ad remotum quoddā signum spicula dirigit, potius collimare, vt ait Cicero, & illud cōtingere cēsetur, q̄ si vnam tantū dingeret sagittam: sic vehementes illæ & crebræ melancholicorū motiones efficaces sæpius noctis tēpore esse possunt, iugiq; visorum cōmutatione id assequi principium quod alia cōsequi nata sunt. Quædā enim in nobis (vt alias dictum est) reperiuntur principia quibus per similitudinē quādam inuentis & cōmotis, celeriter etiā cōtingit nos illa præuidere quæ cōsequuntur. Cuius rei statim subiūgit exemplum, quod tēpore quidē illo clarū & omnibus patēs esse debebat, nos vero illud in præsentia coniectura sola assequi possumus. Similiter enim se habere has dicit motiones in ipsis melancholicis factas, vt Philægidis se habent poëmata, in quibus consequentia præcedentibus similia erāt. Non enim quemadmodum in Euripidis (verbi causa) tragœdijs nunc quidem ab Helena ad Hecubā sermonis transit series, aliās vero ab eisdem ad famulas chorūq; deuoluitur, ita in Philægidis poëmate, quisquis iste fuit Philægides (nam nos neq; de nomine quidem illum vnquā percepimus) interpolatæ carminū erant periodi: sed siue de Venere sermo illi fuerat, seu de Iunone, semper eadem orationis series & idem tenor à principio ad finem vsq; deducebatur. Nisi forte in textu corrupte poëtæ illius scriptū est nomen, & Philægidis loco Philænidis rectius legi debet. Fuit autē Philænis famosa sua ætate meretrix, quæ de cōcubitus varijs generibus conscripsisse dicitur, quā Philocrates poëta luculentissimis laceravit versibus, cuius etiā Maro, siue quisquis fuit ille, in Priapeis suis meminit. Huius igitur poëmata hoc in loco dicere philosophus videtur à libidinosi & turpibus idcirco disci, & cito intelligi, quoniam facilē ij à simili & consequenti mouentur. nam ex vna concubitus (verbi gratia) specie consequentem aliā celeriter reperire possunt. ἐμμενές autē, vt textus habet græcus, effrenes in libidinem, & furiosi in re dicuntur. Ex hoc vero declaratur per similitudinē melancholicorū facilitas ad cōsequētia ex præcedentibus reperiēda. Illud autē, vt Venerē, additū est quia poëmatibus illius potuit esse inscriptio, Philænidis Venus, sicut Homeri Ilias, & Virgilij Aeneis. Istoque modo dictorum huiusmodi peruia erit sententia. Melancholici autem tum quia multa in somnis vident, tum quia faciliter illa permutantur: id quod principio adiacet, & illud consequitur, cito imaginari possunt, & ita ipsi principio annectere, quemadmodum libidinosi & in Venere furentes, Philænidis poëmata, quæ similem & vniformem habent sequelam, cito, supplendū est, dicunt videlicet ex tempore & cogitant, vt Venerē, id est ita inscriptū poëma. quo in loco coniunctio

Vates.
Sibyllæ.
Pythia.
Anus Dodonæ.

Amicitia animorum affinitas.

Alexātri somnium.

Philænidis poëma.

illa enim superfluere videtur. Illud autem, itaq; ad primum annectunt, redditio illius est literæ, celeriter id quod sequitur imaginantur. Interpositio autem est Philænidis poematum similitudo.

Artificiofissimus autem somniorū est interpret, quicunq; potest similitudines contemplari. Cuiusvis enim est recta diiudicare somnia. Similitudines autē dico, quoniā similes accidunt imagines ijs quæ in aquis cernuntur idolis: vt proxime diximus. ibi nanq; si multa fuerit cōmotio, haudquaquam similis fiet effigies aut idola ijs quæ vera sunt. Efficax itaq; erit eiusmodi sufficienter diiudicare imagines, qui celeriter animaduertere poterit & perspicere dissipata & distorta idola, q; hominis, aut equi, aut cuiusvis alterius existūt. Et ibi sanè simile quiddā potest somnium. Motus enim recta extrudit somnia. Quid igitur est somnus, & quid somnium, quamve ob causam vtrunque illorum fit, præter ea de ea quæ ex somnijs est diuinatione, dictum est: de communi autē animalium motione est dicendum.

In libelli huius calce philosophus ostendit quinam efficaces & periti somniorum sunt coniectores & interpretes, asseritq; illos sanè esse quicunq; ex rerum similitudinibus imagines rite perscrutari & inuenire possunt, cum vel permutatæ sunt, vel cōfusæ vel subobscuræ. Cuiusvis enim dicit esse de integris & non confusis recte iudicare posse somnijs. Vel enim experiētis id facere potest, vel ex libellis hac de re editis, historijsq; multiugis id ipsum colligere valet: non autem cuiusq;, sed periti & elegantis est confusa & incerta somnia recte coniectari posse. Quæ admodum enim, inquit, idola quæ in tantibus apparent aquis, q; hominum videlicet vel equorum sint imagines, quiuis è populo recte dignoscere potest: non cuiusvis autem est easdem iudicare imagines si in currentibus & cōmotis inspiciantur aquis (sæpe enim hominis simulacrum, equi esse imaginem iudicabunt) ita sanè in somniorū cōiecturis & iudicijs merito esse censetur. Idoneus nanq; & efficax ille videtur esse coniector & interpret, qui contemplari & rite perpēdere potest rerum similitudines, & quonam modo ex alijs alia fiant, & nōnunquā in tertiā quandam apparentiā commutantur, vt ex illis postmodum iudiciū ferre possit q; id simulacrū quod hominis verbi causa esse videtur, nō est hominis, sed equi aut bouis: & ex ijs reliqua postea cōiectari. In somnis nanq;, vt retro est dictum, non minus q; in aquis, alij motus alios præpediunt & extrudunt, simulacrorumq; continuitati multum quantum officere videntur. Quamobrem Artemidorus somniorum interpret in primis nobilis, in commētarijs suis quos de somniorum prædictionibus non minus ingeniose q; insigniter conscripsit, ingenio excellentem esse inquit oportere somniorū interpretem, qui similitudine capta à principio ad finem vsq; peruenire possit quando à se inuicem disiuncta & dissipata fuerint somnia: & nonnunquam à fine ad ipsum regredi possit principium. Cōtingit enim aliquando à principio existente cognito finem ignorari, neq; rite discerni: interdum vero contrā rem se habere. Prudentem igitur, inquit, illum & maxime expertū esse oportere. quod ex verbis etiam philosophi hoc in textu clare animaduertere licet. Qui postremo etiam loco, & in commentarioli huiusce fine, vt sui moris est, breuem & dilucidum prædictorum facit epilogum: idque signat de quo est mox verba facturus.

F I N I S.

n. ij.

N. LEONICVS THOMAEVS DANIELI
RENERIO PATRICIO VENETO S.



Ogitanti mihi, Reneri præstâtissime, & animo sæpe volenti, illi profecto ex hominum numero mihi cum præclare vixisse, tum feliciter vitam cum morte cõmutasse nõ immerito visi sunt, qui ingenue educati, liberaliterq; eruditi, omnibus vite negotijs & curis procul amandatis, in optimarum artium studijs, rerumque naturæ cõtemplationibus ætates suas, omnemque vitæ cursum tranquille & insigniter consumpserunt. Nam siue, vt philosophorum præstantiores volueret, secundarum vitarum quasi præludia quædam primæ sunt vitæ, idq; nimirum nobis hic commētatur, quod alibi certius tenere & beatius possidere possimus: quid profecto expeditius reperiri, aut exploratius esse potest, quàm illud quod alumnis suis philosophia pollicetur, & abũde largitur? Cuius omnis certe est labor, vniuersum studium & industria, vt liberi quoad fieri potest, & sublimes à corporum contubernio soluantur animi, & tanquam à tenebroso euolantes carcere, veras rerum altissimarum contemplantur essentias. Siue certe aliud quippiam post extrema contingere fata existimandum est, quid profecto securius, aut iucundũ magis esse potest, quàm in hoc vitæ salo à varijs perturbationum reflatibus, & dolorum curarumve ingruētibus vndiq; procellis abductos, in philosophiæ gremium tanquam in placidissimum quendam portum cõfugere, vitæq; perfrui beata, quam vel philosophia ipsa, vel nihil præterea aliud cõcedere sanè & efficere potest? Quod si beneficētia erga mortales, bonorumq; largitate & communionem, proxime ad deorum immortalium naturã accedere potest homo: cui id potius quàm viro philosopho cõtingere possit, certe reperies neminem: qui cum alios assidue docendo, tum multa scribendo, non præfentes tantummodo, sed posteros: non vnã tantum urbem, sed vniuersum penè orbem magnopere iuuare & excolere potest. E philosophiæ namq; adytis veluti à peculiari quodam & recondito deprompta penu, cum leges omnes, & elegantioris vitæ instituta, tum sanctissimi certe mores, optimarumq; artium vniuersæ emanarunt doctrinæ: quorum diuina certe vestigia humanarum moderatrix rerum vltima nimirum sequitur sapiētia, quæ hominem, diuinum profecto animal, & tanquam terrestrem quẽdam deum non ab re efficere censetur. Verum nescio quo modo dum hæc dicuntur, & in vulgus exeunt, mirifice fauent homines, veraciterq; isthæc de philosophia prædicari asseuerant omnes: sed siue præceptorum bonorum vitio, siue ætatis nostræ infelicitate, cū magnifice loquantur omnes, pauci tamẽ admodũ (vt inquit Plato) illius pulsant fores, sed quibusuis potius cir

cunforaneis nebulonibus & sophistis sese tradunt, à quibus latrare discāt, quàm ijs qui eorum animos præclarissimis disciplinarum institutis & rationibus nutrire & excolere rite possent. Quod sanè malū nō minus principum liberis, quàm cuius è populo, aduerso quodam fato nostra ætate cōtigisse videtur: vt vnde lux sæculo exoriri debuisset, inde profundissimæ emergerent tenebræ. Non est mirādum igitur si hinc illi decerpantur fructus, quos nequam colonus inseruit, malorumq; de malis agricolis pessimisq; seminibus largo prouētū apparuit messis. Nam, per deum immortalem, vndenam tātus nisi ab eiusmodi initijs hac tēpestate malorū processisset aceruus? vnde hæc scelerū tragœdia prodijisset? Taceo luxuriā, auaritiā, odia, simultates, cæteraq; id genus quæ nunc vigent vitia: exigua enim isthæc sunt, & æquo animo toleranda: de bellis loquor, rapinis, cædibus, vrbiū euerfionibus, prouinciarum vastitatibus, deq; omniū origine & altrice malorum impietate, deiq; neglectu, à quibus certe omnia sursum deorsum superioribus annis adeo cōflicari & cōflagrare cōspeximus & nūc etiā videmus, vt nisi benignus posthac ad nos respiciat deus, nō modo philosophia ipsa, sed omnes penitus elegātiores excultioreq; vitæ artes breui interituræ videātur, sterilitatisq; nimirū illa subsequetur calamitas, quā non tantū terra natis & stirpibus, sed animis etiā ipsis & ingenijs, statis annorum curriculis contingere dixit Plato. Verum nescio quomodo dum aliud planè in animo habeo, aliud nunc ago, & à philosophiæ veris laudibus duri me temporis trāsuersum deploratio rapuit. Quibus tamē malis si quid adhiberi remedij potest, id certe totum à philosophiæ præceptis petendū esse contēderim: quod nos & aliās fecimus, & nūc etiā istuc ipsum facere non desistimus: tēporūq; duriorū difficultatē vnico hoc solatio leuamus. Cūq; superioribus diebus in cōmentariolū de somniorū diuinatione Aristotelis, interpretationes & explicationes nostras absoluissēmus, de eodē (vt aiunt) oleo & opera libellū de animalīū motione cōuertere & explicare aggrediebamur, cuius paraphrasin, & eius etiā qui de animalīū incessu inscribitur libelli, cum superioribus annis dū Patauij publice profiteremur, conscripsissemus, præsentī certe labore iure carere possemus, nisi nos cum aliorum librorum quos latinos fecimus & explicauimus, consuetus inuitasset modus: tum illorum etiā habēdam esse rationem duxissemus, qui nō tantū Aristotelis sententiā, sed singula quæq; etiā illius verba examinare & perpendere cupiunt. Vale.

DE animalium autem motione quæcunq; illis per genera insunt, & quæ differentia, quæve eorum causæ quæ illis singillatim accidunt, de omnibus in alijs est considerandum.


Appetitiua
animæ vis
post fanta-
sticam ordina-
tur potestati.

Breuis dicens
eorum præ-
cursorio.

Quoniam appetitiua animæ vis & motiua coniunctæ copulatæque ad se inuicem (inclinatio enim quædam ad motum ipse videtur esse appetitus) causæ profecto sunt in animalium genere ipsius motus localis. Animalia enim cum quippiam appetunt, inclinantur ad illud, & loco mouentur. Similique modo cum abhorrent aliquid, declinant & fugiunt. Ordinatur autem duæ istæ animæ vires post phantasticam potestatem. Conspicimus nanque maxime post fantastiæ ipsius assensum, motionum potentiam consequi, tanquam illius terminum & finem. Cum præterea eæ duæ animæ vires, motiua scilicet & appetitiua haudquaquam iudicatiuæ esse censentur, sed cum illius parte practica facere (anima nanque diuisione sui quadam bifariam determinatur in iudicatiuam scilicet & practicam, & huius secundæ sectionis appetitiua & motiua iure esse censentur) quoniam inquam appetitiua & motiua causæ sunt in animalium genere (vt dictum est) motus per locum, & post virtutem collocantur phantasticam: memoria autem (vt retro dictum est) habitus censetur esse phantasmatis, vt est illius imago cuius dicitur esse fantasma: conuenienter admodum post commentariolum de memoria, & supra expositos etiam libellos, quem præ manibus habemus de animalium motione sequitur commentarius, in quo Aristoteles (nihil enim prohibet, vt arbitror, breuiter quæ in eo continentur percurrere) inuestigat quænam sit causa propter quam animalia per quamlibet moueantur motionum speciẽ ostenditq; vt videbitur, qd omne illud quod a se mouetur: necessario quiddam in se habet immobile, & quod extrinsecus etiam alterum ab ipso existens immobile quiddam esse oportet. Postea quærit quodnam sit mouens ipsum cælum, quo in loco reprehendit illos qui Atlantem cælum sustinere & fulcire dixerunt. Quærit præterea si mundum ipsum corrumpi destruique contingat. Subiungitque postmodum quamobrem vt moueri possit mundus, quiddam esse immobile sit necesse. Ambigitque posthac si vt moueantur inanima, oporteat aliquid cū intrinsecus tum extrinsecus esse immobile. Quæritque etiam vtrumne in ijs quæ per locum mouentur, aliquid extra quiescere oporteat, necne: & si eodem etiam modo in ijs quæ augentur & alterantur, fieri contingat. Consequetique deinceps doctrine ordine quærit quonam modo corpora mouet anima, & quod voluntariarum sit principium motionum, & quomodo aliquando intelligentes non dicuntur facere. Infert præterea quod primum mouens animalia, simul cum principio est, & quod spiritu motu mouentur animalia, & quonam modo moueantur subiungit, cum per voluntarios appellatos motus, tum per inuoluntarios: quamve ob causam cor maxime & pudenda in voluntarijs motionibus cientur: & quomodo principium quidem à partibus, & rursus à principio partes mouentur. Et hæc ferè sunt omnia de quibus in hoc perscrutabitur commentario. Dicit autem in prima statim libelli propositione de animalium motionibus, quæ videlicet singulis illorum generibus vel speciebus insunt, deq; illorum differentijs, in alijs esse considerandum, intelligere volens commentarios qui de animalium progressionem inscribuntur. ibi nanq; philosophus ostendit & docet quamobrem alia quidem animalium quatuor mouentur notis, alia vero pluribus, & propter quid alia pedibus carere videtur: alia vero pedibus sustentantur: & omnino de illorum differentijs loquitur: necnon de ijs quæ animalibus inexistunt quæ utilia sunt ad progressionem, abunde in illis nos commentarijs docet Aristoteles.

Omnia autem de communi cuiuscunque motionis causa (nam alia quidem volatu mouentur: alia natatu: nonnulla progressionem: alia per alios eiusmodi motus) in præsentia est pertractandum. Quod igitur aliarum initium est motionum, id quod seipsum mouet: illius autem id quod est immobile: præterea quod primum mouens necessario omni vacat motu: determinatum est prius cum de sempiterno motu, vtrum sit necne: & si sit, quidnam sit, constitutum est. Hoc autem non solum vniuersali ratione accipere oportet, sed in singulis etiam & sensibus quorum gratia vniuersales quærimus rationes, & quibus oportere

illas accommodari existimamus. Etenim in ijs manifestum est non posse quicquam moueri, nisi aliquid quiescat. Ac primum quidem in animalibus. Oportet nanque si aliqua mouetur pars, quiescere quippiam: & hanc ob causam articulorum flexus animalibus insunt. His enim vtuntur flexibus vt centro quodam: fitq; totum membrum in quo articuli est flexus, vnum & duo, necnon rectum & curuum, inflexus gratia cum actu tum potestate commutatum. Cum mouetur autem & inflectitur, alia quidem mouetur nota, alia vero in ipso inflexu quiescit: quæ admodum si diametri A & D quiescat, B vero moueatur, & fiat AC. Verum hoc in loco impartibile omnino videtur esse centrum. In illis enim motiones fingunt. Mathematicorum nanq; mouetur nullum. In articulorum autem curuaturis potestate & actu modo quidem fit vnum, modo autem partibile. Verum initium vt eiusmodi est, quiescit inferiori parte mota: vt brachio quidem moto, cubitus: toto autem membro, humerus: & tibia quidem mota, genu: toto vero crure, coxa.



In his de animalium motione commētarijs inuestigare vult philosophus quænam sit communis causa q; vnūquodq; moueatur vt moueri natum est. Etenim alia quidem volatu mouentur: nōnula natatu: alia vero animalium serpendo, & corporis quodam tractu per locū se mouent: & alia motionum alijs mouentur modis. Ostesum autē est alibi q; illud quod à sese mouetur, & seipsum mouet, id est anima ipsa, aliarum omniū est initiū motionum. Quod autē & hoc ipsum etiā se moueat, causam & originem primū omniū principium immobile existens dicit esse: quod primū esse mouēs, & sempiternæ motionis, mundanæq; reuolutionis causam, in octauo de physico auditu cōmentario demonstratū est. Pro quorū declaratione animaduertendū esse cenſeo, motum, vt ad propositum spectare videtur negotiū, trifariam posse consyderari. Aut enim cōmuniter & absolute: & de hoc cum in tertio de anima cōmentario breuiter pertractatur, cum ostēditur animam initium esse motus in vniuerso animalium genere: tum in hoc libello quem præ manibus habemus, in quo de omni communiter motu perſcrutatur, vt ex corporis intelligi potest parte. Aut secundum differentias suas consyderari potest motus, peculiareſq; & proprias rationes: & de hoc in commētarijs de generatione animalium est pertractatum, & in libris etiam de cælo & mundo, vbi de naturali elementorum agitur motu. Aut consyderari potest motus tertio modo vt ad organa & instrumentorum machinas respectū habere videtur: & de istiusmodi motu in commētario de incessu animalium locutus est Aristoteles. De huiusmodi autem motu dicit non solum ratione vniuersali esse declarandū (q; enim omnium aliorū motuum causa est ipsum immobile primum, vniuersaliter est demonstratum) sed ad singulares etiam esse descendendū ostensiones, propter quas vniuersales nimirum præmissæ sunt demonstraciones. Nā si illæ quidem partialibus congruerint ostensionibus, eisq; quadrare & consentire visæ fuerint, admittit sanè illas & recipit animus. Sin vero illis minime respōdere videantur, ab eis sanè refugit & abhorret. Sicut autem in vniuersalibus rationibus manifestum esse dicit non posse fieri motū nisi quippiā penitus immobile reperiatur: ita in ipsis etiam inquit animalibus esse existimandum. Nam in membrorum quæ mouētur inflexibus & iuncturis, id immobile & quiescens nimirum reperitur: cum curuaturæ ipsæ & articulorum inflexus centri obtinere videantur locum: ita q; totum id membrū in quo illa est curuatura quam centro assimilat, vnum est quodammodo & duo, actu quidem vnum, potestate vero duo, cū cogitur scilicet & inflectitur. Quo in casu punctum quod in curuaturæ & suffraginis est medio, quiescere proculdubio cenſetur, cum reliquæ membri illius moueantur partes. Cuius sanè rei mathematicā etiā, vt in alijs plerunq; solet, adducit ostensionē. Quemadmodum enim, inquit, in circulo DCB, cuius diameter est DAB, ipsa AD diametri pars manet & quiescit, mouetur autem ipsum B, id est ipsum AB, reliqua scilicet diametri pars in circuli circūferētia, & mota facit AC: ita in ipsis animalium mēbris manifestò fieri cōtingit. Sit enim BD totū brachiū, AD vero brachij pars illa quæ est ab humero ad ipsum cubitū: BA autē pars illa quæ infra cubitū est cū manu, quæ mota effi-

cit A C. Hoc in casu ipsum A quod est brachij curuatura, & centri locum obtinere censetur, stare & quiescere dicitur, cuius gratia totum brachium vnum & duo actu similiter & potentia esse retro dictum est. Verum in mathematicis quidem, inquit, centrum impartibile est: & cum à motu mathematica abstrahant, illa moueri dicere voluntarium est & fictitium. Hæc autem quæ in suffraginum curuaturis centrorum locum obtinere diximus, tum impartibilia esse censentur, tum potestate & actu quandoq; fiunt vnum: quandoq; vero partibilia, id est, fiunt aliquando duo, vt dixerat. Verum principium in omnibus motis manere & quiescere oportet, parte quæ post ipsum sequitur mota. Cuius rei exemplum in brachiorum & crurum motu statim subiungit, dicens quòd brachio commoto, per brachium ipsam intelligens vnam, id est, partem illam quæ post cubitum est manum versus. Vna igitur mota, cubitus stat: toto vero membro, id est, vniuerso moto brachio, humerus stare dicitur. Similiq; modo in cruribus tibia mota stat genu. Toto vero crure moto, coxa manere & quiescere censetur. Per tibiã autem partem illam intelligi volo, quæ sub genu ad talos vsq; distèditur: per crus vero partem quæ supra genu ad inguina vsq; pertinet. Coxam autem voco id quod ischiam medici appellant, in qua cruris os innititur.



QVòd igitur vnumquodq; in seipso quiescens quippiam habere oportet vnde motionis est initium, & ad quod innisum totum simul mouebitur, & per partes, manifestum est. Veruntamen omnis in ipso minus efficax est quies, nisi extrinsecus aliquid fuerit simpliciter quiescens, & omni carens motu. Operæpretium autem est accurate æstimantes de eo quod dictum est perscrutari. Contemplationem enim quandam habet non solum ad animalia, verum ad ipsius etiam vniuersi motum & lationem pertinentem. Quemadmodum enim in ipso immobile quiddam esse oportet si debet moueri, ita etiam magis extra ipsum animal quippiam esse oportet immobile, ad quod innisum quòd motum est mouetur. Si enim semper cesserit, vt muribus per terram aut arenã progredientibus, non sanè progredietur: neque certe vllus erit progressus, nisi stet terra: neque volatus, aut natatio, nisi aër aut mare resistent. Hoc autem aliud ab eo esse quod mouetur, necesse est, & totum à toto, nullamq; rei motæ esse portionem quod sic est immobile. Sin secus fuerit, non mouebitur.

CONclusionem retro probatam, quæ videlicet omne id quod mouetur siue per totum, siue per aliquas sui partes, necessario aliquid in se habet quiescens, à quo motionis illius initium emanat: hoc in loco breui colligit epilogo philosophus: additq; insuper quòd omnis in illo minus efficax & insufficiens est quies, nisi quippiã etiam extrinsecus omnino quiescens & immobile reperiatur, ad quod innisum & appellens illud sanè moueri possit. Qua de re non contèndã dicit esse disquisitionem, non solum ad animalia, sed ad ipsam etiam vniuersi naturam pertinentem. Necesse enim est in hoc esse aliquid omnino immobile, si cælum moueri debet: & centrum ipsum, vel primam causam penitus omni motu carentem, quam in Metaphysicis suis æternum & optimum appellauit animal philosophus. Quo in loco est animaduertendum quòd communis isthæc ratio est de animalium genere, & cælo. Vt enim cælum moueatur, quòd quiescens sit quiddam oportet, circa quod moueri possit: aut extra cælum aliquid penitus immobile, quod tanquam amatum & desyderatum mouere dicitur. In animalibus autem quæ attractu & impulsione mouentur, quiddam extra illa esse necesse est immobile, ad quod attractus fiat & impulsio. In omnibus igitur isthæc non quadrat ratio, ipsis inquam animalibus & cælo: sed, vt diximus, communem quandam ostensionis habet modum. Quòd autem nisi quodam & appulsu omne moueatur animal, clarissimis in omni illorũ genere declarat exemplis. Si enim, inquit, terrestria animalia super fixam & stãtem non mouerentur terram, haudquaquã progredi & loco moueri possent, sed vt musculi, inquit, in alto puluere, aut profunda gradientes harena, aut nihil, aut parum certe proficerent & mouerentur. Similiq; modo in volatili genere, & in ijs quæ in aquis & humida degunt natura, est videre, quorum nisi altera aëri, altera vero aquis inniteretur & appellerent, neq; volare profecto, neq; natare possent. Quiescens igitur quippiam extrinsecus necesse est esse vt moueri animal possit, diuersum penitus ab illo & se toto, & secũdum omnes sui partes,

ita quòd nulla sit rei motæ pars istuc immobile quod extrinsecus necessario reperiri diximus. Aliter enim nullum moueri poterit animal.



Hic autem rei testimonio esse potest id de quo ambigi solet, cur si quis nauigium extra propellat conto ad malum innisus, vel ad aliam illius partem, paruo negotio illud mouet: contra si in ipso sit nauigio, & id ipsum facere cõtēdat, minime illud mouere possit, neque si Tityus ipse aut Boreas ex ipso sufflent nauigio, si quidem eo sufflare quenquam contingat modo, quo pictores faciunt, cum ex seipso quempiam spiritum emittentem pingunt. Siue enim leuiter spiritum, siue ita vehementer emittat, vt maximum efficiat ventum, siue aliud sit quod proijciatur vel impellatur: necesse est primū ad suarū quāpiā partem quiescentem innisum propellere: deinde hanc ipsam partem, aut cuiusnam continget esse pars, ad externum quiddam innisam quiescere. Qui autem nauigium propellit, cum ipse in nauigio sit, nullique innitatur, rationabiliter nauigium non mouet: quoniam id cui innititur, manere necesse est. Accidit autem ipsi idem & quod mouetur, & cui innititur. Qui autem extra propellit, vel trahit, sanè mouet. Nulla enim nauigij pars est terra.

Dixerat in superiori (vt vidimus) textu Aristoteles, quod si quippiam moueri debeat, non solum partem in se habere permanentem erat necesse, à qua motus illius emanaret principium, sed nihilominus quiddam etiam extrinsecus quiescere & immobile esse necessarium erat, quod neque esset totum, neque pars illius quod mouebatur. quam rem hoc etiam in loco clara ostensione cōfirmat, asseritque problematis cuiusdam dissolutionem illi rei retro adductæ testimonio esse posse. Est autem problema huiusmodi: cur si quispiam in nauigio existens, contòque ad nauigij malum innisus, vel ad aliquam nauigij illius partem, nauigium propellere contendat, minime id facere potest: si autē idem ipse in littore stās id ipsum facere conetur, paruo negotio nauigium illud propellit. Huius enim effectus, qui manifeste cernitur, causam nimirum asserit esse istam, quoniam in nauigio existens quispiam cōto ad illius malum innisus, nauigij pars esse censetur, nihilque extra stans immobile habet nauigium vt moueri possit. In littore autem idem ipse existens facilè eodem conto idem propellit nauigium, quoniam extrinsecus littus stare certū est, quod neque nauigiū, neque nauigij ipsius vlla est pars. Hunc igitur effectum qui oculata cernitur fide, testimonium dicere pro ea quæ retro adducta est conclusione, hoc in loco asserit Aristoteles. Verum quoniam non solum dictorum declaranda est sententia, sed verba etiam philosophi singula sunt explicanda: animaduertendum est quod in naui stantē quempiam, & conto prore vel malo nauis innisum, nō posse illam mouere dicit, neque si Tityus esset, neque si Boreas ipse, per Tityū innuere volens immensas propellentis vires, ab immani & vasto Tityo occasione sumpta, cuius interfecti corpus ab Apolline & Diana, ob tentatam (vt aiunt) Latonam matrem, nouem iugerum spatium occupasse poëtæ licenter fabulantur. Boream autem idcirco adduxisse hoc in loco videtur Aristoteles, tum quia ventorum est violentissimus, tum vt ad nauigij commotionem, conuenientem adduceret motorem, significanterque in problematis ratione versaretur. A ventorum enim flatibus vt plurimum motari & impelli nauigia consueuere. Dicit autem, neque si violentissimus omnium Boreas in naui esset, & distentis insufflaret buccis (quemadmodum pictores facere solent, & in nauium sæpenumero puppibus ventos è regione velorum sufflantes pingere) illā mouere posset. Verum quoniam modo venti nauigia propellere, & illa mouere dicuntur? An quoniam extrinsecus existentes perfiant? Si enim in naui essent, illam mouere non possent. Cur autem extra nauim positus quispiam illam conto propellere potest? An quod littus quidem, vel scopulus, aut omnino terra immota perstant, neque nauis sunt partes? Qui autem in naui est, illā mouere non potest, quoniam nauis pars esse censetur, & quoniam in omni sanè motione aliquid firmū & immobile esse oportet. Si enim nauis moueretur ab illo qui in ipsa est naui, idem profecto numero motum esset, & quiescens: quod fieri non potest. quiescens quidem, quoniam id quod mouere debet, ad quiescens quiddam inniti & applicari oportet, vt inde propellere possit. Motum autem ob suppositionem, quæ vult quòd mouēs in naui existens illam sanè moueat. Et istud certe est quod subobscurè in fine tangitur literæ, vbi di-

citur: Accidit autem ipsi idem & quod mouetur, & cui innititur. Illud autē, Necessē est primum ad suarum quampiam partium quiescentem innisum propellere, huiusmodi sanē est: Gubernator (verbi causa) vel nauta nauim conto propellēs, primum quidem vnam ipsi applicat cubito, & brachiū humero, illiq; innisus conto intermedio, alicui rei extrinsecus existenti, & quiescētī (verbi causa) littori vel scopulo appellit & innititur. Cubitus autem in hoc casu, & humerus, ipsius propellentis, id est gubernatoris vel nautæ sunt partes. Contum quinetiam, quo ille instrumento ad propellendum vtitur, ceu pars quædam illius esse censetur. Pariq; modo eadem existit ratio si non in nauī quispiam & terræ conto innisus nauem propellere contendat, sed in terra existens, contūmq; proræ applicans, id facere studeat. vtrōbique enim aliquid extrinsecus esse manens & immobile si nauis moueri debeat, necesse est esse.

Sed dubitare sanē poterit aliquis, an si quid vniuersum mouet cælum, & omni carere motu, & nullā cæli esse partem, neq; in cælo esse oporteat. Siue enim ipsum motū, cælū mouet, aliquod sanē non motum attingens necesse est ipsum mouere, id autem nullam mouētis esse partem: siue continuo non motum est id quod mouet, nulla itidem motæ rei erit pars. Et hoc sanē recte dicere videntur quicunq; asserunt q̄ circulo latę sphæræ nulla omnino manet pars. aut enim totam stare necesse esset, aut illius cōtinuum diuelli. Verum quoniam polos potentiam habere quandam arbitrantur, cum nullam habeant magnitudinem, sed vltima & puncta existant: id sanē non recte. Ad hoc enim quod nulla illorum est essentia, fieri non potest vt vnicus à duobus agatur motus. Polos porro duos faciunt. Quod igitur ad vniuersam naturam quiddam sic se habet vt terra ad animalia, & ad ea quæ per se mouentur, ex huiusmodi quispiam dubitare poterit.

Postquam retro philosophus ostendit (vt vidimus) quod animali commoto partem quandam in illo manere necesse est: & quod extra ipsum aliquod etiam fixum & quiescens oportet esse, quod nulla illius existat pars, ad quod innisum moueri possit: hoc in loco propositæ rei conuenientē de cælo ipso adducit quæstionē, quæ huiusmodi esse videtur: vtrum scilicet id quod mouet cælū, immobile sit: & vtrum ne ipsius cæli sit pars, necne. Anima enim ipsum mouet animal, existens immobilis, & tamen animalis pars quædam esse censetur. Nunquid igitur cæli motor, ipsius sit pars cæli, quemadmodum anima pars est animalis, vel illius non est pars? Triāq; hoc in textu quæsitā non immerito videri possunt: vnum quidem, vtrum ne cæli motor, quicunq; sit ille, moueatur? Alterum, vtrum cæli sit pars? Tertium, vtrū ne in cælo sit omnino vt gubernator in ipsa est nauī, & anima in ipso esse censetur animali? Adductis igitur huiusmodi ambiguitatibus philosophus ostendit prius cæli motorem non moueri, dicens, Si enim motum est id quod cælum mouet, immobile quiddam (vt retro ostensum est) reperiri necesse est, quod tangens, & cui sanē innixum, moueat, idq; nullam illius quod mouetur esse partem. Si enim illius esset pars, quemadmodum cubitus brachij: alio certe illi opus esset quopiam cui inniteretur. sed fieri non potest vt primum mouens quippiam contingere possit, & cuiuspiam inniti, cum impartibile existat, & careat corpore: vt in commentarijs de phylsico auditu sufficienter est demonstratum. Quamobrem non mouetur primum mouens, sed omni penitus caret motione. vt hoc modo in secunda figura ratio concludatur: Mouens, motum vt mouere possit, alicui innititur. primū mouens nulli innititur. primū igitur mouēs non mouet motum. omni igitur penitus caret motu. si autem omni caret motu, ipsum necesse est non esse partem rei quæ mouetur. Si enim mouens cælum, ipsius pars esset cæli: quoniam ipsum esse immobile oportet, vt declaratum est: vel vniuersum maneret cælum: vel si parte ipsius manente moueretur, diuelli vtiq; & dissipari ipsum necesse esset. Et in hoc recte dixisse illos sanē asserit qui dixerunt quod circulo commota sphæra, nulla illius manet pars, ne illius scilicet diuellatur distrahatūq; continuum. Falli autem sanē dixit eosdem & decipi cum vim cæli motricem ipsis assignauere polis. Poli enim nihil sanē esse videntur nisi extrema quædam & puncta, per intelligentiæ magis actum suum esse habentes, quàm quod naturam aliquam habeant certam, & rei cuiusdam veram essentiam. Ad hoc, quod fieri etiam non posse videtur vt vnicus motus à duobus mouentibus efficiatur, & quippiam vnica tantum motione à geminis cōcitari posse motoribus. Vnus enim numero motus ab vno numero est mouente, & in vna re mota, vt

- in physicis est demonstratum. Poli autem duo sunt: quare & totidem ab ipsis & in ipsis motus esse dicentur. Vnus est autem vniuersi motus cæli, ab oriente scilicet in occidentem. Concludit postea philosophus quod in vniuersa natura quiddam planè reperitur quod omni caret motione, à quo ipsum sanè mouetur cælum, nulla illius existens pars, & extrinsecus existens, eo se habens modo ad ipsum vniuersum, vt ad animalia terra se habere videtur, ad ea quæ per se mouentur, id est, per causam intrinsecam. Dicit autem id hoc se habere modo, ex eiusmodi re quempiam posse dubitare. quod est ac si dixisset, ex huiusmodi dubitationibus quispiam persuaderi poterit eo se habere modo in vniuerso immobile quiddam, vt se habet terra ad animalia, & ad ea quæ per se mouentur. Verùm quoniam hoc in loco vbi de polis agit philosophus, & in sequenti etiam textu in quo de Atlante verba facit, Academicorum taxare videtur sententiam, qui ipsius vniuersi cum axi tum polis excellentes ascribunt vires: ne indieta causa viri illi condemnentur, & perperam sensisse conuincantur, eorum breuiter in præsentia hac de re sententiam explicabimus. Conueto etenim illi modo diuinas rerum pertractantes notiones, & verborum inuolucris profundos occultentes sensus, per polos quidem vires intelligunt stabiles quasdam vniuersum ipsum firmantes & stabile facientes, & quæ omnem illius molem ad intelligibilem amorem excitant, impartibiliter sanè partibilem illam, & sine dimensione interualla & dimensiones habentem. Quamobrem in commentarijs de republica Plato hanc ipsius colus adamantinos facit, inuariabilem illorum & immutabilem ostendere volens naturam. Per axem autem, diuinam quandam mentem significare volunt complicatricem centrorum ipsius vniuersi, & illius concentricam, diuinarumque circunlationum communicatricem, circum quam omnium (vt aiunt) fit chorea, & circunvolutiones, tanquam circa rem quæ totum sustinet cælum. Quam inquam diuinam mentem Atlantis nomine iccirco insignire voluerunt, vt indefatigabile & inuincibilem actionem habentem. In ijs igitur vniuersi viribus, siue diuinis mentibus: more suo cum polorum, tum axis & Atlantis vtuntur vocabulis, quæ nunc taxare videtur philosophus. Ex quibus recte perspicenti manifestò apparere potest in verbis solummodo, non in re ipsa horum philosophorum esse differentiam. Polos enim & centra & axem Aristoteles mathematicorum accipit more, quæ nimirum cum extrema sint quædam, & indiuidui quantitatis continuæ termini, nullam profecto habent magnitudinem, & iccirco essentia carentes, operationibus certe quæ ab essentijs fluere videntur, etiam carent. Plato autem per centra & polos metaphysico intelligi vult modo impartibiles quasdam naturas & essentias, alio indiuisibilitatis impartibilitatisque modo quàm terminis competat quantitatis.
- 30 Mentis enim intelligit separatas, quarum vires cum ad stabiliendum, tum ad mouendum vniuersum dicit esse maximas.



Verum ij qui in fabulis versantur, & Atlantem pedes in terra habere faciunt, non sine mēte hanc fabulā dixisse videri possunt, perinde ac ille diameter sit, cælumque circum polos torqueat. id autem ratione contingere videtur: quoniam manet terra. Verum huiusmodi rei assertoribus concedere est necesse illam vniuersi nullā esse partem. Præterea mouētis robur & quiescentis æquabiliter se habere oportet. Est enim magnitudo roboris & potentiæ qua sic manet quod quiescit, sicut qua motor mouet. Et profecto quædam necessario est portio, vt contrariorum motuū, sic etiam ipsarum quietum. Et quæcumque sunt æquales, à se inuicem non patiuntur: per exuperantiam autem vincuntur. Quamobrem siue Atlas, siue aliud quippiam sit quod mouet ex ijs quæ intra continentur, nihilo magis excellere debet quietem qua terra manet: vel de medio, suoque ipsius loco mouebitur terra. Vt enim impellēs impellit, sic impulsus impellitur, & similiter vt est robur. Mouet autem primū quiscēs, iccirco maius & valētius robur, aut simile & æquale quieti. Eodēque modo rei motæ, quæ tamen non mouet. Tantā igitur in quiescendo terræ facultatē esse oportebit quantā tum vniuersum habet cælū, tum illius motor. Quod si hoc fieri non potest: neque vt cælum à quopiam quod

40

50 intus sit moueatur, fieri poterit.

Quoniam in calce superioris textus dixerat Aristoteles quòd ex similitudine motus animarum quispian per suaderi rationabiliter possit quòd in ipso etiam vniuerso quiddam reperitur quod eo se haberet modo, vt terra se habet ad animalia, & ad ea quæ à causa mouentur intrinseca: iccirco subiugit dicens id ipsum de poëtarum sententia esse terram: vulgata tàmque de Atlante tangit fabulam. Hunc enim poëte asserunt in terra stantem, & colūnas quasdam in manu habentem, cælum sustinere, & ipsum etiam mouere, proportionabiliter se habentē dimidiatæ circuli diametro, à centro ad circūferentiam vsq; extensæ, & illam contingenti. vt enim illa ab orbis centro ad circūferentiam pertingit, ita Atlas à terra, quæ centri vicem obtinet, ad cæli conuexa extendi dicitur. Dicit autem philosophus quòd illi qui id asseuerant, ex quadam ratione & sensu mystico dicere & proferre ista videntur, & sub fabularum inuolucris latentem quandam veritatis veritati effigiem. Ponunt enim vt cælum moueatur, aliquid fixum & manens esse oportere: quod illi terram esse dixerunt: iccirco in illa stantem, & illi innisum Atlantem dixerunt. Hac autem posita opinione philosophus illam statim reprehendere contendit, & falsam iccirco illam esse probat, quoniam ex ea manifeste sequatur terram non esse vniuersi partem. Dicitur enim est & probatum etiam retro quòd id mouens quod extra rem motam quiescit & manet, neq; ipsa est res mota, neq; vlla illius pars. Si enim pars esset illius, haudquaquã illa media res illa moueretur. Qui enim in puppi manet cōto ad malum innisus, profecto nunquam nauim propellet, quoniam tanquam pars nauis esse censetur id quod in nauis manet. quòd si terræ innitatur, nauim certe mouebit. Terra enim nō est nauis pars aliqua. Quamobrem ratione simili stans in terra Atlas vniuersum mouere non poterit. terra enim pars est vniuersi. Præterea inquit contra eosdem etiam contendens & instans, vt est robur aliquod, inquit, & potentia, per quam mouet id quod mouet: ita etiam robur est & vis per quã manet id quod manet & quiescit: & proportionem etiam quandam isthæc inter se habere necesse est. Quemadmodum enim motus ad motum, ita quies ad quietem: & per commutatum etiam proportionis modum, vt docent mathematici, quemadmodum quies ad motum, ita motus ad quietem: & æquales quidem motus & potentia à se inuicem non patiuntur, & in se inuicem non agunt. Hoc enim clarum est per dignitatē illam quæ asserit ab æqualibus actiones nō prouenire. Mouentur autem & mouent res per excessus quosdã ad ipsas resistentias. Quãobrem si non est robur & potentia terræ per quã quiescit & manet terra, æqualis ad illius robur & vires qui in illa firmatur & innititur: mouebitur sanè ipsa terra à medio, id est, à suo naturali loco. Cū autē quiescēs primū moueat, per quiescēs primū, Atlantē de illorum opinione intelligi volens, qui in terra quiescēs cælū mouet colūnis quibusdam, motis ipsis colūnis: necesse est terræ quietem, siue illius in stando robur, contraire & reniti non solum Atlantis robori & viribus vniuersum mouentis, sed etiam robori & viribus ipsius vniuersi ab Atlante commoti: & vel æquales in stando esse vires terræ, Atlantis in mouendo vniuersum, & vniuersi in moueri ab Atlante viribus: vel etiam longe maiores & valentiores. Stat enim illa cum mouet Atlas, & vniuersum ab illo mouetur. istuc autem fieri non potest, nullamq; habet rationis in se euentiam, vt id videlicet quod vniuerso comparatum, puncti & centri cuiusdam proportionem habere censetur, æquales habeat vires, siue maiores etiam, cum Atlanti mouenti, tum vniuerso ab illo moto & concito. Perperam igitur ita dicentes sentire videntur: cum vel necessario habeant concedere terram vniuersi non esse partem: vel terræ vires & robur in stando, æquales esse, vel etiam maiores quàm motoris, simulq; ipsius vniuersi ab illo commoti & conciti.

Est autem dubitatio quædam de partium cæli motibus: quæ quoniam ijs quæ dicta sunt est cognata, non ab re hoc in loco perscrutari poterit. Nam si quis motionis potentia terræ quietem excellerit, manifestum sanè est quòd illam mouebit è medio. Quòd autem robur à quo illi isthæc inest potentia, non est infinitum, clarum est. neque enim infinita est ipsa terra, quamobrem neq; illius grauitas. Quoniam autem impossibile multipliciter dicitur: non enim eodem modo impossibile esse dicimus vocē videri à nobis, & illos qui in orbe sunt lunæ, cum alterum ex necessitate sit, alterum autem quauis natum sit videri, non tamen videbitur: cælū vero incorruptibile & nō dissolubile: arbitramur quidē ex necessitate esse, hac vero ratione nō ex necessitate cōtingit. Natus etenim est & cōtingit fieri motus maior quàm à quo quiescit terra, & à quo ignis & supremū corpus mouetur. Itaq; si exuperātes fuerint motiones, isthæc

a se inuicem dissoluētur. Sin vero tales quidem non fuerint, illas autem esse contigerit: infinitum enim non contingit, quoniam neq; infinitum esse contingit corpus: continget sanè dissolui cælum. Quid enim prohibet hoc accidere posse, si quidem non est impossibile? Nō est autē impossibile, nisi contrariū fuerit necessarium. Verum de huiusmodi dubitatione alius sanè erit sermo.

Posteaquam ostendit Aristoteles quòd fabulosum est, & omnino fieri non potest quòd cælum ab Alante moueatur, quia demonstrauit scilicet esse impossibile potentiam terræ æquam esse potētiam cæli simul & potentiam Atlantis cælum mouentis, subiungit dicens. Est autem dubitatio quædam de partium cæli motibus, vocans nunc cælum mundum vniuersum, illius vero partes terram, ignem, & diuina etiam corpora quæ circulo feruntur: motus autem, circunvolutiones, & à suis naturalibus locis exitus. Est autem quod hic dubitatur, huiusmodi: nunquid si aliqua reperitur potentia maior quàm sit terræ potentia & facultas per quam quiescit, mouebit ipsam terram, vel non mouebit? Quòd autem contingat reperiri potētiam maiorem terræ ipsius potentia, manifestum sanè est. Si enim esset infinita terra, vis sanè illius & grauitas per quam non mouetur, esset infinita: illa autem infinita existente, nulla certe maior reperiri posset. nihil enim infinito est maius. Quoniam autem finita est terræ vis, nanq; & ipsa terra finita est, cum actu infinitum reperiri non possit, quemadmodum in physicis est demonstratum: finita autem re nihil prohibet maius quippiam reperiri posse: poterit igitur potentia reperiri maior in mouendo, quàm terræ sit in quiescendo potentia: nec minus quàm superiorum sit potentia corporum quæ circulo feruntur. Sunt etenim & illa finita corpora, vt in commentarijs de cælo est demonstratum. Subdit post hæc philosophus duplicem impossibilitatis significationem: & alteram quidem dicit ex necessitate impossibilitatem ostendere, vt cum dicitur impossibile esse vocem videri. haudquaquam enim nata est vox visu sensu percipi, & illum immutare: & huiusmodi simpliciter impossibile appellatur. Alteram vero impossibilitatis speciem dicit esse, quam secundum quid nominat, eorum videlicet quæ de natura sui nata sunt fieri, nunquam tamē fient: cuius exemplum in litera philosophus adducit, dicēs impossibile esse eos videri & conspici qui sunt in orbe lunæ: siue illorum tangens sententiam qui lunam tanquam ætheream quandam terram habitari voluerunt, & antichthona appellari: siue ea dicēs cernere esse impossibile quæ in corpore lunæ continentur, quæ ob nimiam interualli distantiam, nunquam à nostris conspici poterunt oculis, cum tamen de natura sui nata sint conspici & videri, cum sint corpora, colorēq; habeant quædam, qui omnia certe corpora consequi censetur. Melior tamen & literæ accommodatior prima videtur esse expositio. Famolum etenim apud antiquos fuit, multosq; opinio illa habuit assertores, qui dixerunt lunam habitari, lunaresq; quosdam esse homines. Cuius opinionis cum Plato ipse, tum Cheronæus meminit Plutarchus: & alioquin (vt dixi) huic sententiæ literæ contextus magis quadrare videtur. Scribitur enim, & illos qui in orbe sunt lunæ: & non, illa quæ sunt in orbe lunæ. Prosequitur postea philosophus dicēs cælū nos arbitrari ex necessitate esse incorruptibile. id est, impossibile simpliciter esse corrupti cælū, sicut vocem esse visibilem simpliciter esse impossibile existimamus. Verū per retro dictā finitarū potētiarū rationē ipsum esse corruptibile cōtingit, quia maiorem reperire cōtingit potētiam, quàm illa est qua terra quiescit, & ignis supernaq; mouentur corpora. Quoniā autē hoc in loco ambigere quispiam posset an ne reperire contingat potētiam maiorem quàm sit cæli terræq; potētia, iccirco subiungit: Itaq; si exuperantes fuerint, motiones, id est, si excedentes fuerint potētia in entium numero quæ subsistentiam habere cēsentur, quàm sint potētia cæli & terræ, mouebūt utiq; nunc, aut aliquando, & mundum destruent, quoniam maioris & rei motæ dissoluetur proportio & sympathia illa qua perstāt: quod signare videtur Aristoteles per illud, a se inuicem dissoluentur. Destructa enim proportione qua vniuersi inter se partes coniunctę stare & permanere censentur, omnia proculdubio fuere & interire necesse est. Si vero non fuerint, inquit, maiores potētia quàm sint illæ ipsius vniuersi, & illius partium, possunt autem aliquando esse: infinitum enim non contingit, id est, non enim sunt infinita corpora, vt eorum potētia sint infinita: vel, infinitum enim non contingit, id est, nihil enim quod contingit fieri, in infinitum extensam habet suam potētiam, sed aliquando ad actum peruenit, quemadmodum in commentarijs de cælo est demonstratum: si enim contingit ex aère fieri aquam, aliquando sanè fiet ex aère aqua: similisq; modo de alijs dicere licet rebus: Si igitur non sunt maiores excellentioresq; potētia quædam terræ & cæli potētis, possunt autem esse: continget utiq; ipsum cælum corrumpi. Quid enim prohibet illud corrumpi, si non est impossibile, sed contingens cælum corrumpi: non est autem impossibile, nisi oppositum sit necessarium. Cum enim quippiam est necessarium, tūc illius oppositum est impossibile. Verbi causa necessarium est hominē esse animal: impossibile igitur est hominem non esse animal. Quando autem oppositum est contingens, vel non necessarium, illius oppositum haudquaquam est impossibile: verbi causa non est necessarium Socratem in theatro deambulare: ideo non deambulare Socratem in theatro non est impossi-

Duplex im-
possibilitatis
ratio.

Homines lun-
ares.

Impossibile
simpliciter ne-
cessarium ha-
bet oppositū.

bile, sed contingens possibile. Quamobrem si non est necessarium non corrumpi cælum, sed contingens, neq; est impossibile, ipsum sanè corrumpi erit possibile. Et ista profecto sunt quæ à philosopho dicuntur in textu: dubitationem autem hanc ipse paulopost dissoluet. Quòd autem propria sit & conueniens ijs quæ præmissa sunt, vt diximus, hinc patere potest: nam retro dicebatur, si Atlas mouet cælum terræ innisus, erit potentia terræ seorsum existens maior Atlantis potentia, & potentia cæli. Si autem sic se res habet, quid prohibet esse maiorem etiam potentiam quàm sit potentia terræ qua de re in superiori dictum est textu.



Vtrum autem oporteat extra id quod mouetur, immotum quiddam esse & quiescens quod nulla illius existat pars: an secus? Et hoc vtrū ita se habere in ipso vniuerso est necessarium? Fortasse enim videri poterit inconueniens esse, si motionis principium intus sit. Quamobrem ita existimantibus videri poterit recte ab Homero fuisse dictum:

- » Sed vobis nunquam cælo deducere ab alto
- » Ad terram dabitur summumq; sciumq; tonantem;
- » Non si peruigili studio, multoq; labore,
- » Dijq; Deaq; omnes pariter trahere inde velitis.

Quod enim omnino immobile est, à nullo moueri contingit. Vnde etiam iam dicta soluitur difficultas, an contingit cæli compositionem dissolui, vel non contingit. Siquidem ex immobili dependet principio.

Cum retro ostendisset Aristoteles quòd si debent esse motus, quiddam necesse est esse quiescens extrinsecum, quod nulla illius quod mouetur sit pars: volens inuestigare an debeat etiam in motu cæli quiddam esse immobile vt cælum moueri possit, sermonem rursus sumit priorem, & de animalibus ipsis interrogans, ad cæli reflectitur motum: & per id quod subicitur, dans nobis intelligere quòd aliquid est extra cælum penitus & omnino immobile, subdit, Fortasse enim inconueniens videbitur esse si principium ipsius motus intrinsecum est. Quemadmodum enim impossibile est ab illo moueri nauigium qui in puppi manet, quoniam nauigij quædam censetur esse pars: ita & cælum impossibile est moueri intrinsecus existente illo quod illius motionis est principium. Pars enim illud sanè erit ipsius vniuersi. Quamobrem ab ijs qui admittunt & concedunt quòd si cælum moueri debet, quiddam prorsus immobile extra cælum existens necesse est esse: vero sanè consentaneum afferri videtur. Cuius sententiæ vatem fuisse Homerum testimonio esse possunt ea quæ in octauo Iliadis suæ libro de Ioue vir ille cecinit. Iouem nanque ad alios deos ita loquentem facit, Nunquam profecto vos omnes, quotquot estis, omnia etiam facientes, & impense laborantes, me de cælo ad terram deducere poteritis. Primum enim mouens à quo primum mouetur mobile, quod aplanas vocat, immobile penitus existens, nulla vnquam dimouere poterit vis. Si autem est immobile, retro nimirum adducta dissoluitur quæstio, quæ dicebat & quærebat vtrū ne corrumpi contingat cælum, nec ne quod enim à non mota mouetur causa, nunquā certe corrumpetur, sed quousq; id perdurauerit mouens, proculdubio permanebit. Literæ autem continuitas huiusmodi esse videtur. Vnde si à causa immobili dependet, soluitur iam dicta difficultas, an contingit &c.

Cur cælū cor-
rumpi nō possit



In animalibus autem non modo ita immobile quiddam esse oportet, sed in ijs etiam quæ per locum mouentur, quæcunque se ipsa mouent, illorum enim aliud quidem moueri, aliud autem quiescere oportet, ad quod innisum motum mouebitur: vt si aliqua partium moueat, innititur enim altera ceu ad quiescentem alteram. De ijs vero quæ carent anima quæcunque mouentur, dubitare quispiam poterit vtrū omnia in se habeant & quiescens, & mouens: & ad quippiam extra quiescētium necessario innitantur: an impossibile: vt ignis vel terra, vel aliquid

aliud quod anima caret : sed à quibus primis hæc mouentur . Inanima nanque omnia ab alio mouentur . Omnium autem ita motorū principiū sunt quæ se ipsa mouent . Verum de eiusmodi in animalibus quidem dictum est . Hæc nanque omnia & in se ipsis habere quiescens necesse est , & extra ad quod innitantur . Si autem aliquid est superius & primum mouens , non est manifestum : & de huiusmodi principio alius est sermo . omnia vero quæ mouentur , ad ea quæ extra sunt innisa mouentur , & cum spirant , & cum exspirant . Nihil enim refert magnum proijcere pondus , an paruum , quod sanè faciunt qui despuunt , & qui tussunt , & qui spirant , & qui exspirant .

Quoniam dictum fuit retro quòd ea quæ mouentur , omnia necessario immobile & fixum requirunt quiddam quod extra sit : hoc in loco ad partialiora descendens philosophus dicit non solum id principium in animalibus esse requisitum , & in ijs quæ se ipsa mouent , sed oportere in istis etiam aliquod fixum & immobile intrinsecus reperiri ad quod innisa & appellentia nimirum mouere possint : quod etiam in partibus motis accidere videtur . mota enim partium altera , ad quiescentem alteram inniti illam videmus . qua de re dictum est retro cum mota vlna cubitum quiescere diximus : & lacerto commoto humerum stare ex philosophi verbis asseuerauimus . Similiter rationis modo de tibia & genu , necnon crure & coxa dictum est supra . His præmissis istuc ipsum Aristoteles in rerum anima carètiū motionibus quærit , vtrum videlicet hæc duo principia immobilia , intrinsecum scilicet & extrinsecum , in illis requirantur . Statimque respondet quòd non , huiusmodi afferens causam & rationem . Cum enim inanima , inquit , in se principia sui non habeant motus , sed extrinsecus moueantur , à generante videlicet : nõ est necesse quod ista duo habeant principia quiescètia , sed illa habent nimirum quæ ipsa mouent inanima . Huiusmodi autem sunt illa quæ se ipsa mouere dicuntur . Quamobrem cum omnia quæ ab alio mouentur , ad illa reducantur quæ ex se mouentur , hæc autem (vt retro dictum est) duo illa quiescentia & fixa habent principia , per accidens inanima & illorum ratione illa duo habebunt principia , & non per se . Animata autem omnia ad motū suum (vt dictū est) illa duo requirunt principia , siue paruus sit motus , siue magnus . Intrinsecus quidem partem sui quiescentem , extrinsecus autem id ad quod innisa & veluti appellentia cum mouentur , tum mouentur . Subditque postmodum philosophus hoc videlicet in loco non esse manifestū si aliud quiddam superius extrinsecum est principium immobile penitus & manens : & illud , siquidem est , à præsentī contemplatione semotum esse dicit . Nec immerito sanè , nanque de illo cum in viij . de physico pertractatur auditu , tum in ijs quæ post physica inscripsit commentarijs . Quantum autem ad propositum spectare videtur negotium , manifestum esse dicit ad omnes animalium motiones duo illa necessario requiri principia , siue paruus fuerit motus , siue magnus . Vnde etiam in expirationis & inspirationis motione principia nimirum ista esse censentur : & de intrinseco quidē quiescente nullum est dubium : de extrinseco autem erit sanè manifestum si quis mentem adhibuerit quoniam nam modo animal respirando innitatur eo quo natum est inniti modo in tali eius opere . Pariter modo dū tussit & exspuit . Nihil enim refert , inquit , quātum ad motionis principia ista , vtrum magnū expellat quispiam pondus , an paruum & exiguum etiam . Vt igitur in magni cuiuspiam pōderis expulsiōne manifestum conspiciamus in animalibus nisi tum ad membrorum partes quiescètes , tum ad stantem sub eorum pedibus terram : ita ad minoris impulsū ponderis , cuiusmodi cum modicus adhærentis pituitæ excreatus , tum inepti ad refrigerandum aëris expirationis esse censentur , idem sanè fieri existimandum est .

Vtrum autem in eo solū quod seipsum per locum mouet , quippiam quiescere oportet , an etiam in ijs quæ ex seipsis alterantur , & augetur ? Nanque de prima generatione & corruptione alius est sermo . Si enim est is quem diximus , primus motus : generationis & corruptionis profecto is erit causa , necnon aliarum fortasse omnium motionum . Quemadmodum autem in vniuerso , ita in ipso animali prima erit isthæc motio postquam fuerit absolutū . Quam



Trum autem in eo solū quod seipsum per locum mouet , quippiam quiescere oportet , an etiam in ijs quæ ex seipsis alterantur , & augetur ? Nanque de prima generatione & corruptione alius est sermo . Si enim est is quem diximus , primus motus : generationis & corruptionis profecto is erit causa , necnon aliarum fortasse omnium motionum . Quemadmodum autem in vniuerso , ita in ipso animali prima erit isthæc motio postquam fuerit absolutū . Quam

obrem & augmenti, si quid est, sibi ipsi erit causa, & alterationis: sin secus, non est necessarium. Primæ autem augmentationes & alterationes ab alio, & per alia fiunt: generationis autem & corruptionis minime sibi ipsi quippiam causa esse potest. Præcurrere enim debet motor id quod mouetur, & genitum generans: nihil autem seipso est prius.

HAec est secunda quæstio, in qua ab Aristotele quæritur utrum ne sicut in motu per locum animalium semper quiddam requiritur intrinsecus quiescens, ita etiam esse oporteat in ijs quæ alterantur & augescunt ex se, id est intrinsece. Hoc in loco alterationes vocans iram scilicet & dolorē, & voluptatem, ceterasque huiusmodi animorū affectiones. nam de ijs quæ extrinsecus alterantur ab alijs, nullum sanè est dubium: verbi gratia sicut de ijs quæ à continenti alterantur aère, vel de prima generatione & alteratione. Fœtus enim in vtero à matre alterari & augmētari dicitur, tanquā matris quædam existēs pars. Præsens autem quæstio est de ijs quæ solum ex se alterantur & augmētantur, utrum scilicet habeant principium quiescens intrinsecum, ut habent illa quæ ex sese per locū mouentur. Respondet autem ad quæstionem per conditionem, dicens, si motus localis est primus inter omnes alios motus, ut demonstratum est in commentarijs de cælo, & de physico auditu: diuiditur enim in rectum & circularem: & tam in vniuerso, quàm in ipsis animalibus primus est motus: ad primum autem omnes sanè alij reducuntur motus: habebunt profecto omnes alij motus principium illud immobile intrinsecum, ut ad omnes alios motus localis requiritur motus. Prius enim quàm generetur producatūque animal, opus sanè est ut locali motu in vtero genitale moueatur semen, priusque etiam in spermaticis ipsius generantis appellatis vasis. Conformatio præterea ipsius animalis non sine locali motu fieri potest. Edita quinetiam in lucem animalia, si lac fugere debent, locali indigent motu. Sanguis præterea ad alimentum præparatus, & animalis augmentationem, per varias sursum & deorsum applicationes, tū ante & retro feratur necesse est. Et simili rationis modo cum alij omnes motus locali indigeant motione: ea autem non fit (ut retro est declaratum) sine principio immobili intrinseco: omnes profecto alij motus, si non per se, per accidens saltem illo immobili principio indigere videntur. De prima autem generatione & de primo augmento in præsentia nulla est quæstio, quoniam de motibus quæritur quibus ex sese animalia mouentur. Cum autem animal primo generatur, ex se moueri non dicitur, quia omne quod ex se mouetur, actu ens est: animal autem cum generatur, non est actu ens, sed potestate tantum, & in generationis via. Ex se igitur moueri haudquaquā recte dicitur. In huiusmodi igitur motionibus isthæc non quadrat quæstio, sed in alijs certe omnibus motibus per quos ex sese moueri cernitur animal, quoniam alij omnes ad localem referuntur motū, tanquam ad primam & principalem motionem. Cum enim generatio alterationis sit finis, nulla autem alteratio sine locali est motione: omnes autem alij motus nō sine generatione & alteratione fiunt: omnes profecto alij motus ad motum referuntur localem. Et iccirco ad quæstionem respondendo dicit philosophus quòd si localis motus omnium aliorum motuum est primus, aliorum nimirū omnium erit etiam causa: & ut in illo res se habere videtur, ita sanè in alijs se habebit omnibus. sin secus, nō est necesse, quam conditionis partem ut falsam & explosam breuiter solummodo hoc tangit in loco. De motibus vero quibus extrinsecus animalia mouentur, dictum est, illos videlicet ad hanc non pertinere quæstionis disquisitionem. Verum cum dicit quòd prius est mouens quàm motum, non de omnibus intelligendum est, mouente scilicet & moto, sed de aliquibus: quanquam de omnibus etiam verum est dignitatis prioritate.

DE anima autem siue moueatur, siue non: & si mouetur, quo moueatur modo: prius dictum est in ijs in quibus de illa est pertractatum. Quoniam vero inanima omnia ab alijs mouentur. Nam de primo quidem & perpetuo mobili, quoniam moueatur modo, quo pacto moueat primum mouens, in primis philosophiæ commentarijs determinatum est prius. Reliquum autem est contemplari quomodo anima corpus mouet, & quodnam animalium motionis sit principium. Anima enim præterquam ipsius vniuersi motionis, aliorum sanè motus sunt causæ quæcunque à se inuicem non mouentur, quoniam se inuicem impellunt. Quapropter omnes illorum motiones finem habent, nam &

Quæ sint alterationes ab extrinseco.

Motus localis aliorum motuum primus.

Omnes motus localis indigere motione.

illæ animatorum sunt eiusmodi. Omnia enim animalia cum mouēt, tum mouentur alicuius gratia: quapropter id illis omniū motionum est finis, cuius videlicet gratia.

Quoniam dictum est retro quod principia motus inanimatorum ipsa erant anima prædita, & ijs ipsis origo & initium omnium motionum erat anima: ne quispiam hoc in loco dubitare & quærere possit per qualesnam anima moueatur motiones, iccirco in præsentia dicit philosophus de anima ipsa siue moueatur, siue non moueatur: & si moueatur, quonam moueatur modo, alibi fuisse pertractatum, id est in commentarijs qui de anima inscribuntur. quo in loco cum ab anima localem secludat motum, peculiare illius motiones nos docet. Subiungit postea philosophus quod inanima omnia ab alijs mouentur: & huiusmodi primum esse motum, id est cælum, hoc asserit in loco, licet in ijs qui de cælo inscribuntur commentarijs, ubi exquisitius hac de re pertractatur, cælum diuinum esse animal dicat: & alioquin cælum anima carere posse haudquaquam vero consentaneum esse videtur. quod etiam omnes cum Academicis, tum Peripateticis non ab re voluisse censentur. Verum quoniam istuc alterius, neque contēnendæ (mehercle) quæstionis esset initium, de anima scilicet vniuersi, & de partialibus etiam astrorum animis in præsentia verba facere, nosque breuitati hoc in loco studendum esse duximus, cursimque & succisuis (vt aiunt) horis explicationes has nostras conficimus: eiusmodi quæstione prætermissa, vel in aliud potius tempus referuata, quod instat agamus. Dicit igitur Aristoteles, de hoc primo moto, de ipso videlicet cæli corpore, quonam moueatur modo, & quomodo illud primum moueat mouens, nihil in præsentia dicere & pertractare velle, cum prius hac de re in commentarijs de prima philosophia abunde sit ostensum & determinatum, & pro parte etiam de primo maxime mobili in viij. de physico auditu ipse nos docuerit. Quærendum autem hoc esse dicit in loco quomodo corpus moueat anima, & quibus tanquam instrumentis id facere censeatur. Namque omnium motus dicit inanimatorum, excepto cæli corpore, & ipsis elementis, quæ à se inuicem moueri asserit, quoniam se inuicem impellāt, illorum enim generationes & corruptiones non sine motu fieri possunt, & impulsionem quadā. Iis igitur exceptis, omnes inanimatorum motiones ab ipsis fieri animatis asseuerat. Ex quo manifeste etiā apparet cælum & elementa ipsa in numero anima carentium Aristotelem in præsentia ponere. Quibus consequenti doctrinæ ordine postmodum subiungit Aristoteles omnes inanimatorum motiones finem habere: hoc autem iccirco, quoniam omnes animatorum motus sunt huiusmodi, id est fines quosdam habent determinatos: cuius rei statim certā subiungit causam, dicēs animalia omnia & moueri, & mouere alia, alicuius gratia. Finis autem est, cuius gratia omnia fiunt quæ fieri videntur.

Hic inanime vult esse cælum: alibi diuinum illud animal vocat.

Elementa à se inuicem moueri

Animaduertimus autem cogitationem, fantasiam, selectionem, voluntatem, & cupiditatem animal mouere: hæc autem omnia ad mentem referuntur, & appetitionem. Fantasia enim & sensus cum mente eundem habent locum, cum iudicandi habeant facultatem. Attamen ijs distant quæ in alijs dictæ sunt differentijs. Voluntas vero & ira & cupiditas omnia cum appetitione faciunt. Selectio autem communis est cogitationis & appetitionis: quapropter & ipsum quod seligi potest. Non autem omne excogitabile seligibile est, sed rerum agendarum finis.

Quoniam (vt retro dictum est) Aristotelis intentio hoc in loco est perscrutari & nobis tradere quonam modo anima corpus moueat: iccirco hoc in textu breuiter connumerat omnia principia animalium motionis, & quomodo ad inuicem se habeant illa declarat, dicitque cogitationem proculdubio & fantasiam, necnon selectionem voluntatem & cupiditatem animal mouere: quæ sanè omnia ad duo quædam priora & communiora referri videntur principia, ad mentem scilicet, & appetitionem. Vbi clare etiam ipsis verbis ostendit quænam ex supra enarratis motus principijs intellectui & menti, & quæ ipsi subordinentur appetitioni. selectionem solam vtrisque esse communem asseuerans. Pro quorum declaratione & multorum etiam quæ dicuntur inferius, in præsentia animaduertendum esse censeo quod animæ partes, siue vires, siue potestates illas appellare malimus, primariæ sunt duo, theoreticum scilicet, & practicum: siue, quod idem valet, contemplatiuum, & actiuum: & alterum quidem intellectus siue mens appellatur: alterum appetitus siue voluntas. nihil enim (vt arbitror) refert quo illud nomine voces, cum voluntas rationalis dicatur esse appetitus. Et ad intellectum quidem ipsum siue mentem pertinet iudicium: ad voluntatem vero siue appetitionem operatio spectare videtur. Iis autem animæ partibus siue viribus siue potestatibus

Theoreticū & practicum, principales animæ potestates.

o. j.

tanquam principalioribus & dominis nonnullæ famulantur & deseruiunt potestates. Et parti quibusdem contemplatiuæ quæ iudicatiua est, sensus & fantasia obsequuntur. nunciant enim eæ menti & intellectui ea quæ extrinsecus perceperunt. Parti autem actiuæ, scilicet appetitioni, motiua deseruiuit virtus, & musculorum attractiua potestas, quam vnico vocabulo sed composito græci *νευροσπαρτικὴν* appellāt. Est præterea alia quædam vis quæ media quodammodo esse censetur, & ex intellectu & appetitu nimirum conflare existimatur, quæ selectio appellatur, græci *προαιρεσις* vocant, quæ iudicat quodammodo & agit. Quamobrem huiusmodi esse dicit ipsum seligibile, mediæ scilicet cuiusdam naturæ, quod haudquaquam ipsi excogitabili contingere affirmat. non enim excogitabile omnium est selectio. rerum nanque scientiæ sunt eiusmodi, quarum nulla est selectio. Verum quæcunque excogitabilem practicum habent finem, vt sunt illa quæ arte constant, eiusmodique complura alia, seligibilia sanè esse perhibentur. Principium igitur motus in ipsis animalibus (vt id etiam obiter hoc dicatur in loco) illud est quod primo expeti aut declinari natum est: quæ græci *πρῶτον δῖωκτον, καὶ πρῶτον φευκτον* appellāt. Hoc igitur sensu perceptum & cōprehensum, siue fantasia, siue cogitatione, appetitum mouet ad se persequendum, aut fugiendum: quo excito & moto caliditates quædam & frigiditates necessario consequuntur, spirituum videlicet motio, & cum extensio, tum contractio vel ad internas, vel ad externas corporis partes. spiritibus autem commotis nerui mouentur, & illorum initia & origines in corde ipso commorantes: illis vero motis & excitatis, neruorum mouentur extrema in ipsis animalium membris & musculis constituta: quorum motionibus postmodum per locum mouetur animal, ab ipso videlicet appetitu commoto & excito à re extrinsecus posita quæ natura sui vel declinari vel expeti nata est. Paruus autem motus in principio factus, multarum postmodum & magnarum differentiarum est causa, non alia cuiusdentiore huius rei similitudine, quàm clauis paululum in puppe commoti, vnde magna in prora & longe apparens fit nauigij ipsius commutatio, & à priori statu diuersitas. Animaduertendum præterea non ab re esse censeo, quòd sicut in iudicatrice animæ parte plures reperiuntur potentia: aliud enim est imaginari, & aliud suspicari, necnon aliud est apprehendere, & aliud opinari, quæ tamen omnia ad communem iudicatricem animæ partem reducuntur: ita sanè est in ipso appetitu, siue impulsione. Appetitus nanque, impulsus quidam ad rem quandam esse censetur. Ex eodem enim appetitionis primordio aliud est concupiscentia siue libido: aliud est ira: aliud voluntas & selectio siue deliberatio. Animaduertendum est etiam, quando id hoc in loco aggressi sumus ostendere, quòd moueri dicitur animal ab impellitricem (vt ita dicam) animæ vi, cum ipsa, vt Peripatetici voluerunt, nullatenus moueatur anima. Actus enim & entelechia de illorum sententia non mouetur. quauis improprie hic & abusiue loquendi videatur esse modus, corpus scilicet ab anima moueri. Id enim proprie à quopiam moueri censetur, quod à motore est seiuigatum & disiuictum, vt plaustrum ab equis vel bobus moueri dicimus. Communiori etiam loquendi modo ab aliquo id moueri dicimus, quod intercedente aliquo mouetur: vt artificem ab arte moueri dicimus, & ignem à leuitate sua sursum ferri. Et iccirco corpus ab anima secundum hunc loquendi modum moueri dicere possumus. Motio enim animali competere dicitur ea ratione qua est animatum, non illa qua graue est, aut leue: vel qua calidum est, aut frigidum. Mouetur igitur animal non ab anima, sed per animam, quoniam niam per appetitum & impulsione, vt dictum est, mouetur, quæ per animam nimirum animalis inesse censetur. Sentit igitur animal & ambulat & intelligit secundum animam, & per animam: non quod illa moueat mota, vt nonnulli voluerunt, sed quia manens omnium est initium & origo motionum. Quemadmodum enim per saltandi artem composita mouetur saltator, & ad tibiæ sonum numerosè saltat, & per alias similiter artes mouentur artifices: & sunt eæ illis talis vel talis motionis causæ, ipsæ certe non motæ: nulla enim moueri dicitur ars: ita & animalia secundum animam & per animam mouentur, anima omnino non mota. Est autem appetibilis animæ vis, quam *ὀρεμτικὴν* græci appellant, per quam animalia mouentur. Hæc enim (vt retro dictum est) animalibus est in causa vt proprijs & peculiaribus moueantur motionibus: in quibus, vt hoc etiam obiter dicatur, anima esse censetur non tanquam gubernator in ipso nauigio, sed tanquam forma quædam & entelechia & perfectio, vt à philosopho in libello *περὶ ὀρέμης, καὶ τῆς ὀρεμτικῆς δυνάμεως*, nos de appetitione vel appetibili potestate dicere possumus, abunde est pertractatum: vbi hac de re longiores & accuratos magis habet sermones: à quibus nos hoc in loco pro dictorum explicatione, & nonnullorum etiam quæ postmodum adducentur, isthæc mutuati sumus. Ad philosophi igitur literam reuertamur.

Quamobrem tale est bonorum id quod mouet, sed nō omne pulchrū. Vt enim huius gratia est aliud: & vt est finis, cum alia alius cuius gratia existant, eatenus mouet. Oportet autem cōstituere id quod apparet bonum, boni etiam locum obtinere: & ipsum iucūdum, quandoquidem apparet bonum. Quare palàm est quòd contingit quidē

Quomodo ab appetitu mouetur animal.

Quod sicut in iudicatrice: ita in appetitricem animæ parte plures sunt potentia.

Entelechiam secundum Peripateticos non moueri.

Quomodo corpus ab anima moueri dicitur.

Quomodo nō mota moueat anima.

Aristotelis libellus de appetibili potestate.

id quod semper mouetur, à semper mouente similiter moueri vt singula animalia: contingit autem vt alio modo: & iccirco illud quidem semper mouetur: animalium autem motus terminum habet. Sempiternum autem pulchrum, & id quod vere & primo est bonum, neque modo quidem est, modo vero non est, diuinius profecto honorabiliusque est quam vt illo quicquam sit prius.

- Q**uia in superioris textus calce dixerat Aristoteles quod non omne cogitabile eligibile erat, sed id solummodo quod operabilem erat finis, vt ostenderet selectionem in medio intellectus & appetitus esse collocatam: iccirco hoc in loco litera continuando sententiam dicit quod illud de numero bonorum quod mouet, est operabilem finis: statimque subdit non
- 10 omne pulchrum mouere, & motionis esse causam. Cognitio namque rerum & scientia, & entium vt entia sunt speculatio, pulchra quidem esse censentur, verum quietis magis quam motionis sunt causae: vt in secundo de anima commentario ipse attestatus est, quando contra Platonem instare nititur asserentem animam seipsam mouere. Mouet igitur bonum vt practicum ipsum animal secundum quod est finis. namque secundum quod huius gratia, aliud est: cum alia alicuius gratia existant, quae tamen non sunt fines. Omnia enim quae finem praecurrunt, & ante illum sunt, finis gratia esse censentur. Verum quoniam bonorum quaedam sunt simpliciter & vere talia, alia vero eiusmodi apparent, cuiusmodi sua uia sunt & voluptuosa, quia appetitio fertur ad illud quod sub boni ratione apprehenditur: iccirco apprens bonum, & quod iudicatur esse bonum, nihilominus mouere videtur. quod enim apprens bonum, censetur esse bonum, dum sub boni ratione comprehenditur. Post quae adducta tanquam corollarium quoddam subdit Aristoteles dicens: Quare palam est quod contingit quidem & c. id est, ex ijs est manifestum quod aliquo modo similiter mouetur caelum ab ipso primo mouente, & animalia ab appetibili potestate: quoniam mouens quidem caelum vt bonum & desideratum mouet: & animalia certe à bono vel apparente bono mouentur, illud nimirum appetentia. Quodammodo autem, non similiter: quoniam illud quidem semper mouet caelum, vno eodemque modo sempiterno rotatum gyro. Quod vero animalia mouet bonum, quia non est simpliciter huiusmodi, cum varie & inaequaliter mouere percipitur, tum non semper & perpetuo mouet. Quamobrem in illo aeternitatem uertimus. Subdit postmodum de sempiterno pulchro, quod primum verumque est bonum, & non modo
- 20 quidem bonum, aliis vero non bonum, vt ea quae penes nos sunt bona, diuinius sane illud esse dicens & honorabilius, quam vt aliquid illo prius aut honorabilius inueniri possit. Non ab re igitur si ea quae apud nos censentur esse bona, aliquando quidem moueant, aliquando vero non moueant: quoniam non perfecte & exacte sunt bona, multumque secum contrarij admistum habent. Illud autem quod sine controuersia est bonum, cum huiusmodi essentia sit sua, & non per extraneum & additum aliquod, ratione amati & desiderati perpetuo sane mouere censetur.

Nō omne pulchrum mouere.

Bonum vel apprens bonum motionum causa.

Caeli motore vt amatum & desideratum mouere.

Primum bonum.

- P**rimum igitur immotum mouet: appetitio autem, & id quod appetibile est, mota mouent. Vltimum autem eorum quae mouentur, quod aliud moueat, nulla est necessitas. Manifestum etiam ex ijs est quod rationabiliter localis motus vltimus est factorum in ijs quae
- 40 fiunt. Mouetur enim & ingreditur animal appetitione vel selectione, alteratione tamen facta aliqua per sensum, aut fantasiam.

- Q**uia retro dixerat Aristoteles quod sempiternum pulchrum & primum bonum, id est primum mouens vniuersum semper mouet, quod etiam immobile dixerat: hoc in loco de primo mouente ipsum animal loquitur, quod bonum vel apprens bonum retro esse diximus: dicitque illud non motum mouere. Eligibile namque & ipsum appetibile non motum mouet. ab huiusmodi autem primo animal moueri dicitur. Appetitus autem, siue appetitium, id est vis animae quae appetit & desiderat, cum mouet, tum mouetur: mouet quidem animal, mouetur autem ab ipso appetibili, siue bono, siue apparente bono. Vltimum autem eorum quae mouentur, id est ipsum animal, non est necesse, inquit, vt quippiam moueat. ita quod in huiusmodi rebus, vt in ipsa etiam
- 50 vniuersi machina, constans quidam tenoris reperitur ordo, vt aliquid scilicet moueat, & non moueatur: aliquid vero cum moueat, tum moueatur: & aliquid tantum moueatur, cum ipsum nihil moueat. Post haec Aristoteles corollarij subdit modo, quod localis motus in ijs quae fiunt, eorum vltimus est quae fieri videntur. Appetibile enim appetitum mouet, siue intellectum, siue sensum & fantasiam. ijs autem

Appetibile mouere non motum.

Quomodo localis motus in ijs quae fiunt, est vltimus.

tem motis passiones quaedam fiunt in corpore, à quibus cum calores, tum frigiditates excitantur quaedam, propter quas (vt retro dictum est) contractiones nonnunquam, interdum extensiones circa connatum fiunt spiritum, quibus in neruos dissipatis & musculos, per impetum quendam quem ὄρμην græci vocant, localis vltimo fit motus, excitaturq; nimirum animal ad quippiam vel declinandum, vel persequendum, vt retro diffusius est declaratum.



Quomodo autem intelligens aliàs quidem operatur, aliàs vero non operatur? Et mouetur interdum, interdum non mouetur? Eodem sanè modo contingere videtur, quo ea quæ immota sunt, cogitatione ratiocinationeque comprehenduntur. Verum in illis quidem contemplatio est finis. Cum enim duas intellexerit propositiones, conclusionem sanè intellexit & coniunxit. Hic autem ex duabus propositionibus conclusio fit operatio: verbi gratia cum nouerit quoniam omni deambulandum est homini, ipse autem est homo, illico deambulat. Si autem quòd nulli nunc incedendum est homini, ipse autem homo, confestim quiescit: & vtrunque facit, nisi à quopiam prohibeatur, aut cogatur. Commoda res est mihi facienda: domus commoda est. domum confestim facit. Integumento corporis indigeo: tunica est corporis integumentum: tunica indigeo. Quo indigeo, id mihi faciendum. tunica indigeo. tunica est mihi facienda. Et ea conclusio, tunica mihi facienda: operatio est. Operatur autem à principio: Si tunica esse debet, necessarium est esse primum. Si autem illud, & aliud: & id illico operatur. Quòd quidem operatio sit conclusio, manifestum. Propositiones autem factitiæ ex duobus constant generibus, ex bono scilicet, & eo quod fieri potest.

Proposuerat in ijs quæ retro dicta sunt Aristoteles duo esse principia animalium motionis, intellectum scilicet, & appetitum, quibus veluti principalioribus subministrâtes & famulantes alias partialiores animæ subiunxerat potestates. hoc autem in loco ostēdit quomodo ipsum moueat animal practicus intellectus, & quomodo intelligens & consyderans aliàs quidem mouetur ad quodpiam opus efficiendum, aliàs vero non mouetur, sed potius quiescit, cum intellectio illa mansionis magis & quietis sit causa quàm motionis. Quo in loco duplicem signare videtur in homine intellectū, practicum scilicet, & contemplatiuū: & ille quidē prior motionū, hic autem posterior quietis esse causa censetur. Quamobrem similitudinem illico inter hos duos intellectus ponit, mox etiam subiungit diuersitatem quam ad se inuicem ij habent intellectus. Ex duabus enim, inquit, vterque consyderatis & intellectis propositionibus conclusionem inducit: & in hoc nimirum similes ij duo censentur esse intellectus. Cæterum contemplatiuus conclusionem colligit suam sub entis & sub veri ratione sequentem, practicus autem conclusionem habet suam sub ratione boni vel apparentis boni collectam. Pro quo animaduertendum esse censeo quòd licet Aristoteles expresse dicat in textus litera practici intellectus conclusionem ipsum esse opus, non tamen esse intelligendum vt simpliciter verba sonant. In practico namq; syllogismo immediata conclusio non est opus siue operatio, quoniam ratiocinatio motus rationis quidam esse censetur. Oportet autem motum eiusdem esse speciei cum suo termino ad quem. Verum practica ratiocinatio non est de genere operationum, & iccirco illius finis operatio esse non debet, sed cognitio potius alicuius operabilis rei. quæ res alia etiam via patere potest. Operatio namq; non fit nisi per appetitum eius rei quæ debet fieri. Appetitus autem alicuius rei non nisi post illius cognitionem fieri consuevit. Quamobrem immediata conclusio practici intellectus ipsa est rei appetibilis cognitio. Propositis namq; duabus propositionibus statim intellectus intelligit operationem cuius est appetitus: & illico nisi quippiam impediât aut prohibeat, quod idem significare vult, in opus iam cognitum exit. Vocat autem in textu Aristoteles immobilia ipsas disciplinas, & contemplatiui intellectus obiecta, in quibus sola cognitio est finis, sicut in ijs quæ ab intellectu pertractantur practico, operatio est finis, per eum quem diximus modum. Exempla clara sunt cum in vnico syllogismo, tum in duobus etiã à philosopho in textu adducta, in quibus ad

Duplicem in homine esse intellectū, practicum scilicet & contemplatiuum.

Quod practici intellectus conclusio non sit operatio.

Quomodo immobilia vocet philosophus.

præintellectas propositiones practica nimirum sequi videtur conclusio, de fabricanda scilicet domo, & de corporis integumento, penula videlicet siue tunica conficienda. Illud autem, Operatur à principio si tunica esse debet, signare vult quòd post practica collectam conclusionem operarius & artifex statim aggreditur ad explicanda præparandaque illa quæ ad conclusum & iam constitutum negotium sunt necessario requisita. verbi causa si conclusit tunicam esse conficiendam, statim lanarum emit vellera, eaq; concinnat & digerit vt apte colo diduci possint. Postmodum stamina filorumq; subtegmina textoribus tradit, pannumq; expedit, ex quo postmodum tunicam facit. Similiter rationis modo fabricator & architectus vt domum affabre faciat, materiem prius & cementa & ligna cõparat, & ordine quæq; suo componit, & ita ex illis ordine cõpositis domum conficit. Ex quo, inquit, patere potest operationem esse cõclusionem in eiusmodi practici intellectus discursu, id est, ad conclusionem illam statim sequi operationem, vt diximus: secundum sanum scilicet intelligendi modum. In textus autem calce Aristoteles supra memoratas propositiones, practici scilicet syllogismi, facti uas non ab re vocare videtur, quoniam illas speculantes & considerantes in opus exeamus, & illico aliquid faciamus: illasq; dicit ex duobus sanè constare generibus, boni scilicet & possibili. Vt enim post conclusionem collectam aliquid agere aggrediamur, ista profecto duo concurrere debent. alterum enim sine altero mancum est & inefficax. Nam si bonum fuerit per practici intellectus conclusionem collectum, id autem fieri non posse appareat, nullus à nobis fit aggressionis conatus. Possibile autem solummodo & non bonum, neq; apparens bonum, animi il mouet nullum.

Quæ factus
propositiones
& ex quibus
consent.

Quemadmodum autem qui interrogant, sic propositionum alteram, manifestam scilicet, cogitatio haudquaquam insistens considerat: vt si homini deambulare est bonum, quòd ipse sit homo non immoratur: iccirco quæcunque alia nulla ratiocinatione agimus, celeriter agimus. Quando enim aut sensu operatur ad id cuius gratia, aut fantasia, aut intellectu, quod appetit, confestim facit. Interrogationis namq; vel notionis loco, appetitionis fit operatio. Bibendum esse mihi dicit cupiditas: hoc autem esse poculentum sensus vel fantasia vel mens affirmat: confestim bibitur. Ita sanè ad motum & operationem animalia excitantur, cum vltima motionis causa sit appetitio, quæ tamen vel per sensum, vel per fantasiam & notionem efficitur. Quæcunque autem quippiam facere appetunt, partim quidem cupiditate aut ira, partim vero appetitione aut voluntate faciunt & agunt.

Quia retro dixerat Aristoteles intelligentis & operantis in re dissimili similes quodammodo esse discursus ratiocinationes, & utrosq; ex propositionibus quibusdã proprijs & peculiaribus syllogismis vt, conclusionesq; intentas colligere, verum differentes & diuersas, cum diuersi & inter se distincti sint artifices: intelligentis enim conclusionem demonstratæ rei esse notionem: operantis autem ipsum esse opus, vel potius operis ipsius aggressiones: quoniam inquam hæc præmisit Aristoteles, consequenti doctrinæ ordine hoc in textu in supra enarrata syllogizantium perstans similitudine dicit quòd quemadmodum interrogantes, per interrogantes intelligens ipsos dialecticos, qui vtranque sanè contradictionis interrogant partem, interrogare solent, sæpenumero vtrasque syllogismi propositiones adducunt, ex quibus conclusiones colligunt: nonnunquam autem alteram prætermittunt, si videlicet est manifesta, nihilque ambiguitatis in se habet: ita in rebus agendis sola maiore contentus propositione, si minor clarior est quàm vt adstrui debeat, aut ambigi possit, peculiare statim affert cõclusionem, & ad opus exit cõstitutum. Cuius rei manifesta sanè adducit exẽpla. Si enim quispiã, inquit, in actionibus cõsenserit, & cõstitutum habuerit quod omni deambulandum est homini, vt corporis videlicet valetudinẽ & vires, quod bonum est, conseruet & augeat: is profecto nihil amplius cõsiderationi illi quæ id sibi dicit, impertit, quæ scilicet ipse homo est. istuc enim in nulla est cõtrouersia, sed statim in opus exit, & deambulat. Quæ certe re manifestam esse dicit ab ijs quæ nullo ratiocinationis præuio discursu operantur homines, quæ nulla cunctationis interposita mora cõfestim facere animaduertuntur: qualia sunt bonorum vtiliumve appetitum valenter mouentium subitaria vendicationes, aut incõmodorum malorumve ingruentium declinationes repetinæ, & fugæ. Tunc enim haudquaquam syllogizant homines, ne morentur, tempusq; cõterant, & occasiones prætermittant, sed illico id faciunt quod cõmotus & excitus appetitus à sensu siue ab imaginatione vel ab intellectu, illis repræsentat & suggerit. Cuius rei cõ clarum admodum in literæ cõtextu sit

Dialecticos
vtrâq; contra
dictionis inter
rogare partem.

Quæ nulla ratiocinatione
confestim faciunt homines.

Cur appetitio
ultima dicas
tur causa.

exemplum, nihil sanè est quòd illud nunc explanare contendam. In litera autem ubi dicitur quòd ad motum & operationem animalia excitantur, cum vltima motionis causa sit appetitio, animaduertendum sanè est quòd vel iccirco vltimam vocat causam ipsam appetitionem, quoniam vere vltimo reponitur loco. Primus enim est sensus aut imaginatio, aut intellectus ipse: postea vero consequitur appetitio. Vel vltimum proprii loco hoc in textu intelligendum sanè est. Propria enim & peculiaris motionis est causa ipsa appetitio. nihil enim ad mouendum facerent sensus, aut imaginatio, aut intellectus ipse, nisi istorum quippiam consequeretur appetitio. Quòd autem ea quæ fiunt, omnia ob vlciscendi appetentiam, aut desiderij aut voluntatis consequendæ rationem fiant, alibi dictum est: pariq; modo quo distet & disterminetur voluntas ab ira & concupiscentia, & omnino ab appetitione, pertractatum est in libello qui *περί ὀρέξεως*, id est, de impetu siue appetitione inscribitur. Ibi enim dicitur appetitionis vocabulum generis cuiusdam ambitum signare, & aliam quidem intellectualem esse appetitionem, quæ voluntas vel electio nuncupatur: aliam vero sensitiuâ & esse & appellari appetitionem, quæ in concupiscentiam siue desiderium & iram disterminetur, à quibus operationum certe omnium suscitata postmodum emanant exordia.



Quemadmodum autem spontaneæ appellatæ machinæ parua motione facta mouentur laxatis seque mutuo impellentibus vertebris: & curriculum qui à se quidem vectum recte mouet, ipse autem rursus circulo mouetur, quoniam inæquales habet rotas: minor enim veluti centrū fit, vt in cylindris: ita & animalia mouentur. Instrumenta nanq; eiusmodi habent cum neruorum tum ossium naturam: & hæc quidem tanquam ibi ligna & ferrum: neruos autem vt vertebrae, quibus solutis & relaxatis mouentur.

Mechanicis
θαυματα
τῶν μηχανῶν.

Cum retro de principalibus pertractauerit causis philosophus animalium motionis, in præsentia de instrumentalibus & organicis nos docere intendit: & quoniam in omnibus ferè illa quæ arte constant, ceu hominum inuentioni debentia, & apud nos nata, nobis sunt notiora: nec minus etiam cum naturam imitetur ars, quia posteriora sanè sunt artificialia, nobis non im merito sunt manifestiora: iccirco illorum exemplo philosophus nos commonefaciendos esse ducit. Spontanea autem pægmata illa & machinas vocat quæ in spectaculorum ludis fieri & ostentari solent ab ijs mechanicis quos græci *θαυματοποιοῦς*, id est admirandorum effectores operum vocant, quando scilicet ab illis solutis & relaxatis quibusdam fabricæ illius compagibus, & nonnullis conuersis cardinibus & rotulis, succedentibus inter se vicibus miræ quædam rerum consequuntur effectus, cum præcedentia à consequentibus serie quadam continenter moueantur. Quemadmodum igitur in illis quibusdam commotis cardinibus, relaxatisque compagibus, funiūmque inuolutis, simulacra illa lignea in pægmatis fabrica existentia successiue moueri conspiciuntur, & illis qui structuræ illius machinam ignorauerint, à se ipsis sanè moueri censentur: ita cordis excito spiritu, & ab appetitione commoto, illi contigui motantur neruuli, qui rursus alios sibi continenter iunctos mouent neruos, quoad vsque ad organicas perueniens partes motus, manus inquam & pedes, vniuersum postea mouet animal. Hoc autem non contentus exemplo philosophus, ad planiorē rei huius declarationem alio etiam vtitur exemplo, quod ab arte similiter mutuatur. Quemadmodum enim, inquit, in curru id quidem quod vehitur, id est auriga, qui proportionem habet cum anima primo mouente, recto sanè cietur motu, cum tamen ipse currus eo quòd inæquales habet rotas, circulo moueatur: ita animalia ab anima mouentur instrumentis quibusdam in se commotis, & nonnullis quiescentibus, vt retro dictum est, vt in curribus rotarum modioli cum centri locum obtineant, ad circumferentias ipsas comparati stare & quiescere videntur. In quibus philosophi verò bis animaduertendum esse censeo quòd inæquales in curribus dixit esse rotas, paruas videlicet & magnas: & per paruas quidem rotas, vt dictare videtur ratio, modioli intelligi debent illi à quibus radij ad exteriores circumferentias & apsidēs exeunt, quas maiores vocat rotas. Licet enim modioli in totius rotæ circuitione etiam ipsi moueantur, & in æquali tempore suos perficiant orbēs: quia tamen circumferentiæ velocior est motus, cum in eodem temporis spatio maius feratur interuallum, modioli autem tardior & hebetior: tardius vero per contrarij commisionem tardius nuncupatur: motui autem quies est contraria: iccirco modioli quos minores vocat rotas, circumferentiæ comparati, quas maiores appellat rotas, stare quodammodo videntur, cum alioquin centri locum in ipsis totalibus rotis obtinere censeantur. Quam rem consimili sanè modo in animalium motionibus animaduertere licet. In animalibus enim membrorum vertebris & suffraginibus quodammodo stantibus continuata & succedentia mouentur membra, vt ibi rotarum ambitus &

Quomodo rotarū modioli stare videantur

circumferentiæ mouentur quiescentibus modiolis ea qua diximus ratione, qui centri obtinent locum. Illud autem, vt in cylindris, iccirco dixit, quoniam illi ad similitudinem sunt rotarum. nihil enim aliud quàm solida quædam rota est cylindrus, vt animaduertere licet in ijs qui ex cylindris fiunt curriculis, quos ludentes pueri per decliua trahentes impellere solent: & in ijs etiam quæ ex solida materia fiunt machinis ad columnas & marmora subuectanda. Quoniam autem ad declarandum instrumentalem animalium motum, duo, vt vidimus, ab arte philosophus mutuatus est exempla, cum fabricæ scilicet illius quam spontaneam appellauit, in qua ab artifice motis quibusdam vertebris reliqua facile mouentur: tum ipsorum curriculorum qui à primo mouente exciti & commoti, partes quasdam in se motas, & nonnullas etiam habent quiescentes: eoque modo in animalibus dum mouentur fieri dixit: iccirco vtrique exemplo conuenientes ex animalibus similitudines quadrare facit. Circumligantes enim in animalibus nerui, & ossium suffragines non dissimiles sanè esse videntur rotarum ligneis modiolis ferro constrictis & circummunitis: sicut illud, quod neruiculis in corde animalis a spiritu commotis succedentes postmodum illis mouentur nerui vsque ad partes organicas quæ postea animal mouent: simile profecto esse censetur spontaneis illis fabricis in quibus ab artifice vertebris quibusdã comotis primo, continenter aliæ, & rursus aliæ mouentur, quæ simulacrorum postea in ipsis repositorum ceu spontaneum repræsentare videntur motum, vnde & nomen apud græcos inuenerunt, & *αὐτόματα* appellantur. Hæc mihi pro literæ istius declaratione dum id agerem planè succurrebant. Si quis posthac melius quippiam, & textui accommodatius inuenire & explicare poterit, illi æquo animo concedemus, & multam insuper gratiam habebimus.

20 **E**eruntamen in spontaneis quidem illis & curriculis non est alteratio: quoniam si fierent etiam minores interni orbis, & rursus maiores, nihilominus idem circulo moueretur. In animali autem idem potest & maius & minus fieri, figura sçp permutare auctis partibus ob caliditatem, & rursus contractis propter frigiditatem, & omnino alteratis. Alterant autem imaginationes & sensus & cogitationes. Sensus enim statim alterationes quædam sunt: imaginatio autem & cogitatio rerum habent potestatem. Cogitata enim species calidi siue frigidi, siue suavis, aut formidabilis, quodammodo id existit qualis vnaquæque est res: & iccirco sola cogitatione perhorrescunt & expauescunt. Omnia autem ista perturbationes sunt & alterationes. Cum autem in corpore alterantur, aliæ quidem maiores fiunt, aliæ vero minores.

30 **P**ost mutuatam retro similitudinem à mechanicis quibusdam instrumentis, & ab ijs quæ arte constant, ad declarandum organicum in animalibus motum: hoc in loco philosophus inter huiusmodi res & animalia diuersitatem cum motionis, tum mouentium nobis manifeste ostendere aggreditur. Ait enim quòd in spontaneorum motibus, & curriculorum, nulla præcedere videtur alteratio, à qua minores ex maioribus, siue è contrario illæ fiant rotulæ quæ intrinsecus sunt, quibus cum machinarum fabricæ illæ, tum ipsi mouentur curriculi. semper enim in illis maiores rotæ sub eadem persstant quantitate, neq; fiunt minores: sicut neq; minores sanè augentur & excrescunt: quæ alioquin si casu aliquo contingerent permutari, & cum excrescere, tum contrahi & diminui, nihilominus vnica mouerentur motione, & circulo solummodo id quod ab illis mouetur, proculdubio moueretur. Secus autem in ipsis est videre animalibus, in quibus cum diuersi & sæpe contrarij reperiuntur motus, tum idem vicissim maius fit & minus, figura sçp nimirum & facies comutat, cum alteratione præuia illorum partes vel augescunt propter caliditatem, vel ob frigus contrahuntur & decrescunt. neq; hoc ab re mehercle. Nam cum voluptate (verbi causa) perfruitur animal, quæ iucundus sanè animi est motus, à contemperata æquabilisq; caliditate quæ tunc vniuersum illius occupat possidetq; corpus, relaxantur certe nerui, & excrescunt partes, & quæ eousque resederant, turgescunt & excitantur membra, maiorémque occupant locum. Quæ profecto omnia in contraria animorum affectione contrariam planè induunt faciem. Dolo enim constringuntur omnia, & tanquam in cordis arcem cõpulsio calore, frigiditate præualente adstringuntur membra, & minorè sanè occupant locum. Congelate nanque & compingere ipsum natum est frigus, vt aliquoties in alijs declaratum est locis. Quodq; in præsentia in duabus ijs animi declarauimus affectionibus, voluptate scilicet & dolore,

Voluptas corpus excrescere facit.

Dolor constringit.

in alijs etiam satis declaratum esse censemus, in quibus animalia cum caliditate, tum frigiditate alterata diuersarum initia capiunt actionum, motibusque plerumque contrarijs agitantur. Motus igitur principia in spontaneis nuncupatis, & in animalibus proculdubio sunt diuersa, cum in ijs quidem (vt dictum est) alterationibus fiant praeiis motiones, in illis autem nulla reperiatur intrinseca alteratio. Neque hoc profecto ab re esse censetur. Arte enim constantia, ab arte mouentur: naturalia vero ab ipsa cientur natura. Hoc autem declarato Aristoteles profequitur docendo quomodo animalium motiones praeiis semper quibusdam efficiantur alterationibus. Alterare enim dicit ipsum animal cum imaginationes & sensus, tum ipsas cogitationes: quam rem breuiter admodum & concise hoc probat in loco: vt illam magis tangat quam ostendat. Dicit enim à sensibus exordium faciens, illos proculdubio alterationes esse quasdam. Neque hoc immerito mehercle. Sensus enim potestate est id quod sensibile est actu, vt in commentarijs de sensu & sensibili abunde est declaratum. Porro is ad actum reducitur per motum sensilis rei in ipsum: vbi necessario interuenire alterationem clarius est, quam vt longiori indigeat explanatione. Subdit postea philosophus istuc ipsum ostendendo de imaginatione, quam fantasmiam graeci appellant: & de cogitatione siue intellectione. Hæc enim, inquit, imaginatarum & cogitatione perceptarum rerum habent potestatem, id est, hæc sanè potestate sunt huiusmodi, & virtute siue potentia, quales cogitatae & imaginatae res actu esse percipiuntur. Cuius rei hæc sanè videtur esse ratio. Nā cū imaginationes & cogitationes sensibus fiat præcedentibus, vt clare alibi attestatur ipse dicens, Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu. Sensus autem tum tales sunt potestate, qualia sunt actu sensilia: tum alterationibus quibusdam (vt diximus) praeiis in actum exeunt suum: profecto & imaginationes ipsæ & cogitationes sensus ipsos consequentes, illorum naturam & passionum affectiones non immerito sapere & referre videntur. Quamobrem concludendo philosophus subiungit quod perhorrescunt sæpenumero & expauescunt homines sola cogitatione commoti & perturbati. Cū enim imaginatio & cogitatio memoriā excitent: hæc autem spirituum & humiditatum suscitent & efficiant commotiones quasdam, vt in rebus venereis liquidò est a nimaduertere: caliditatibus profecto & frigiditatibus inde commotis & excitis, varias affectionum subséquere species est necessarium. Ex quarum numero hoc in textu duas solum recenset Aristoteles, horrorem scilicet & pauorem, vt ex ijs ipsis alias etiam intelligere possumus. Si enim quispiam intensi meminerit frigoris: ob quandam naturæ ipsius in eiusmodi concordiam, quam sympathiam graeci appellant, tanquam in vera positus frigoris constitutione, statim perhorrescit, calido interiora corporis pulsante, & frigiditate externa comprimente & densante, à qua nimirum horror efficitur, & pilorum erectio consequitur. Similique rationis modo expauescunt homines periculosas res & formidolosas animo volentes, tanquam in ijs ipsis constituti & deprehensi, propter subitaneum sanguinis recessum ad ipsum cor. In istis autem & eiusmodi omnibus alterationes interuenire quasdam summa est necessitas: quæ cum mediantibus fiant caliditatibus & frigiditatibus, augeri in animalibus quasdam, & decrescere nonnulla necesse est, vt calida aut frigida effici possint. Dictum namque est multotiens calidi vim diffundere & laxare, & in maius dare natam esse: contra frigidi naturam cum constringere & constipare, tum in minorem angustiorémque locum rem coarctare & compingere solere.

Quod sensus
alterationes
sunt quædam.

Horror
Pauor.




Quod autem parua mutatio in ipso facta principio, multiplices & magnas in extremo faciat differentias, non est obscurum: vt temone paululum translato, magna proræ fit transpositio. Caliditate quinetiam vel frigiditate, vel alia eiusmodi affectione cum in corde facta fuerit alteratio, etiam si in exigua & non sensibili illius particula, multam sanè in corpore fit differentia, cum ruboribus & palloribus, tum horroribus & tremoribus, alijsque huiusmodi contrarijs.

Cor omnis
principium
motus.

Quoniam de animalium motu hoc in libello aggressus est philosophus pertractare & docere, cuius etiam hæc ipsa est inscriptio, iccirco originem & principium omnium inuestigat motionum: quod in animalibus perfectioribus ipsum affirmat esse cor, siue quod cordi correspondet, & cum illo proportionem habet in animalium genere imperfectorum. Quoniam autem cor quantitate quidem exiguum admodum est membrum, licet virtute sit maximum, ne cuiuspiam fortasse hanc ob rem admirandum aut incredibile videretur talem illius exilitatem tantarum & adeo excellentium in animalibus esse causam motionum, in principio statim presentis literæ huiusmodi hæsitacioni clarissimo occurrit exemplo, quod non ratione solummodo, sed oculata percipitur fide, dicens testimonio nobis esse posse quod parua in principio facta mutatio, in extremo multiplices & magnas facit differentias, temonem siue gubernaculum quod puppi adiectum, si clauo paululum à gubernatore commoueatur in extrema nauigij parte, id est prora ipsa, magnam facit mutationem & transpositionem. Puppi enim vix commota, magna sanè proræ ipsius fit transpo-

fitio. hoc autem idcirco, quia gubernaculum in nauigio principij cuiusdam vicem gerit, reliqua autē
ijs quæ à principio exeunt & deriuant, nō ab re assimilari possunt. Cur autem id accidat nauis ab ipso
gubernaculo, mathematica ostensionis ratione demonstrat Aristoteles in solitario problema tum cō-
mentariolo, quæ appellat mechanica: quem nos inuertimus, & glossulas quasdam apposuimus: vbi
cum pleraque alia, tum hoc etiam dicit, temonem ipsum in nauigio anguli loco constitui, cuius mo-
tione cum à dextra ad sinistram, vel contrā à sinistra ad dextram moueatur nauis, si duæ lineæ angu-
lum illum complectentes intelligantur, tertiam angulo ipsi oppositam, quam ὑποτενοῦσα vocant
græci, ab extrema nauis parte, id est à prora describi necesse est, quæ proculdubio eo erit maior, quo
illæ quæ angulū cōplectuntur, fuerint longiores. Parua igitur motione commota puppi, magna sanè

Problemata
mechanica.



proræ fit transpositio: quia cum in trianguli sit latere col-
locata, per totam ferri hypotenusam est necesse, imò sui
motionem ipsam efficere hypotenusam. Verum isthæc,
vt dixi, mathematica huius rei est ostensio: physico autē
magis hoc in loco procedit modo Aristoteles, dicitq; qd
sicut in parte illa nauis quæ principij vicē gerit, paruus
effectus motus, magnas in opposita illi parte & loge re-
mota efficit differentias (quod hoc nō probet in loco, quo-
niam id sensu manifeste percipitur) ita profecto à calidi-
tatibus frigiditatibusq; quibusdam, alijsq; eiuismodi affe-
ctionibus quando circa cor fuerint factæ, magnas & ex-
cellentes in vniuerso animalis corpore effici permutatio-
nes, quæ in extremitatibus illius maxime clarissima sui
præ se ferūt indicia. Calore enim in cordis penetralibus
excito, & veluti efferuescēte, spiritū & sanguinis ad ex-
terna fit motus: hinc corporū superna rubescunt, & flam-
mei apparent oculi. Rursum si frigiditate torpeat cor &
hebescat, vt in timore & exanimatione fieri assolet, ex

vniuerso statim corpore spiritus illi subsidio aduolant, secūq; sanguinem rapiunt, quem non immeri-
to spiritus vehiculum elegantes vocant medici. hinc sanguinis abscessu pallores in corporibus fiunt,
& caloris retrocessu horrores tremoresq; accidere consueuerūt. Palam igitur est qd caliditatibus & fri-
giditatibus minimis etiam in ipso principio, id est corde conflatis, magnæ profecto in ipsis extremi-
tatibus apparent motiones. Quo in loco litera illa vbi dicitur, etiā si in exigua & nō sensibili illius par-
ticula, hūc habet sensum, qd scilicet non solū in tota cordis substantia paruus motus magnas efficit in
vniuerso corpore motiones, sed etiā si in quota illius particula fiat alteratio, licet adeo sit parua vt vix
sensu possit discerni, magnas nihilomin⁹ (vt dictū est) in totū corpus cōsequi mutationes est necesse.

Sanguis spū-
tus vehiculū.

Pincipium igitur (vt dictum est) motionis in agendi genere
id sanè est, quod conseruandum aut declinandum est. Calor au-
tem aut frigus eorum cogitationem & imaginationem necessa-
rio consequuntur. Tristificum nanque declinandum: iucū dum
autem conseruandum. Verum istuc in exiguis valde est obscurum. Sunt
autem tristifica & iucunda ferè omnia cum frigiditate & caliditate: quod
profecto ex affectionibus est manifestum. Confidentia enim & pauores
& venerei motus, reliquaq; in corpore tristifica & iucunda, alia quidem in
partibus cum caliditate aut frigiditate sunt: alia vero in vniuerso corpore.

Aggressus retro fuerat philosophus declarare & ostēdere qd imaginationes & cogitationes &
sensus ipsi corpus alterant, & idcirco principia nonnunq̄ sunt motionum: quā rem interpo-
lare quodāmodo visus est, rationem principij paulopost interferens, cuius paruus motum in
consequentibus magnas proculdubio efficere differentias demonstrauit. Redit igitur hoc in textu ad
ostendendum clarius etiā q̄ fecerat, qd sensus & imaginationes necnon ipsæ cogitationes corpus sa-
nè alterare videntur. Ad istuc autem efficiendum sumit id quod retro fuit demonstratum, appetibile
illud siue conseruandum, & declinabile siue fugiendum quæ in operabili & agibili rerum genere re-
periuntur, motionum esse principia omnium. Cum enim quippiam appetit animal, & sub boni ra-
tione cupit, illud statim persequitur vt comprehendat & habeat, illoque perfruatur. Cum vero id esse
malum iudicat & noxiū, illico illud declinat & fugit. Horum autem sensus inquit aut imaginatio-
nes aut cogitationes, conseruandorum scilicet siue fugiendorum, necessario caliditates conseruandi aut

frigiditates. Vifa enim aut imaginata re nocua animal expauescit illico, spiritusq; cum sanguine hebescunt & algent, retroque fugiunt, & extrema illico horum abscellu remanent exanguia. Contra ad rei oblectabilis & commodæ conspectum, siue ad illius cogitationem, diffunduntur in corpore spiritus, & veluti amatam rem complecti & amplexari satagentes, ad corporis extimos festinant limites, & cum illos, tum vniuersum etiam calore perfundunt corpus. Quoniam autem dixerat philosophus conseruandum & fugiendum in operabili genere motionum esse principia omnium, quænam sint illa hoc in loco declarat. Declinabile enim siue fugiendum esse dicit tristificum, quod animalibus dolorem siue tristitiam affert: vt persequendum & conseruandum siue appetibile id sanè est quod est iucundum & suaue & commodum, quod corpus demulcet, & ad se capessendum inuitat. Has autem ad caliditatem aut frigiditatem alterationes, quæ illa duo de necessitate consequuntur principia, interdum quidem obscuras esse & latere dicit, vbi scilicet modica fuerit, & ex illis conseruandæ siue fugiendæ cuiusque rei comotio. Quæ tamen nonnunquam minime latere possunt, cum videlicet in valentibus & vegetis illorum fiant motionibus. Cuius rei statim manifesta subiungit exempla. Confidentia enim & timores, necnon venerorum concupiscentia, irarum præterea efferuescentia, & amores, reliquæque eiusmodi effrenes animorum affectiones, quoniam validæ sunt & impotentes, cum caliditatibus proculdubio & frigiditatibus fieri animaduertuntur, aut propter abscellum, vt diximus, & constipationem spirituum cum sanguine, vt in timoribus: aut eorundem diffusionem & dilatationem, vt in alijs est videre. Dicit autem quod illorum quædam cum caliditate aut frigiditate sunt secundum aliquam corporis partem: nonnulla vero in vniuerso sunt corpore. Venerorum enim appetitio (verbi causa) tum ex temperata iocineris fit caliditate, tum ex placida spiritu ad feminalia vasa transmigratio & deriuatio, à quibus excafactæ turgescunt venæ, & penis erigitur. In confidentijs autem, & vehementibus timoribus, irarumque excandescentijs cum cor ipsum, tum vniuersum animalis corpus aut efferuescit, aut contra hebescit & alget.

Vnde vetero
rū appetitio.

Memoria autem & spes tãquam simulacris vtentes ijs ipsis alijs quidem minus, alijs vero magis, eorū sunt causæ. Quapropter recta ratione constructa sunt quæ intrinsecus iacent, & ad initia instrumentalium partium, vt comutentur, & ex compactis mollia fiant, & ex mollibus compacta, & ex se vicissim cum leuia, tum aspera.

Quod facere retro dixerat cum sensus & imaginationes, tum cogitationes ipsas mediatis caliditatibus & frigiditatibus quibusdam in operabili rerum genere, quas vel conseruando vel ab illis fugiendo mouetur animal: istuc ipsum in hoc textu effici dicit philosophus à memoria ipsarum, & a spe. Est autem memoria conseruatio & veluti thesaurus quidam rei alicuius sub ratione prius comprehensæ: spes vero expectatio quædam est futuri cuiuspiam boni. Vt igitur memorantes delectabilis cuiusdam rei, speciem illius habemus, & illam pertractando renouamus: apprehensa autem species (vt retro dictum est) & intellecta & cogitata, alterandi habet vim: ita diffundimur sanè & gaudemus, transmissisq; per vniuersum corpus spiritibus cum sanguinis copia calefacimus. Cuius oppositum nimirum contrarijs de causis in contraria nobis contingit actione, cum scilicet tristificorum formidolosorumque reseruatæ species memoria retractamus: similiq; modo in spe fieri verisimile est. Cogitatio enim futuri boni cum corpus manifeste alterat, tum animales diffundit spiritus, vniuersumque corpus temperato calore permulcet, adeo vt in malis etiam constituti homines illorum interdum nullum vel exiguum habeant sensum. Vnde illud,

Memoria,
Spes.

Tibialis.

Spes etiam valida solatur compede vincitum.

Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

Timor.

Cuius contrarium in timore, qui futuri anxia est expectatio mali, ob contrarias fieri causas est necesse. Ambo enim hæc, inquit philosophus, memoria videlicet & spes vtuntur ijs ipsis, scilicet delectabili & tristifico, vt simulacris quibusdam & imaginibus reseruatæ & insignitis circa primum sensiterium. Quamobrem corpus alterant, caliditatesq; & frigiditates efficiunt, cum maiores, tum vero minores: vt scilicet recipientis dispositio ad impressionem fuerit aptior, aut inepta magis. Melancholici enim (verbi causa) ad timorem quidem sunt propensiores, ad spem vero ineptiores, & idcirco magis & sepius frigent quam calefant. Contra sanguinei bonæ sunt semper spei, minusque timent, & idcirco contrario illis alterantur modo. Subiungit postmodum Aristoteles rationabiliter naturam ipsam & proinde interna animalium affabre fecisse & architectatam esse, ea scilicet quæ ad organicarum partium principia pertinent. Principia hoc appellans in loco neruos ipsos & musculos: partes vero organicas, id est instrumentales, pedes verbi gratia & manus, cæteraque eiusmodi membra. Horum enim principiorum natura habilis est & apta vt contraria quædam secundum temporis exigentiam vicissim in se reperire valeant. Nam modo duri sunt & compacti, & tanquam sicci nerui & musculi: interdum autem iidem ipsi molles sunt & diffuètes, caliditatibus scilicet & frigiditatibus à visu vel ima-

ginatione, vel cogitatione, necnon memoria & spe rerum cum tristium, tum iucundarum alterati & transmutati: qui postea ministerium præstant & obsequium organicis animalium partibus, à vi illa ducti siue potestate quam *ὄρμητικὴν* appellant græci, nos impulsoriam siue appetitiuā dicere possumus animæ potestatem.

QVæ cum hoc cōtingant modo, & cum actiuum & patibile talem habeant naturam, qualem sæpe diximus, quando certe contigerit, vt aliud quidem patibile sit, aliud vero actiuum, neutriq; desit aliquid quod ad eorum definitionem requiratur, confestim aliud quidē agit, aliud vero patitur. Quamobrem simul (vt ita dicatur) intelligit quod **10** incedendum est, & incedit, nisi quippiam obstiterit. Et organicas quidem partes conuenienter affectiones præparant: appetitio autem affectiones: porrò appetitionem imaginatio. Hæc autem vel cogitatione, vel sensu efficitur. Simul vero & celeriter, quoniam patibile & actiuum eorum de numero sunt quæ ad se inuicem mutuam habent naturam.

HOc in textu declarare aggreditur philosophus quomodo diuersis cōcurrentibus causis ipsum mouetur animal: vbi etiam obiter eiusmodi ordinem assignare videtur causarum. Dicit autē à principio statim literæ. Quæ cum hoc contingant modo, id est huiusmodi præuijs caliditatibus & frigiditatibus, similiter principijs illis permutatis, ex humidis videlicet ad sicca, vel contrario modo, & reliqua quæ retro dixerat, patientibus: actiuo præterea & patibili talem habentibus naturam, vt hoc quidem agat, illud vero patiatur, ita q; nihil vtriq; desit eorum quæ ad definitionē concurrunt, & quod quid erat esse, id est ad formam illorum. Si enim quippiam deficeret, manca profecto esset & mutila, neque illorum alterum vere actiuum, alterum autem vere patibile diceretur aut esset: ijs inquam hoc contingētibus modo, si quando acciderit vt eiusmodi ad se inuicem applicentur, alterum quidem confestim agit vt natum est agere: alterum vero patitur. Quamobrem simul (vt ita dicam) quispiam intelligit & cogitat sibi esse incedendum, & statim incedit, nisi fortasse obstiterit quippiam. Ab appetitu enim (verbi causa) tales efficiuntur affectiones, quibus commotis spiritus sanè mouentur, à quibus nerui & musculi commouentur, à quibus postremo ipsum mouetur animal. Quæ omnia simul, inquit, fieri videntur, quoniam actiui & patibilis natura ex illorū est numero quæ **20** sunt ad aliquid, quæ cum id ipsum quod sunt, ad alterum sunt, tum posita se ponunt, & perempta se inuicem interimunt. Quo in loco animaduertendum est illud confestim siue simul non proprie & exactissime accipi, vt vera correlatiuorum exposcit natura (non enim inter istas motiones ordinem poneret secundum prius & posterius, quem hoc declarat in textu) sed imperceptibile quiddā & momentaneum significare tempus. quod aduertens philosophus hic illud moderatur cōfestim siue simul per interiectam parenthesin illam scilicet, vt ita dicatur. quod alioquin ex illius etiam clarum est verbis. Simul enim, inquit, intelligit q; incedendū est, & incedit. Prius enim intelligit, & postea incedit. Subiungit postmodum philosophus breuiter admodum & concise causarum ipsarū ordinem in animalium motionibus, ab extremis ascendens ad primas, dicens q; organicas quidem partes, verbi causa manus & pedes, conuenienter & commode præparant ad motū affectiones ipsæ siue passiones, quales sunt caliditates & frigiditates, & omnino alterationes, neruorum inquam & musculorū: affectiones autem istas & passiones ipsæ commouent appetitiones. Porrò appetitiones ab imaginationibus mouentur, eæ autem vel intellectu & cogitatione, vel sensu nimirum suscitari videntur. Ab **40** vltimis igitur causis hoc in progressu ad primas ascendimus, quem sanè præsens recēset textus. Descendendo autem hoc proceditur modo. Sensus siue intellectio imaginationem mouent: imaginatio vero ipsum appetitum: porrò appetitus commotus & excitus passiones siue affectiones suscitatur & mouet: eæ autē neruorum habilem cum ad laxandum, tum ad contrahendum naturam, pro sui exigentia commouent: qui postea moti organicas inuicem commouent partes, & postea mouetur animal, aut secundum aliquas sui (vt dictum est) partes, aut secundū vniuersum corpus: verbi gratia, vt istuc etiam exemplo designemus: cuiuspiam aliud agentis imaginationem subitus puellæ conspectus cū qua ante consueuerat, excitat, iucundæq; illum admonet consuetudinis. Imaginatio vero commota **50** vegetum confestim suscitatur appetitum, qui postea spiritus cum sanguine iucundo quodam motu placidoq; calore per totum corpus diffundit: ij autem geniali deriuantes lapsu, neruorūq; & musculorū petentes naturam, illāq; ex crescere & diffundi facientes, illorum commotione cū membra hominis illius excitant quædam, tum illum ad explendam animi libidinem inflammant, & loco etiam commouent: vt nō immerito mehercule priori commotarum machinarum exemplo vsus fuisse videatur

A Actū & patibile ex numero eorum quæ sunt ad aliquid.

Causarū ordo in motionibus.

Aristoteles, quando ut in illis à fabro (verbi causa) illarum & architecto primo motionis dato initio, vertebra postea vertebrā continenter mouet, vltimaq; ab illis simulacrorum excita fit præteruectio: ita in animalium genere à sensu vel intellectu motionum exorto principio intrinsecis commotis causis, seque inuicem mouentibus, varij postmodum extrinsecus cum partium ipsarum, tum vniuersi etiam corporis visuntur motus.

Primum autem mouens animal in aliquo esse principio necesse est. Quod autem flexus alterius quidem initium est, alterius vero finis: iam dictum est. Quamobrem cōtingit quidem ut vno, contingit autem ut duobus naturam illo uti. Cum enim alicunde mouetur, aliud quidem extremorum punctorum quiescere, aliud vero moueri necesse est, quando quidem quod ad quiescens quippiam inniti debeat motor, dictum est prius. Mouetur igitur & non mouet extrema brachij pars. eius autem qui in cubito est flexus, hoc quidem mouetur quod sanè in toto est commoto: necesse autem est etiam non motū esse quiddam, quod sanè dicimus potestate quidem vnum esse punctum, actu autem duo fieri. Quamobrem si animal esset brachium, hic sanè primum animæ esset mouens.

Cum retro determinatum sit à philosopho primum instrumentaliter mouens à principali mouente excitari & commoueri, hoc in textu inuestigandum proponitur vbi nam istud reperitur primum principaliter mouens. Quod enim primū mouens animal in aliquo esse corporis principio necesse sit, cum facilè concedunt omnes, tum ipsa etiam dictare videtur ratio. Virtus namq; in corpore est, quam simul cum primo moto corporeo esse summa est necessitas. Mouens enim & motū proxima & iuncta esse oportet. Alicubi igitur primum mouens animal esse nulla est controuersia. Quoniam autem suffragines membrorumq; iuncturæ & flexus principia quædā sunt, ut aliquoties est dictum: ostendere nititur philosophus impossibile esse in aliqua suffraginum flexione primū mouens esse: verum in tali principio necessario reperiri primum mouens animal, quod non est alterius quidem principium, alterius vero finis, sed ipsum per se ipsum existens principium, cuiusmodi esse cordis affirmat essentiam. Demonstratur autem, & multis quidem rationum euidentijs ab Alexandro Aphrodisco in libello qui inscribitur, vbi principalis collocanda sit animæ pars, & primum mouens animal (id autem est appetitiua siue impulsoria animæ vis) in ipso est corde. Id enim sine controuersia animalium est principium, quod cum ratione ipsa, tum ex anatomijs sectionūq; euidentijs clare demonstratur & ostenditur. Hoc autem in loco declarat philosophus & probat quod primum mouens de quo est quæstio, non est in flexibus & membrorum iuncturis, ostensionē concinnans suam in brachio, quod enim in hoc fuerit ostensum, omnibus proculdubio recte quadrare poterit membrorum flexionibus. Inquit igitur se prius dixisse flexus siue suffragines, siue membrorū iuncturas, vnius quidem rei esse principium, alterius vero fines. Quemadmodum enim temporis instans, siue nunc, præteriti est finis temporis, principium vero futuri: ita pars illa manus quam græci καρπὸν vocāt, & est iunctura illa qua manus iungitur & applicatur ipsi brachio, finis quidem ipsius est brachij, principium vero manus. Vtitur autem homo tanquam vnico mēbro, toto scilicet illo quod est ab humero ad manum, quæ sanè id censetur esse membrum, quod ex vola digitorumq; articulis cōstituitur, ut in commentarijs de historia animalium abunde est declaratum. Vtitur autem, ut dictum est, homo toto illo membro ut vnico propter carnis & neruorum continuitatem: ut duobus autem, quoniam commota manu contingit partem illam quam καρπὸν vocant, quiescere. hoc enim demonstratum est retro. Similiq; modo brachio commoto ipsum quiescere cubitum cōtingit. Illud autem, Cum enim alicunde mouetur, valet ac si diceret, quando enim mouetur ex hoc loco ad illum. Quod autem in motionibus non solum ad quiescens exterius quippiam inniti & applicari oporteat ipsum mouens, sed etiam ad aliquid quod huiusmodi est intrinsecus, & in ipsis existens mouentibus, in principio statim huius commentarioli clare fuit ostensum. Quia autem dixerat q; principijs huiusmodi quales sunt suffragines & membrorū iuncturæ, natura ut vno, & ut duobus manifeste vtitur, istuc ipsum reasumit clarius ostendendo. Vltimum enim, inquit, ipsius brachij, id est manus, mouetur quidem, & non mouet, cum non sit principium: flexus autem ille qui in cubiti est suffragine, cum mouetur, tum quiescit & mouet. mouetur quidem cum totum mouetur brachium. illius enim est portio. non mouetur autem, sed quiescit & mouet, cum inferior & ad manum vergens brachij pars illi innisa mouetur. In litera autem ipsa cū dixerit philosophus, Eius autē qui in cubito est flexus, hoc quidem mouetur &c. & subiūgere debuerit,

Vbi primum mouens animal constitui debeat.

Iunctura man⁹ quæ καρπὸν vocant.

illud autem nō mouetur, elocutionis figuram inuertit, dicitque, necesse autem est etiā nō motum esse quiddam. quod idem ad sententiam valet: quæ res aliquoties retro est demonstrata. Id autem dicit esse, quod potestate quidem siue virtute vel potentia est vnum, vt retro est declaratum: actu vero & operatione fit duo, cum eadem pars principium sit & finis: & cū moueatur, tum quiescat. Ex dictis postmodū subdit q̄ si brachiū esset animal, hic, id est in ipso cubiti articulo, animæ principium esset mouēs, cū primū mouens: (vt dictū est) vnū subiecto, & operatione plures esse oporteat.



ET quoniam contingit ad manum quippiam ita se habere inanimē, vt si quis baculum in manu moueret, manifestum sanè est in neutro extremorum consistere animam, neque in extrema rei motæ parte, neque in altero principio. Lignum enim & principium & finem habet ad manum. Itaque hanc ob causam si non inest baculo mouens animæ principium, neque in ipsa manu. Eodem enim se habet modo extremum manus ad ipsius carpi iuncturam, vt hæc ipsa pars ad cubitum. Nihil enim differunt quæ sunt annexa, ab ijs quæ non sunt. Fit nanque vt separabilis pars ipse baculus. Necesse igitur est in nullo esse principio quod alterius est finis: neque si quippiam est aliud illo extremum magis, vt extremi baculi in manu principium: huius autem in carpi iunctura. Quod si neque in manu, quoniam superius adhuc principium, neq̄ certe hic. Adhuc enim quiescente cubito totum mouetur quod infra est continuum.

- 20 **C**vm in calce superioris literæ dixerit Aristoteles sub conditione determinās, q̄ si brachiū esset animal, rationabiliter in cubiti iunctura principium mouentis collocaretur animæ, quod vnum subiecto, multa operatione esse censetur: hoc in textu cōsequenter ostendere intendit q̄ neque in manu, neque in ipso brachio, neq̄ in iuncturarum suffraginūve vlla inflexione primum reperitur mouens. illius autem ratio in brachij manusve persistens similitudine hoc ferè procedit modo: quoniā sicut brachium (verbi causa) se habet ad humerum, siue lacertus ad cubitum, siue manus ipsa ad carpi iuncturā, cōtingit inanime quippiam, verbi gratia baculum eo se habere modo ad manum. Est enim baculus finis quidem manus se tenentis: principium autem sui ipsius, sicut brachium humeri, & lacertus cubiti. Similiterq̄ manus ipsa quæ carpi quidem iuncturæ finis est, principium autem sui ipsius. Hoc autē in loco, vt id etiā obiter recensamus, brachium appello illud quod inter humerum interiacet & cubitum: sicut lacertum id quod à cubito ad carpi extenditur iuncturam, licet pro integro & totali membro ab humero scilicet ad extremam manum vtriusq̄ ijs sæpe vtamur vocabulis. Quoniam igitur cōtingit inanime quippiam, puta baculum, ita se habere ad manum, vt se habet manus & supra dicta membra ad suas suffragines & iuncturas: vis autē animæ motrix neq̄ est in baculo, neq̄ in medio interstitio inter manum & baculum: nō igitur, eadem ratione, in carpi erit iunctura, neq̄ in ipso cubito: neq̄ etiam in ipso qui cubitum superstat humero, sicut neq̄ in manu, neq̄ in lacerto, neque in brachio: ad summam, in nulla etiam alia parte, quæ huius quidem est principium, alterius vero finis. Nam cur in hac magis inflexione sit quàm in illa, nulla sanè subest causa, cum in omnibus iuncturarum articulis & inflexionibus principium consideretur & finis. Et hæc quidem (vt arbitror) totius literæ compendiaria est sententia: partialiter autem cum dicitur, manifestū sanè est in neutro extremorum & c. per extrema intelligit manum & baculum: & per id quod mouetur extremū, ipsum baculum: per alterum autem principium intelligit manum. Lignum autem dicit habere principium & finem ad ipsam manum, quoniam, vt diximus, baculus finis quidem est manus se tenētis, & principium sui ipsius. Quamobrem, inquit, si non est in baculo mouens animæ principium, qui scilicet est principium vnius, & finis alterius, eandem ob causam neq̄ erit in ipsa manu, quæ se habet ad carpi iuncturā, vt se habet baculus ad ipsam: & quæ eodem modo sicut baculus, finis & principium esse censetur. Pariq̄ rationis modo neq̄ in lacerto erit vis animæ primo mouēs, quia cū ipsa carpi iunctura (id enim signat litera) hæc ipsa pars se habet ad cubitum sicut baculus ad manum, & manus ad carpi iuncturam. Post quæ dicta tacitæ occurrit instatiæ philosophus quæ hoc in loco à quopiam adduci possit similitudinē adductā infirmare contendente, cum baculus quidē nulla manus sit portio, manus autē & carpi iunctura & cubitus ipsius sint partes brachij. Dicit enim nihil referre hoc in loco, & in hoc casu ponere baculum quidem vt remouibilem (vt ita dicam) manus partem, reliqua autem illa esse anatas brachij partes, quæ remoueri & abduci per naturam nequeunt. Procedit enim similitudo, & clarā ostensionem habet ratio. Principale post hæc concludit intētum philosophus, q̄ in nullo scilicet

Brachium.
Lacertus.
Manus.

principium animæ primo mouens reperitur, quod alterius quidem sit finis, alterius autem rei principium, ut ostensum est tum carpi esse iuncturam, tum ipsum cubitum: neque si quippiam aliud, inquit, magis fuerit extimum. vocans extrema illa quæ sequuntur, & superiora existunt, sicut est humerus videlicet respectu carpi iuncturæ, & ipsius cubiti. Illud vero, Quod si neque in manu, quoniã superius adhuc principium, neque certe hic: id designare videtur, si virtus mouens baculum non est in manu, sed ulterius, cum ipsa manus terminetur ad carpi iuncturam, pari ratione neque hic est, id est in carpi iunctura, sed ultra etiam erit. nam ipsa carpi iunctura cum lacerto scilicet ad cubitum terminatur: eodẽque rationis modo neque primum mouens in cubito collocabitur propter superiora scilicet brachium & humerum. Illud autem, Adhuc enim quiescente cubito &c. ostensuum est quod neque in manu neque in carpi iunctura vis est animæ primo mouens, quando virtute existente in cubito & quiescente, lacertus & manus commoueri possunt. Appellat autem quod infra est, ea quæ cubito sunt coniuncta, cum lacerto, tum carpi iuncturam, necnon ipsam manum.



Quoniam autem eodem se habet modo cum à dextris, tum à sinistris, & simul per contraria mouetur, ut non eo quod quiescat dextrum, moueatur sinistrum: neque rursus quia hoc, illud: semper autem in superiori vtrorumque est principium: necesse profecto est in medio mouentis esse principium animæ. Vtrorumque enim extremorum medium est vltimum. Simili autem se habet modo hoc ad supernas infernasque motiones, ut eas quæ sunt à capite, ijs quæ sunt à spina, in illis quæ habent spinam.

Posteaquam retro (ut vidimus) abunde satis declarauit Aristoteles vim animæ primo mouentẽ in illis haudquãquam collocari animalium partibus quæ cum principia, tum fines aliarum esse animaduertuntur, quales sunt iuncturæ omnes, suffraginumque & articulorum inflexus: hoc in loco ingeniosissime inuestigat, & manifeste mehercule demonstrat peculiarem & certum locum & sedem in qua virtus animæ motrix collocari & cõstitui debeat, quod ipsum esse affirmat cor. id enim viscus in animalibus medium sanè obtinet locum, & cum ad dexteris sinistrasque illorum partes, tum ad supernas & infernas, necnon ad anteriores & posteriores opportunam sanè & commodam habere percipitur posituræ collocationem. Neque hoc ab re mehercule. nam ut arx in vrbe est medio constituta, regisque domicilium eo censetur in loco: ita principium & dux vitæ cor medium corporis obtinet locum: & cum ad illud omnes extrinseci deueniant & deriuent motus, & internæ ab illo originẽ habeant motiones, non immerito omnium esse motuum principium, siue principij ipsius sedem esse existimandum, non alio sanè similitudinis modo, quàm in bene constituto exercitu dux & imperator, ad quem cum omnes externorum perueniunt nuncij, tum ab eodem etiam extrinsecus omnia quæ ad exercitum spectant emanant opera. Quam sanè rem Alexander Aphrodiseus in libello qui inscribitur, Vbinam reponendum sit principium (de quo retro mentionem fecimus) non minus scite & diligenter, quàm clare & eleganter memoriæ prodidit. omnia enim ferè eo in commentario vir ille collegit quæ sparsim hac de re pluribus in locis ab Aristotele fuere conscripta: vbi etiam appetitum & impulsoriam vim prima motionum principia in corde collocari affirmat. Organa quinetiam ad mouendũ animal apta, neruorum videlicet & musculorum naturam, à corde originem habere manifestissimã, ex sectionũ rationibus clare adeo demonstrat, ut id ipsum sub oculis planè ponere videatur. Porro cum illis medijs motrix animæ vis corpus agitet & cõmoueat, in corde illã collocari, vero (ut aiunt) verius esse recta dicitur ratio. Qua in re etiã omnis ferè philosophorũ omnium cum Aristotele cõsentit chorus. Cuius sanè mēbri dignitati & excellētiæ quicquid breuiter collegimus, & à literæ cõtextu digressi difertauimus, id certe totũ adscribi debere cõsemus. Ad literę igitur seriem reuertamur. Quoniã, inquit, simili se habet modo cū à dextris, tū à sinistris, supplendũ, ipsum scilicet principium in quo virtus animæ primo mouens collocatur. Eodẽ autẽ se habet modo, quoniã ab ipso corde cum motus procedunt ad dexteris & sinistras corporis partes, tū ad ipsum à dextris & sinistris perueniunt & applicant motus: eodem igitur se habet modo à dextris & à sinistris ipsum cordis principium. additque postmodũ aliam connexi partem philosophus dicens: & simul per contraria mouetur, animal videlicet. contraria enim appellat dextra & sinistra: quod statim declarat, & insuper quid per illud simul intelligi velit, manifestat, cum scilicet vtræque illæ mouentur partes, & non eo quod dextrum (verbi causa) quiescit, mouetur sinistrum: aut contrã quoniam sinistrum quiescit, mouetur dextrum: quod signat illud, neque rursus quia hoc, illud. Principium autem est superius & prius. Dicitur enim in illis sanè partibus non collocari principium, quæ initia quidem aliarum sunt partium, fines autem aliarum: quales certe sint suffragines & iuncturæ, sed semper ultra illas. Cum hæc sic ut dictum est se habeant, necesse est mouentis animæ principium in medio corporis collocari, in ipso videlicet corde. Vtrorumque enim,

Principiũ vitæ cor mediũ in animalibus obtinet locũ.

Alexander Aphrodiseus.

Motrix animæ vis in corde.

id est dextrorū & sinistrorū, vltimum & finis & veluti centrū ipsum est medium. ad ipsum enim per-
tingunt tanquam ad centrum suum cum dextræ & sinistrae corporis partes, tum superiores & infe-
riores, necnon anteriores & posteriores. Dicitur autē vltimum ipsum medium ad extrema singula cō-
paratum, vt omnium vere est medium extremorum simul sumptorū. Et profecto magna & excellēs
est medij ipsius virtus & potestas. Quod enim in partib⁹ corporis reperiatur distinctiones, vt eę qui-
dem sint dextræ, illæ vero sinistrae, similique modo de supernis & infernis, & de anterioribus & po-
sterioribus: à medij sanè natura procedere videtur. Nisi enim inter huiusmodi reperiretur partes dif-
terminans & separans medium, neq; peculiare haberent eæ inter se nomen, neq; disterminationem:
quãobrē recte mehercule in medio animæ vis ponitur mouens, cum sex solum sint differentiae recti
10 motus à quibus supradictæ denominantur partes. Et alioquin cū in omni motione mouēs coniunctū
esse requiratur rei motæ, partesq; illæ ad medium, vt diximus, ceu ad centrum concurrant, in medio
sanè motricem animæ potestatem collocari certissimum esse potest: & idcirco subiungit qd non solū
oportet id respectu dextrarum & sinistrarum intelligi partium, sed infernarum etiam & supernarum
partium respectu: quas sanè significare volens, eas dixit motiones quæ sunt à capite, ijs quæ sunt à spi-
na: per motus qui sunt à capite, innuens (vt arbitror) supernarum partium motionem: quæ sanè par-
tes ad caput vergere videntur, qualia sunt in homine brachia, & anteriores in quadrupedum genere
pedes. per eos autem motus qui sunt à spina, infernarum partium motiones designans, vt pedum vi-
delicet in homine, & in quadrupedū genere crurum posteriorum: quæ sanè partes ab ima videtur spi-
na suam habere originem. Nec me præterit hoc in loco, in hominum specie tam brachia quàm crura
20 ortum a spina habere, vt in quadrupedibus, cū tam anteriora q̄ posteri ora illorum crura dorsi spinæ
sint agnata. hoc enim in commētarijs de animalium partibus est ostensum. Verum in præsentia non
id quæritur: nulla est enim hac de re controuersia, sed partium (vt arbitror) supernarum & infernarū
per caput & spinam differentia cōsignatur. Hæc mihi dum ista commētarer in mentem veniebāt.
Verum si qua posthac melior huius literæ apparuerit sententia, illi certe fauebimus.

Medium vlti-
mū dicitur ad
extrema com-
paratum sine
gula.

ET profecto recta hoc accidit ratione. sensitium etenim hic esse
asserimus: idcirco alterato per sensum loco qui circa principia-
um est, & immutato, continuæ simul cum extensæ, tum con-
tractæ transmutantur partes, vt necessario hanc ob causam in animalibus
eueniat motus.

30 **A**lia etiam euidentiori ratione hoc probat in loco Aristoteles vim animæ primo mouentem in
medio animalium corpore collocari, id est in ipso corde, vel certe re cordi proportionem respō-
dente. Ratio autē hoc procedere videtur modo. Vbi sensitua animæ collocatur vis, ibi procul-
dubio cōstitui locariq; debent cū appetitiua tum impulsoria illius potestates, quæ sine controuersia
sensitiuam illius cōsequuntur potentiā. Verū sensitium in ipso animalis collocatur corde: quod cū
ab Aristotele plerisq; in locis est declaratū, tum à legitimo illius interprete Alexandro Aphrodiseo
in cōmētario supra enarrato, cuius inscriptio est, Vbi reponendum sit principale, clarissime est demō-
stratum. In corde igitur cū appetitio, tū impulsoria animæ vis sunt collocatæ. eę autē vires omnium
sunt principia motionum, vt retro est declaratū. Primū igitur mouens in animalium medio, id est ipso
corde rationabiliter collocatur. Neq; hoc immerito mehercule. Quoniā enim motus omnes propter
40 alterationes quasdam à sensibus effectas (vt dictum est) fieri censentur, idcirco ibi primū reperitur
& constituitur sensitium. primum etiam motuum collocari verisimile est. Et hætenus ad literæ
ipsius sensum sit dictum: ad verba autē vbi dicitur, Sensitiuū etenim hic esse asserimus. per illud hic
intelligitur medium, scilicet ipsum cor. quasi dicat, in corde illud esse affirmamus. Quamobrem, in-
quit, alterato per sensum loco qui circa principium est, id est sensibus vel imaginationibus aut cogi-
tationibus præuijs, commotis & alteratis cordis spiritibus, & appetitu suscitato & excito, interueniē-
tibus caliditatibus & frigiditatibus quibusdam, partes sanè illi continuæ, id est nerui & musculorum
initia simul alterantur, & qualis rei est affectio & passio, cum laxantur & molles fiunt simulq; auge-
scunt, tum tenduntur & contractæ minuuntur & durescunt: quæ cū ad mēbra perueniant organica,
vt animalia postmodum moueantur necessariae profecto sunt causæ.

50 **M**Ediam autem corporis partem potestate quidē vnam, actu ve-
ro plura effici necesse est. Simul etenim mouentur à principio
membra, & altero quiescente mouetur alterum: verbi gratia in
ABC ipsum B mouetur, mouet autem A. sed profecto aliquid quiesce-
re oportet si aliud quidem debet moueri, aliud vero mouere. Vnum igitur


tur potestate existens A, actu sanè duo erit. Quamobrem non esse punctum, sed magnitudinem quandam necesse est.

Posteaquam declarauit Aristoteles (vt retro visum est) vim primo animalium motricem in illorum esse medio, id est in ipsa cordis substãtia collocari, & ab illa postmodum per omne corpus diffundi, naturam principij istius & medij hoc in loco inuestigare contendit: vbi planè demonstrat q̄ potestate quidè vnũ, actu autè & opere plura illud necesse est esse mediũ, necnon q̄ magnitudinè quandã necessario id oportet habere principiũ, neq̄ omnino esse indiuiduũ vt punctũ. Siue enim simul mouètur cõtraria ab ipso principio mēbra, verbi gratia dextræ simul & sinistrae mouètur partes: siue quiescentibus dextris mouètur sinistrae, aut cõtrà his quiescētib⁹ moueantur illæ, cū in omni motione (vt ostēsum est retro) quiescens quippiã necesse sit reperiri ad quod appellēs & applicās motor mouere possit: & alioquin mouens hoc de quo verba facimus, cõiunctũ & tangens (vt aliquoties dixim⁹) cū laxans, tũ contrahens moueat, & corporeũ certe illud esse, & vnũ potestate, duo vero operatione & actu, summa est necessitas. De motore enim corporeo, qui sanè motus mouet, verba hic Aristoteles facit, & non de motore illo qui per seipsum non motus aliud mouere censetur, qualis anima esse dicitur: & idcirco philosophi ratio hoc in loco procedit de motore partes & molem habente. Mediam autem istam corporis partem (vt retro diximus) voluit esse in animalium genere cor Aristoteles, siue animalem spiritum, qui in corde collocatur, à quo quiescentibus vicissim & commotis cum dextris, tum sinistris cordis particulis, ipsum nimirum moueri censetur animal. Extenso enim & expanso verbi causa spiritu qui in dextro cordis est ventriculo, secumq̄ simul trahente & extendente neruum aut neruulos qui eo loci sunt, simul extendi & commoueri cordis portionem illam est necesse. A corde enim, vt omnes cum physici tum medici affirmant, & nerui & venæ omnes originem habere censentur. Dextra autem cordis portiuncula commota cum spiritu & neruis ibi degentibus, non est necesse sinistram illius partem & spiritum in illa existentem commoueri: imò contingit saepius dextris (vt diximus) commotis partibus sinistras quiescere, & cõtrà sinistris commotis quiescere dextras partes cum spiritu & neruis ibi repertis. Et hoc certe est quod in textu dicit Aristoteles, Et altero quiescente mouetur alterum. Neq̄ hoc quispiam in loco merito conturbari debet si idem mediũ, id est cor, & eũdem spiritũ moueri & quiescere diximus, quoniam nihil prohibet per alias & alias partes id illis accidere posse. Licet enim continua sint eiusmodi corpora, hoc certe illis cõtingere posse non est inficiandum: quod vel hoc exemplo liquidò nobis clarere potest. Si quis enim in stantes aliqua in fouea aquas manum immergat suam, partem quidem illarum motã videbit, quam scilicet manus dimouit: partes autem alias incommotas & stantes animaduertet. Si igitur hoc res se habet modo, vt verisimile est, primis corporeus motor, cordis videlicet spiritus, dextris (verbi causa) stantibus partibus, illis se applicans & innisus mouet sinistras, & contrà sinistris quiescentibus illis applicitus mouet dextras, simili profecto modo (vt posthac dicit Aristoteles) ijs qui dorso quidem firmant & stabiliunt ad se inuicem, crura autem commouent. Quemadmodum enim brachium innisum cubito tanquam ad manens & quiescens quiddam, commouetur: ita profecto verisimile est, imò necessariũ, sinistrum cordis & spiritus inniti ad dextrum veluti ad quiescens quiddam vt mouere possit, & rursum hoc ad illud. Ista autem (vt retro est ostensum) omnia ab anima mouentur ipsa, sensibus & appetitionibus, necnõ imaginationibus & cogitationibus quibusdã intercedētibus & præuijs. Motis autè dextris aut sinistris ipsius medij partibus eo vt dictũ est modo, neruos in illis existentes moueri, & illis medijs animaliu etiam mēbra excitari summa est necessitas. Non ab re igitur ab Aristotele hoc in textu vnũ potestate mediũ, actu autè & operatione plura esse cõsetur. Namq̄ cor, siue cordis spiritus (nihil enim refert vtrũ accipias. quodcunq̄ enim ceperis, idè sanè capies) vnũ quidè potentia & subiecto, actu vero duo, cum in quiete, tũ in motu existit. Verum de ijs hæcenus, & hæc de re isthæc prælibata sufficiant. Ad literæ igitur explicationem reuertamur. Cũ à principio statim ipsius textus Aristoteles dixerit q̄ mediũ illud quod est motionis principiũ, vnũ est potestate, actu vero plura: huius sanè rei breuiter admodum causam subiungit dicens, simul etenim à principio mouentur membra. quod certe patet ex ijs quæ retro prælibauimus. siue enim simul dextræ & sinistrae moueantur partes, siue vicissim id accidere percipiatur, cum primus motor coniunctus moueat, molemq̄ corporis habeat, necesse sanè est vt hoc quidè illius moueat, illud vero quiescat vt mouere possit. Quòd enim nullus eius notæ motor mouere possit nisi ad quippiã appellat & applicet manēs, ostēsum est retro. Huius autè rei physica non cõtentus ostensione philosophus (vt sui moris est, & plerũq̄ facere solet) ad mathematicã se conuertit demonstrationem, & per elementorum descriptionẽ id ipsum ostendere conatur, sic, verbi gratia in A B C. & C. quod nos sic explicemus. per tria enim illa elemēta intelligamus cordis spiritũ vniuersum, qui cū corporeus est (vt diximus) tũ distinctas & separatas habet partes. per ipsum autem A C intelligi volumus partem spiritus mouentem, & immotæ applicatam partem, videlicet ipsi C. per ipsum autem B, partẽ spiritus motã, verbi causa spiritũ & neruos in sinistro cordis ventriculo existentes. innisum autem & applicatum ipsum C, id est partem spiritus manenti & immotæ, spiritui videlicet qui in dextro cordis est ventriculo quiescenti, necesse est (vt diximus)

Nihil prohibere parte alicuius mota reliquis quas quiescere.

corporeum motorē, si quippiam mouere debeat, ad aliud quiddam extra se appellere quiescens & im motum. Cum autem differat pars quiescens cordis siue spiritus à parte mota: non ab re ipsum A B C potestate quidē vnum erit, id est subiecto: actu vero & operatione plura. Duo enim sunt quiescens & motum. Quamobrem recta consequutionis necessitate statim subiūgit philosophus quòd necesse est huiusmodi medium & principium non esse punctum, id est indiuiduum quiddā, & omni carens parte, sed magnitudinem oportet habere quandam, quasi dicat, necesse est hūc primum motorem de quo in præsentia disertamus, non esse animam. Si enim partes habet cum mouentes, tū motas: anima autem corpore caret, & indiuidua est: non vtiq; is motor erit anima. Non igitur erit species & forma quæ omni caret magnitudine, sed subiectum quiddam, & materiale corpus.

Quod primū
mouēs cor por
reum necessa
rio molem ha
beat.

10  Erumenimvero cōtingit C simul cū B moueri, quāobrē vtraque principia quæ sunt in A mota, mouere necesse est. Quidam igitur oportet esse præter hæc aliud quod moueat nō motum. innitentur ergo extrema & principia ad se inuicem in A motorum: vt si qui dorso contra se appellentes moueant crura. Verum quod vtrūque mouet, necesse est esse: & hoc sanè est anima, aliud quidem ab eiusmodi magnitudine existens, in ea autem collocata.

IN præcedenti dixerat textu Aristoteles corporeum animalium motionis principium & vnum esse, & plura, cum simul diuersas & contrarias etiam moueat corporis partes, dextras videlicet & sinistras: & easdem etiam non simul sed vicissim commoueat: principiaq; probauit intentum, vt vidimus, accipiendo illud vicissim mouere contrarias partes, in huiusmodi motionibus dignitatem cōseruans, & ratam faciens illam vbi dicitur omne corporeum mouens ad quiddam applicitum manēs mouere. Principium enim illud dictum est mouere partes sinistras applicitum dextris partibus quiescentibus. Vbi etiam diximus in elementari illa ostensione per A B C vniuersum intelligi debere cordis spiritum, is enim primus est corporeus motor, & per B partem illius motam, sinistrum verbi gratia cordis ventriculum, cum spiritu & neruis in illo degentibus: per C vero partem illius quiescentem, dextrum scilicet cordis ventriculum cum ijs quæ in illo resident, ad quem applicans ipsum A mouet B. Hoc autem in loco id quod primum dixerat, & non ostenderat, declarare & demonstrare aggreditur philosophus. Id autem est quomodo mouens principium contraria simul moueat membra, vt saluetur scilicet dignitas illa quòd mouens manenti cuiquam innisum moueat, & non alio id fiat modo.

30 Quæ res maiorem sanè habere videtur difficultatis faciem in ijs quæ simul cōtrarijs ab eodem principio mouentur motibus, quàm in illis quæ vicissim contrarijs agitantur motionibus. In huiusmodi namque si dextræ mouentur partes, quiescunt sinistræ, ad quas applicans & appellens motor facile mouere potest. Si autem vtræque simul moueantur eæ partes, ad quiddam innisum principium illud moueat, non est in promptu animaduertere. Id autem à philosopho hoc ostēditur in loco. Dicit enim quòd si cōtingat ex ipso A B C mouere quidem A, simul autem moueri B C, id est dextras simul & sinistras cordis partes cum ijs quæ reperiuntur in illis, necesse est vtraque principia quæ sunt in A (per A intelligens A B C, id est vniuersalem cordis spiritum: & per vtraque principia, portiones illius cum dextris, tum sinistris) simul mota mouere, neruos scilicet & musculos, & illis mediantibus dextras postmodum & sinistras animalium partes. Cum autem demonstrata iam & posita necnon accepta sit dignitas illa de stante quodam principio ad omnem motionem requisito: in huiusmodi etiam contrariarū motionibus partium simul factis idem reperiri principium necesse esse dicit, constituique medium certe debere quo motē illæ contrariæ applicant partes, ab vtrisque sanè diuersum, & ratione seugatum, eò videlicet loci vbi illarum est contactus partium. Quam rem exemplo statim declarare & sub oculis ponere contendit: vt si qui, inquit, dorso ad se inuicem appellentes, illo quod in dorso iacet interstitio manente, vtrinque crura commoueant: significare nobis studens per partem illam in dorso medio stantem, vniuersi cordis spiritus medium quoddam veluti cētrum, ad quod cum dextræ, tum sinistræ illius applicant partes, in quo sanè illarum contactu vim animæ motricem collocari non ab re velle videtur: per commota autem vtrinque crura, cum dextris, tum sinistris illius particulas simul à principio illo commotas: vtraq; autem illas partes, id est vniuersum spiritum à vi animæ motrice manifeste moueri dicit, quæ à magnitudine quidem illa, id est à corporeo principio alia est & diuersa, cum sit forma quædam & species: esse autem suum in illa habet magnitudine, cum sit virtus in corpore. Et philosophi quidem sententia hoc in textu, isto (vt arbitror) explicatur modo. In ipsa autē litera B & C vocat principia, id est partes ipsius A B C. Spiritus enim qui in dextro & sinistro cordis existunt ventriculo, partes certe sunt vniuersalis spiritus ipsius cordis. Principia autem easdem appellat partes respectu cum neruorum, tum musculorum & membrorum eiusdem coordinationis ad se pertinentium. Moti enim spiritus sinistri cordis ventriculi, neruos & musculos mouent eiusdem partis, & illis intercedētibus sinistra postmodū animalis membra

Vim animæ
motricē i me
dio cordis spi
ritu collocari.

mouentur. Pariq; rationis modo de spiritibus dextri ventriculi est existimandum. Principia igitur subsequētia merito illæ vocari possunt partes. Omnia autem alia quæ in literæ iacent contextu, ex retro adductis sunt manifesta, quamobrem ad sequentē textus seriem deueniamus.

Per eam igitur rationem quæ causam dicit motus, appetitio medium est quod mouet motum. In animatis autem corporibus aliquid eiusmodi corpus esse oportet. Quod igitur mouetur quidem, nō est autem natum mouere, alienas pati potest vires: ipsum autem mouens potentiam habere quandam & robur necesse est.

Quia retro (vt vidimus) dixerat Aristoteles q; principia illa quæ in medio sunt corporeo, vbi motrix animæ collocatur vis, commota mouere dicuntur, & idcirco peruenire necessarium erat ad aliud quiddam quod non motum moueret, quod animam esse dixerat, siue vim animæ motricem, quæ altera quidem est ab ipsa magnitudine, licet in corporea collocetur mole: idcirco hoc in textu rationabili cōsequutionis adductus ordine philosoph⁹ dicit q; in si huiusmodi formalibus motionum causis reperire contenderimus quippiam quod sit medium, & cum mouens, tum motum existat, vt in corporeis & materialibus causis ipsum comperimus cordis spiritum: id profecto ipsa erit appetitio, quæ mota à sensibus (vt dictum est prius) siue imaginibus siue cogitationibus cor & spiritus in eo existentes mouere censetur. Medium igitur istuc motum mouens in formalibus causis ipsa erit appetitio, licet de illa improprie dicatur motio, localis scilicet, de qua in præsentia verba fiunt. Species enim & formæ sunt immobiles. Abusiue autem & improprie ipsa moueri dicitur appetitio, quoniam excitatur, & tanquam dormiens ab appetibili re expergiscitur. Quæ obrem in eiusmodi causarum genere non discernens philosophus tale medium cum mouēs tum motum recte & proprie reperiri posse, rursus ad materiales motionum reuertitur causas, in quibus id nimirum reperiri conceditur medium: dicitque in animatis corporibus corpus quoddam necessario reperiri huiusmodi, qualem nos retro diximus animalē cordis esse spiritū: ipseque paulopost euidentissimis confirmabit rationib⁹. Distinctionē postmodū subdit manifestissimā inter id quod solummodo mouetur, cū ipsum nihil moueat, & illud quod motū aliud mouet. Vtrūq; autem de corpulentis intelligit motoribus, de quibus sanè hoc in loco verba facit. Nanq; id, inquit, quod solum mouetur, & mouere quippiam non est natum, patiendi ab alio naturam quandam habere censendum est. Ipsum autem mouens motum, potentiam habere quandam & robur quibus mouere possit, est necesse. In literæ autem ipsius principio vbi dicitur, Per eam igitur rationem quæ causam dicit motus: per causam, formalem intelligere debemus causam, qualis est appetitio. nam cor & spiritus cum sint corpulenta, cum efficientes, tum materiales motionum sunt causæ. Reliqua autem omnia textus verba ex prædictis sanè sunt manifesta.

In formalibus
causis mediū
mouēs motū
ipsam esse ap-
petitionem.

Cor & spirit⁹
cū efficientes
tū materiales
motus esse
causas.

Omnia autem videntur animalia cum spiritū habere connatum, tum ab illo robur capere. Quæ autem connati spiritus sit conseruatio, in alijs dictum est locis. Is autem ad animale principium simili se habere videtur modo vt in flexionibus punctum quod mouet & mouetur, ad ipsum immobile. Quoniam autem principium alijs quidem est in corde, alijs vero in parte proportionē respondente: eapropter connatus spiritus eo loci apparet.

Quoniam in superioris literæ calce Aristoteles, vt vidimus, dixit ipsum corporeum mouens necessario potentiam habere quādam & robur quibus intercedentibus mouere possit, consequenter hoc in textu nos docet quodnam & quale sit in animalium corporibus huiusmodi mouens principium: dicitq; id connatum esse spiritum, qui tum animalibus ab initio videtur inesse omnibus, tum robur illis & vires præstare & affatim suggerere & dispensare censetur. Et profecto ita res se habet. Cum enim animæ vehiculum & tanquam sedes ipse sit spiritus, in animatis vtique omnibus reperiri illum summa est necessitas: & cum valens vigenque is existat spiritus, recte sanè se habere ad omnia opera animam animaduertimus: contra tabescente & imbecilli, hebescere illam, & veluti ægrotare conspiciamus. Quamobrem non immerito antiquorum plerique spiritum ipsam esse animam constanter asseuerauerunt: nonnullique animam sanguinem esse dixerūt, quoniā tenuissima & defecatissima illius pars spiritus esse cēsetur. Nā q; vires & robur anima-

Connatus spi-
ritus animæ
vehiculum.

libus suggerant spiritus & subministrent, cum ex ijs animalium generibus clarum esse potest quæ multos & corpulentos habent spiritus cum crassiori sanguinis natura, quales sunt tauri, & equorum mulorumque genus & elephanti, tum ex hoc quod quæcunque opera agentium efflagitant exposcuntque vires, ea proculdubio spiritus contentione, & tanquam nisu quodam & facilius fiunt, & citius sanè expediri conficique animaduertuntur, veluti compressione illa & retentione corroboratis spiritibus, & dissipari prohibitis, valentiores animalibus suggerantur vires. Sed quid ego in ijs adeo exilibus tam multis demoror, cum meridiana sit clarius luce in vniuerso nihil efficacius valentiusque reperiri posse mundo ipsa spiritus natura? Is enim tenuitate sua omnia permeans & disiungens, motusque pernitate nimia cuncta propellens & subruens, cum ventorum procellas efficit & turbines, obstantia quæque sternentium: tum tonitruum fulminumque violentissimos facit impetus: quos humana in terris imitata ratio non ab hinc multos annos tormentorum machinas reperit, quo non aliud sanè perniciosius hominum generi malum, & præsentiosem pestem vlla vnquam vidit ætas. Non ab re igitur (vt eo vnde discessimus redeamus) hoc in loco philosophus à connato spiritu animalibus vires & robur suggeri & dispensari confirmat: de cuius reparatione, consternationisque modo & restauratione à se alijs pertractatum fuisse in locis nunc asserit, significans (vt arbitror) cum illos quos de animalium generatione inscripsit commentarios, tum partialius libellum illum qui de spiritu inscribitur: quem, quod sciam, latinum non habemus: græcum autem non satis integrum correctumque vidimus. Hunc autem spiritum postmodum subiungit ad vim animæ motricem, quam animale appellat principium, eo se habere modo quo in iuncturarum flexionibus se habet punctum id quod tum mouet, tum mouetur, ad immobile signum, ad quod (vt diximus) appellens & innisum mouere censetur. Vt enim huiusmodi punctum & mouet, & mouetur, ab immobilique mouente in se fluentem recipit virtutem: sic connatus animalium spiritus, tum motus ipse à vi animæ motrice, tum alia mouens, neruos scilicet & musculos, totumque denique animal, ab immota illa animæ potestate virtutem recipit qua mouet & mouetur, & à qua primum corporeum mouens & motum sine controuersia esse censeatur. Cum autem spiritus natura per vniuersum animalis diducatur corpus, principalem illius nobis ostendere volens sedem Aristoteles, eo loci constitui & collocari illum dicit, vbi mouens animæ principium residet. Is autem locus in animalium genere perfectorum est cor: in mancis autem & mutilis & omnino imperfectis ea sanè est pars quæ cordi proportionem correspondet. neque hoc immerito, me equidem, quando primum mouens & primum motum simul esse & coniuncta esse oportet, quemadmodum qui primi statim à spiritu mouentur nerui, ab ipso corde spiritus sede & fonte prima originis suæ initia habere animaduertuntur. Est & alia præterea huiusce rei ratio, talis. cū enim naturalis calor fomité sibi in cordis habeat substantia, spiritum ibidem, id est sanguineum vaporem (vt nonnulli asserunt) ex tenuissima sanguinis parte procreari & effici verisimile est, cum illoque postmodum tenuitate sua in vniuersum corpus deriuari & diffundi, efficacique viuientium opera propalare.

Spūs opera.

Tormentorū
machina.Libell⁹ Arist.
de spiritu.

M Trū igitur semper idē sit spiritus, an semper diuersus efficiatur, alius est sermo. Idem de alijs etiā est partibus. Videtur autem percomode se habere vt mouere possit, & robur præstare. Motionum nanque opera sunt impulsus, & tractus: idcirco instrumentū tū augeri, tū cōtrahi posse oportet. Talis autē spiritus est natura. Et eandē ob causam sine vi contracta, cū attractiua, tum impulsoria est: grauitatemque etiam ad ignea, & leuitatem ad contraria habet.

Q Via retro dixerat Aristoteles primum mouens organicum & corporeum, nec minus primū motum in animalium corporibus ipsum esse connatum spiritum, & idcirco perspicacis quispian ingenij excitari posset & quærere vtrum ne vnus & idem spiritus manens per totā animalis perseueret vitam, an alius continuo & diuersus efficiatur, ab huiusmodi in præsentia abstinere se volens disquisitione, dicit alterius esse negotij id velle perscrutari. Ad vniuersales enim de generatione & corruptione commētarios, & ad eos qui peculiarius de animalium generatione sunt inscripti libri, hæc sanè res pertinere videtur. Id tamen obiter hoc dicit in loco, eandem esse rationem censendam hac de re cum ipsius spiritus de quo verba facimus, tum reliquarum quæ in animali sunt partium. Cum enim tam hic quam illæ in iugi versentur materiæ mutatione, & perpeti in fluxu refluxuque semper agitentur, non esse easdem sanè animalium partes per vniuersum vitæ spatium, neque eundem spiritum, verisimile sanè est: quemadmodum ob iuges aquarum defluxus non contingere eundem bis ingredi fluuiū dixerat Heraclitus. nihil tamē obstare videtur & eundē esse continuo spiritū, easdemque in animalibus per omnē vitæ partes restare, si nō ad materiā, sed ad ipsam respiciamus formā, quæ ab initio sanè eadē omnino omne per vitæ spatiū remanet, cui neque accedit quippiā,

Non esse eundē
de spiritū in
vniuersa ani-
malis vita, &
eundem esse
secūdū varios
respectus.

Heraclitus.

p.ij.

neque ab illa aliquid sanè abscedere potest. Verum hac de re haecenus in praesentia sit dictum. Profes-
 quitur igitur Aristoteles organici istius motoris habilem ad mouendum naturam nobis manifeste de-
 clarans, dicitq; illum pulchre se habere & commode vt mouere possit, roburq; & vires alijs praebere
 & ministrare valeat. Quod ostendere aggressus, motionum, inquit, earumq; maxime quae per locum
 sunt, duo prima sunt opera, impulsus & tractus, de quibus in commentarijs de motu cū pulchræ, tum
 constantes & exactæ adductæ fuerunt ostensiones, vbi declaratum est ad eas quae per locum sunt mu-
 tationes, isthæc duo necessario requiri & exposci. Quod cum ita sit, & instrumentalis huiusmodi
 motor, id est connatus spiritus, tum augeri, tum contrahi mirifice possit, commodissimus profecto &
 valde aptus & habilis ad mouendum erit. Excrescens enim occurrētia facile propellet omnia: contra-
 ctus autem nullo negotio contigua sibi & coniuncta trahet, rapiet: ad quæ (vt dictum est) duo loca
 10
 sequitur motio. Ex quibus sanè apparere potest primū hunc organicum motorem, rei à se motæ,
 id est cordi & neruis coniunctum copulatumq; esse oportere. nō aliter enim impulsus & tractus fieri
 recte possunt. id autē fit cū aut rarefcit & dissipatur (vt diximus) aut cum contrahitur, & in seipsum
 coire & recurrere videtur, ex quo cum tenuis & rarus, tum crassior & obesus magis idem efficitur spi-
 ritus. Quamobrem ad ignea, id est ad leuia comparatus corpora, interdū grauitatē habere censetur,
 cum cōpactus scilicet est & condēfatus: cōtrā nōnunq̄ grauiorum respectu & densorū ipsa tenuis ap-
 paret & leuis: & omnino nō per se, sed cōparatione quadā cōnatus spiritus cum grauis est, tum leuis.

Impulsus.
 Tractus.

Cōnatū spiri-
 tū non per se
 sed cōparatio-
 ne graue esse
 & leuem.

Quod autem mouere debet, non per alterationem huiusmodi esse
 oportet. Vincunt enim se inuicem per exuperantiam naturalia
 corpora: leue quidem deorsum à grauiore vi deductum: graue
 20
 vero sursum à leuiore. Qua igitur moueat parte, commota tamen, anima,
 & quam ob causam, dictum est.

Quoniam retro dixerat Aristoteles primum mouens organicum, connatum scilicet animalium
 spiritum, cum grauem, tum leuem esse oportere: hoc in loco id ipsum declarat & ostendit.
 Quod enim mouet, inquit, non per alterationem, sed per lationem videlicet & localem mo-
 tum, illud proculdubio grauitatem & leuitatem habere necesse est. In motu enim altera-
 tionis id non est necessarium. Mouet namq; ignis aquam, illamq; à frigiditate ad caliditatem ducit, nullo
 la per locum mutatione in aqua facta, sed tantummodo illa alterata. & idcirco in huiusmodi muta-
 tionibus grauitatis & leuitatis nulla habetur ratio. calidum autem quod in corde est, tum animalia al-
 terat & afficit, tum per locum illa moueri facit. Cum enim in animalium corporibus suapte natura
 & graues & leues existant partes, quae in se inuicem agant & patiantur, in exuperanti certe excessu
 30
 graue, leue ipsum vi sua deorsum rapit. Quod si excellat leue, cōtrarius planè fit motus. ab illo namq;
 sursum impellitur graue. Verū quoniā spiritus ipse de quo verba facim⁹, cū grauis, tū leuis est: vt gra-
 uis sanè est, leuib⁹ nimirū resistit ipsis, ne in sublime scilicet ab eisdem rapiatur. Vt autem leuis est,
 grauib⁹ certe obstat, ne deorsum illorum nutu violenter detrahatur. In medio igitur non ab re sedē
 cōstituisse & collocasse suam, vero est consentaneū. nam neq; superna petit, quoniam non solummo-
 do est leue: neq; ad inferna delabitur, quoniam non tantummodo est graue. In medio igitur est, imò
 ipsum est medium. In quo autem is est, ibi profecto motricem animæ collocari potestatem verissimi-
 le est. In medio igitur huiusmodi illius esse vim omnis sanè dicitur ratio. Quod autem is connatus
 animalium spiritus cum grauis sit, tum leuis, hinc etiam cuius clarissimum esse potest. constringitur
 40
 enim & coarctatur spiritus, rursusque diffunditur & rarefcit, naturaliter inquam, & non violenter.
 Quod autem istiusmodi mouetur progressibus, sursum & deorsum ferri, & cum graue, tum leue esse
 necesse est. Connatus igitur animalium spiritus & grauis est & leuis: ad cuius certe varios motus, tan-
 quam animati cuiusdam instrumenti ab animæ potestate omnia mouentur animalia. Breui postmo-
 dum & conciso conclusionis modo quae dicta sunt astringit philosophus dicens, quam parte mo-
 ta, id est quo primo corpore moto tanquam medio quodam & instrumento, spiritu videlicet ipso,
 animalium corpora per locū moueat nō mota anima, quamve ob causam, declaratū in superiorib⁹ esse.

Spiritu in me-
 dio collocari,
 & ipsum esse
 medium.

Spiritus natu-
 ra cum graue
 & leue esse.

Existimandum profecto est cōstare animal vt ciuitatem bene
 legibus institutam. In hac etenim postquam semel ordo consti-
 terit, nihil opus est secreto duce quem singulis quae geruntur in-
 50
 teresse oporteat, sed quisque vt mandatum est quod ad se pertinet agit,
 & aliud post aliud cōsuetudine efficitur. In animalibus autem hoc ipsum
 natura efficitur: & quoniam vnumquodque sic constitutorum ad sua exe-

quenda munia natum est, vt nihil opus sit vnicuique animam interesse, sed cum illa in certo corporis consistat principio, alia quidem viuere quia sunt annexa, proprium autem opus efficere per naturam.

Quoniam in superioris literæ calce concludendo dixerat philosophus à vi animæ motrice, quæ animam hic vocat, moueri animalia spiritu commoto qui primū illius & commodissimum ad mouendum est organum: hoc in loco tum huiusmodi rem, illiusque modum, tum peculiarem motricis animæ sedem & locum clarissimo ostendit exemplo, dicens existimandum esse ipsum consistere animal, simileque planè esse ciuitati bene constitutæ & ordinatæ, optimæque positæ legibus viuenti. Quomodo enim in illa licet omnium ciuium ad vnum principem omnia referantur opera tanquam ad caput suum, & à quo emanant proueniuntque omnia, non omnibus tamè principem illum interesse illorum actionibus est necesse, sed opus vnusquisque suum, & id quod ad se pertinet, siue legibus commune factus, siue assuetudine vsuque institutus, strenue & deceter facit, principe alijs vacante rebus, vel in regia sua manente: sic in animalibus ipsis, suapte natura, nullo legum aut consuetudinis instituto, quodcumque membrum, & vnaqueque partium sua agit munia ad quæ natæ sunt, in cordis arce tanquam in peculiari regia motrice manente & residente anima: quæ tamen vt res exposita, virtutem omnibus facultatibus affatim suggerit & dispensat. Quo in loco est sanè animaduertendum per animam intelligi oportere non animæ ipsius essentiam, quæ cum tota in toto, tum in singulis etiam animalium partibus esse censetur tota, vt actus quidam, & substantialis perfectio: verum, vt signauimus, illius vim siue potentiam motricem, cui principalis quædam sine controuersia corporis assignatur pars, animalium scilicet cor, vel id quod ei proportionem respondet, à qua veluti ab originis suæ exordio omnia sanè motionum fluunt initia. In litera autem vbi dicitur alia quidem viuere quia sunt annexa: per viuere intelligendum est vel habere vitam, ita quæ anima in principio illo manente, annata & iunctæ illi animalium partes quoniam annatæ sunt, vitam habere censentur, quæ illis à fonte nimirum vitæ suggeratur: vel per viuere intelligendum est mouere: qui certe sanior hoc in loco videtur esse intellectus. non enim de anima in præsentia loquitur ipsius vitæ dispensatrice, sed de illius virtute motrice (vt aliquoties est declaratum) quæ profecto collocatur in corde, à quo existimandum est annata membra viuere, id est tum moueri, tum alia insuper mouere, vt vnumquodque naturaliter in opus exire suum & id perficere natum est.

Animal ciuitati bene instituta simile.

Vis animæ motrix.

Quoniam igitur modo voluntarijs motibus mouentur animalia, & quas ob causas, dictum est: sed inuoluntarijs etiam quibusdam motionibus quædam mouentur partes: plurimis autem non voluntarijs. Inuoluntarios autem dico motus, vt cordis, & pudendorum. Apparente nanque sæpenumero re aliqua, quanquam mens nihil decernat, mouentur. Non voluntarios vero, vt somnum, & vigiliam, & respirationem, & quicumque alij eius generis sunt motus. Horum enim nullius simpliciter fantasia aut appetitio domina est.

Determinatis & pertractatis causis voluntariorum in animalium genere motuum, consequenti doctrinæ ordinæ Aristoteles causas etiam inuoluntariarum motionum inuestigare contendit: dicitque à principio statim nonnullis inuoluntarijs motionibus ipsa moueri animalia, siue animalium partes quasdam: pluribus autem non voluntarijs. Verum quoniam in hoc textu motiones huiusmodi in animalium corporibus factas, in triplici philosophus constituit differentia, & cum voluntarias eas, tum inuoluntarias, & non voluntarias appellauit, exemplisque insuper omnes determinauit manifestis: animaduertendum esse censeo quod istorum ordo, qui hic non ponitur, ab ipso Ethicorum in commentarijs, quæ Nicomachij inscribuntur, planè traditur, in quibus non voluntarium motum quodammodo medium inter voluntarium & inuoluntarium esse asserit: verbi gratia quando forte de improviso petulans nobis & pulchra astiterit puella: aut pugna cuiusdam tumultus subito fuerit exortus, in qua nobis sit decertandum, in ijs certe temporis constitutionibus partes in nobis quædam inuoluntario excitantur motu. Propter puellam nanque penis excitatur, & impudice batuit: propter pugnam vero cor emicat & concutitur. Verum si quispiam sibi finxerit adesse puellam ætate & forma integra, talique cogitatione excita turgescant pudenda: huiusmodi certe motus non vocabitur inuoluntarius, sed voluntarius potius, quoniam imaginatione & cogitatione præuijs est effectus, quæ, vt retro dictum est, voluntariarum motionum.

Tres motionis in animalibus differentia. Voluntarij motus. Non voluntarij inuoluntarij.

Non voluntarios motus inter voluntarios & inuoluntarios esse merito dicitur.

funt caufae. Non voluntarij autem dicuntur motus (vt inquit hic Aristoteles) cum somnus & vigilia, tum inspiratio & respiratio, caeteraq; eiusdem notae, quae in animalium potestate non existunt. Medij autem inter voluntarios & inuoluntarios huiusmodi censentur esse motus, quonia vt quidem nullus in ijs mentis reperitur assensus, q; dormiendum scilicet est nobis, aut respirandum, inuoluntarijs similes sunt motibus: vt vero ipsorum in nobis sunt caufae & principia, somni videlicet & respirationis, & eiusmodi reliquorum, voluntarijs similes esse censentur motionibus. Et profecto ita res se habet, medijq; per vtrorumq; abnegationem extremorum huiusmodi iure videtur esse motus. Quis enim voluntarium merito appellauerit somnum, aut vigiliam voluntariam, quorum neq; imaginationes neq; cogitationes sunt caufae: neq; sunt etiam inuoluntariae huiusmodi mutationes, quoniam principia & caufas habent in nobis, quibus neq; imaginatio, neq; cogitatio, neq; ipsa etiam ratio refragari possit. Medio autem (vt diximus) se habent modo, & non voluntarij ab Aristotele appellantur motus.



Erunt quoniam alterari animalia naturali alteratione necesse est: partibus autem alteratis alias quidem augescere, alias vero minui, vt iam moueantur & commutentur per mutationes se mutuo sequi natas, caufae autem motionum naturales, necnon ipsi praeter rationem dictarum partium facti motus interueniente sane fiunt alteratione. Cogitatio namq; sane & imaginatio (vt dictum est prius) agentes adducunt affectiones. nam agentium species representant.

Volens nobis Aristoteles inuoluntariorum in animalibus motuum adducere caufas, nonnulloru quae retro de voluntarijs dixerat motibus, in praesentia meminisse videtur. Dicit enim, quoniam alterari animalia naturaliter cum intrinseca, tum extrinseca alteratione est necesse: alteratis autem partibus, id est corde & spiritibus & neruis, necesse est illas tum augeri & excrefcere, tum contrahi & minui, vel caliditatibus (vt dictum est) diffundentibus & dilatantibus, vel frigiditatibus e contrario contrahentibus & compingentibus: hoc autem effectu cum mouere illas, tum moueri per mutationes se inuicem & mutuo sequi natas summa est necessitas: motus enim neruorum & cordis ipsas spiritus sequuntur motiones, vt membrorum postmodum motus, neruorum & cordis procul dubio motiones cosequi censentur: horum autem motuum caufae naturales sunt, id est tum internae, tum externae alterationes: cum haec, inquit, in ipsis voluntarijs nimirum accidant motibus, profecto in illis etiam partibus vbi nullo consensu inuoluntarios fieri quosdam diximus motus, id contingere verisimile est, alterationibus scilicet quibusdam intercedentibus quae partes illas vel excafaciendo vel infrigidando commouere valenter possunt. Conspectus enim (verbi causa) puellae lasciuia vnde quaque spirantis, cordis excitat spiritum, qui commotus cum sanguine, & vniuersum permeans hominis corpus, illud excafacit, & turgescere efficit, partesque maxime genitales, vbi humiditates cum spiritibus sunt plures, cum augescere facit, tum motari & exilire ob caliditatem quae in poris & meatibus illorum augens substantiam laxioris & extensioris receptaculi necessariam efficit indigentiam. Cor autem in subitaneis emicat pauoribus, dissipatis ob frigiditatem spiritibus, inordinatoq; motu eius excitis & conturbatis. In vtroque autem partium supradictarum motu subitanam quamdam intelligere debemus efficientiam, vt inuoluntarij & sint, & merito appellari possint, cum nullus cogitationis aut imaginationis accedat consensus, aut ipsius rationis, quae merito vtrisque cum reserta & excita fuerit, refragari & obsistere potest. Et haec (vt arbitror) Aristotelicae hoc in loco sententiae vera est explicatio, quae a principio statim ipsius textus pendere videtur vsque ad litteram illam vbi dicitur, Necnon ipsi praeter rationem supradictarum partium facti motus interueniente sane fiunt alteratione. quae reditio nimirum esse videtur eorum quae dicta sunt. Subdit postmodum in calce Aristoteles breuib; sane ipsum modum quo voluntarij efficiuntur motus: quam rem (vt vidimus) prolixius retro egit, dicens imaginationem & intellectionem siue cogitationem agentes adducere passiones & affectiones quae virtutem excafaciendi & infrigidandi corporis habent, & consequenter excitandi & mouendi. cum veras agentium species cum fugiendorum, tum expetendorum adducant & representent. qua de re cum retro dixerimus satis, ne acta agamus, non est cur hic prolixiores esse debeamus.

Cur puellae co spectu turgescunt pudenda.

Cur in pauoribus cor emicat.



Id autem praecipue illae declarant partes, quonia vtraq; earum tanquam seiunctum est animal. Cuius sane rei causa est, quia vitale continent humiditate: cor quidem manifestum eam ob causam, q; principia habet sensuum: genitale autem membrum, quoniam huiusmodi est signum.

ex illo etenim tāquam animal quoddam genitalis feminis virtus prodit.


QVoniā de inuoluntarijs motibus retro dixit Aristoteles, illorūq; etiā causas adduxit, illosq; duobus p̄cipue animalū assignauit mēbris, cordi scilicet, & pudēdis: hoc in loco nobis ostēdere aggreditur curnā inter omnes alias animalū partes eā p̄cipue duā huiusmodi inuoluntarios appellatos motus ex sese manifestos faciunt: statimq; causam subiungit dicens, quoniā vtrūq; horum mēbrorū tanq̄ separatū de per se & solitariū est animal. Hoc autem ideo, quia vitalē in se vtrūq; istorū & multā continet humiditatē. Cū enim cor sensitiuā (vt dictum est alibi) in se habeat animæ potestātē: id enim (vt arbitror) signare vult, principia habet sensuū, nō immerito animal quoddā esse existimādū est. Animal enim à nō animali solo differt sensu. Quomodo autē emicet & pulset cor, ipse accuratius dicit circa commētarij calcē qui de iuuentute inscribitur & senectute. Genitale autē membrū vt animal esse censetur quoddā, cū sit signū & veluti imago quēdā animalis. ex ipso nāq; prolifici virtus exit feminis, quod potestate animæ est: vt in commentarijs de animalium generatione ostenditur. Vtraq; autem istarum partium cū vitali abundet & superfluat humiditate, connato videlicet spiritu, qui suapte natura agilis est, & cū mouere, tū moueri aptus & cōmodus: non immerito paruo negotio excitari & agitari potest. Totus autem textus (vt videtur) iste ex Timæo translatus est. illo enim in cōmentario Plato cū de animalium agit partibus, genitale inquit membrū tanquā animal quoddam de per se esse, & cū propriam quādam habere vitam, tū peculiare etiā motū, rationis imperio sæpenumero rebellem: ipsum quinetiā neruofum esse, spiritusq; plenū & sensu: idemq; etiā in foeminis vuluā dicit esse, & coitus libidine plerūq; in illis perniciose cōmoueri, cū p̄focaciones quasdam & strangulatus aliasq; ægritudines ceu iritata excitet & commoueat.

Cor & pudens da tāquā solitaria deperse esse animalia.

Plato in Timæo de vtriūsq; sexus genitalibus.

MOtiones autem principio quidem à partibus, partibus vero à principio ratione accidunt, & ad se inuicem hoc cōtendunt modo. oportet enim intelligere A principium. motiones igitur pro cuiusq; descriptorum elementorum ratione ad principium veniunt: & à principio moto & commutato: quandoquidem potestate est multa: principium quidem B ad B. quod autem est C, ad C. quod vero est vtrorumque, ad vtrumq; à B autem ad C. quod vero ab ipso B ad A pergit, vt ad principium: ab ipso autem A ad C, vt à principio.

HOc in textu Aristoteles quasi conuenientem cōmentarij huius coronidem imponere cupiens, recipros nobis motionum declarat modos, qui tū à principio ad ipsas tendunt partes, tum ab illis ad principium refluere & retroferri censentur: elementariq; rursus demonstratione vtitur illa quam retro adduximus & explicauimus: ad cuius declarationem & ostensionem hac in p̄sentia procedamus via: sit A motionum omniū principium, id est cor, & cordis spiritus: partes autē sint B, c: quæ descripta vocat elementa, quoniā in retro adducta illa descriperat ostensione. per B autē intelligamus dexter cordis & spiritus portiones, per c vero sinistras: quarū profecto motus ad ipsum cor tendunt & spiritū. Simul enim cū illis mouentur, licet à corde eiusq; spiritu cum ad sinistras, tū ad dexter illius partes motus deriuari censeantur. Itaq; verissimum est dicere qd moto principio mouetur partes, & motis partibus mouetur principium. Hoc autem in loco accidere dicit ideo quoniā principium vnum est & multa, vt retro etiam dixit: potestate quidem vnum, operatione vero multa: cum mouens, tum motum. Dexterarum igitur & sinistrarum partium motus ad cor ipsum tēdunt & spiritum: ijs autem motis proculdubio cum dextræ, tum sinistrae mouetur partes: & hoc est quod de horum reciprocaione motuū isto videtur dicere in loco. His autem statim subiūgit philosophus, principium quidem B ad B. quod autem est C, ad C. Quod hunc (vt arbitror) habere videtur intellectum. Cum enim, quasi dicat, non simul mouentur dextræ & sinistrae partes, vt paulo ante diximus, sed vicissim ita, vt dextris quiescentibus moueantur sinistrae, contra manentibus sinistris moueantur dextræ, tum principium ipsius B, id est pars ipsius A vergens ad B, id est ad dexter partes, mouet B, id est dexter partes, supplendum scilicet, innisa sinistris tunc stantibus. Quod autem est C, id est principium ipsius C. id autem est pars ipsius A vergens ad C, id est ad sinistras partes, mouet C, sinistras scilicet partes, innisa dextris partibus. Distum enim est retro A principium non esse punctum, neq; indiuisibile quiddam, sed magnitudinem habere quādā. Subdit postmodū, Quod vero est vtrorumq;, ad vtrūq;. id est, quod est amborū principium, scilicet ipsum totū A, ad ambo videlicet B C tēdit. moto enim principio cū dextræ tū sinistrae simul mouetur partes. In cōsequenti autē litera quæ habet, à B autē ad C, defectiuus sanè videtur esse



fermo, quamobrem supplendum est, vel non amplius. ab ipso enim B ad C, non tendit motus, partis scilicet ad partem. dextræ namq; partes non sunt principium motionis partium sinistrarum: neq; contra sinistræ dextrarum. vel potius est supplendum, à B autem ad C tendit motus: interueniente scilicet & medio ipso A principio: quoniam cum dextrarum partium motus ad ipsum tendat principium, & ab eodē in sinistras deriuat partes, à dextris certe ad sinistras illum tēdere non est vero absolum. Cui sententiæ non nihil suffragari videtur tum illud quod in principio literæ dicitur, q̄ motiones principio quidem à partibus accidunt, partibus autē à principio: & statim additur, & ad se inuicem hoc cōtendunt modo, id est, ad se inuicem tendunt & perueniunt sequestre & medio existente principio: tū id etiam quod statim adducit: Quod vero ab ipso B ad A pergit, vt ad principium: ab ipso autem A ad C, vt à principio. Quod valet ac si diceret, quāuis B tendere dicatur ad C, quia tēdit ad A, quod sanè tēdit ad C, motus tamē isti neq; sunt similes, neque eandem habent denominationem. Motus enim B ad A, est vt ad principium: cum vero retroflectitur inde ad ipsum C, tunc & est & dicitur motus à principio. Et hic mihi visus est dū hęc cōmētaretur hoc in loco sanus esse Aristotelis intellectus: quāobrē haudquaq; (vt arbitror) audiendi sunt illi qui hoc in textu de alterationis motu philosophum verba fecisse dixerūt, cū de motione animalū per locū, vniuersalis in hoc cōmētariolo illius existat intētio.

PRæterea aliās quidem eadem cogitantibus fit motus qui præter rationem est in membris: aliās vero non. In causa autem est quod aliquando quidem patibilis subest materia, aliquādo vero nō tanta, aut nō talis. De partibus quidem singulorum animalū, & de anima: de sensu quinetiā, & memoria, & somno, necnō de cōmuni motu, causas diximus: reliquum est de generatione pertractare.

Quoniam retro dixerat Aristoteles inuoluntarios appellatos motus, qui nullo interdū animalis assensu, & præter rationem fiunt, in duobus præcipue apparere membris, corde scilicet, & pudendis: quoniam ij etiā motus imaginationibus quibusdam & cogitationibus præiis eisdem accidere videntur membris, vehemens enim præsentis & imminentis periculi cogitatio cor excitat & spiritus, ipsosq; emicare & cōtremiscere facit: p̄ticipis rationis modo puellæ memoria qua cum assueuerit quispiam, illius excitat penem: hoc idcirco in loco quærit philosophus quamobrem istuc non semper accidere videtur. Cogitationibus enim aut imaginationibus præiis non semper emicat cor, neq; semper excitatur penis: quod vt manifestissimum, & omnibus vsu cōpertum relinquens, huius statim rei causam affert, quæ talis est: quod videlicet supradicta membra cogitationibus & imaginationibus aut excitantur, aut non excitantur: hoc sanè accidere videtur propter patibilis præsentiam materiæ, aut propter eiusdem defectum & absentiam. Si enim in genitalibus (verbi gratia) membris multæ & conuenientes fuerint humiditates, agiliūque & vegetorum natura spirituum, vel à modicis cogitationibus valentes profecto efficiuntur motus, vt in iuuenili ætate, sanosq; & integro corporis habitu animaduertere licet. Si autem senilis aderit siccitas, aut inutilis humiditatum superfluerit copia, nullis sanè imaginationibus aut memorijs languida & præmorta excitantur membra. Patibilis igitur materia est in causa cur interdum in ijs membris fiat commotio, & aliās nō fiat. In textus extrema postmodum parte, vt nonnunquam facere solet, breuem colligit epilogum in hoc videlicet de animalibus negotio commentariorum deinceps ponēdorum: vbi licet singulos ordine nō notet suo, aut illos nominet, ex ijs tamen quos recenset, intelligere nobis datur eos quos reticet. Post cōmentarios enim de animalū historia, ij qui de partibus inscribuntur libri sunt ponendi: quos vult sequi commentarios de anima: posteaq; continenter illos de sensu & sensili, de memoria, de somno, de somnijs, & diuinatione: postmodū hunc de cōmuni animalium motu, quem in præsentia explicauimus & conuertimus. Extremoq; postmodum in loco libros de animalium generatione ponendos esse dicit: quibus non ab re annexi esse videntur commentarij de morte & vita, de iuuentute & senectute: de inspiratione & respiratione: alijsq; siqui istiusmodi sunt notæ. Qua de re in præsentia aliō festinantibus, quandoquidem alijs etiam in locis hoc de ordine aliter sensisse videtur Aristoteles, isthęc obiter dicta sufficiant, alio fortasse in loco accuratiore habitu ra iudicij disquisitionē. Quapropter ne in immēsum nostra euagetur oratio, iam receptui canamus.

F I N I S.



Scilicet Aepenumero sum admiratus, eruditissime Lascare, neq; id (vt arbitror) ab re, cur cū Aristotelē philosophū omnes ferē hac tēpestate, docti præcipue, admirētur & laudent, vnumq; præ alijs omnibus extollāt, & in cælū ferāt: pauci tamen admodū reperiātur, immo ferē nulli, qui illius exacte sequi doctrinā, eiusq; inhærere vestigijs sedulo nūc studeāt. Neq; id mehercule nostris tantūmodo annis vsu euenisse animaduertitur. Nā superior etiā etas cum nonnullos ingenio & eruditione celebres tulisset viros qui Peripateticum professi sunt dogma, duobus tamē, aut tribus, ad summū quatuor exceptis, omnes ferē alij diuersa quadā via potius q̄ ea quæ ab Aristotele fuerat præmōstrata, profecti fuisse vidētur. Qua de re superioribus annis dū Mediolani essem, Demetriūq; Atheniensem, virū (vt nosti) eruditissimū, quo olim græcarū literarū præceptore sum vsus, crebro inuiserē, hæc illū audiui in eruditorū quorundā cœtu nō minus prudētē q̄ vere & elegāter disertantē. Dicebat enim ad huiusmodi rem cōplures sanē cōcurrere causas: primāq; illā, & vere maximā, puerilis in rudi adhuc & tenella ætate institutionis & studij negligentia, quæ aliquot iam seculis omnium ita occupauerat mētes, vt nullis grāmaticæ & rhetoricæ satis firmiter iactis fundamētis, post prima cōfestim rudimēta illotis (vt aiunt) manibus ad altiora pueri prouerentur studia, quæ neq; bene gustare poterant, neq; per ætatem recte diiudicare valerent. Ad hæc insuper disiuncta diffociataq; linguarū à se inuicē cōmercia in causa esse dicebat, quas maiores nostri ita deuinxissēt, vt nemo apud illos merito eruditus appellari posset, qui non vtrāq; ex æquo calleret linguā. Et alioquin optimarū artium studia ferē omnia à græcis authoribus fuisse celebrata: hoc autē, aut illo doceri modo, ad rectā sanē ingeniorū institutionē multū quātū referre dicebat. Plurima etenim quæ græce significāter & perspicue dici explicariq; possent, à latinis, malis præsertim & barbaris, vel inepte cōmutata, vel omnino prætermissa fuisse: quæ certe quantū decoris & gratiæ ab Aristotelicis cōmētarijs abrasissent, tantū profecto difficultatis & obscuritatis, quæ duo sanē abhorrēt & fugiūt omnes, illis inuississent. Postremo mathematicarū etiā contēptū disciplinarū, quæ quasi expediti quidā & cōpendiarij ad Aristotelica adeunda mysteria sunt gradus, esse in causa constanter asseuerabat. ijs nanq; veluti ostensionū suarū clarissimis luminibus vsu adeo fuisse Aristotelē dicebat, vt nulla in pagina (quod manifeste conspicitur) non illarum aliquod reperiretur vestigium: quas certe qui ignorarēt aut negligenter, cum inefficaces ad contēplandum & obtusos, tum ad inuestigandum pigros & hebetes non immerito effici existimabat. Natura enim vt prona & facilia persequi homines & amplexari, ita ardua quæq; & difficilia aspernari & declinare consueuisse. Et has quidem prudentissimus ille senex de legitimorū paucitate & inopia Peripateticorum, & aliàs sæpe, & tunc eo in congressu verissi-

mas (vt arbitror) attulit causas. Quarum tamen omnium, si, quod philosophi facere solent, primam inuestigare contēderimus originem, quod principium illi, & causarum vocant causam: nihil sanè ad hoc efficiendū aptius reperire poterimus, aut efficax magis, quàm lucri cupiditatē, & avaritiam, pessimam animorum pestem. Hæc etenim vt cæteras hominis præclaras dotes sui præsentia aut euertit penitus, aut hebetes certe illas & mancas facit: ita disciplinis & literarum studijs & officere nunc, & semper aliàs obstitisse videtur. Quotus enim quisq; per deū immortalem nunc est, aut parentum etiam auorumq; nostrorum ætate fuit, qui nō cōpendij sui causa inania illa existimauerit studia, quæ laboris quidem multū, lucri vero aut parū, aut nihil essent allatura? Quapropter non immerito hinc effectum esse arbitror, vt duas præcipue artes acribus sanè studijs, & summa animorum contentione nostro tēpore vulgo sequatur homines, iuris videlicet peritiã, & medicã facultatē. Hæc enim ambo vt mechanicis sellularijsq; sunt proximiores artibus, ita profecto lucrosiores & fructuosiores iure esse cēsentur: quarū tamē exactæ perfectioni præproperea nōnunquã festinatio, & anxie semper instãs lucri cupiditas, nimiū quantū detrudere animaduertūtur, dū quicquid apponitur studio, lucro detrahi cōstāter vulgus existimat. Pauci igitur admodū (vt inquit Plato) Musarū pulsant fores, quæ sectatores certe suos algere & esurire docēt, & ea neq; pili facere quæ vulgus hominū admirantur & colunt. Pauci inquã disciplinarū legitima sectantur studia, quibus lucrū gloria cōducibilius esse videtur. Admirari igitur iam pridē merito destiti Lascare, idq; tibi esse faciendū iure nunc censeo, si qua istiusmodi vnquã te tanget cogitatio, quã obrem (quod exordiens dixi) cū Aristotelē nostro æuo laudēt & extollāt omnes, pauci adeo illius inhærere vestigijs animaduertuntur. Lucrū nanq; necessaria & præclara ressecans multa, quàm celerrima quærit cōpendia, & non quod deceat, sed quod in rem suã faciat, sedulo sequitur: ad excellentes autē disciplinarū apices non nisi ijs quos recēsuimus gradibus continenter ascendere cōceditur. Quã sanè rem nostra ætate ex græcis quidam Theodori, Argyropili, Demetrii: ex nostris autem Marsilius Florentinus, Picus Mirandula, Hermolaus Barbarus, egregie assequuti fuisse videntur: & nūc etiam pleriq; cum græci, tum latini nominis istuc ipsum gnauiter agunt: quorum ego nomina, ne illos mihi hoc demereri velle videar modo, prudens sciensq; in præsentia conticesco: quos tamen scriptis aliquando suis innotescere est necesse. Nos quoq; quando nihil aliud in præsentia agimus, & studiorum, obstrepentibus vndiq; bellorum tumultibus, sunt occlusa gymnasia, vt semel cœpimus dolium nostrum hac illac volutamus, & libellum hūc de animalium incessu latinitate donatum, vt cæteros explicauimus, superioriq; de animalium motione cōmentario lo adiunximus: quē tibi eruditissime Lascare dicauimus, vt noster in te amor vel hoc leui munusculo apud omnes esset testator. Vale.



E commodis autem animalium partibus ad illam quæ per locum est motionem, perscrutandum est quamnam ob causam illarum quæque huiusmodi existat, cuiusve gratia insint illis, de differentijs quinetiam quas vnus & eiusdem animalis ad se inuicem habent partes, quasve habent ad illas quæ aliorum sunt, & genere distinctorum.

Prius autem constituamus de quibus à nobis est cōsiderandum: quorum primum est quotnam paucioribus animalia mouentur notis: postea quæ obrem sanguine quidem prædita quaternis, exanguia vero pluribus: & ad summam, quam ob causam ex animalium numero alia quidem pedibus carent, alia vero bipeda aut quadrupeda aut multipeda existant: & cur quæcunque illorum pedes habent, eos habeant pares: & omnino eæ notæ quibus mouentur, pares existunt.



Vnc quem interpretari aggredimur libellum de animalium incessu, recto doctrinæ ordine sequi commentarios de animalium partibus, cum ipsa dicat ratio, tum ex philosophi ipsius verbis haud perperam coniectari conijci que potest. Nam & natura ipsa eadem in re vniuersaliora & cōmunia magis, contractiora & partialiora præcurrere debent. Animalium autem partes simpliciter prolatae maiorem sanè habent ambitum, quam eorundem partes ad localem motum idoneæ & commodæ. Post illas igitur communiori dictas modo, non inconcinna sanè harum partialior videtur esse tractatio. Et ipse alioquin philosophus in epilogo commentarioli de communi animalium motu

hæc ad verbum dicit: De partibus quidem singulorum animalium, & de anima: de sensu quinetiam, memoria, & somno, necnon de communi motu causas diximus: reliquum est de generatione pertractare. Ex quibus verbis libellum hunc inter commentarios de animalium partibus connumerare videtur. Nam post illos, de anima sequi dicit libellos: qua de re in calce etiam huius commentarioli ijs meminit verbis: De partibus igitur cum alijs, tum ijs quæ ad animalium sunt incessum, & ad omnem per locum mutationem, hoc se habet modo. His autem pertractatis consequens est contemplari de anima. Patere igitur (vt arbitror) manifeste potest hunc de incessu animalium libellum cum cōmentarijs de partibus facere, illisquæ (vt diximus) recto doctrinæ ordine cōsequi debere, neque id obstare quod in commentarijs de partibus in fine scriptum reperitur his verbis: His autem pertractatis consequens est vt ea quæ ad generationem pertinent, digerantur. Post omnem nanque expletam partium omnium doctrinam ij qui de animalium generatione pertractant commentarij, sunt ponendi: qui etiam, vt pauloante vidimus ex philosophi verbis, libellum de communi animalium motu consequi debent. Verū isthæc ego intelligens & sciens, ordinisquæ huius seriem probe cognoscens, alia tamen via hoc in opere pergere sum aggressus: neque id ab re mehercule. cum enim commentarios de anima non attingere decreuissem, optime cum ab antiquis, tum à recentioribus & interpretatos & expositos: illos autem de animalium partibus inuertere superuacaneum putassem, à Theodoro Gaza accuratissime conuersos, & latinitate donatos: illis omissis, in ijs quorum interpretatio & explicatio in meo erant ære, libere agere statui, cum alioquin semel interpolata ordinis serie, parua posthac huiusce rei futura esset iactura. Post superiorem igitur de communi animalium motu libellum, de locali illorum motionem commentariolum posui, non omnino ab re, vt opinor. Nam cum in vtrisque de animalium agatur motu, localis certe motus illum contrahit, & in angustiorem ambitum deducere videtur: quam obrem non immerito hic libellus illum consequi potest. Nam in cæteris alijs commentarijs quos inuertimus & explicauimus, Aristotelicum sanè ordinem sumus sequuti: libros autem de animalium partibus, & de eorundem generatione, à Theodoro (vt diximus) præclare inuersos, vt perpetua cōmentatione explicare non decreuimus, propter claros plerisque & historico more enarratos textus: ita glossulis quibusdam salebrosa in eis loca, si concesserit deus, aliæque nobis præuertenda non fuerint, explanare sanè intendimus. Quibus postmodum eos subiungemus commentariolos qui reliqui de animalibus esse censentur, quos inuertere & explicare, vt alios hucusque fecimus, pro virili nostra curabimus. Sed iam ad propositum reuertamur. In hoc de animalium incessu libello exorditur philoso-

d philosophi
incipium illi
rire poterit
animorum
entia aut eum
iterarum
quisque per
zate tuit
quidem mu
nerito hinc
summa anim
licet periti
nt proxim
quarū tamē
er instās lum
ponitur stu
inquit Pla
locēt, & ea
disciplinari
tur. Admi
nunc cenle
diens dixi
herere vest
multa, quam
faciat, sedulo
ēsuimus gr
ex græcis qui
s Florentinus
identur: & ni
gunt: quorum
ens sciens
ere est necesse
obstreptent
pimus dol
u latinitate
ione cōment
olter in te au

phus, vt plerunq; consueuit, breui quadam discursus serie dicendorum nos per capita admonens, succincteq; illa de quibus mox est verba facturus, recensens. Dicit namq; de commodis ad localem animalium motu partibus velle se considerare, quam scilicet ob causam illarum singulae huiusmodi esse censeantur, cuiusve gratia ea animalibus insint. Praeterea inquit se perscrutari velle cum de partibus eiusdem animalis inter se differentibus: verbi causa in equo de anterioribus posterioribusq; cruribus: partes enim hoc in loco ad localem motum facientes considerare intendit philosophus: tum de partibus etiam inter se differentibus in diuerso animalium genere, vt brachia in hominum specie animaduertimus ab alis quae in volucrum genere brachiorum gerunt vicem, & ab anterioribus in quadrupedi genere cruribus differre. ea etenim partes licet inter se distare videantur, proportionem tamen sibi respondere censentur. Quod enim in homine sunt brachia, in volucri certe genere esse alae, in quadrupedibus vero anteriora esse videntur crura. Verum de ijs ipsis illarumq; varijs inflexionibus paulo post verba faciet philosophus. Post haec signata breuiter subiungit tanquam per capita esse considerandum de ijs quae hoc in opere pertractari debent: quorum primum inquit esse quotnam paucioribus quae loco mouentur animalia, moueantur notis, siue signis: vbi ostendet quod sanguine quidem praedita vt paucissimis quatuor mouentur signis, pluribus vero exanguia. Quae autem sequuntur omnia vsq; ad praesignati textus calcem, quia clara sunt, nihilq; praeter dicendorum capita manifeste tangunt, consulto praetereo, & ad sequentem venio textum.

Praeter haec etiam quam ob causam homo & volucrum genus bipes, pisces vero pedibus carent. Et inflexus quidem crurum homo & volucris, cum sint bipedes, contrarios habent. Homo namque ad ambitum crus inflectit: volucris vero ad cauum: ipse quinetiam homo contrario ad seipsum modo crura inflectit & brachia. haec enim ad cauum, genua autem ad ambitum inflectit. Et quadrupeda quae animal pariunt, contrario ad homines & sibiipsis crura inflectunt modo. priora namque crura ad circumferentiae ambitum inflectunt: posteriora vero ad cauum. Praeterea ex quadrupedum genere illa quae non animal, sed ouum pariunt, proprio quodam modo in latus inflectunt. Ad haec etiam quam ob causam quadrupeda omnia per diametrum mouentur. De omnibus certe ijs, & quaecunq; istis sunt cognata, perscrutandae sunt causae. Quod enim hoc contingat modo, ex naturali palam est historia: quam ob causam autem, nunc est inuestigandum.

Prosequitur hoc in textu philosophus per capita (vt pollicitus est) recensere quaestiones a se hoc in commentariolo perscrutandas, quarum cum enarratio omnis ferè clara manifestaq; sit, nisi vbi de membrorum dicit inflexu cum in hominum specie, tum in volucribus & quadrupediibus: iccirco alijs omissis, hac de re, quae satis est implicata & immanifesta, prolixius agemus, expositionisq; lumen pro virili afferre conabimur. Dicit igitur quod homo & volucrum genus, licet vtrunq; sit bipes animal, crurum tamen inflexiones ad se inuicem contrario habent modo. si quidem homo ad ambitum, id est circumferentiam crura inflectit sua, volucris vero ad concauum. quod est ac si diceret homines quidem ad conuexum circumferentiae ambitum crura inflectere sua: volucres vero ad eiusdem concauum ambitum: & iccirco contrario se habere modo huiusmodi inflexionum notas. Concauum enim & conuexum contraria sanè esse censentur, ex eorum inquam numero contrariorum quae ad aliquid & sunt, & esse dicuntur. Ad cuius rei intellectum breuiter admodum & subobscurè prolatae, hoc contendamus modo. Imaginemur hominem quendam ex recto standi modo in orbem circumuolutum, & ex sese circulum facientem, ita quod fronte & sincipite extremos pedum digitos & illorum contingat ungues. hoc in casu rotundi istius hominis extrema quidem circumferentia, quam conuexa & gibberosam vocant, per occiput ipsum & collum, totiusq; spinæ dorsum, posteriorésq; suras & pedum calcem describitur. Haec namq; omnia in superiori & gibberosa circuli conspiciuntur parte: interna autem eiusdem incuruati hominis circumferentia, quam concauam Aristoteles vocat, ab ipsa incipit fronte, & per faciem & guttur, thoracemq; & ventrem, necnon per crura ipsa & tibias ad extremas pedum peruenit ungulas: quae, vt diximus, fronti & sincipiti sunt coniunctae. In volucri quinetiam genere id ipsum verum esse imaginatione comprehendatur, auisq; fingatur quaedam, verbi causa grus, rostro extremas pedum ungulas mordicus tenens: hoc namq; in casu extrema quidem sic effecti cir-

Concauum & conuexu contraria ex ijs quae sunt ad aliquid

culi circūferentia, à superna rostri incipiēs parte, per caput volucris & dorsum, posteriorēsq; crurum portiones per infernas pedum partes, ad ipsas perueniet vngulas: interna autem & concaua ab inferiori incipiens rostri parte, per guttur tendens & pectus imūmque ventrem, necnon per anteriores crurum portiones, pedūmq; ac digitorū supernas partes, ad ipsas terminatur vngulas. His igitur ita signatis, & libero mentis intuitu depictis, clarum certe est & nemini dubium id quod hoc in loco à philosopho dicitur, hominem quidem ad circūferentiā ambitum, & intelligatur conuexum siue extimum, crura inflectere sua: volucres autem ad internam & concauam. Namq; homines per posteriores (vt patet) suras & dorsum inflectunt crura: volucres autem secundum ventrem & pectus. In circulis autem ex huiusmodi animalibus confectis ostensum est in homine quidem posteriores suras & dorsum in extima & conuexa circūferentię esse parte: in volucrum autem genere cum ventrem, tum pectora in concaua & interna reperiri circūferentia. Iure igitur & merito homo & volucris licet vtraque bipeda sint animalia, crurum ad se inuicem contrarios habent inflexus. Vt enim retro dictum est, concauum conuexo est contrarium. Verum non isthęc solummodo, inquit, in tam diuersis animalium generibus contrarietatis spectatur differentia, sed in ipsa solitaria etiam hominis specie hęc eadem reperitur contrarietas. Homo enim cōtrario ad se ipsum modo crura inflectit & brachia: & crura quidem (vt diximus) ad extimam conuexamq; inflectit circūferentiā, brachia vero ad concauam, quod clare animaduertere licet si manu caput tangentem hominem imaginati fuerimus, talisq; configuratione circulum confectum comprehendere voluerimus, cuius extimus quidem ambitus & conuexus per humerū, & extrinsecā brachij partē, cubitum quinetiam & superiorem manum designabitur: interior autem & concaua circūferentia per alam & interiorem brachij portionem, cubitiq; curuaturam & manus volam terminabitur. Quo in casu oculata (vt aiunt) patet fide, brachia in homine ad concauum inflecti ambitum, contrario quā crura flectantur modo. Siquidem ipsius cubiti curuatura & flexus in concaua esse circūferentia manifeste cernitur. Contrario itaq; inflexionis modo in hominum specie crura inflectuntur & brachia. His notatis potius quā enarratis, subdit Aristoteles differentiam qua hac etiam in re homines à quadrupedum distare genere videntur, exprimens de quibusnam quadrupedibus istuc intelligi velit, de ijs videlicet quę animal pariunt. namq; de illis quę non animal statim, sed oua prius in lucem edunt, alia sanè est ratio, de quibus mox loquetur. Dicit igitur quadrupedum genus illud quod animal parit, cum ad hominum speciem, tum ad se ipsum contrarios crurū habere inflexus. Anteriora enim crura, quę hominū brachijs proportione responderē videntur, ad extimam circuli inflectunt circūferentiā: quod clare profecto apparet si eo in genere circulum fuerimus imaginati ex prioris vngula cruris os animalis contingente confectum. Posteriora autem ad internam siue conuexam orbis circūferentiam inflectunt crura, si ex ijs os contingentibus pari ratione circulum fuerimus imaginati. Porro ostensum est in hominum specie brachia quidem ad concauum, crura vero ad conuexum proculdubio inflecti ambitum. Contrario igitur se habet modo hac inflexionū ratione quadrupedum genus illud ad hominum speciem. Quinetiam, inquit, quod de hominibus retro diximus, id quadrupedum genus sibi ipsi contrario se habere modo videtur. Nam priora quidem crura ad extimam circuli circūferentiam inflectunt: posteriora vero, & quę retro sunt, ad internam & cōuexam sanè inflectunt, quod ex retro dictis clarissime patere potest. Subditq; postmodum philosophus, Quadrupedum genus illud quod non animal, sed ouum in lucem edit, quales sunt crocodili, lacerti, chamalcontes, proprio quodam & peculiari ab alijs modo crura inflectere sua, oblique scilicet, & in latus. Vltimāmq; postmodum perscrutandam proponit quæstionem, quamobrem quadrupeda omnia per diametrum moueri animaduertuntur. Hęc autem omnia quę cursim & breuiter sunt enarrata, quod quidem vt dicta sunt, sic appareant, ex naturali esse manifestum asserit historia: verum illarum causas, quę sanè latere videntur, non ab re in præsentia esse perscrutandas dicit.

Crura & brachia homines contrario flectere modo.

Quadrupeda quę non animal sed ouū in lucē edūte

Perscrutationis autem principium est, supponentibus illa nobis quibus vtī sæpenumero in physico negotio soliti sumus, accipere scilicet ea quę in omnibus naturę operibus eodem se habent modo. Illorum autem vnum est naturam nihil frustra fa-

50 cere, sed semper ex ijs quę cuiq; animalium generis essentię contingunt, id quod optimum est. Quamobrem si melius hoc modo, ita natura se habet. Præterea magnitudinū dimensiones quot qualēsvē qualibus inexistunt, sumere oportet. Sunt enim dimensiones quidē sex, paria vero tria: vnum quidem summum & imum: alterum ante & retro: tertium autem dextrum & sinistrum. Ad hęc autem quod motionum per locum initia

sunt impulsus, & tractus. Hæc enim per se sunt: ex accidenti autem mouetur quod ab alio fertur. non enim ipsum semet mouere videtur, sed ab alio moueri, quod fertur ab alio.

De cōtingentibus
semper id quod in
eius est, natu-
ram facere.

Impulsus.
Tractus.
Vectio.

Post præmissas breuiter rerum quæstiones quarum perscrutari philosophus contendit causas, hoc in textu dignitates supponit quasdam, communēsq; animi notiones & cōceptus, quibus sæpe numero in physico negotio se vsum fuisse asseuerat, cum alioquin ea quæ eodem semper se habent modo, in omnibus naturæ visantur operibus. Primum autem suppositum est, naturam nihil temere aut frustra facere, sed semper cum multa cōtingat circa animalium essentias fieri, in vnoquoq; illorū genere siue specie, quod sanè melius & accōmodatius est eligit & facit, & quod magis vnicuiq; illorum substantiæ & speciei conducere & quadrare videtur. Quod etiam confirmare volens statim subiungit, quamobrem si melius hoc modo, ita se habet natura. ac si diceret iccirco hanc vel illā rem natura constare dicimus, & naturaliter se habere, quoniam melius quā se habet, se habere non potest. Recte igitur (vt arbitror) isthæc inter se cōverti & recurrere possunt: melius & commodius isto se res habet modo, secūdū naturā igitur se habet. & rursus, Natura sic se habet res, igitur neq; melius neq; cōmodius aliter se habere potest. Secundū autem de interuallis dimensionibusq; clarū est suppositum, quæ cum numero sint sex, coniunctiones siue paria efficere videntur tria, quæ cum ipsis dimensionibus manifeste in litera explicantur. Tertio autem supponit loco id quod in octauo de motu commētario clarissime est demonstratum, motionum scilicet per locum initia esse prima impulsus & tractum. quo in loco licet inter initia localium motionum connumeretur etiam vectio, nihilominus cum id quod vehitur & portatur, non per se moueri iure dicatur, sed per accidens, quia non sponte sua sed vectoris motione mouetur: iccirco istiusmodi in præsentia reticetur initiū. His autem tribus præmissis suppositis Aristoteles statim subdit.

Is autem constitutis, quæ deinceps sunt dicamus. Animalium profecto quæcunq; loco mouentur, alia quidem toto simul corpore mouentur, vt illa quæ saltu locū mutāt: alia vero per partes, vt quæcunq; progressibus vtuntur. In vtrisque autem huiusmodi mutationibus semper mutatur id quod mouetur, innisum ad id quod illi subiacet. Quamobrem siue id citius dilabatur quā vt inniti possit id quod super eum mouetur: siue nullum omnino motis præbeat firmamentum, nihil super illud se ipsum mouere poterit. Etenim quod saltu mouetur, & ad se ipsum quod supra est innisum, & ad id quod pedibus subiacet, saltum planè facit. Renisus enim quosdam ad se inuicem habent partes in ipsis flexuris, & omnino ad depressum id quod deprimat. Quamobrem pentathli plus saliant si halteras habuerint, quā si non habuerint: & qui currunt, citius currunt si manus commouerint. Nisus namq; fit quidam in extensione ad manus & articulos.

Præmissis suppositionibus ijs Aristoteles quas per omnem physici negotij ambitum sibi vsum fuisse dicit, illos hoc in textu exponere intendit modos quibus animalia in ea quæ per locum est motione manifeste vt percipimus: statimq; à principio dicit quod de numero illorum quæ loco mouentur animalium, quædam simul toto corpore acruatim mouentur, vt sunt illa quæ saltu loca commutant: nonnulla vero per diuersas sui mouentur partes, vt sunt illa quæ progressu ambulationeq; vtuntur. Crus etenim isthæc vnum protendentia, illóq; humi innisa, alterum postea trahunt crus, eóq; mouentur modo. Vtraq; autem dicit, & quæ saltu, & quæ progressionem mouentur animalia, illo moueri quo nata sunt modo, si ad subiaccens quippiam & substratum appellant & firmiter innitantur. aliter enim moueri non datur. Substernitur autem terrenis quidem animalibus, siue pedes habeant, siue illis omnino careant, & siue saltu seu progressionem moueantur, tellus ipsa, siue terreū quippiam durum & obstipum: aquatilibus autem humida aquæ natura: sicut volucris aer ipse. Cuius rei claram adducere volens ostensionem philosophus subdit dicens quod nisi firmum fuerit id quod subiacet & substernitur, sed aut citius dilabatur & effluat quā se mouentis super illud stabilis fiat impressio, firmusq; membrorum innisus, aut nullum omnino mouendo animali præbeat fir-

mamentū: nullum profecto super illud se mouere poterit animal. Cuius rei veritas palam esse potest si in alto quispiam arenarum cumulo, aut in substratis milij vel nucum aceruis progredi tentauerit. Cum enim citius dilabatur & subterfugiat substrata illa materia, quàm illi inniti firmiter possit pes, aut difficulter admodum, aut nullo progredi poterit modo. Nam de substrato eiusmodi quod nullum penitus mouendis præbet firmamentum quo inniti possit, nulla est controuersia quin omnino abscindat motionem, quales cum aqua, tum aëris natura terrestribus animalibus esse conspiciuntur: quæ ut illorum pedibus nullum omnino præstant innisum, ita omnem penitus super se illis abnegant progressionis aut saltus modum. Sed postquam dixit & declarauit philosophus in vtrisque mutationibus, siue illorum quæ saltu mouentur, siue illorum quæ incessu loca permutant, necessario aliquid semper firmi substerni debere, ad quod innisa & firmata se ipsa mouere possint, subdit dicens quod ea quæ saltu se mouent animalia, non solum ad manens quippiam substratum ut saliant inniti debent, quod de vtroque dictum est prius genere, sed ut ad se ipsum quod supra est innituntur est necesse. intelligens per illud quod supra se est, superiora membra: verbi gratia, ut de ijs quæ pedibus vtuntur, verba faciamus: tibia talo innititur, quæ talū superstare videtur: crus vero ad ipsum firmatur genu, quod illi planè subiacet: superiorque corporis pars pari rationis modo ad subiectam innititur coxam. Neque aliter salire potest animal, quando de saltu loquimur, nisi superna infernis innisus quodam firmiter adhæserint. Quod declarare cupiēs, & melius nobis ostendere, subdit quod innisus nimirum & firmamenta siue applicationes fiunt in flexuris, id est in membrorum articulis & iuncturis. Lacertus enim siue vlna innititur parti illi quam *καρπών* græci appellant. est autem iunctura illa siue articulus quo manus illi annectitur. Brachium autem innititur cubito, id est inflexioni & articulo vbi brachium incuruatur. Hæcque semper modo (ut diximus) superiora inferioribus innituntur ad motum agendum: & omnino, inquit, deprimuntur ad ipsa innituntur depresso. Deprimens autem omne respectu à se depresso superiorem proculdubio locum obtinere conspicitur. Quemadmodum enim animalium in progressu pedes subiectam deprimunt terram, illique sanè innituntur, ipsi superne existentes: ita in saltandi motu brachium deprimunt cubitum, & subiectam vlnam siue lacertum: is autem *καρπών* appellatum deprimunt & manum: pari que rationis modo femur deprimunt coxam, illa vero crus: illud autem genu & tibiam: hæc vero talum & extremos pedes, qui vltimi (ut dictum est) subiectam deprimunt terram. Quod autem huiusmodi motus per quosdam fiant innisus, & applicationes quasdam, signum dicit esse vel euidens id quod in pentathlis conspici licet, qui plus certe saliant cum instrumenta & pondera illa manibus tenuerint, quæ à saltu sanè halteres appellantur. Erant autem lignei quidam (ut aiunt) orbis siue pile infuso graues plumbo, ad quas extrema inniti poterant manus. Cursores quinetiam, inquit, manus concutientes, & motantes brachia, perniciosius currere animaduertuntur. In extensione namque illa innisus certe fit quidam & applicatio, cum brachij ad cubitum & ad lacertum, tum illorum sanè ad carpi iuncturam & manū. Necessarius igitur esse videtur innisus vniuersum ad motum: quantoque is firmior fuerit & applicatior, tanto proculdubio vegetior erit motus & expeditior. Verum quia hoc in loco non satis vsitati & frequentis vocabuli pentathli mentionem fecit Aristoteles, nequid accuratam legentis conturbet mentem, animaduertendum esse censeo quod præcis temporibus apud græcos in sacris certaminibus, quæ in Elide, & ad Corinthium Isthmum, & apud Nemeam & Delphos fiebant, quinque præcipue certaminum introducebatur genera: ista videlicet: saltus, lucta, pugna, cursus, & pancratium, quod erat ex pugna & lucta mistū quoddam genus. Qui igitur ad quina isthæc tunc se demittebant simul certamina, ij merito pentathli vocabantur. Licet aliorum etiam quicumque ad vnumquodque de illorum certaminum ambitu prodibat, pentathlus non iniuria appellari consueuisset: quo denominationis modo salientes pentathlos hic vocat Aristoteles.

Halteres.

De certaminibus in sacris ludis apud græcos.

Pentathlus.

Semper autem illud quod mouetur, duabus ad minus organicis vtens partibus mutationem efficit, ut altera quasi comprimatur, altera vero comprimatur. quod enim stat, comprimitur, quoniā fert. Quod autem eleuatur, extenditur ad id quod pondus sustinet. Quare nullum carens membris hoc moueri potest modo. Non enim habet cum agentium tum patientium in se partium distinctionem.

Posteaquā declarauit (ut vidimus) & ostendit Aristoteles quod in omni secundum locum mutatione innisus & applicationes quædam cum superne, tum inferne sunt necessariae, hanc rem concludere volens recto sequelæ ordine, subiungit omne id quod mouetur, necessario duabus ad minus instrumentarijs vtens partibus motus conficere suos, quarum altera quidem comprimit, altera vero comprimatur. quod enim innititur, sanè comprimit: id vero cui innititur, proculdubio comprimi cernitur. Comprimens igitur & compressum organicas hoc in loco vocat partes: dicitque stantē corporis partem manifeste comprimi, cum corporis sustineat & ferat pondus: extensam autē & ele-

uatam comprimere, cum ad illam quæ pondus fert, inclinēt & vergat. Quod hoc sanè manifeste patere potest exemplo. Quando enim Socrates (verbi causa) læuum profert pedem, & terræ innititur, dextrumq; ad illum attrahit crus, tunc ipse læuus pes non solum dextrum crus, sed cum illo vniuersum etiam sustinet corpus. Cōprimitur ergo tūc cū ab illo, tum à reliquo quod fert corpore. Dextrū autem crus quod eleuatur, extendi percipitur, & sinistrum comprimere pedem, ad illūq; vergere: quo dum peruenerit, tunc vice versa dextrum quidem stat crus, pondūq; sustinet, & comprimitur: sinistrum autem cum eleuatur & extenditur, tum ad dextrum vergens comprimere nimirum illud percipitur. Quibus manifeste, vt apparet, declaratis, & quasi sub oculis positīs, Aristoteles corollarium subiungit huiusmodi, nullum scilicet membrīs carens animal, organicis videlicet, hoc moueri posse modo, vt vna scilicet pars sit comprimens, altera vero compressa. Neq; hoc ab re, cum eæ organicae corporis partes ad localem requisitæ sint motionem, quibus quæcunq; careant, hoc carere motionis modo sit necesse. non enim habere illa in se cum agentis, tum patientis distinctionem, id est, non possidere in se illa, comprimētis & compressi, siue innitētis, & cui innititur configurationē & dearticulationem certum est: quæ ad istiusmodi nimirum requisita sunt motus. Quo in loco animaduertendum esse censeo quòd vbi nos distinctionem inuertimus, quauis textus noster habebat *διαρθρωσιν*, iccirco fecimus, quoniam in alio exemplari non *διαρθρωσιν*, sed *διαλυσιν* scriptū reperimus, quæ fortasse incorruptior est lectio, cum prior interlinearis potius glossula esse videatur. Verum quocunq; res se habeat modo, idem certe per vtrunq; signari vocabulum sine controuersia existimandum est.



Quoniam autem dimensiones numero quidem sunt sex, ex quibus determinari omne natum est animal, summum videlicet & imum: ante & retro: præterea dextrum & sinistrum: summum certe & imum omnia habent viuētia, quoniam non solum in animalibus est summum & imum, sed etiam in stirpibus. Determinantur autem opere, & non solum positura, quæ ad terram scilicet sit, aut ad cælum. Vnde enim alimenti singulis est distributio, & incrementi accessus, summum id sanè est: quo autem istuc vltimo pergit, id est imum. Hoc enim initium est quoddam, illud vero est finis. Initium autē est id quod est summum. Atqui stirpibus quidem propriū videri poterit magis id quod est imum. Non similiter enim positura se habēt summum & imum in ijs, & in animalibus. Ad vniuersum nanq; non simili se habent modo: secundum opus autem, similiter. Radices enim summum habent in stirpibus. nanq; inde distribuitur alimentum ijs quæ terra nascuntur, & illis id accipiunt, vt ore animalia.

Non ab re (vt videtur) illam de corporum interuallis siue dimensionibus retro Aristoteles adduxit suppositionem, naturæ disquisitioni sanè concinnam & necessariam. nanq; hoc in loco inuestigare contendit quænam ex viuētium numero omnes sex habent dimensiones, & quæ illarum tantummodo quatuor habere percipiuntur, & quæ solummodo duas: eāsque à principio statim enumerat, rursus & commemorat, illisq; sanè asserit omne animal determinari. hæc nanq; interualla corporum cum altitudines, tum profunditates & latitudines efficere & metiri proculdubio videntur, quibus animalium à se inuicem determinantur & disiunguntur partes. Subditque statim primum illarum par, summum videlicet & imum, vniuersum sanè viuētium consequi ambitum, ita quòd non solum in animalibus hæc coniugatio & hoc par, sed in stirpium etiam genere reperitur. quæ duo certe dimensionum interualla, summum videlicet & imum, siue sursum & deorsum appellare malimus, non solum à se inuicem positura & situ determinari & separari cernuntur in nonnullis animantibus, vt summum videlicet id quod ad cælum vergit, & sit, & appelletur, imum vero quod terræ appropinquat, sed opere etiam ipso, & eo quod à natura habent munere, non minus distare videntur. Summum enim id iure esse censetur, vnde alimentum animantia capiunt, vt id per vniuersum postea distribuunt corpus: imum autem illud quo vltima alimenti perueniunt excrementa. neq; hoc immerito mehercule. quoniam enim viuētia omnia dum viuunt nutriri ea necesse est: sine restauratione nanq; deperditi & assumpti ea diutius perseuerare haudquaquam possunt: alimentum autem per os ingreditur, quod in summa sine controuersia esse parte ab omnibus sanè conce-

Quid summum
& imum.

ditur: illius autem vltima excrementa inferne deuoluuntur in animalibus, & ad imam perueniunt sedem: iccirco dimensio primus par, summum scilicet & imum, non solum animalia omnia, sed viuentia quæq; stirpes scilicet, & terra nascentium genera omnia, in sese habere summa est necessitas. Quãobrem inquit summum quidem principij obtinere locum: imum vero finis & termini. Nam ibi esculentorum poculentorumq; & omnino alimenti fiunt ingressus, quos distributiones, & ad diuersas corporis partes amadationes postea consequuntur. Ad ima vero perueniunt quæ inde deuoluuntur, siue vtilia ea, siue superfluëtia esse censentur. Verum isthæc sanè variare videntur in animalium genere, & in stirpibus, terræ nascentibus, si ad posituram scilicet illam & situm quæ cum cælo & terra proportionem habent, respicere voluerimus. In stirpium enim genere deorsum videtur esse principium, sursum autem finis. si quidem terræ infixas habent radices, quæ quasi oris modo in animalibus alimentum recipiunt. Cælum autem versus alias sui gerunt partes, ad quas alimentum nimirum transmittitur & deriuatur. Hoc autem iccirco esse censetur, quoniam eæ dimensiones non similiter (vt diximus) positione ad vniuersi respectum in animalibus & stirpibus, imò contrariò se habent modo. nã quod summum est in plantis & stirpibus, id imum sanè in animalium est genere: & quod summum in illis, imum est in istis. Si autem secundum legitimum naturæ opus has duas primæ dimensionis distinctiones pendere voluerimus, eadem profecto in omnibus viuentibus iure & merito esse reperientur, & cum animalibus omnibus, tum vniuerso stirpium hærbarumque generi non immerito quadrare videbuntur. Summum enim vere in omnibus dicitur vbi primus nutrimenti est ingressus: imum vero quo fertur illud, & vltimo delabitur: licet in perfectiori animantium genere eæ etiam partes positione eadem esse visuntur, qua cælum terramq; prospectant, illisq; nimirum proportionem quadrant: vt in animantium omnium perfectissimo cernitur homine, cuius os quidem sublime in cælum vergit, extrema autem pedum vestigia terram contingunt. Quo in loco non ab re animaduertendum esse censeo quod summum quidem & imum secundum iniuncta naturæ opera æque omnibus animantium insunt generibus, quæ tamen vt positura ad easdem in vniuerso partes in eorū perfectissimo genere, scilicet homine, quadrare videtur: ita in extremo animantium genere, stirpibus scilicet & plantis opposito se habere modo cõspiciuntur. Summum enim in illis (vt diximus) positione est imum: & imum illorū situ est summum. Medium autem animantium genus, vt ratione carentia sunt omnia tam quadrupeda quã bipeda, deorsum quidem vniuerso quadras habere percipitur. extremas enim partes & inferas terræ in nifas habet: sursum autem peculiari quodam & medio habet modo. neq; enim positione deorsum illud habere videtur, vt stirpes habent, & hærbarum genus: neq; situ ipso vere sursum, vt homines: sed ad cæli latus summum & sursum habent suum semper conuersum (vt patet) & vergens.

In animalibus & stirpibus summum & imum contrariò se habent modo.

Summum & imum secundum iniuncta naturæ opera in omnibus eadem.

Bruta animalia ad cæli latus summum habere suum.



Væcunq; autem non solum viuunt, sed animalia etiam sunt, huiusmodi omnibus ante & retro insunt. Sensum etenim isthæc omnia habent: per ante autem & retro disternantur. In quo enim natus est esse sensus, & vnde est singulis, anteriora huiusmodi existunt: ijs autem opposita, posteriora. Quæcunque vero animalium non solum sensu sunt prædita, sed mouere etiam possunt sese ea quæ per locum est mutatione, in ijs ad ea quæ dicta sunt, sinistrum & dextrum disternantur simili modo vt illa quæ dicta sunt prius, cum opere scilicet & non positura eorum vtrunque sit seiugatum. Vnde enim mutationis per locum corporis naturaliter est initium, id vnicuiq; dextrum est: oppositum vero, & quod hoc consequi natum est, sinistrum. Hoc autem in alijs quidem magis, in alijs vero minus distinctum est. Quæcunque enim instrumentalibus vtentia partibus, pedibus inquam aut alis, aut id generis alio quopiam supradictam efficiunt mutationem, in illis profecto distinctum est magis quod dictum est. Quæcunque vero non ijs partibus, sed ipso distantias facientia corpore progrediuntur, cuiusmodi nonnulla sunt quæ pedibus carent, vt serpentes, & erucarum genus, & illa etiã quæ terræ vocant intestina, ijs certe omnibus inest quod dictum est: verum similiter non est manifestum.

Animalia à
sensu chara
etero accipere

Nō omne ani
mal loco se
mouere posse

Orientis loci
dextram esse
vniuersi par
tem.

Serpentes.
Erucae.
Lombrici.

Postquam retro (vt vidimus) philosophus declarauit primā dimensionum cōiugationē, summū scilicet & imū, nedum animalibus omnibus, sed vniuerso etiā viuentium inesse generi, vbi conueniētiam hac in re differentiamq; quas viuentia inter se habent, nos etiam docuit, hoc in loco de reliquis duobus paribus verba facit, in quōve animalium genere isthæc distinctius aut cōfusius reperiuntur, adducit. Quæ quoniam non tam latum habere videtur ambitum quantum sanè primum habuit par, iccirco à principio statim literę à viuentium amplo sanè genere, ad animalium arctius certe & restrictius delabitur genus, dicens omnibus illis cum summū & imū, tum ante & retro inesse: neq; hoc ab re, mehercle. nam sicut dimensionum primum sanè par alimēti cum assumptionem, tum distributionem & deriuationem consequens, & omnino altricis animæ vim, omnibus merito inerat viuentibus, quæ alimento nimirum indigere videntur: ita secundū hoc par sensus sequens potētiam, & sensitivæ vim animæ, vniuersis iure inesse animalibus censetur. A sensu nanq; animalia omnia characterem accipiūt, & in animato planè cōstituuntur genere. Dicit igitur quoddam animalis pars in qua sensus existit, aut vnde sensus emanant exordia (id enim signare videtur) & vnde est singulis, illa nimirum anterior & est, & merito appellari debet: illi vero opposita pars & posterior certe est, & eius modi dicitur. Per sensum nāq; claret huiusmodi determinatas & seiugatas corporis esse partes. Quibus hoc determinatis modo, ad tertium & vltimum dimensionum descendit par, aliquanto contractius & minoris ambitus quàm supradictum fuisse videtur. Non enim vniuersum animalium cōpletur genus, sed illa solummodo quæ per locum sese mouere possunt. non autem omnia huiusmodi esse censentur animalia. Si quidem spongię, & ostreorum genera, sensu quidem prædita esse percipiuntur, loco autem se mouere nequeunt. Dicit igitur quod in illis animalium generibus quæ per locum sese mouere possunt, ad ea quæ dicta sunt, id est, ad duo priora illa dimensionum paria, summum videlicet & imum, ante & retro, vltimum etiam dimensionum reperitur par, dextrum scilicet & sinistrum, quæ opere ipso à se inuicem, & non positura aliqua sunt determinata & seiugata. Dextrum nanque id merito esse censetur vnde mutationis per locum translationisque animalibus est initium. à dextris nanque motus is incipit partibus. Quapropter orientis plagam in commentarijs de cælo vniuersi ipsius dextram dicit esse partem, cum ab ea mundanus nimirum exordiat & incipiat motus: sinistrum autem vniuersi, quod illi est oppositum, merito existimatur, quod dextrum consequi natum est. Et hoc est quod dixerat ipse opere ista esse determinata, non positura. Non enim dextræ iccirco sunt in animalibus partes quædam, quoniam ad dextram cæli vergat plagam, illiq; ideo quadrate & proportionem habere videantur. Non enim constans in animalium genere & inuariabilis semper isthæc est positura: neq; dextræ semper in illis partes dextram cæli conspiciunt plagam, vt de summo & imo recte dici potest: sed dextræ sunt & dicuntur esse, quoniam vt in celesti ministerio inde exorditur motio, ita in animalium opere hinc prima localis est motionis origo. Distinguuntur igitur isthæc, dextrum scilicet & sinistrum, non positura, sed opere, cum alterum quidem illius motionis præstet initium, & quasi dux existat: alterum autem nihil à sese primo afferat, sed tanquā assela ducem comitetur & planè consequi videatur suum. His enarratis Aristoteles subdit. Hoc autem in alijs quidem magis intelligens per illud hoc, extremū istuc dimensionū par, dextrum scilicet & sinistrum, quod dicit in alijs quidē insignius dearticulatiuq; reperiri, & à se inuicē determinari: in alijs vero hebetius & confusius. In eo nanq; animalium genere quæ organicis vtuntur mēbris, qualia sunt pedes, brachia, alæ, reliquaq; huiusmodi affinia & cognata mēbra, siue proportionem respōdentia quædam, vt sunt (verbi causa) in piscium genere pinnæ: hoc profecto par distinctū & præclare dearticulatum esse animaduertitur. Quæcunq; vero organicos non habēt artus, sed corporis circumactu & inflexione sese loco mouēt: (sic enim intelligendū est illud, sed ipso distātiā facientia corpore progrediuntur. distātiā nanq; siue distinctionē & dearticulationem quam organica faciunt membra, solo corpore faciūt) huiusmodi inquam animalia non habere videntur expressum & insignitum hoc tertium dimensionum par: nihilominus illud etiam habent obscurius, & adūbratum magis: alioquin se mouere non possent. Statimq; nonnulla istiusmodi genera nominatim subiungit: vt sunt, inquit, nōnulla quæ pedibus carēt, vt serpentes, & erucae, quas ab incuruatis corporum flexibus campas græci appellant: lombrici præterea, quos terrę intestina denominant: compluraq; istiusmodi reptiliū genera: quæ (vt diximus) omnia cum retrodictas partium in se habeant differentias, non expressas certe, neq; insignitas habent illas, sed confusas & adūbratas. Verum si quod sentio, hoc in loco libere mihi proferre conceditur, iccirco retro adductam de corporum interuallis siue dimensionibus suppositionem philosophum attulisse contenderim, vt extremo isto illorum pari, dextro scilicet & sinistro, hoc vteretur in loco. Nam neq; de alimentis nūc, virtuteq; animalium altrice, neq; de sensibus ipsis hic agit, ad quæ priores illę duæ dimensionum coniunctiones nimirum facere videntur, sed de progressionem animalium per locum, cui (vt vidimus) hoc extremum manifeste deseruit par.



Quod autem à dextris motionis est initium, indicium est, omnes ferre onera in sinistris. Sic enim moueri contingit illud quod fert, cum absolutum sit ipsum mouens. Quamobrem qui sub

sultim vno mouentur pede, facilius id in sinistris faciunt. Mouere etenim natum est dextrum: moueri autem sinistrum. Quapropter onus non in mouentem partē, sed in motam insidere oportet. Si enim in ipso mouente & motionis principio imponatur, aut non mouebit penitus, aut difficilius mouebit. Signum autem quod à dextris motionis sit initium, ipsæ pedum sunt projectiones. Omnes enim quæ sinistra sunt proijciunt. Stantes quinetiam sinistra protendant magis, nisi quid aliter forte contingat. Non enim à proiecta mouentur parte, sed ab ea quæ est abducta: eoque etiam modo dextra tuentur. Ac propterea eadem in omnibus dextræ sunt partes. Vnde enim initium est motus, idem est omnibus, & in eodē omnibus naturaliter situm habet. Dextrum autem est vnde initium est motus. Et eam ob rem in ostreaceo genere quæcunq; sunt turbinata, vndique dextra sunt. non enim ad vertiginem mouentur, sed aduersum omnia procedunt, vt purpuræ, & buccini. Cum enim omnia à dextris moueantur, huiusmodi autem ad eadem sibiipsis semper moueri videantur, omnia similiter esse dextra necesse est.

Quoniam in superiori (vt vidimus) textu Aristoteles de tertia dimensionum coniugatione agens dixerat dextrum esse illud à quo omnibus naturaliter motionis est initium: iccirco hoc in loco multis istuc euidentijs, certissimisq; experimentorum testimonijs ostendere contendit: statimq; à principio literæ dicit signum esse vel euidentissimum à dextris animalium partibus omnis initium esse motionis, cum percipiuntur homines, qui tanquā metrum & mensura sunt omnium, & in quibus maxime distinctæ eæ animaduertuntur esse partes, sinistris humeris quæcunq; comodius & facilius ferre onera, q̄ dextris. cuius rei clarissimā statim subiungit causam, dicens: Si enim contingit moueri illud quod fert, profecto comodius faciliusq; mouebitur si mouens pars scilicet dextra absoluta fuerit & expedita, nullaq; comprimatur oneris mole. Et profecto ita res habet. nam ex claudicantibus manifeste deprehēdimus eos facilius progredi & moueri qui læuo claudicant crure, q̄ qui dextro. quoniā enim motionis initium dextræ sunt partes, si quippā incōmodi illæ patiantur, perperam certe munia peragunt sua. Si autem id ipsum sinistris accidat partibus, quia nō exordiri eæ, sed aliarū natę sunt cōsequi motum, mediocriter sanè cum illis agi videtur. Quā rem alio etiam exēplo cōfirmat dicens illos qui subsultim vno mouentur pede, facilius id sinistro facere q̄ dextro. Dextræ nanq; mouentes partes absolutæ sunt & liberæ: sinistræ vero quæ moueri natę sunt, eo in casu corporis totius onus sustinētes mouētur. Quod si dextro id fieret crure, multo certe incōmodius fieret mouēte parte præpedita, & motionis cōpresso initio, & quasi alligato. Quod cum accidit, aut non mouet omnino: aut (quod diximus) difficilius & incōmodius mouet. Quo in loco (vt omnia pro virili sint à nobis explanata) animaduertēdum esse censeo q̄ vbi nos inuertimus, Quā obrē qui subsultim vno mouētur pede & c. græcus habet textus: *ἰὸ καὶ ἀσκολιάξουσι ῥᾶον*. quod vno vocabulo id quod nos circūloquuti sumus, facillè designat. *ἀσκολιάξιν* enim est vno subsultim crure salire, contra cōcessum homini à natura progressionis motū. Deductū autē videtur esse vocabulum à festiuitatis cuiusdā celebritate quæ *ἀσκολία* apud Athenienses appellabatur, & in Dionysij, id est, Bacchi honorem & cultum fieri quotannis solebat, vbi libera adolescentes licentia tota passim vrbe vnico subsultim crure vagantes supra caprinos inflatos vtres insiliebant. Quod causam fuisse nomini sanè contenderim. *ἀσκόξ* enim vter interpretatur, à quo *ἀσκολία καὶ ἀσκολιάξιν* deducta esse videntur vocabula. Id autem iccirco factitatum fuisse non ab re existimandum est, quoniā capra inimicū alioquin vitib; & noxiū animal Baccho immolata iure sanè tergo plectebatur suo. Aliud etiam post prædicta euident adducit signū, quod à dextris scilicet animalium partibus prima motionum emanent initia. nanque ante omnem, inquit, motum stans animal quod mox sese mouere debet, sinistras habet partes proiectas, nisi casu quodam aliter id se habere videatur. per hæc indicans verba, id quidem aliter accidere posse, non autem sæpius euenire, cum oppositus situs naturaliter insit. Porro cum à proiecta parte nullus sanè incipere possit motus, sed ab illa quæ retro adducta est, nemini profecto esse dubiū debet à dextris partibus omnes exoriri motiones. Quod equidem in stadij certamine manifeste deprehendere licet. Cursores nanque qui signum quo sese moueant expectant, cursusq; incipient suos, sinistro lineā contingēte pede, dextrum abductum

Naturæ inter animalia metrum & mensuram esse hęminem.

Quid ascollia zen apud græcos, & quæ ascollia.

Quæ in ostrea
aceo genere
turbinata ap-
pellatur.

Vertigo quam
Græci dicunt
ἐλίχην.

Purpuræ-
Buccinæ.

retro habent, vt audito tubæ sonantis signo, in illo quidem possint inniti, hunc vero cito mouere incipiant. Quo certe membrorum situ nonnihil etiam commodi resultare posse asserit. Proiectum nanque & procurrens læuum crus plutei vicem & defensorum dextro præstare videtur cruri, ab illoque omnem propellere potest iniuriam, nobiliora semper & digniora ignobilibus vilioribusque protegente natura. Quam ob causam inquit nullam dextrarum à se inuicem partium in animalibus esse diuersitatem merito existimari posse. siquidem eadem in omnibus dextræ sunt partes, à quibus videlicet motus (vt dictum est) fluunt initia. Non enim aliæ (verbi causa) in homine dextræ sunt partes, aliæ vero in equo aut boue, verum eadem vbiq; sunt dextræ, à quibus is qui per locum est incipit motus. Quamobrem in ostrearum, inquit, genere, quæcunque sunt turbinata, id est, turbinis siue conchæ habent configurationem, cum rotunda sint, & in acutum quodammodo desinentia: Græci στρουμβίασιν appellant illa, qualia ex concharum genere sunt purpuræ & buccini, nonnullaque eiusmodi alia quæ loco mouentur, omnia similiter sunt dextra, dextrorsumque mouentur omnia, cum eodē semper moueantur modo, nullaque in eis motionis per locum animaduertatur diuersitas. Mouentur enim omnia non ad vertiginem, siue clauiculam (sic enim in commentarijs de historia animalium inuertit Gaza) sed in aduersam illi & oppositam partem. Quamobrem cum omnis (vt sæpenumero dictum est) à dextris incipiat motio, isthæc autē omnia simili mouentur modo, non ab re omnia esse dextra, & dextrorsum semper moueri existimandum est. Est autem vertigo illa ad quā isthæc non mouetur ostrea, particula quædam caput versus in extrema iacens testa, quam philosophus & hoc in loco & in commentarijs de animalium historia ἐλίχην appellat: vbi etiam hac de re his meminit verbis. Omnia autem turbinata ex ostreaceis dextrorsum mouentur, non ad vertiginem, sed ad oppositum. Purpuræ autem (vt hoc etiam obiter dicamus) ex concharum genere sunt, ex quibus pretiosa coloris ab eis denominata confectura antiquis temporibus factitari solebat. Buccinus vero, quem Græci κίρυκα appellant, minor est concha, ad eius buccini similitudinē quo sonus editur, vnde & nomen, rotunditate oris margine incisa, qui petris adhæret sæpius, circūq; scopulos legitur.



Absoluta autem maxime habent sinistra inter reliqua animalia homines, quoniam maxime secundum naturam inter animalia se habent reliqua. Melius autem natura dextrum est sinistro, & seiugatum: iccirco dextra in hominibus maxime sunt talia. Discretis autem dextris rationabiliter sinistra & ad motum pigriora sunt, & absoluta maxime in istis. Et alia sanè initia secundum naturam maxime sunt discreta, summum videlicet, & ante. In quibus igitur summum & ante sunt discreta, vt in hominibus, & auibus, hæc certe sunt bipeda. Ex quatuor autem duo sunt notæ, ijs quidem alæ, illis vero manus & brachia. Quæcunque autem ad idem summum habent & ante, quadrupeda & multipeda, & apeda. Pedem autem appello partem illam quæ ad pedestrem est notam, motricem per locum. Nomen nanque videntur à pedo hoc est solo deduxisse pedes. Nulla autem priorem & posteriorem partem in idem habent: vt ex piscibus mollia, & turbinata ex ostreaceis. Dictum est autem de eiusmodi prius in alijs.

Quoniam de dextris & sinistris animalium partibus retro, vt vidimus, mentionem fecit philosophus, earumque distinctionem secundum designata vtrisque à natura munia nos manifeste docuit: hoc in loco illam etiam quæ sub oculis cadit differentiam indiscussam non præterit, ab ipsorum exorditur homine, quem inter reliqua (vt diximus) animalium genera exactæ cuiusdam regulæ vicem obtinere prouida voluit natura. Dicit igitur inter animalia omnia homines absolutas maxime sinistras habere partes ab ipsis dextris, id est dearticulatas & seiugatas, euentiq; insignitas discretionem. Hoc autem iccirco, quoniā secundum naturam maxime se habent homines. ac si diceret, quoniā perfectissimus & absolutissimus inter reliqua animalia est homo, & ad typum naturæ opificis exactissime formatus: qui & alioquin secundum naturam maxime se habere merito dici potest, cum partes habeat suas vniuersi partibus haudquaquam dissonas & cōtrarias, sed cognatas & recte quadrates. Cum enim erecte sit stature homo, suprema quidē ad mundi supernas partes: inferna autē ad eiusdem infernas vergentia sanè habere cōspicitur. Quamobrem, inquit, dextra in hominibus maxime sunt talia,

id est dextra. Nam cum melius perfectiusque sit dextrum sinistro: in quo isthæc maxime seiugata discretæque esse apparent, in eodem & dextri excellentia, & sinistri imbecillitas iure & merito animaduerti possunt. Id autem contingere dictum est homini. In ipso igitur quæ dextra sunt, maxime dextra & esse & apparere non verisimile est solum, sed etiam necessarium. In ijs igitur magno discrimine sinistras à dextris superatas cernimus partes, & cum ad motum ipsum, tum ad omnia vitæ obeunda munia longe inferiores. In quibus etiam inquit alia initia, summum videlicet & imum, ante & retro, natura ipsa maxime esse discreta. quod non ratione solum, sed ipso etiã percipitur sensu, qui ad discreta illorum opera, posituras etiã sitúsque varios, tum figuras & cõformaciones clarissime conspiciat & cõprehendit.

10 Is enarratis de dextro & sinistro, philosophus ad alia dimensionum transit paria, ut ex ijs aut iunctis quodammodo, aut seiugatis diuersa inter se animalium distinet genera. Dicit autem quod quæcunque animalia discreta habent & seiugata summum & ante, ut in hominibus videre contingit, & in volucrum genere, illa profecto sunt bipeda: sicut illa quæ has non habent secretas disiunctasque partes, sed secundum idem ante gerunt & summum, cum quadrupeda sunt, tum multipeda, & apeda. Sic enim nos, ut vnum vniuerso redderemus vocabulo, ἀποδᾶ nunc inuertimus: ita animalia appellantes illa quæ pedibus carent. Nam cum animalia omnia (ut dictum est) & exquisitius etiã posthac ostendetur, quaternis moueantur notis, in bipedum sanè vniuerso genere pedes quidè & crura duas obtinent notas, & inter infernas corporis connumerantur partes: reliquas autem duas obtinent notas, in hominibus quidem manus & brachia: in volucrum vero genere ipsæ alæ, quæ ut in hominibus manus & brachia, supernas sanè corporis obtinere censentur partes. In quadrupedum autem genere quaternæ istæ notæ sunt manifestæ.

Bipeda.
Quadrupeda.
Multipeda.
Apeda.

20 in anterioribus namque duæ sunt cruribus, in posterioribus vero reliquæ duæ. In multipedibus autem & apedibus alia sanè notarum istarum videtur esse ratio, quam hoc reticebimus in loco, congruo posthac tempore de illius modo verba facturi. Quoniam autem hoc in loco dicit philosophus quod quæcunque animalium non diuisa & separata, sed ad idem summum habent & ante, quadrupeda sunt & multipeda & apeda: age hoc ipsum pro virili manifesto declaremus exemplo, hoc videlicet modo: equi (verbi causa) & boues, imò vniuersum quadrupedum genus, priores habent pedes, & in anteriori corporis positis parte, & in superiori: quod vel inde liquido apparere potest. Quod enim in homine sunt brachia & manus, id certe in quadrupedum genere anteriores sunt pedes: & quod in homine sunt crura, id in quadrupede posteriores sunt pedes. Dictum est enim hominis speciem, quia secundum naturam maxime esse cõfetur, metrum & regulam omnium nimirum esse debere animalium. Porro in homine manus quidem & brachia cum eo quod summum est sanè faciunt: pedes vero cum imo.

30 In quadrupedi igitur genere anteriores quidem pedes sursum sunt, posteriores vero deorsum. Concurrunt igitur in illis & in idem veniunt summum & ante, nec non imum & retro, nullam certe distinctionis habentia notam, ut in bipedum genere, & præcipue in homine est videre. In illis enim quod summum est, id est capitum vertices, mundi summum respiciunt: anteriores autem partes, ubi (ut dictum est) sensuum reponuntur insignia, laterales cæli conspiciunt plagas, orientem scilicet & occidentem, meridiem & septentriones, quocumque sese verterit animal. In quadrupedum vero genere cum vertices ipsi, tum anteriores etiam partes, laterales cæli prospectant plagas, & ideo in illis idem (quod hic Aristoteles refert) summum est & ante. Et hic (ut arbitror) loci istius non inconcinne sanè videtur esse intellectus. Pedes posthac philosophus recta sanè vocabuli etymologia definire cõtendit, dicitque se eo appellare modo illam in animalibus partem quæ solo innititur, & localis gressibili in genere est causa & instrumentum motionis: asseritque ab ipso ἄποδω, id est, à solo siue pavimento non immerito pedibus inditum fuisse nomen. Cui autem dixisset quod in quadrupedibus idem est summum & ante (ut visum est) in textus calce dicit nonnulla esse animalia quæ nedum ante & summum, sed ante etiam & retro idem habere censentur, quemadmodum, inquit, in piscium genere sunt illi qui appellantur molles, Græci malacia vocant, ut sunt polypi, sepia, loligines, ceteraque id genus: & in ostreaceis turbinata, de quibus retro verba fecimus. In eiusmodi enim omnibus anteriores partes posterioribus quodammodo sunt cõiunctæ, & ex illis quasi globus quidam & circuli orbis est effectus. De eiusmodi autem in alijs se pertractasse dicit, in cõmentarijs videlicet de animalium partibus, ad quos in præsentia nos remittit & relegat.

In quadrupedum genere idem esse summum & ante.

Vnde dicti sunt pedes.

Molles pisces
Polypi.
Sepia.
Loligines.

40

50 **U**m autem tria sint loca, summum, medium, & imum: bipeda quidem summum habent ad id quod in vniuerso est summum: multipeda vero & apeda ad medium: stirpes autem ad imum. Causa autem ea est, quoniam illæ quidem non mouentur: ad alimentum autem est id quod summum est: alimentum vero ijs terra est. Quadrupeda autem ad medium, & multipeda, & apeda, quia non sunt erecta: bipeda autem ad id quod summum est, quoniam erecta sunt: maxime autem homo, quoniam maxime secundum naturam est bipes. Rationabiliter autem initia ab huius

q. iij.

modi dicuntur partibus. Initium namque nobile est. Summum vero imo, & prius posteriori, & dextrum sinistro sunt nobiliora. Bene autem se habet commutato etiam ordine de illis asseuerare. Nam quoniam in illis initia sunt partibus, ideo nobiliores istas oppositis esse partibus. Quod igitur à dextris motionis est initium, ex dictis est manifestum.

Tres locorum
differentia à
quibus animarum
genus
omne diste-
minatur.

Adhuc philosophus circa supra dictas dimensionum versatur differentias, ut ex his recte perspicuis & perspiculis cum animalium inter se omnium quod ad perfectionis pertinet excellentiam, aut imperfectionis ignobilitatem, appareant discretiones, tum ut recte etiam concludatur, quod per longum (ut vidimus) adstruere contendit processum, dextrum scilicet in animalibus motionis per locum esse initium & originem. Dicitque à principio statim litera tria esse loca, siue tres loci ipsius situs, ex quibus vniuersum animantium determinetur genus, & aut primas, aut medias, aut extremas obtinere partes non immerito censeatur, ita quod aut perfectum sit, aut imperfectum, aut medio se habens modo: quauis magna etiam latitudo, multique gradus in vnoquoque trium istorum reperiatur generum. Esse autem isthac dicit loca, summum, medium, imum: & quod summum in bipedum genere cum eo quod in vniuerso summum est, optime quadrare videtur. Homo namque, & volucrum genus omne, supernas corporis partes, id est capitum suorum vertices, necnon brachia & alas ad caelum conuersas habent: & ideo perfectissimum id animalium non ab re censeatur esse genus, cum secundum naturam se habeat maxime. Subditque postmodum multipeda & apeda, in multipedis quadrupedum colligens genus vniuersum, summum habere ad medium ipsius vniuersi. Hoc appellas in loco medium, laterales (ut dictum est) caeli plagas, orientem videlicet & occidentem, meridiem & septentriones. Illorum enim vertices has nimirum mundi prospectant regiones. Quae etiam animantia medio se habere modo cum ad perfectionem, tum ad imperfectionem & ignobilitatem merito sunt censenda. Imperfectissimum autem animantium genus, stirpes scilicet & terra nascentia omnia, summum habere conspiciuntur suum ad ipsius vniuersi infimum & deorsum. Radices enim terrae infixas habent, quibus capitum orisque vice funguntur. Quorum omnium causas cum breuiter, tum perspicue satis hoc etiam in loco philosophus adducit: à primoque incipit stirpium genere, cuius postremo mentionem fecerat, dicitque ideo id sursum esse in stirpibus quod imum & deorsum sit in vniuerso, quoniam illae loco non mouentur, & à terra alimenti attrahunt succum. Porro ea quae succum ut alatur animans attrahit pars, summa proculdubio esse censetur, & sursum sanè esse, ut retro etiam est declaratum. Quadrupeda autem & multipeda & apeda, ad mediam caeli (ut dictum est) spectare ideo plagam, quoniam non erectae sunt staturae, & proceritate carent, prona enim sunt omnia, & medio se habentia modo ad caeli conuexum, & iacentes terras. Bipeda vero eo se habere inquit modo, ut cum vniuerso secundum summum & imum vere consentiant & quadrent, quoniam erectae sunt proceritatis: maximaeque inter illa hominis species, cuius maxime erecta est figurae proceritas. Id enim signare videtur, quoniam maxime secundum naturam est bipes. Addit postmodum philosophus quoniam ex dimensionum numero nobiliores, quae uel ignobiliores esse censeantur, tria illa in medium adducens paria: dicitque ex primo coniugationis nexu summum quidem esse nobilius, ignobilius autem imum: ut ex secundo, ante honoratius nobiliusque est quam retro: parique rationis modo ex coniugatione tertia dextrum sanè excellentius esse censetur, ignobilius autem & uilius sinisterum. Quamobrem, inquit, rationabiliter à nobilioribus huiusmodi partibus initia ipsa emanare videntur. Initium etenim omne & principium honorabile & excellens esse uult: partes autem illae suis oppositis proculdubio sunt honorabiliores. Initia autem siue principia hoc in loco nimirum illa uult intelligi, de quibus retro etiam verba fecit, ubi dictum est quod summum quidem augmenti & alimenti est initium: autem sensuum est origo & principium: dextrum uero illius mutationis quae per locum fit. Quoniam autem, ut vidimus, à tribus illis partibus illa exoriri dixerat initia, quia suis oppositis illae sunt nobiliores, ideo statim subdit posse id etiam conuerso dici modo, quod scilicet ideo nobiliores oppositis suis illae censentur esse partes, quoniam supradicta in illis principiorum reperiuntur initia: ita quod initia partibus excellentiam praestent, & non eam ab illis accipiant. Concluditque suo postea more sermone de huiusmodi re praedictum, dicitque satis esse manifestum ex ijs quae retro adducta sunt, à dextris animalium partibus motionis videlicet per locum initia prouenire.

Quoniam autem est necesse in omni continuo cuius hoc quidem mouetur, illud uero quiescit, cum vniuersum moueri possit statim altero, aut ambo mouentur per contrarios motus, quiddam esse commune ad quod isthac ad se inuicem sunt copulata, & eo loci inesse motionis principium utriusque membri, & similiter status, manifestum est quod secundum quascunque dictarum oppositionum peculiaris extiterit

motus vtrarumque contrariarum partium, omnia hæc commune habent principium secundū dictam partium coniūctionem. Dico autē dextrarū & sinistrarum, summarūq; & infimarum, necnon posteriorū & priorum.

Post enarratas dimensionum differentias, motionisq; per locum initia adinuenta, quæ à dextris corporis partibus in omni animalū genere exoriri asseueravit, cum posthac intendat Aristoteles demonstrare q̄ ea quæ sanguine sunt prædita animalia, quatuor necessario mouentur notis: altius hoc in loco quædam sanè repetit quæ propositæ rei recte cōuenire videntur. Ad quorū ego declarationē intellectūq; cōmodius explicandū, antequā ad ipsam deueniam literā, isthęc in præsentia præmittere non ab re esse duxi: Quod in quacunq; videlicet corporis parte in qua organica copulantur mēbra, & quasi naturali quadā cohærescunt colla, cōiungiq; videntur, animalis quædā est potestas & virtus, quæ illis nimirū est causa & principiu q̄ moueri possint: multaq; sunt eiusmodi in animalibus, quæadmodū multa sunt mēbra: quæ tamē omnes per vniuersum corp⁹ illiusq; mēbra potestates seiugatæ, siue virtutes aut animales potentias appellare illas malumus, ad vnicum nimirū principiu & solitariam deducuntur causam, illam videlicet quæ in animalis corde, tanquā in arce rex, sedem habere suā non immerito censetur, à qua vt ab originis fonte & radice principioque primo omnes sanè aliæ animales deducuntur virtutes ad diuersa corporis loca, vt mēbris applicatæ organicis, illa ad ducis imperium cū mouere possint, tum firmare & quietē illis indicere valeant. Quod autē partes sint quædā in animalium coporibus quibus organica copulentur mēbra, & quasi in vnam coalescant cōtinuū naturā, clarū esse potest cum ex cōmentarijs de animalium historia, tum ex ipsa etiā sectionū experientia, vbi istuc ipsum oculata (vt aiunt) percipitur fide. Tibiā enim cum crure, necnon lacertū cum brachio, medio quodam intercedente termino coniungi copularique necesse est, reliquaq; similiter eiusmodi omnia. Quibus in locis animales potētias illas organicorū motrices mēbrorum inesse & collocari merito est censendū: quæ tamen ad vnicū illud (vt diximus) in corde residens principium vt ad fontē & caput omnes deducuntur suū: quod sanè eo se habet modo ad huiusmodi mēbrorū potestates, quo ad reliqua corporis mēbra ipsum se habet cor. Certū autē est neruos omnes qui vniuersarum certissima sunt instrumenta motionū (vt declaratū est aliās) à cordis fonte sua habere primordia. His præmissis, & ad dicēdorū explicationē breuiter prælibatis, ad textus ipsius literā reuertamur: in qua philosophus dicit q̄ quoniā in omni cōtinuo est necesse quod totū quidē moueri potest, sic autē mouetur q̄ pars quidem illius mouetur, pars vero quiescit: moto enim (verbi gratia) homine, alter quidē quiescit pes, mouetur autē alter: ita quiescētē illo alter qui prius quiescebat, moueri sanè incipit: quoniā, inquit, in omni huiusmodi cōtinuo aliquid esse necesse est cōmune, ad quod partes istę & organica mēbra coniūguntur & copulātur, vt vno stāte aliud moueri possit, aut ambo etiā moueri per cōtrarios possint mot⁹. Et quoniā eo loci interstitio motionis principiu inesse necesse est, animalē in quā illud quo organica mouētur mēbra: necnon illorū status & quietis causam: quod enim principiu est & causa motus, id ipsum sanè quietis etiā causa esse cēsetur: quoniā in quā necesse est cōmune illud inesse, & in cōmuni illo principiu & causam motionis & status reperiri, manifestū q̄. & hic redditur textus litera quę hucusq; fuit suspēsa: Manifestū in quā q̄ secundū quascūq; prædictarū oppositionū, summū videlicet & imū, aut ante & retro, aut dextrū & sinistrū, peculiaris factus fuerit motus, quod iccirco dicit, quoniā alius sanè est motus sursum & deorsum, ab illo qui ante est & retro: & similiter à dextro & sinistro: q̄ omnes illæ partes in quibus supradiçtę motionū spectātur contrarietates, cōmunē habēt causam & principiu cū motionis, tum quietis in suprā enarrata illa mēbrorū copulatione & cōiūctione, quā *συμφυσις* appellat: eā nimirū hoc nomine vocās partē, quę in artuū cōpagibus, neruorū inuolucris mēbrorū nexus & ossium cōtinet suffragines & cōmissuras. Quę principia (vt retro dictū est) perenni motionū omniū fonte, cordis in quā animali potestate interueniente, mouent profecto mouere iussa, & vicissim cum iubetur motum sistunt, & quiescere animal faciunt.

Virtutes quaf
dam motrices
in diuersis
esse mēbris.

Omnes potes
tates ad vni
cum deduci
principium.

Secundum ante igitur & retro in eo quod se ipsum mouet, nullatalis est distinctio, quoniam nulli retroversus naturalis est motio: neq; disterminationem id quod mouetur habet vllā per quā ad horū vtrunq; efficiat mutationem: secundū dextrum autem & sinistrū, summūq; & imum, reperitur. Quamobrem ex animalibus quæcunque mēbrivtētia organi cis progrediūtur, anterioris & posterioris discrimine non sunt disterminata, sed duobus reliquis, in primis verò illo quod secundum dextrum separatur & sinistrum: quoniam hoc quidem in duobus statim inesse necesse est, illud vero in quatuor primis.

Hoc in textu ingeniosa sanè & mira cōcluditur demōstratio, qua animalia omnia sanguine prędita quatuor moueri notis mirifice ostenditur: verū præcise admodū, ne subobscurè dicam, id effici videtur. Cuius explicatio (vt arbitror) hoc se habet modo. Cum enim, vt retro dictum est, eo loci motrix animæ reperiatur vis, vbi organica concurrunt & copulantur membra, quæ sine illa cum inefficacia, tum omni carentia motu proculdubio forent, manifestum profecto esse debet, quod etiam vero est consentaneum, quòd vbiq; organica non reperiuntur membra, sedes inquam & domicilium mouentis (vt visum est) animæ potestatis, ibi neque vim illam motricem reperi posse, qua non existente & præsentè, partem illam proculdubio immobilem iacere est necesse. Cum igitur sex sint dimensionum termini, tresq; illarum (vt vidimus) coniugationes, siue paria tria, si ostensum demonstratūque fuerit quòd secundum illarum vnā nullum organicum reperitur membrum, plenè (vt arbitror) erit ostensum in illa coniugationis natura vim illam animalis motricem haudquaquam reperi posse: deficiente vero illa quæ motionis est causa & origo, motum etiam deficere summa erit necessitas. Quamobrem præclare, opinor, erit ostensum in duabus solummodo dimensionum coniunctionibus posse fieri motiones, cum in duabus tantum illis motionis reperi possit initium. Cum autem duæ coniugationes siue paria (vt clarum est) quatuor signorum disteminentur notis, quas terminos appellauimus: secundum quatuor certe notas, siue signa, siue terminos, animalia sanguine prædita omnia moueri est necesse. Verum isthæc hoc in loco breuiter à me sint præcurfa, vt explanatior ad ea quæ posthac dicentur, nobis appareat via: quare iam accedamus ad litteram. Dicit igitur quòd secundum ante & retro in ijs quæ se loco mouent animalibus, nulla est distinctio, id est, nulla est membrorum organicorum ad motionem facientium dearticulatio. id autem hoc in loco confirmat & ostendit, Secundum ante quidem talem membrorum non esse distinctionem, quoniam non est secundum retro: oppositorum autem eadem sanè debet esse ratio. Quod autem secundum retro talis organicorum membrorum dearticulatio & distinctio non reperiatur, ex illo certe confirmat, quoniam nulli animalium retro versus naturalis est motio. Non est igitur secundum retro organicorū distinctio membrorū ad motum facientium: quæ alioquin si esset, quoniam nullum retro versus naturaliter mouetur animal, temere profecto & frustra id esset. nihil autem frustra (vt in alijs dictum est) ab ipsa fieri solet natura. Non ab re igitur vniuersa ipsius ante & retro cōiugatio huiusmodi carere cēsetur membris quæ ad localem sanè motum commoda & apta esse percipiuntur. Duo autem reliqua paria, dextrum scilicet & sinistrum, summum præterea & imum, eiusmodi nimirum habere videtur membra dearticulate & insigniter seiugata & discreta. Quod, inquit, in animalibus animaduertere contingit illis, quæ membris vtentia organicis sese loco mouere possunt, quæ secundum ante & retro nulla certe huiusmodi membrorum sunt determinata differentia: secundū vero reliquas duas coniugationes determinata sunt & disiuncta: in primis quoque eo discrimine quod dextrum determinat & sinistrum: quoniam primum hoc discrimen & differentia in ijs quæ bipeda sunt animalibus statim inesse necesse est: quæ (vt retro est ostensum) & digniora sunt alijs, & secundum naturam constant maxime, vt eo in genere de humana loquamur specie. in ijs enim omnibus dextrorum sinistrorūque pedum quibus loco mouentur, euidentissimæ distinctionis sunt notæ. Alterius autem coniugationis organicorum distinctio membrorum, illius dico quæ est secundum summum & imum, in quadrupedum primo apparet genere. In ijs etenim post dextrum & sinistrum summum (vt dictum est) in prioribus apparet pedibus: imum vero in posterioribus esse censetur. Et hæc (vt arbitror) satis commoda superioris literæ videtur esse explicatio. Verum vt istuc etiam clarius suppositis innotescat exemplis, age hoc etiam videamus modo: In homine (verbi gratia) dexter quidem pes in dextra mouetur nota: sinister vero in sinistra. Quoniam autem non solum est dextrū infimum, & sinistrum infimum, de quibus nunc diximus, sed dextrum etiam summum, & sinistrum summū: humerus enim dexter in homine ad dextram sanè mouetur summi notam: humerus autem sinister ad sinistram summi mouetur notam: manifestum certe est in duabus illis dimensionum inruallorūque coniugationibus organicorum distinctiones membrorum ad motum facientium proculdubio reperi, quæ in ea quæ secundum ante & retro est coniugatione haudquaquam reperi possunt. Licet enim ad id quod ante est moueatur homo, ad quod videlicet sensuum sunt initia, ad illud profecto moueri censendum est, quoniam secundum notas cum dextri & sinistri, tum summi & imi nimirum moueri percipitur. Quæ sanè res in quadrupedum magis genere palam esse videtur, quorum priores certe pedes illius quod ante est non sunt notæ, sed illius quod est summum: posteriores vero imi sunt notæ, & non illius quod est retro: cum proportione (vt dictū est) respondeant, priores quidem in quadrupedum genere pedes, hominum brachijs & manibus: posteriores vero geminis hominum pedibus, quos ad imum esse deiectos nulla est controuersia. Qua de re præclare admodum in commentarijs de animalium partibus à philosopho est pertractatum. Ex quibus manifeste sanè patere potest neq; manus aut alas in bipedum genere, neque priores in quadrupedibus pedes esse signa aut notas illius quod in animali ante appellatur: sed illius quod summum: combinatiōnemque illam, siue illud par (vt demonstrauit philosophus) nullis organicorum membrorum ad motum facientium determinari insigniriue discriminum differentiarūmq; varietatibus.

Vbi organicū non reperiatur membrū, vim animæ motricem non reperi.

Ante & retro nullis organicis distingui membra.

Brachia & alas in bipedum genere cum illo quod summum est est facere: in omnibus cum illo quod est ante.

Quoniam igitur summum & imum, necnon dextrum & sinistrum eodem & communi ad se inuicem sunt copulata principio: dico autem illud quod motionis est princeps: oportet autem in omni quod a quocumque decenter efficere debet motum, terminari quodam modo, & interuallis ordinarijs, scilicet quæ ad prædicta sunt principia, siue contrario seu eodem ordine se habentia eorum quæ in illis sunt membris: id quod motionum est causa omnium. Hoc autem est, a quo communi principio in animali cum dextrorsum, tum sinistrorsum, tum similiter sursum & deorsum est motio. Id autem unicuique habere, quemadmodum similiter se habet ad singula principia quæ in prædictis sunt partibus. Manifestum igitur quod aut solis, aut ijs maxime animalibus per locum inest motio, quæ duabus aut quatuor efficiunt notis eam quæ per locum est mutationem. Quamobrem cum id ferè sanguine præditis contingat maxime, palam est quod pluribus quam quatuor notis animalium sanguine præditorum moueri potest nullum: & si quid quatuor solummodo moueri natum est notis, istuc sanguine præditum esse necesse est.

Præmissis ijs quæ retro perspeximus de tribus interuallorum coniugationibus, ubi declaratum est eam quæ secundum ante est & retro combinationem, nullam in animalium genere organicorum habere membrorum distinctionem, a quibus nimirum omnes per locum procedunt motus: duas autem reliquas id habere coniugationes: hoc in textu philosophus principale concludit intendit, ostenditque animalia omnia sanguine prædita quatuor solummodo moueri nata sunt notis: ita quod pulchre etiam recurrere possit ratio, ut si quid scilicet animalium in genere quatuor mouetur notis, id proculdubio sanguine præditum esse comprehendatur. Quod igitur hoc ostenditur in loco, id sanè esse percipitur. Ostensionis autem ratio hoc procedere videtur modo. Quoniam, inquit, summum & imum, necnon dextrum & sinistrum ad se inuicem sunt copulata, & quasi coniuncta & vnita illo intercedente principio quod motionis est princeps, id est peculiaris & propria causa: id autem intelligi vult vim animæ motricem in animalis corde degentem, a qua tanquam radice quadam (ut aliquoties dictum est) & fontis origine ad organicorum copulationes & nexus membrorum, virtutisque in ipsis motrices vires & potentie mouendi perpetim suggeruntur, & continua iugique confluunt derivatione: quoniam igitur illa hoc se habent modo, & ad se inuicem sequestre & medio coniunguntur principio: oportet autem in omni re quæ decenter & commode moueri per locum debeat, id de quo nunc verba facimus, motionum scilicet omnium principium & causam terminari quodam modo & ordinari distantijs quibusdam & interuallis ad supra enarrata principia: id est, oportet distantiam & intercapedinem primi huius principij per quam ab illis distat principijs quæ in membrorum articulis organicorum degunt, ordinatam esse & determinatam, ita quæ non huic quidem vicinior existat, ab illo autem separetur longius, & absit magis, sed omnibus ex æquo quodammodo proportione sit commensurata. Quoniam igitur hæc isto se habere debent modo, manifestum sanè est, ut a hunc planè locum vniuersa textus reddatur litera, quæ aut solis, aut ijs maxime animalibus per locum inest motio, quæ duabus aut quatuor mouentur notis: & cætera quæ sequuntur. & huiusmodi profecto præsentis textus ordo & series esse videtur. Nam quæcunque ad partialia spectant loca, hoc se habere videntur modo. Motionis principale & dominum vocat primum motionum omnium principium, id est motricem, ut diximus, animæ vim in corde degentem, quam determinatis & proportionatis elongari distantijs ab illis quæ in membris sunt principijs oportere prædiximus, siue contra se stantia fuerint illa, siue subordinata. Contra se stantia vocans illa ad quæ contrarij sanè sunt motus, verbi gratia sursum & deorsum, dextrum & sinistrum. Subordinata vero appellans illa quæ non sunt contraria, neque contrariæ ad illa vergunt motiones, ut sursum & dextrum, sursum & sinistrum. Similique modo si isthæc etiam duo ad deorsum copulentur, deorsum videlicet dextrum, & deorsum sinistrum. Cum autem dixit quæ prædictarum omnium motionum causam distantijs determinari & præfiniri oportet, subdit id esse principium commune & originem a qua omnia quæ in animali sunt, siue ue dextra & sinistra, siue summa fuerint & ima, peculiaribus mouentur motionibus. Subiungitque postmodum, Id autem unicuique habere, & est subaudiendum, vel oportet, vel necessarium est: defectius namque est sermo: quod est ac si dixisset, necessarium est quibuscumque organicis partibus huiusmodi

Quod sanguine prædita omnia quatuor mouentur notis.

Motionis vniuersæ dominam esse vim animæ motricem.

habere principium, quæadmodum. i. vt similiter se habet illud ad singula principia quæ in organicis degunt partibus. i. vt proportionaliter & ordinate (vt dictum est) appropinquat & distare videtur à principijs & potentijs motricibus quæ in organicis versantur & degunt membris. Postmodum subdit: Manifestum igitur. quod est (vt diximus) totius literæ redditio hucusq; delabētis, & nullibi nisi hoc in loco consistentis, & se firmantis. Vbi etiam illud igitur, pro certe aut profecto est intelligendum, vt ipsa clarior & exactior textus sit redditio. Nam & græci sæpenumero ipsum *ἰδὸ*, quod nos igitur inuertimus, loco ipsius *ἰδὸ*, quæ affirmatiua est coniunctio, apponere solent. Est autem hæc à philosopho intenta (vt à principio diximus) conclusio, quæ animalia scilicet sanguine prædita omnia quatuor mouentur notis. Cuius etiam conuersam eadem rationis via probatam esse constat. Illud vero, quæ duabus, idcirco additum esse videtur, quoniam adhuc non est determinatum & declaratum quæ homo etiam quatuor mouetur notis, licet duabus solis moueri videatur. Illud autem, quamobrem cum id ferè sanguine præditis contingat maxime. i. cum habere in se commune principium æque distans & appropinquans cum dextro & sinistro, tum summo & imo, maxime contingat animalibus sanguine præditis, palam est quæ pluribus. & reliqua quæ sequuntur.

Atestantur autem ijs quæ dicta sunt, ea quæ animalibus cōtingere videntur. Nullum enim ex sanguine præditis animal in frustra dissectum, tēpore (vt ita dicatur) viuere potest aliquo: mutationisq; per locum qua mouebatur adhuc integrum & nō recisum, haudquamquam est particeps. Exanguia autem, & ex multipedum genere nonnulla dissecta, extenso tempore singulis viuere possunt partibus: ijs quinetiam 20 agitari motionibus quibus antequam recisa essent mouebātur: vt ex quæ vocantur scolopendræ, & alia insectorum & prælongorum genera. In huiusmodi nanq; omnibus posterior pars eodem tēdere videtur, quo prior. Causa autem est quæ isthæc dissecta viuant, quæ perinde illorum quodcūq; est constitutum, ac si quippiam ex multis compositum cōiunctumq; esset animalibus. Cur autem hoc se habent modo, palam est ex ijs quæ dicta sunt prius. Duabus enim aut quatuor notis moueri nata sunt quæ natura constant maxime.

Quoniam in superiori dixerat textu Aristoteles quæ sanguine prædita animalia omnia quatuor mouebantur notis, & quæ eiusmodi vniuersa commune habebant principium illud à quo omnium sanè in eis localium motionum manabant initia: hoc in textu dicit huic sanè rei vel cuiusdentissime attestari & suffragari posse id quod circa animalia ipsa manifeste deprehenditur sensus iudicio. Ex sanguine nanq; præditis inquit nullum in plures dissectum recisumq; partes diutius perseverare & viuere posse, ita quæ frustra illa recisa de per se viuere valeant. Neq; hoc ab re mehercule. quoniam enim recisæ illæ, & à toto separatæ partes vitalem illam potentiam recipere nequeunt quæ prius à communi illis principio dispertiebatur & subministrabatur, idcirco neq; moueri possunt neq; diutine in vita perseverare. Quod secus in sanguine carentium genere manifestò accidere videtur. In illis enim, quia neque perfectæ sunt, neque secundum naturam maxime constare videntur, plura certe potestate sunt principia eiusmodi, quale in perfectiori animalium genere vnicum est, quod sanè diximus ad organica corporis mēbra vires impertire & submittere suas. Cū igitur in illis potestate eiusmodi plura sunt principia, tanquā in singulis disseminata mēbris, quæ illis præcis in actum exire possint, vt in stirpium genere altricem conspicimus esse vim, quæ non solum in stirpibus, sed in ramorum etiam furculis tota reperitur, quapropter ex parente auulsæ, cum in terræ gremio, tum in diuersarum complexu stirpium, furculorum viuunt propagines: cum inquam in ijs quæ sanguine carent animalibus, huiusmodi plura insint principia, non est profecto quæ admirari debeamus si partes quæcunque dissectæ eo viuere & motari possunt modo, ad aliquod saltem temporis interuallum, quo sanguine prædita viuunt animalia dum integra sunt & illesa, quoniam vnicum illud habent principium actu in corde degens, non potestate in membris disseminatum, vt illa merito habere cēsentur. Quibus etiam subdit philosophus quæ non solum exanguia illa animalia per recisas partes diutius perseverare & viuere possunt, sed iisdem etiam mouentur motionibus quibus priusquam præciderentur moueri videbantur. Nam posterior, inquit, scolopendræ pars recisa. s. eodē tendere videtur, quo prior illius ten debat pars. Est autem scolopendra ex reptantiū genere animal, quam à pedunculorum multitudine

Cur exanguia animalia præcisa per partes viuere & moueri possint.

In stirpium partibus altricem vniuersam esse vitam.

Scolopendra, quæ centipedam vocant.

centipedam nostri appellant. Eiusdem etiam nominis in aquatiliu genere est animal propter terrestris illius fortasse similitudinem sic denominatum: cuiusmodi etiã dicit esse insecta nõnulla, & quæcunq; prælongi & extensi sunt corporis: qualia ex terrestribus quidem sunt vermium genera, lombrici quinetiam & lacertæ, multaue eiusmodi alia: in aquatiliu vero genere, cum illæ de quibus locuti sumus sunt scolopendræ, tum anguillarum est genus, quarum præcisæ partes & viuere percipiuntur, & moueri ad illum sanè posituræ situm ad quem priusquam præciderentur serpebant & mouebantur: verbi causa, quoniam scolopendræ meminit philosophus, sit integra & non recisa scolopendra A C, quæ postea præcidatur in ipso signo B. Caput autem ipsius sit A, cauda vero C. Quo igitur tendet A B, eò sanè B C tendere videbitur: ita q; duæ illæ partes secundum præcisiones illas sese respicient: dico C B, ipsum B A. Subdit postmodum causam Aristoteles propter quam præcisæ huiusmodi animalia per partes viuere & moueri possunt, quam nos sanè retro adduximus de disseminatis illis potestate principijs per omnes exanguium animalium partes, quæ postea in actum illis cõcisis exire queant. Quoniam autem illorum vnaquæque pars in se principium habet: id quod communi proportione respondet principio illi quod in sanguine præditis reperitur animalibus, iccirco, inquit, quodlibet sanguine carentium non ab re existimari potest animal vnum ex pluribus compositũ & constans animalibus. Concludit postmodum philosophus dicens, Manifestum etiam ex ijs quæ prædicta sunt, q; huiusmodi omnia imperfecta sunt, & tanquam à parente rerum omnium natura neglecta. Siquidem ostensum est natura maxime constantia, id est perfectiora, & exactioris opificij animalia, duabus aut quatuor proculdubio moueri notis.

Vermes:
Lombrici.
Lacertæ.
Anguillæ.

A B C

- 10
20
30
40
- S**imiliq; modo quæcunq; sanguine prædita pedibus carent. isthæc enim omnia quaternis mouentur notis, per quas loco se cõmouent. duobus namq; vt plurimũ vtentia flexibus procedunt. Dextrũ enim & sinistrũ, prius & posterius in latitudine existunt: & in vtroq; illorũ inflexu, in parte quidem ad caput vergente anterior est nota cum dextra, tum sinistra: in illa autem quæ ad caudam spectat, posteriores sunt notæ. Videtur autem isthæc duabus moueri notis, per priorem scilicet contactum, & per posteriorem. Causa autem est, quoniam angustum est latitudine id animalium genus. Nanque in ijs etiam dextrum præcedit, vicissimq; rededitur posterius, vt in quadrupedibus. Inflexionum autem causa est longitudo. Quemadmodum enim valde proceri homines gradiuntur incurui, & dextro humero in priorem partem vergente, sinistra coxa ad posteriorem magis recedit, mediumque concuum fit & incuruum: ita intelligere oportet serpentes incuruis notis supra terram se mouere, & quod similiter mouentur vt quadrupedes. vicissim enim commutant concuum & curuum. Quando vero rursus sinistrum anterius procedit, ex contrario rursus concuum fit. Dextrum enim interius fit denuo. Prior dextra nota vbi A, sinistra vbi B. Dextra posterior vbi C, sinistra vbi D. Sic autem mouentur ex terrestribus quidem serpentes, ex aquatiliu vero genere anguillæ, & congri, & muræne, & alia præterea quæcunque serpentium formam referunt. Verum ex aquatilibus quædam pinnas non habent, vt sunt murænæ, sed mari perinde vtuntur vt terra serpentes & mari. Natant enim eodem serpentes modo, quo in terra mouentur. Nonnulla autem duas solum habent pinnulas, vt cõgri sunt & anguillæ, & mugilum genus qui in Sipharum lacu nascuntur. Quamobrem paucioribus mouentur inflexibus in humore & in terra quæcunque in terra viuere assueta sunt, vt anguillarum est genus. Ex mugilum vero genere quicumque duas habent pinnas,


*

corporum inflexione quaternas in humore exæquant notas.

IN superioris textus calce dixerat Aristoteles q̄ animalia illa quę natura maxime cōstare vidētur, id est nobiliora & perfectiora, duabus aut quatuor mouentur notis: quod idcirco (vt diximus) sub disiunctione est prolatum, quia adhuc non declarauit, quod mox est facturus, q̄ homines etiam ipsi qui duabus solum moueri videntur notis, iisdē proculdubio quatuor vt reliqua mouentur animalia sanguine prædita. In huius autem textus initio ostendere contendit philosophus q̄ non solū sanguine prædita & pedes habentia animalia, de quibus nulla est controuersia, quatuor mouentur notis, sed eodem etiam sit modo in eo animalium genere quod sanguine quidem præditum esse, pedibus vero omnino carere conspicitur, quales cum terrestrium, tum aquatiliū plures sunt species. eæ nanq̄, & in terrestri præcipue genere, duobus procedunt corporum inflexibus, quorum vnus quidem prior esse videtur, qui ad caput sanè vergit: alter vero posterior, qui ad caudā tendit. In quorum latitudine inflexuū cum dextra & sinistra, tum priora & posteriora esse animaduertūtur. Quemadmodū enim equus (verbi causa) dextrum habet priorem pedem, & simili modo sinistram: præterea dextrum posteriorē, & eiusmodi sinistram: ita in vtroq̄ illorum inflexuum quibus intercedentibus serpens (verbi gratia) loco mouetur, cum dextræ, tum sinistræ sunt partes: cum autem inflexus sint duo, necesse est & serpentes ipsos, & alia similiter animalia quę corporum extensione prælongorum serpentium præ se ferunt figuram, ad eum qui per locum est motum, quaternis proculdubio moueri notis: quamuis videantur, inquit, serpentes non quatuor, sed duabus solum moueri notis, per priorem videlicet & posteriorem contactum, id est secundum priorem & posteriorem corporis inflexum. ijs enim tangere conspicitur terram serpens. id autem videtur, inquit, & vere non est, quoniam angustum sanè & exile id animalium est genus: corporisque non satis amplam habet latitudinem, vt bene discerni percipere possint quænam sint dextræ & quæ sinistræ notæ cum in prioribus, tum in posterioribus existentes inflexibus. Non mouentur igitur isthæc animalia duabus tantummodo corporum notis, sed quatuor, vt quadrupedū genus omne quod per diametrum moueri percipitur. In illis enim (verbi causa) dexter præcedit prior pes, ipsum autem consequitur sinister posterior: & rursum præcedit quidem sinister prior, sequitur autem dexter posterior, eoque mouentur modo. Ita in serpentium genere, aliisque quæ eodē reptant modo, si diligenter quispiam intēdere animum voluerit, fieri manifeste percipiet. Quod nos

Non solū sanguinea & pedata quatuor moueri notis: sed etiam apeda.

SERPENS



Aristotelem sequentes hac declaremus via. Sit serpens qui moueatur verbi causa s. Incurua autem illius circumferentia, dextrumq̄ similiter latus anterioris inflexus sit A. Concaua autem circumferentia eiusdem inflexus, & sinistram illius latus sit B. Rursumq̄ incurua circumferentia posterioris inflexus, similiterq̄ sinistram serpentis latus sit D. Concaua vero, & dextrum latus eiusdem inflexus sit C. Cum igitur loco sic mouetur serpens, præcedit quidē ipsum A, vt anterior dexter in quadrupede pes: consequitur autem D, vt sinister posterior pes. Et quæadmodum in quadrupede per extensionem quidem & proiectionem prioris dextri pedis, consequutionem vero & attractum sinistri posterioris, is sanè sit qui per locum est motus: eodem modo & proportionis ratione in ipsis etiā serpentibus reptantibusq̄ omnibus fieri contingit. Cum enim magis incuruatur ipsum A, & eā ob causam ipsum B magis sit concauum, necessario ipsum D extenditur, & consequi percipitur quasi attractum. Si enim circumferentia illa vbi est A, maior efficitur, & cum incuruatur, tum cōcaua fit magis, summa est necessitas circumferentiam illam vbi est D, extendi, & illam sanè cōsequi. Hoc igitur in casu præcedit quidem dextrum quod est A, & vicissim redditur posterius, id est sequitur sinistram quod est ipsum D. Sicq̄ vicissim concauum & curuum commutantur. B nanq̄ quod erat concauum, fit curuum: ipsum vero A quod erat curuum, fit concauum. Similiterq̄ modo D quod erat curuum, fit cōcauum: ipsum vero C ex concauo fit curuum: & isto deinceps modo eiusmodi partes in vniuerso animalium

florum cōmutantur motu: semperq̄ ex incuruis concaua fiunt, & ex cauis incurua. Horum autem inflexuum causam in serpentibus & eiusmodi alijs dicit esse philosophus prælongam corporum extensionem: cuius rei tanquam notius quiddam ab hominibus mutuatur exemplum, qui vastis & exilibus sunt corporibus, quos vulgo longuriones nonnulli appellare solēt. ij nanq̄ incurui quodammodo ambulant, & dextro procurrente humero, sinistra illum retro consequitur coxa, corporisq̄ interioris pars concaua fit & repanda ob immensam illius molem longitudinemq̄ proportione carentē. Pariq̄ rationis modo sinistro procurrente vicissim humero, dextra consequitur coxa, intermediarq̄ rursum corporis partes ex cauis mutantur ad curuas, & è conuerso. Similiter igitur in serpentium fieri genere est existimandum. Subditq̄ postmodū philosophus, id quod iam diximus, quomodo scilicet vicissim cum dextrarum tum sinistrarum mutationes fiant partium ex concauis ad incuruas, & similiter contrā: quo in loco vbi legitur, quando vero rursus sinistram, vel subintelligendum est aliquid à philosopho prætermisum: vel potius in exemplaribus quæ vidimus, corruptum esse locum existimandum est: quamobrem asterisco illum signauimus, vt si cui posthac rectorum exemplariorum facultas dabitur, signatum mendum paruo negotio corrigere possit. Nobis interim sufficere satis potest q̄ literæ vt exposuimus intellectus satis (vt arbitror) clarus est, & recte percipi dignosciqū potest. Subdit postmodum recensendo philosophus quæ animalia cum terrestria, tum vero aquatilia prædicto

Cur serpentium genus inflexibus moueatur Longuriones.

mouentur modo, duobus scilicet inflexibus, & quatuor notis: differentiamque in medium adducit quaedam in aquatiliū genere apparentē, dicitque ex illis quaedam non habere pinnas, quæ ad natandum proremigio pisciū sunt generi: & murænas nominat: quāobrem eæ, inquit, vtuntur mari, vt serpentes cū terra, tum mari etiam vtī conspiciuntur. Natant enim aliquando serpētes, & duobus in humore vt in sicco vtuntur inflexibus, & notis quatuor. Ita murænas, quoniam pinnas non habent, duobus vtī inflexibus vero est consentaneum. Ex aquatiliū vero genere quęcunq; parte omnino non carent illa, sed duas tantū habent pinnas, vt sunt congri & anguille, & mugilū genus, paucioribus, inquit, mouētur inflexibus, id est vno minus q̄ illa quæ pinnas non habēt. Vniuersum nāq; id genus vnico moueri inflexu verissimile est. quoniam enim in humore duabus vtuntur pinnis, si duobus etiam vtentur inflexibus, pluribus q̄ quatuor mouerētur notis. quod haudquaq; fieri potest. Sanguinea nāq; omnia quatuor solummodo moueri notis iam est ostensum. Quo etiam modo, inquit, si quid illorum quæ duas habent pinnas, in terris aliquādiu perdurare potest, per locū moueri oculata percipitur fide, vt in anguillarum genere contingit videre. Duabus nāq; pinnis, & vnico serpēt inflexu: ex quibus quatuor sanè efficiuntur notæ. Quam rem in textus calce ipse etiam declarat, mugilū genus dicens illud quod duabus vtitur pinnis, vnico inflexu exæquare in humore quaternas illas notas: quarum duæ scilicet priores in pinnis existunt, posteriores vero duæ in vnico illo corporis inflexu colligi debent. Quoniā autē pauloante dixerat genus id mugilū de quo verba fecit, in Sipharū nasci lacu: vt hoc etiā obiter explicemus, animaduertendum est Siphæ Thespiensium quōdam fuisse nauale. Thespię autē Bœotię ciuitas fuit, parua alioquin illa per se & ignobilis, verum ob Cupidinis signum à Praxitele admirando factum artificio, celebrata, ab omnibus ferè id temporis elegantioribus inuisebatur. Sipharum autem vocabuli cum in commentarijs de historia, tum in ijs qui de animalium partibus inscribuntur meminit Aristoteles.

Murænae.
Congri.
Anguille.
Mugiles.

Siphæ Thespiensium nauale.
Signū Thespiensium Cupidinis.

CAUSA autem cur serpētes pedibus carent, est, tum quod nihil frustra efficit natura, sed omnia ad optimum respiciens vnicuique ex ijs quæ fieri possunt, singulisque peculiarem conseruat essentiam, & quod quid erat ipsi: tum ob id quod à nobis prius est dictum, nullum scilicet sanguine præditum pluribus quàm quatuor moueri posse notis. Ex ijs enim manifestum est quod ex sanguine præditis quęcunq; ob longitudinem ad reliquam corporis naturam sunt enormia, vt serpētes, haudquaquam pedestria esse posse. Plures enim quàm quatuor pedes illa habere non est possibile: exanguia nāq; essent. Si vero duos aut quatuor haberent pedes, immobilia ferè penitus essent: adeo necesse esset illorum motū esse tardum, & vsui ineptum.

Quia retro dixerat nonnulla cum terrestrium, tum aquatiliū genera sanguine prædita, quæ protensis & longis corporibus serpentium referunt figuram, ad eum qui per locum est motū corporum inflexionibus vtī, quibus quatuor sanè notarum vicem supplere animaduertūtur, quoniam huiusmodi omnia pedibus carēt, hoc in textu rei huius causam quærit, adductam etiam in commentarijs de animalium partibus. De serpentibus autem speciatim verba facit, vt notioribus nobis: dicitque illos idcirco pedibus carere, quoniam illis vsui non essent, nihilque inde commodi vtilitatisque percipere sanè possent. Porro natura ipsa nihil vnquam frustra, nihil operatur incassum, sed ad id semper quod optimum est prospectans, & sese dirigens, omnia pro subiecta sibi materia ad speciales rerum essentias meliori quo fieri possunt modo fabrefacit & efficit, saluti semper consulens, & in singularibus ad speciem conseruandam prouidens. Necnon causam etiam esse dicit illam de qua verba fecit, quæ sanè est quod nullum scilicet ex ijs quæ sanguine prædita sunt animalibus, pluribus quàm quatuor se mouere potest notis. Hoc nāq; constituto ostensoque perspicuum certe est quod ex illorum numero animalium quęcunq; productiora sunt, reliquaq; corporis naturam longitudini respondentem non habent, sed asymmetra sunt & enormia ad reliquum corporis habitum, vt serpentiū vniuersum est genus, pedibus omnino carere illa necesse est. Plures enim quàm quatuor habere non possunt pedes: quippe sanguine hoc modo illa carere oporteret. In cōfessis autem est illa esse sanguine prædita, & ostensum etiam est eiusmodi omnia quatuor se mouere notis. Si autem duos aut quatuor haberent pedes, vt pleraque sanguine prædita habēt, ob incommodam corporis longitudinem aut omnino se mouere non possent, aut tardo admodum & inepto corporis motu, & ad nullū vitæ vsu commodo proculdubio mouerentur. Melius igitur est, & ad illorum conseruationem conducibilius, vt inflexibus moueantur illis, eoq; modo quaternas corporum repræsentent notas. Qua

Cur serpētū genus pedibus careat.

de re in ijs qui de animalium inscripti sunt partibus commentarijs, verba faciens philosophus, huius nominatim meminit loci, de aquatiliū agens genere serpentium figuram habente: causamq; inuestigans cur ex illis nonnulla pinnis omnino carere videantur, hæc ad verbum in quarto illorum commentario scribit. Causa autem est quamobrem pisces qui serpentium formam referunt, pinnas non habent, eadē & cur serpentes pedibus carent. De hoc autem dictum est in commentarijs de incessu & motu animalium. Aut enim perperam, aut omnino non mouerentur quatuor mota notis. Si enim iuxta se positas haberent pinnas, vix moueri possent. Si vero distantes, quoniam longum est interstitium. Si autem plures haberent quæ ad motū faciunt notas, sanguine certe carerēt. Hæc ille, ex quibus obiter animaduertendum esse censeo q̄ alium in ijs commentariorum suorum designat ordinem, quam in superiori de motu animalium fecerat libello. Ibi namq; in epilogi principio commentarios de partibus animalium post historiam omnibus sanè præponere videtur alijs, quos tamen hic libellum de incessu animalium planè sequi vult, cum illum tanquam præforem citet.

Commentarij
de animalium
partibus.

Quæ autē pedestre animal pares necessario habet pedes. Quæcunque enim solo saltu eam quæ per locum est faciunt mutationem, nihil sanè pedibus ad huiusmodi indigent motum. Quæcunque vero saltu quidem vtuntur, ipsis autem is sufficiens non est motus, sed progressu etiam indigent: certum est quòd ijs quidem melius, illis vero impossibile penitus progredi, quoniam omne animal pares habere pedes necesse est. Cum enim talis per partes sit mutatio, & non toto simul corpore, vt est saltus: necesse est has quidem commutatis pedibus manere, illas vero moueri, & oppositis vtrumque horum præstare, commutans à motis partibus pondus ad illas quæ permanent. Quamobrem neq; tribus vtens, neque vno, vllum ingredi potest animal. Hoc enim nullum penitus habet fulcrum quo corporis sustineat pondus: illud vero in altera oppositionum laborat: quare necesse est ipsum ita se mouere tētans, rueret. Quæcunque autem sunt multipeda, vt scolopendræ, hæc certe imparibus progredi possunt pedibus, quemadmodum moueri conspiciuntur si illorum quispiam vnum decurtauerit pedem: quoniam contrastantium mutilationi pedum, illorum frequentia qui in alia stant parte, succurritur. Fit enim in illis vt mutilati membri tractus ab alijs, & nō progressio. At tamen manifestum est quòd melius isthæc ipsa mutationem efficerent si pares haberent pedes, nulloque deficiente contra se stantes omnes haberent pedes. Ita enim magis æquari poterit pondus, neque in alteram partem declinare, si contra se stantia habuerint fulcra, nullumque oppositorū vacuum locum. Procedit autem ab vtraq; sui parte alternatim id quod ingreditur. Ita enim ad eum qui in principio fuit situm fit restitutio. Quòd igitur pares habent omnia pedes, & quam ob causam, dictum est.

Cur pedestria
omnia pares
habeant pedes

Posteaquam retro ostendit philosophus q̄ sanguine prædita omnia quatuor mouentur notis cū ingrediuntur, & loca permutant, causamq; subiunxit cur ex illis pleraq; pedibus carere videtur cum in terrestrium, tum etiam in aquatiliū genere: hoc in textu demonstrat, manifestasq; suggerit causas cur pedestria omnia necessario pares habeant pedes, quæ vna ex propositis in commentarij huiusce proemio fuerat quæstionibus. Cum autem ex ijs quæ saltu loca commutāt animalibus, quædā ad id efficiendum solo vtantur saltu, vt pleraq; in apedum genere sunt animalia quæ in arcum reducta profiliūt & quasi eiaculantur: alia vero non saltu solo ad eum qui per locū est motū, sed pedibus etiam vt conspiciantur, vt pulices sunt & locustæ, nonnullaq; alia id genus animalia: in prioribus quidē illis huiusmodi non esse quæstionis locum dicit, cum pedibus omnino careant illa, neq; pares

enim neque impares merito habent pedes, quæ nullos habent. Ex ijs vero reliqua quæ non solo vtuntur saltu ad localem motum, sed etiam pedibus mouentur & ambulant, illos necessario pares habere asseuerat: ad summamque confirmat animalia omnia quæ ad eum qui per locum est motum pedum vtuntur officio, pari illos numero proculdubio possidere. Quoniam autem huiusmodi in triplici differentia sunt animalia, aut enim bipeda sunt, aut quadrupeda, aut multipeda: idcirco subiungit, & vt euidenter enunciat. Manifestum quod ijs quidem melius, illis vero impossibile penitus progredi. Quæ litera (vt opinor) hunc habere videtur sensum, quod multipeda quidem omnia, siue insecta fuerint, siue ex aliorum genere, licet impari pedum numero per locum moueri possint, nihilominus melius & expeditius id facere valent si pares habuerint pedes, quam si secus illos habere contigerit. quæ sanè res sensu manifeste deprehenditur. **10** Quadrupeda vero & bipeda progredi & ambulare est impossibile nisi pares habuerint pedes. Ad quod demonstrandum, & necessario concludendum, hac procedit via. Cum enim, inquit, huiusmodi mutatio, quæ scilicet per locum est, pedatis accidat animalibus vicissim per partes, & non toto simul corpore, vt in illis quæ solo vtuntur saltu, ita quod ij quidem stent pedes, niuersumque fulciat corpus: illi vero commoueantur: vel vnus quidem maneat pes, corpusque sustentet: alter vero moueatur, vt in bipedu contingit videre genere: alternatimque dum se commouet animal, ij hoc se habeant modo: necesse sanè est pedata omnia pares numero habere pedes. nam in bipedu genere impossibile omnino est vnico quippiam ambulare pede. nihil enim restat, si is moueatur, quod corporis fulciat sustentetque pondus. In quadrupedum vero genere tripes quidem fortasse stare poterit animal, moueri autem minime poterit. Vergens namque corporis onus ad partem illam vbi vnicus est pes, illi nimirum laborè præstabit, pressuramque conteret sua, conatumque se mouere animal illud in præceps dabit. Multipeda autem licet impari pedum numero loco se mouere possint, non bene profecto id efficere valent. Tractus namque ille est potius mutilatæ partis ab opposito sibi latere ob pedum multitudinem id facere valente, quam verus per locum motus, qui melius sanè & expeditius (vt dictum est) paribus efficitur pedibus, nullo ex alterutro ordine vel amisso vel detracto pede. Et hæc summam constricta hoc in loco huiusce rei philosophi est demonstratio. Illud autem in litera, & oppositis vtriusque horum præstare, & quæ sequuntur, signare videtur, id quod oculis deprehenditur, quod in motu scilicet locali animal per oppositas partes dextras videlicet & sinistras vicissim quiescit & mouetur. id enim est vtrumque horum præstare & efficere, corporis semper transferre pondus à motis partibus ad illas quæ quiescunt & manent. Quam obrem, inquit, neque vno, neque tribus ambulare pedibus vllum potest animal. quam certe rem manifeste declarat, vt nos paulo ante fecimus. Cætera autem sunt aperta & clara, vt dictum est retro, vsque ad literam vbi dicitur, Procedit autem ex vtraque sui parte &c. quæ huiusmodi habere videtur intellectum. **20** animal motum, verbi causa equus, quando quiescere & stare debet, habens (si ita contigerit) procurrentem dextrum priorem pedem, subsequentem vero sinistrum posteriorem, reliquos sanè profert pedes, illosque ad æqualitatem adducit prioribus illis, & eo fit restituiturque modo in habitu illo, corporisque totius positura, in qua certe erat priusquam ambulare inciperet. Ex quibus verbis mota loco animalia ostendit tum paribus vti pedibus dum ambulant, tum commutatim stantes & motos in eo opere proculdubio illos habere. In extrema postmodum textus litera, vt in plerisque solet, istuc ipsum de pedum paritate in pedatis animalibus breuiter & commode concludit caput.


30 **Q**uod autem nisi quippiam quiesceret, non sanè esset flexus, neque directio, ex ijs manifestum. Est enim flexus ex recto ad curuum aut ad angulum mutatio: directio vero, ex alterutro horum ad rectum. In omnibus autem dictis mutationibus ad vnum necesse est signum rectitudinem fieri. Verum enim uero flexu non existente, neque progressio, neque volatus, neque natatus sanè erunt. Etenim habentia pedes quoniam super vtrumque oppositorum crurum vicissim stant, pondusque sustinent, necesse habent altero progrediente inflectere alterum. æqualia namque longitudine nata sunt habere opposita membra: & quod ponderi substat, rectum esse oportet, vt perpendicularum ad terram. Quando autem progreditur, fit hypotenusæ valens manentem magnitudinem, & eam quæ interiacet. **40** Quoniam autem æqualia sunt membra, necesse est inflecti id quod manet, aut in poplite, aut in cōflexione: vt si quippiam eorum quæ progrediuntur, genibus careat. Signum autem quod hoc ita se habeat, id est: **50** Si quis enim iuxta parietem per terram ambulet, quæ designatur linea, non

est recta, sed obtorta, quoniam minorem quidem flectentis fieri descriptā
 necesse est, stantis autem & erecti maiorem. Contingit autem sanè crure
 inflexum non habente moueri, quemadmodum infantes reptant, & de
 elephantis antiquus huiusmodi erat sermo, haudquaquam verus: quippe
 cum id genus omne moueatur inflexione in humeris facta aut coxis. Ve-
 rum rectum progredi nullum potest continue & firmiter: moueri autem
 poterit, vt in palæstra ij qui per puluerem genibus reptant. Ampla est
 enim superior pars, quam obrem magnum etiam debet esse membrum.
 Si autem hoc, flexum esse necesse est. Quoniam enim stat ad rectum, vel
 concidet recto minore effecto, vel non progredietur. Si enim altero crure
 recto progreditur, alterum maius erit, cum sit æquale. Hoc nanque pote-
 rit & id quod quiescit, & ipsam hypotenusam. Necesse igitur est & infle-
 cttere id quod procurrat, & inflexū simul alterū extendere. Membra enim
 æquilaterum trigonū efficiuntur, caputq; fit inferius vbi perpendicularum
 fuerit in quo firmatur.

Quoniam retro (vt vidimus) dixerat Aristoteles, & nulla probationis necessitate præmissa sum-
 pserat qd omnis qui per locum est motus, ex quiescentibus quibusdam & motis sit partibus:
 & quod dum se loco mouet animal, in oppositis horum vtrūq; efficit membris, commu-
 tans & transferens corporis ipsius pondus à cōmotis partibus ad illas quæ stant & quies-
 cunt: quoniam in quā hæc retro præmiserat philosophus non probata, idcirco hoc in loco hæc ipsam
 rem probare & demonstrare contendit. Cuius sanè vniuersa ratio hoc ferè concludi potest modo. Si
 nullum est quiescēs in locali motu, nullus certe est flexus. si nullus est flexus, nullus planè est motus.
 Si nullum ergo in locali motu est quiescēs, nullus certe est motus: sed est motus, vt apparet, & flexus.
 est igitur quippiam quiescens, quod necessario ad omnem motum qui per locum est requiritur & esse
 se debet. Hæc sanè videtur loci huius esse demonstratio per hypotheticum conclusa syllogismum:
 cuius cum duo sint (vt patet) connexa, pluribus varijsq; ostensionum rationibus illorum vtrūq; phi-
 losophus declarare contendit: in primisq; perspicue satis id facere aggreditur ex claris cum inflexio-
 nis ipsius, tum directionis descriptionibus, quas breuiter hoc tangit in loco, quoniam de eisdem pro-
 lixius in quarto de sublimibus, quæ meteora vocant, commentario verba facit. Subiungitq; postmo-
 dum qd in omnibus dictis mutationibus quæ scilicet per locum fiunt, pedum opera mediātibus flexi-
 bus videlicet & huiusmodi directionibus, necesse est cum flexum, tum directionem ad vnicum fieri
 signum, siue punctum: quod in animalibus quidem quæ pedum vtuntur officio, palàm est. Crus enim
 in poplite & genu flectit: vicissimq; in eisdem membri eiusdem directionem faciunt, licet in quibus-
 dam quæ genibus carent, id ita manifeste non percipiatur, quibus tamen cum flexus, tum directio in
 locali certe accidunt motu: vt etiam in ijs quæ pedibus carent, fieri animaduertitur. Flexus enim &
 directiones eorundem fieri membrorum vicissim & commutatim manifeste cernuntur. Quo in loco
 animaduertendum est signum accipi siue punctum non mathematicorum more, qui ab illo omnem
 sanè excludunt partem, sed physicorum, qui illi concedunt partes, in quibus cum flexiones membro-
 rum, tum directiones in locali motu fieri censentur. post quæ dicta secundum subdit syllogismi con-
 nexum, quod tale (vt diximus) est: si nullus est flexus, nullus certe est motus. quam sanè rē ex tripli-
 ci animalium differentia secundum tria vniuersi ipsius loca eisdem assignata manifeste ostēdit dicēs,
 Flexu nō existente, neq; progressio certe erit vlla, quæ terrestribus nimirum cōpetit animalibus: neq;
 volatus, qui volucrū sanè generi est attributus: neq; natatus, quo aquatilla loco mouentur omnia, illa
 videlicet quæ loca commutare nata sunt. His præmissis & declaratis philosoph⁹ hypothetici supra-
 dicti assumpto prætermissio pro parte, motum scilicet esse, quod sensui manifeste apparet, ostēdit in
 omni locali motu necessario inesse flexum, quæ sanè assumpti erat pars: in primisq; id in bipedū ostē-
 dit genere: cuius certe ostēssio multipedum etiam generi quadrare potest: postmodum vero id ipsum
 in ijs quæ pedibus carent animalibus demonstrabit. Huiusmodi autem ostensio mathematica est, &
 geometrica (vt aiunt) necessitate hoc procedens modo. Consideretur stans Socrates æquis ad lineam
 pedibus, nullo illorum aut procurrente, aut retrorsum adducto. In hoc posituræ stans Socrates situ,
 manifeste ad rectos stare videtur angulos. Stans enim omne, cum ad perpendicularum stet, ad rectos
 sanè stat angulos. Etenim si angulorum quidem alter rei stantis sit acutus, alter vero obtusus: vt con-

Quid punctū
 physicum, &
 quid mathe-
 maticum.

- cidat res illa necesse est eam in partem quæ ad angulum vergit acutum. Clarum præterea & manifestum est quòd stante Socrate eo positionis modo, æquilaterum fit trigonum, cuius supremus quidem angulus sedis illius est locus, duo autem æqualia latera Socratis sunt crura: basis vero id quod in terra à pede ad pedem interiacet spatij. Isto igitur stans figuræ habitu Socrates, moueatur & ambulare incipiat, & dextrum (verbi causa) protendat crus. hoc in casu manifestum sanè est quòd quoniam sinistrum stat crus, totiusque pondus sustinet corporis, ad rectos illud stare angulos necesse est. Caderet nanque (vt retro dictum est) Socrates, nisi hoc staret modo. Fit igitur rursus post talem dextri cruris protensionem trigonum rectangulum, hypotenusam habens (vocant autem geometræ hoc modo trigoni latus angulo oppositum recto) ipsum protensum dextrum crus. Porro cum ostensum & demonstratum sit in mathematicis elementis quòd in rectangulis trigonis id quod ex hypotenusâ in se recurrente fit quadratum, æquale sanè est ijs simul sumptis quæ ex vtrisque fiunt lateribus angulum complectentibus rectum, cui substernitur (vt diximus) & substernitur ipsa hypotenusâ: vicem autem hoc in casu hypotenusæ dextrum quod protenditur obtinet crus: maius igitur id necessario erit reliquis lateribus rectum complectentibus angulum. Quod etiam ex alio theoremate in eisdem elementis ostenso palàm esse potest, vbi necessario colligitur quòd maiori angulo in trigonis maius certe substernitur latus. Hoc igitur modo cum maiori substernatur angulo dextrum crus quàm sinistrum, erit maius. Verum priusquam protenderetur & procurreret, æquum sinistro (vt vidimus) dextrum erat crus. Necesse igitur est inflecti sinistrum stans crus, quod vniuersum corporis fert pondus, ita quòd à genu ad calcem vsque ad rectos stet angulos: à coxa autem ad ipsum genu flectatur. Et hæc profecto loci huius vniuersa est demonstratio, qua ostenditur necessario ea quæ loco mouentur animalia, id per inflexus planè efficere posse. Litera autem ferè omnis ex ijs quæ prædicta sunt, est manifesta, quòd scilicet stantia, ad rectos stant angulos: & quòd procurrens crus hypotenusâ fit ad reliquum quod stat crus, & quod est maius, cum sit æquale illius quod stat respectu. Quamobrè necessariū est eo in casu vt stans inflectatur vel in poplite, inquit, vel in conflexione. conflexionem vocans eum qui in coxa vel in humero fit flexum. Elephantum enim quoniam genibus carent, flexum in conflexione, id est in coxa faciunt, aut humero. Signum postmodum subiungit euidens quòd in ambulationis opere stantia semper flectuntur crura, & idcirco minora efficiuntur quàm procurrentia. Si quis enim, inquit, iuxta prætersum deambulauerit parietem, imaginatiue fuerimus illum capitis sui vertice lineam in pariete describere illo, non erit profecto illa recta, sed obtorta, vt linea *A B C D E*, quæ infra est descripta. Flexum enim crus fit breuius altero in deambulationis opere, donec illi æquetur: quod postmodum vicissim inflectitur, & rursus fit minus illo quo pauloante erat maius: commutatimque semper hoc proceditur modo. Quod hoc etiam in casu liquidò comprehendì licet. Siquis enim iuxta prætersum supponatur ambulans parietem, qui illius adæquetur magnitudini, alterque itidem supponatur in alio parietis illius stans latere, ad illumque intentis conspiciens oculis, cuius mēsurâ corporis vsque ad oculorum orbis illi adæquetur parietis: hoc in casu is sanè aliàs quidem deambulantis ultra parietem hominis conspiciet verticem, aliàs vero illum non cernet. Cum enim ambulans ille pedem protulerit, quoniam stans inflectitur crus, minusque seipso tunc efficitur, illius certe vertex non conspicietur. Cum autem id ad procurrens retrahitur crus, illique ex æquo fit, tunc certe conspici potest vertex. His præmissis subdit philosophus quòd nonnulla loco moueri possunt animalia nulla crurum flexione facta, quemadmodum, inquit, reptantes mouentur infantes, & illi etiam facere videntur qui mutilatis ambulant pedibus, & genibus per locum mouentur. Verum in pueris & detruncatis, inquit, illis licet nullus in cruribus cernatur inflexus, in illorum tamen coxis is necessario adesse censetur. Vnde, inquit, antiquus de elephantis sermo qui illos sine aliquo deambulare inflexu asseuerabat, haudquaquam verus esse percipitur. Mouentur enim quæ sic mouentur, quibusdam cum in humeris tum vero in coxis effectis inflexibus. Quamobrè concludit nullum moueri posse animal rectum sine aliquo crurum inflexu. Subiungitque continue & firmiter, ne vniuersalem labefactare videatur propositionem, illud quod dictum est cum de infantibus pueris, tum de mutilatis manisque illis qui genibus reptantes mouentur: tum etiam illud quod fortasse ea tempestate in palæstricis ludorum exercitationibus vifabatur, in quibus nonnulli per puluerem & arenam genibus nitebantur & ambulabant: quod ludi fortasse erat genus, aut exercitij, vt labore illo firmiores corporis redderetur vires. Ii etenim omnes licet moueri nullo crurum inflexu possint, non diutius tamen id queunt efficere, neque valenter & firmiter ambulare possunt: & alioquin in huiusmodi etiam omnibus (vt dictum est) quauis crurum non fiant inflexus, coxarum tamen conflexiones fieri summa est necessitas. Quoniam autem dixit quòd nullum rectum sine inflexu moueri potest animal, huiusce rei causam subiungit dicens: Ampla est enim superior pars, à capite videlicet ad coxas vsque: quamobrè magnum etiam debet esse membrum, id est ampla etiam debent esse crura, vt scilicet inferior animalis pars cum superiori commensuratum habere possit proportionis normam. Flexum igitur alterius semper cruris in omni progressionis opere necesse est esse. quod etiam per rationem ad impossibile deducentem (vt retro vidimus) nūc manifeste demonstrat philosophus. Nisi enim eiusmodi fieret inflexus, idē sanè crus



Quid hypotenusâ.

Antiquus de elephantorum in gressu sermo nē haudquaquam esse verū.

Ratio ad impossibile deducens.

alterius respectu cruris erit maius, & æquale: & æquale quidem, quoniam paria semper animalibus (nisi obstiterit quippiam) & æqualia natura architectatur & format crura. Maius autem, quoniam procurrens (vt dictum est) & protensum crus cum hypotenusæ vicem obtineat, ad illud comparatum quod ad angulum stat rectum, illo necessario maius esse debet. Stantis igitur respectu protensum crus & maius sanè est, & æquale. quod impossibile sanè est, neque vlllo modo fieri potest. Oportet igitur quòd idcirco fiat maius, quoniam stans crus inflexione curuatum minus certe efficitur: & idcirco in omni locali motione necesse est alterum semper inflecti crus. In litera autem vbi dicitur, Nā poterit, scilicet procurrens crus, & id quod quiescit, & ipsam hypotenusam animaduertendum est quòd hypotenusæ vocabulo in præsentia abusus videtur philosophus, ita vt intelligatur basis pro hypotenusæ. Ipsum nanque procurrens crus vera est hypotenusæ: & deperfe potest quantum duo illa latera imaginati trigoni, quorum vnum est stans crus, alterum vero interstitij linea à calce stantis cruris imaginata ad illius calcem quod protenditur & procurrit. hæc nanque duo trigoni latera rectum efficiunt & claudunt angulum, cui è regione opponitur & subtenditur procurrens crus, vera (vt dictum est) rectanguli illius trigoni hypotenusæ. Illud autem, Necesse est igitur inflectere & id quod procurrit, additum esse videtur hoc in loco ab Aristotele vt declaret in omnium animalium progressionem alterum quidem crus inflecti semper, alterum vero extendi oportere, idque vicissim semper fieri. Nam procurrens quidem crus quod longius stante ostensum est esse, & ipsum flexione fit breuius, cum scilicet in illud innisum animal subsequens attrahit crus, illudq; protendit, quod longius tunc illo eadem fieri videtur ratione. Subiungitque postmodum concludendo philosophus. Membra enim æquilaterum efficiuntur trigonum, & fit caput inferius, vbi perpendicularum fuerit in quo firmatur. Qui certe locus obscurus esse videtur & dubius, nisi pro æquilatero rectangulum intelligere voluerimus: neque hoc ab re, mehercule. nunquam enim in animalis bipedis progressionem (de huiusmodi nanque vniuersa hæc est ostensio) ex illius cruribus æquilaterum fieri trigonum contingit. Siquidem (vt ostensum est retro) stans semper alterum crus ad rectos angulos, alterum trigoni efficit latus, cuius hypotenusæ procurrens semper est crus: & idcirco rectangulum fieri trigonum membra id est crura in ambulandi opere, intelligi oportere contenderim. quod ipse statim declarare videtur dicens: Caput quidem fit inferius, id est maior angulus & rectus, quem trigoni nunc vocat caput, inferius fit vbi ad perpendicularum nititur pes & firmatur. Nec me latet (vt retro diximus) ex cruribus bipedis animalis æquilaterum fieri posse trigonum si vtrunque crus ad rectam in terra lineam æqualiter iaceat: verum id solummodo accidere potest dum stat animal, minimeque loco mouetur: qua de re non est propositum philosopho hoc in loco verba facere, sed de progressionem, vbi æquilaterum imaginari trigonum merito non posse contenderim. Vel igitur hic locus hoc intelligendus est modo: vel huiusmodi me latere literam libere & ingenue fateri non dubitauerim.



Quæcunque vero pedibus carent, alia quidem vndoso procedunt motu. id autem bifariam accidit. nam alia quidem super terram, vt serpentes, inflectuntur: alia vero superne curuantur, vt erucæ. Vndosus autem ille motus, inflexus est. Alia vero attractu vtuntur, vt lombrici, qui terræ intestina appellantur, & hirudines. In hæc etenim parte quidem priore procedunt, reliquumque corpus ad illam trahunt, illoque modo loca commutant. Manifestum autem quòd nisi duæ maiores vna essent, animalia illa quæ vndoso procedunt inflexu, minime moueri possent. Flexu enim extenso si æqualem occuparet, nihil sanè processissent: verum extensus superat: & quiescente isto quod reliquum est adducit. In omnibus autem dictis mutationibus id quod mouetur, tum extensum ad rectum, tum incuruatum progreditur: partibus quidem prioribus rectum factum, posterioribus vero incuruū. Quæcūq; etiā saltu vtuntur animalia, flexum in inferna corporis parte faciunt, & hoc saliant modo. Volantia quinetiam & natantia omnia, illa quidem alas tum dirigentia, tum inflectentia volant. Hæc aut id pinnis faciunt. Et in ijs alia quidem quatuor, alia vero duabus, quæcūq; corpore sunt oblongiore, vt anguillarū est


genus. Nam reliquam pro duabus pinnis motionem residua corporis parte incuruata perficiunt, quemadmodum dictum est prius. Plani autē pisces tum pinnarum loco corporis vtuntur latitudine, tum vero pinnulis duabus. Qui autem omnino sunt plani, qualis est raia, tum ipsis natant pinnulis, tum extremo corporis ambitu, illum dirigentes vicissim & inflectentes.

Quia propositum est Aristoteli ostendere (quod retro etiam diximus) in omni animalium locali motu necessario quarundam flexum partium reperiri, idque pedatis ostensum est omnibus contingere animalibus: (nāque in bipedum genere procedens demonstratio ad multipeda etiam omnia eadem rationis via planè deduci potest) hoc in textu id ipsum ijs etiā quæ pedibus carent animalibus necessario inesse ostenditur, omniaque illa ad localem sanè motum flexionibus indigere demonstratur: vt vniuersalis scilicet huiusmodi sit ostensio, animalia omnia quæcumque sese loco mouent, membrorum quibusdam flexibus necessario se mouere: in primis que mirifice sanè & solertissime omnes differentiarum colligit modos per quos pedibus carentia animalia loco se mouere conspiciuntur, in quibus necessario partium quosdam fieri inflexus clarissime ostendit & docet. Dicit igitur quòd in eo animalium genere quædam vndoso procedere videntur motu, id est, sinuoso fluctuantique, & vndarum eleuationi simili corporis procedunt motione: quod sanè bifariam accidere videtur. aut enim curuaturæ illæ & vndosæ corporum inflexiones totæ super terram sunt, & in terrarum fiunt solo, qualis serpentium omnium est inflexus: aut superne curuantur & arcuantur, qualis animalium visitur esse motus illorum quæ à corporis recuruo habitu campas græci appellauere, nostri vero erucas vocant. Verum quocumque id accidat modo, certum est, inquit, vndosum hunc corporis motum, siue superne is, siue inferne & ad terram fiat, inflexum quendam esse, & sine inflexu fieri non posse. Subdit postmodum Aristoteles aliam eiusmodi animalium differentiam, in qua necessario etiam reperiri videtur inflexus, dicens: Alia vero attractu vtuntur, vt lumbrici, qui terræ dicuntur intestina: & hirudines, quas sanguisugas ab effectu vulgo appellant. Clariore admodum ostendit, & tanquam sub oculis ponit quænam attractio sit illa qua eiusmodi se loco mouere queant animalia. Parte enim, inquit, sui priore procedere videntur, ad quam postmodum posteriorem corporis partem, id est corporis reliquum quod superest, attrahunt. Et profecto ita se habet res. Vermes enim illi quos lumbricos vocant, similiterque hirudines in omni progressu extendunt quidem priorem corporis partem, quæ tunc admodum tenuis efficitur & exilis, cum crassa sit posterior pars: illamque post extensionem stabiliunt & firmant: postmodumque tractu quosdam & ipsa posterior extenditur pars priorem versus, extensioneque illa tenuis fit & exilis, quæ prius plena erat & crassa: priorque pars quæ tenuis ante fuerat, tunc sanè crassescere incipit: eoque modo cum prioribus tum posterioribus corporis partibus extensis aliàs, aliàs contractis, & ex crassis vicissim & plenis, tenuibus & exilibus effectis, isthæc per locum se mouere visuntur animalia. Hoc autem fieri non potest nisi tractarum trahentiumque inuicem partium, & tanquam subintrantium & exeuntium, & cum eminentium, tum depressarum, licet non manifesti vt in alijs & apparentes, obscuri tamen & latentes fiant inflexus. Quæ sanè res in ijs quæ sinuoso fluctuantique corporis procedunt tractu, quem vndosum philosophus appellat motum, clarius profecto & euidentius conspici datur. Manifestum enim esse dicit in eiusmodi animalibus quòd nisi duæ vna maiores essent, haudquaquam isthæc se mouere possent animalia. id autem indicat flexum illum in eiusmodi omnibus esse causam. Quæ autem duæ sint istæ vna maiores, & quòd necessario existant eiusmodi, hoc

Quis vndosus sit corporis motus.

Erucas quas campas vocant.

Lumbricos Hirudines.



animaduertamus modo. Sit incuruatio & flexus factus à serpentis corpore, A B, B C: ducaturque linea sub flexu & curuatura illa A C. Manifestum sanè est quòd figura ex ijs efficitur trigona, cuius duo latera A B, B C, inflexus est ille de quo loquimur: tertium vero A C, terræ spatium ab inflexu curuaturaque illa deprehensum. Dicit igitur, si moueri debet animal quod sanè vndoso mouetur inflexu, necessarium certe esse vt duo illa latera inflexum complectentia, tertio sint latere, videlicet A C, ampliora & maiora, vel moueri id animal non posse necesse est. Quod hoc ostenditur modo. Extendantur duo illa trigoni A B C, latera, id est inflexus ille A B, B C, & extensa tertio applicentur lateri A C. Vel igitur illi quadrabunt & æqua erunt, ita quòd tota A B C æqualis erit lineæ A C, vel minora erunt illa duo latera, vel erunt maiora. nec sanè aliud dare contingit. Si erunt duo illa latera tertio maiora, habemus sanè quod intendimus, quod animalia scilicet illa quæ vndoso serpūt motu, propter inflexū mouentur, quoniā duæ illæ lineæ inflexum complectentes, tertia sunt maiores. Si autem duo illa latera tertio erunt æqualia, ita quòd extensa A B C linea quæ curua erat, lineæ æquetur & quadret A C, tunc eo in casu minime moueri poterit animal, locūque cōmutare. Sæper enim idē loci spatium occupabit, in eodēque lineæ A C interstitio perseverāter manebit. multoque magis

r. ij.

Vniuersalis in
locali motio:
ne conclusio.

Pulices.
Locustæ.

Plani appella
ti pisces.
Passeres.
Soleæ.
Rhombi.

Raia.
Pastinaca.

istuc ipsum accidere videbitur si duo illa latera tertio ponentur minora. id enim quod mouetur, vt alii
quid semper vlteri⁹ carpat spatij est necesse, quàm corpore prius occupabat suo. Oportet igitur vt in
animalium illorum motibus proculdubio fiant inflexus, vt subiectâ spatij carpere & absumere possi
sint longitudinem. Quo in casu mutuo sanè ista se inducunt & iuuant. Quoniam enim inflexus est,
duæ nimirum lineæ maiores sunt vna: & rursus quoniam duæ maiores sunt vna, merito inflexus esse
cenfetur. His declaratis vniuersalem philosophus in locali motu subdit conclusionem, siue pedata eo
moueantur animalia, siue quæ pedibus carere cernuntur, quocunq; prædictorum ista moueantur mo
dorum. In omnibus enim inquit contingere motum, quoniam alia quidem illorum pars extenditur,
& ad rectitudinem peruenit: alia autem flectitur & incuruatur. quod hominis exemplo & dictum est
prius: & nunc nihil (vt arbitror) obstat vt id ipsum vtiliter etiam repetatur. In illius enim progres
sione procurrens semper extenditur crus, rectumque efficitur: subsequens vero, quod vniuersum cor
poris fert pondus, incuruatur & flectitur. Idque ipsum in omni animalium genere quæ progressionem
loca commutant, contingere sanè deprehendet quisquis rei istius non oscitans fuerit æstimator. Idem
etiam euenire ijs animalibus quæ saltu loca permutant, subsequenter affirmat, siue pedes habeant, si
ue illis carere videantur. Flexum enim isthæc omnia in inferna corporis faciunt parte. quod in pedatis
quidem manifestum est, vt in pulicibus, locustis, & id genus cæteris est videre. Incuruatis enim lō
gioribus pedūculis, quos duos extremos iuxta aluum gerunt, & ad terram innisis, isthæc omnia salire
conspiciuntur. Quæ res etiam in eo quod pedibus caret saltantium genere manifeste deprehenditur.
Arcuatis nanque & incuruatis corporibus isthæc omnia salire & eiaculari videntur. Post quæ dicta
id ipsum etiam in aquatili volucricq; reperiri ostendit genere. Alas enim volucres, dum loco sese mo
uent & volant, cum extendunt, tum contrahunt suas: eodemque pisces modo peculiaribus vtuntur
pinnulis. Ex quorum numero quicunque oblongioris sunt corporis, duas tantum habent pinnas (vt
retro est ostensum) duarumque vicem reliquarum vnico corporis suppleunt inflexu, vt anguillarum
est genus omne. Planos autem pisces, quales sunt passeres, soleæ, rhombi, nonnullique id genus alij,
ad natatum cum pinnis vti dicit, tum corporis expansi latitudine. Fluctuant enim quodammodo, &
extremis corporis sinuantur partibus. Quæ sanè natatio aliud nihil esse deprehenditur quàm par
tium earundem cum incuruatio, tum rectitudo, & directio, & inflexus vicissim cōtinuoque facti. De
raia vero postmodum quæcunque pro capitis istius conclusione adducit, clariora certe sunt quàm vt
explicationis vllō indigeant lumine. Cum enim inter planos maxime sit pisces, & penitus plana ipsa
raia, & magnitudinis habeat satis, contractiones huiusmodi & extensiones in extremo illius corpore
maxime sunt conspicuæ. Verum non ab re hoc in loco animaduertendum esse cenfeo, hunc videlicet
textum ab illo qui hac de re in primo de animalium partibus legitur libro, multum dissentire. Ibi
enim de raia verba faciens hæc ad literam scribit. Ex selachijs autem quædam pinnas non habent, vt
plana & caudata, sicut raia & pastinaca, sed ipsis natant latitudinibus. Hoc autem in textu (vt vidi
mus) raiam dicit tum ipsis natant pinnulis, tum extremo corporis ambitu, id est latitudine sua. Quæ
obrem hoc in loco (nisi animi fallor) aliquod subesse videtur mendum. nanque pro recepto habetur,
& in confessis sanè est, raiam pinnas non habere, vt ex suprâ enarrato de animalium partibus textu
clare percipitur: & hic non obscure etiam significari videtur, cum dicitur planos pisces partim dua
bus vt pinnulis, partim corporis latitudine. Qui autem omnino sunt plani, qualis est raia, ipsam scili
cet à prioribus separans per illud additum omnino, non eo, quasi dicat, mouetur modo, sed extremo
corporis ambitu. ita q; textus iste legi ita recte poterit. Qui autem omnino sunt plani, qualis est raia,
nō pinnulis, sed extremo corporis ambitu. & quæ sequuntur. Nisi forte per pinnulas, improprie tamē,
extremas quasdam pennarū specie incifuras intelligi voluit quæ in ipsarū corporis visuntur ambitu.

DVbitare autē quis sanè posset quonā modo aues quaternis mo
ueantur notis, vel dum volant, vel dum ambulant, quasi dictū sit
quod sanguine prædita omnia quatuor mouentur notis. At hoc
dictum non est, sed q; non pluribus. Verūenimvero neq; volare poterunt
membris ablatis, neq; ambulare alis detractis. Nā neq; ipse nisi cōmotis
humeris ambulat homo. Verum omnia (quemadmodum est prædictū)
mutationem inflexu & extensione faciunt. omnia enim in supposito &
quasi cedente quodamtenus progrediuntur. Quamobrem necesse est, ni
si in alia inflexus fiat parte, at saltem vnde est principium, ijs quidem quæ
membranaceas habent alas, ipsius membranæ: auibus autem, ipsarum a
larum: cæteris vero, earum partium quæ istis proportionem respondent, vt

piscibus. Nonnullis autem, vt sunt serpentes, in corporum curuaturis inflexionis inest principium. Vropygium autem volatili inest generi ad dirigendos volatus, vt nauigijs gubernacula: quod necesse est etiam in ipsa inflecti adhæsione. Quamobrem & illa quæ ex membrana integras habent alas, & illa quæ pennis quidem discretas eas habent, verum vropygium ad eiusmodi vsum illis est ineptum, vt pauones existunt, & gallinacei, & omnino quæ volacia non sunt, haudquaquam directe volare possunt. Ex ijs etenim quæ ex membrana integras habent alas, nulla omnino vropygium habent: quamobrem, vt gubernaculo carens nauigium, feruntur quocunque fors tulerit vnumquodque impactum. Similique modo vaginipenna, vt scarabæi, & melolothæ, & ea quæ nullo inuolucro recondunt pēnas, vt apes, & vespæ. Præterea etiam ex volucrum genere illa quibus inutile est vropygium, vt porphyriones, & erodij, & omnes aquaticæ volucres vropygij vice extensis volant cruribus, illisque ad dirigendos volatus vtuntur pro vropygio. Vaginipenno autem generi tardus & imbecillis est volatus, quoniam ad corporis pondus non ex proportione alarum habent naturam: sed illud quidem grande est, alæ vero parvæ & imbecilles. Quæ admodum igitur si quis onerariam nauim remis tentet propellere, simili isthæc modo volatu vtuntur: & alarum naturæq; imbecillitas ad id non nihil facere videtur. Inter aues autem pauoni quidem vropygium quandoque ob magnitudinem nulli vsui est: quandoq; vero, quoniam decidit, nihil iuuare potest. Contrario autem se habent modo aues in alarum natura, ad ea quæ integras ex membrana habent alas: maxime autem quæ ex eis sunt præpetes. Huiusmodi vero sunt quæ incuruos habent vngues. Harum nanque volandi pernitas vitæ vsui est. Aptæ autem ad peculiaritatem illis motum cætera corporis videntur esse membra. omnibus enim paruum est caput, collum crassum, pectus cum validum, tum acutum: & acutum quidem, vt bene viam paret, quasi lembi prora: validum vero carnis obesitate, vt incurfantem propellere possit aërem, idque ex facili, & nullo labore. Quæ vero retro sunt, leuia, & in angustum rursus coëuntia, vt priora consequi possint, latitudine aërem non trahentia. Et de ijs quidem hoc determinatum sit modo.

Quoniam ostensum est retro sanguine prædita animalia omnia quaternis corporum moueri notis, ambigere autem posset quispiam hac de re & dubitare in bipedum genere, dicereque fortasse id verum non videri: aues enim quæcunque volant, duabus sanè moueri alis: quæ vero ambulant, vt altilis ferè omnes, & struthiocameli, pedibus moueri & progredi duobus: idcirco hoc in textu dubitationem hanc soluere contendit philosophus, & ambiguitatem explanare: ostenditque insuper, quod hucusq; non fecerat, hominē etiā ipsum quaternis corporis moueri notis. Duobus autē modis illi occurrit dubitationi. in primis nanque abnuit se dixisse & affirmasse sanguine prædita omnia quaternis moueri notis: verum prædictum constitutumque à se fuisse inquit quòd huiusmodi animalia non pluribus quàm quatuor mouerentur notis. Non enim vt illorum nonnulla duas excedere & superare videntur notas, ita esse quædam asseuerandum est quæ quatuor excedere & superare notas censeantur. Impossibile nanque est sanguine præditum animal pluribus quàm

ἐνσασις
ἀντιπράξ
στῶσις.

quatuor moueri notis. Exanguibus enim (vt retro vidimus) istuc proprium & peculiare esse censetur. Et prima quidem ad dubitationem responsio hoc procedere videtur modo, per cum videlicet rationis occursum quem rhetores κατ' ἐνσασις appellant, cum negatur scilicet id quod ambiguitate facere videtur: quæ facilius sanè est via, & sub manum controuersiam sedat, & terminare videtur. Secundam autem posthac adducit philosophus dubitationis huiusce responsionem, valentior quidem illam & operosior, κατ' ἀντιπράξασιν iidem appellant rhetores, cum factum videlicet siue dictum admittitur quidem & conceditur, verum recte factum, aut vere dictum id esse iure & merito contenditur. Occurrit igitur illi dubitationi philosophus dicens: Verumenimvero neque volare poterunt aues membris ablatis, neque ambulare alis remotis. Quasi hoc in loco confirmet & approbet se dixisse sanguine prædita omnia quatuor corporis moueri notis: quod auibus etiam ipsis, de quibus in præsentia ambigitur, manifeste contingere deprehenditur. Siquis enim auis crura succiderit & decurtauerit eo loci ubi coxæ est vertebrum, oculata percipiet fide auem illam alis se mouere non posse. Similique modo si quis ab aue alās remouerit ea in parte qua reliquo corpori iunctus est humerus, haudquaquam auis illa pedibus ambulare poterit. Quatuor igitur notis volucrum genus omne cum volando, tum ambulando sese loco mouere censendum est, alis scilicet crura iuuantibus dum ambulant, vicissimque alis cruribus suppetias ferentibus dum volant. Quam sanè rem ab homine ipso, qui maxime (vt retro dictum est) bipes esse percipitur, mutuato ostensionis exemplo, manifeste sanè declarat & docet. Inquit enim illum non nisi commotis & iactatis humeris ambulare. & profecto ita res se habere videtur. motis enim pedibus in ambulandi opere, vicissim humeri commouentur. quod liquidò dignosci percipique potest si quis hominem ligatis post terga manibus ambulare aut currere cogat. humerorum enim vtrinque quendam conspiciet motum. Quaternis igitur sine cōtrouersia homo etiam mouetur notis. Generalem postmodum subdit conclusionem, & quasi dignitatis cuiusdam in animalium locali motu assertionem, omnia videlicet quæ loco mouentur, per inflexus membrorum aliquos & extensiones id sanè facere. omnia namque, inquit, in supposito, & quasi cedente aliquo quodamtenus progrediuntur. quæ litera hunc sanè habere videtur intellectum, quod omnia scilicet quæ loco mouentur animalia, in constitutis à rerum natura sibi mundanis regionibus quodamtenus moueri conspiciuntur. Pisces enim (verbi causa) qui suppositum habent mare, naturam videlicet humidam, & nationibus cedentem, vniuersa natando non peragunt maria, sed quodatenus id facere conspiciuntur, & peculiariter quædam incolere visuntur loca. Alij namque littora amant, qui in altum non penetrant: plerique cōtrà altum semper petunt, littoraque declinant. Pari rationis modo volucrum genera, quorum volatibus suppositus cedit aer, vniuersum non transmeant aerem, sed quodatenus per illum feruntur, neque omnibus in locis eadem volucrum reperiuntur genera. Terrestrium quinetiam animalium species simili sanè in terra mouentur modo. Monticolæ namque saxi & montibus gaudent, raroque plana petunt & campestria loca. Quæ vero rura & latos amant campos, ad montosa & ardua non accedunt. Adeo vnumquodque generatim animal suam sequi naturam ubique conspicitur. Quo certe in loco non ab re positum est illud, & quasi cedente. nam nisi supposita ijs animalibus cederet natura, nullus profecto vnquam fieri posset motus. Nisi enim aer & aqua impulsi loco cederent: (hæc enim duo sunt elementa in quibus localis fit motio) nullum sese loco mouere posset animal. Quia autem dixit omnia quæ loco mouentur, per inflexus aliquos & extensiones id facere, subdit dicens, si non in alia corporis parte eiusmodi inflexus & extensiones fieri animaduertuntur, in principio saltem, ubi scilicet innascuntur, aut copulantur & iunguntur membra ad localem facientia motum, illa fieri est verisimile. statimque ad partialē huius rei reuoluitur ostensionē. ijs enim, inquit, quæ ex fragili membrana integras habent alas (sic enim id genus quod græci vnico vocabulo ὀλόπτερον vocant, pluribus exprimere placuit) in ea corporis parte fiunt inflexus, in qua membranulæ illæ originem & exitum habere videntur. In volucrum autem genere eo certe in loco hæc fiunt, ubi illis alarum sunt initia: vt in piscium genere id ipsum in pinnarum initijs quæ supradictis proportione respondent membris, proculdubio fieri animaduertitur. In serpentium autem & reptili vniuerso genere huiusmodi inflexus & extensiones in corporum afferit esse curuaturis, id est in spinæ vertebris, secundum quæ cum inflecti, tum dirigi & extendi hæc possunt animalia. His præcursoris, quoniam vropygium, quam caudam etiam vocare possumus, licet hæc in quadrupedum genere magis proprie dicatur (quam οὐροῦ græci vocant) volucrum generi multum quantum ad ipsos facere videtur volatus, de illius usu & commoditate, finali que causa pertractare aggreditur, dicitque illam volucris naturam architectatam fuisse, vt scilicet in volandi opere illorum dirigeretur cursus, quæ sanè auium pars aërio in tractu idem posse videtur quod in mari gubernaculum ad nauium dirigendos moderandosque cursus potest. id autem cum faciat vropygium, siue cauda cum inflexu, tum extensione, hæc ipsa ea in parte fieri necesse est, ubi illius est exortus, & in ea scilicet parte secundum quam volucrum corpori adhæret. Quo in loco animaduertendum esse censeo vropygij nomen pro pennis illis accipiendum esse quæ illi adhærent & infixæ sunt parti quam caudam vulgo appellare consueuimus, licet proprie pars illa sit quæ in extremo auium corpore, cui (vt diximus) infixæ sunt pennis, visitur. Huius enim cum inflexione, tum extensione, omnes nimirum illi adhærentes & infixas pennis & inflecti & extendi necesse est. Et idcirco inquit philosophus quæcūque ex volucrum genere aut ista carent parte, qualia insecta sunt omnia quæ integras ex fragili membrana gerunt alas, vt apes, vesperæ, crabrones, cæteraque id genus: aut si habuerint illam, inepte tamen

De vropygij
commoditate
naturaque illius
causa.

Vropygium

& incommode habere videntur, vt ex eorum pleraq; sunt numero quæ scissiles & pennis distinctas habent alas, pauones videlicet, gallinacei, anseres, aliaque eiusmodi alites, quæ non alte volât, sed humi degunt: omnia profecto ista, inquit, haudquaquam recto volare cursu possunt, cum naturalis scilicet illæ caudæ temo vel omnino deficiat, vel inepte admodum & incommode illis sit applicatus, & ad mouendum inutilis. Vbi etiam genus id late diffusum & patens quod ὀλόπτειρον appellauit, nos ex fragili membrana integras gerens alas Plinium sequuti inuertimus, bifariam disternat, felicitq; nominū copia illis significātia imponit vocabula, κελειόπτειρα vocans illa quæ vaginipenna, nomē de nomine reddētes nostri appellāt, quales certe sunt pillularij, icarabæi, & melolothæ, & pleraq; alia eiusmodi animalia, quæ vaginarū inuolucris fragiles admodū & imbecilles recōdunt alas. Quibus hac in parte oppositum sanè genus ἀνέλυτρον vocat, id est nullo inuolucris munimento suas condens alas: vt sunt apes, vespæ, muscæ, cæteraq; id genus omnia. Vniuersa enim ista (vt diximus) animalia quoniam omnino carere videntur cauda, non recto sanè, sed transuerso & vacillanti feruntur volatu, tanquam gubernaculis carentia nauigia, quæ ventis fluctibusque impulsæ rectos haudquaquam dirigere possunt cursus, sed quocunq; contigerit nullo ordine appellere conspiciuntur. Similique feruntur, inquit, modo, quæcunq; etiam ex auium genere inutiles habent caudas. illius enim incommoditas in ijs etiam vt in altilibus, & ineptitudo, sicut male applicitus (vt dictum est) temo, illis nimirum ad dirigēdos volatus officere videtur. Huiusmodi autem porphyrones dicit esse, & erodios, quas Diomedæas appellant aues. Quoniam autem ex volucris genere male & inepte caudatum, aquatiliū videtur esse auium vniuersum genus, quod circa lacus paludescq; & æstuaria degit, vt sunt grues, mergi, fulicæ, cæteraque eiusmodi alia, quæ tamen satis recte volare conspiciuntur: subdit causam dicēs isthæc omnia extensis retro cruribus caudarum vice ad dirigēdos vti volatus: quod in gruibus quarum longissima sunt crura, percipitur maxime. Subdit postmodum causam philosophus cur illa quæ vaginipenna vocauimus, tarde sanè & imbecilliter volant: quæ res in scarabæis, cicadis, melolonthisque liquiddò conspici potest: asserens scilicet cum alarum naturam corporum oneri non esse commensuram, verum illud amplum esse satis, alas vero paruas & minutas: tum earundem etiam imbecillitatē & debilitatem esse in causa cur illa pigro debiliq; ferantur volatu: huiusmodiq; rem significanti sanè nauis onerariæ exprimit similitudine, quæ minutis impulsis remis, vel non mouetur omnino, vel tarde admodum debiliterque mouetur. Neque id ab re, mehercule. Vasta nanque onerariæ nauis est moles, instrumentum autem & remigium minutum est & infirmum: vt in illis grandiusculum quiddē est corpus, alæ vero debiles & minutæ, cum ad profundum nō descendant, sed extremis corporis inhæreant partibus. Caudam autem nihil ad volandum pauonibus conferre dicit, cum propter incommo-
30 modam illius magnitudinem, tum quia statis illam temporum curriculis abijcere visuntur. Dum igitur habeant caudas pauones, inepte sanè ad id operis illas habent. quod vero illas amittūt, ab eisdem certe in volando iuuari non possunt. Subditque postmodum Aristoteles contrario se habere modo circa alarum membra præpetes à celeri pernicipique volatu appellatas volucres, & illas quas ex integra habere membrana dictum est alas. Præpetes nanque validam alarum habent naturam: illæ vero debilem (vt diximus) & imbecillam. In præpetum autem genere maxime vncis armatas vnguibus connumerat volucres, quarū pernicipitatē plurimum illis cōducere & ad vitæ vsum facere dicit. Cū enim isthæc omnia animalia sint carniuora, raptoque viuant: vt alia volando præuertere possint & capere, tum motionis illis est concessa celeritas, tum validæ insuper vires, animique præstantia & generositas qua se maiores & aggrediuntur & superant volucres. Huiusmodi autem sunt aquilarum præcipue legitimum genus, & accipitrum: tum earum omnium quæ adunca rostra, & incuruos habent vngues. Quibus etiam cum ad volatus celeritatem, tum ad vires & robur habilem corporum conformationem, commode subministrantem & illis deseruientem esse asserit. Caput enim paruum habēt, & pectus angustum, & quasi carinarum lemborumq; proris simile, vt occurrentem facillè proscindāt aërem: quod etiam validum est, & carniū thoris obesum, vt paruo negotio non solum scindere, sed etiam instantem propellere possit aërem. Collū autem crassum habent & breue. longum enim omne imbecillum est, vt ipse in quarto de animalium partibus libro dixit. quo in loco nullum ex ijs quæ incuruos habent vngues, longi esse colli asserit, cum illorum, inquit, vita in fortitudine consistat, longitudo autem imbecillitati attestetur. Posteriora vero corporis in ijs animalibus, & quæ retro sunt membra, cum leuia esse dicit, tum in angustum coeuntia, vt priora scilicet facillè consequi possint, & ne latitudine sua multum secum aëris cogantur attrahere. His enarratis vniuersum hac de re claudit sermone, dicens: De retro dictis huiusmodiq; omnibus hoc constitutum sit modo.

ὀλόπτειρα

κελειόπτειρα

ἀνέλυτρον

Porphyrones Erodij, quas Diomedæas vocant aues.

Inepta ad volandum pauonis cauda.

Præpetes volucres.

Incuruos habentia vngues non longi esse colli.



Quid autem erectum ambulare debet animal quod quidem necessario sit bipes, & supernas corporis habeat partes leuiore, grauiore autem eas quæ illis substāt, est manifestum. Eo enim solum se habens modo se ipsum facillè ferre poterit. Quāobrē solus inter animalia homo erectus existens crura habet ad supernas cor-

poris partes ex pedestribus maxima & firmissima. Quod sanè palàm facit id quod infantibus accidit, non enim erecti ambulare possunt, quoniã omnes sunt pumiliones, maioresq; & valétiores quàm dictet ratio summas imis corporis habent partes: procedente vero ætate infima maius accipiunt incrementum, donec ad iustam perueniant magnitudinem: tuncq; erecti ambulare possunt. Aues autem cū sint leues, bipedes existunt, quoniam retrouersus illis est onus, ceu æneos faciunt equos qui priora sursum elata habent crura. Causa autem cur maxime bipedes existentes aues stare valeant, est quoniam habent clunem femori similem, talemque vt duo videantur habere femora, id scilicet quod est in crure ante inflexum: & illud quod à sedis loco ad hanc tendit partem. Est autem non femur, sed clunis. Nisi enim esset tanta, auis sanè bipes nō esset. Quemadmodum enim hominibus, & quadrupedum generi, si ab exigua statim coxa esset femur & reliquum crus, valde profecto ad lapsus pronum illarum esset corpus. Nunc autem longa existens ad medium vsque protenditur vētrem. Quã obrem ibidem suffulta crura vniuersum gestant corpus. Manifestumque etiam ex ijs est quòd erectæ perinde ac homines nequeunt esse aues. Alarum enim natura ita se habente corpore, illis est utilis. Quòd si erectæ essent, ad nullum sanè esset vsum: quales alatos pingunt Amores. Simulq; ex ijs quæ dicta sunt, palàm est neque hominem neque aliud quippiam tali figura alatum esse posse: non solum quoniam pluribus q̄ quatuor mouetur notis sanguine præditum animal, sed quoniã is alarū habitus illis naturaliter motis nulli vsui esse posset. Natura autē nihil cōtra naturā facit.

Hoc in textu, vbi non admodum difficilis est litera, ostendit philosophus q̄ necesse est animalia illa quæ recto corporis habitu ambulare debent, tum bipeda sanè esse, tum leuiora supernas corporis habere partes, infernas vero grauiora. quam rem ex hominis conformatione & figura, qui erectæ maxime est staturæ, nobis ob oculos ponit. nam & bipes est homo, & supernas corporis partes leues habet, infernas autem graues & constantes. Ex numero enim eorum quæ pedes habent animalium, homo cum maiora & grauiora, tum valentiora & robustiora habet crura: quapropter in quarto de animalium partibus libro hac de re verba faciens Aristoteles, necnon proceræ illius staturæ causam adducens, isthæc ad verbum scribit. Homo igitur anteriorum loco crurum brachia habet & manus. Erectus est enim animalium solus, quoniam illius natura solummodo & essentia est diuina. Porro diuini opus est intelligere & sapere. id autem haudquaquam est facile, si multum supernæ corpus ingruerit. onus nanque cogitationem & communem sensum nō bene mobiles reddit. Quo in loco (vt videtur) causam quidem proceræ hominis staturæ & habitus, leuitatem supernarum assignat partium: illius autem causam asserit peculiare & proprium hominis opus, quòd intelligere est & sapere. Hic autem materialem huiusce rei assignare videtur causam, animal inquiring quòd erectū ambulare debet, necessario tū bipes esse oportere, tū supernas corporis partes leues habere, infernas vero graues & stables. nanque solo eo se habens modo, se ipsum facillè sustentare & ferre poterit. Ex his nobis intelligere dans verbis, quòd si secus accideret, & superiora quidem grauiora essent, inferiora vero leuiora & infirmiora, neque bipes profecto id esset animal, neque recte ambulare, & se ipsum facillè sustentare & ferre posset. Quoniam autē illud ostensionis exemplum à firmo, integræque ætatis assumptum est homine, id ipsum viceversa ab eodem declarat homine dum imperfectus est adhuc, neque exactum corporis habet habitum. Infantes enim, inquit, quoniam pumiliones sunt & nani, supernasque corporis partes cum maiores, tum grauiora infernis habent, neque ambulare, neque erecte stare, & sese sustentare queunt. Quos etiam hanc ob causam cum obliuiosos esse in commentarijs de memoria dixit, quoniam scilicet pumiliones & nani sunt, multumque ponderis superne impositum habent: tum ob vehementem motum, qui propter incrementa corporis calido

Cur homo
proceræ sit
staturæ.

Cur infantes
neq; recte sta
re: neq; bene
ambulare pos
sunt.

operante vegeto perpetim excitatur. Quæ postmodum hac de re subdit, clara profecto sunt, nullòq; indigent explanationis auxilio. Ad reliquum postmodum bipedum transit genus, aues scilicet, quas, cum sint leues, bipedes esse dicit, quoniam corporis totius pondus illis est retro, & ad clunes vergit. Manifestamq; huius rei similitudinem nobis adducit, æneorum statuas equorum, quas prioribus erectis cruribus, salientium habitu, duobus posterioribus innisas & stātes fingunt artifices. Huiusmodi namq; signa iccirco duobus stare cruribus possunt, quoniam posteriores illarū partes graues sunt si ad anteriores comparentur, quæ cum leues, tum inanes plerunq; fiunt, & vacuæ, quamobrem totum simulacri illius sustinent pondus. Causamq; postmodum subdit cur bipedes existentes aues stare possint. Est autem hæc, quoniam coxam habent femori similem, & omnino eiusmodi, vt duo videantur habere femora. Est autem coxa, siue clunis, pars illa quam greci *ισχίον* appellant, validum scilicet illud os in homine quod à fine exoriens spinæ supra sedem vtrinque porrigitur. Femur vero, quod *μηρόν* greci vocant, vniuersi cruris superior est pars, quæ ad genu finitur & terminatur, sursumq; in coxæ acetabulis firmatur & innitur. Quoniam igitur in auium genere magnū & exporrectū coxæ est os, ita quòd alterum videri potest femur, iccirco ad medium vsq; ventrem extenditur: in illius autem extremo sub ventre firmatum & substans femur, æquilibrium vniuersum sustētat fulcītq; corpus: quamobrem bipes stare potest auis, nec minus ambulare. quam sanè coxæ magnitudinem in causa dicit esse cur auū genus sit bipes. Qua etiā de re in quarto de animalium partibus libro verba faciēs philosophus eadē ferè dicit ijs quæ hoc in loco. sunt autē huiusmodi, interprete Gaza. Clunis auibus omnibus est: quanquam non clunem sed femora bina habere propter longitudinem clunis videātur, quippe cum ad medium vsq; vētrem porrigatur. Causa est, quòd genus hoc animalium bipes est, nō erectum. nam si modo hominum aut quadrupedum clunem breuē à sede, crurq; deinde directa strue subditum haberet, omnino stare non posset. Homo enim quia erectus est, stare potest. Quadrupedibus crura priora ad corporis pondus sustinendum subdita sunt. At aues nec erectæ sunt, quoniā sua natura in pumilionem degenerat: neq; crura habent priora, quoniam alas vice eorum fortiūtur. Itaq; natura pro ijs clunem longiorem emolita duxit ad medium, corpusq; pronum fulciuit, & crura subdidit ea parte qua pondere æquilibrante & ambulare æquilibrium possent, & constare. Isthæc ego in præsentia in illis descripta commentarijs commemorare iccirco volui, vt ex illis hæc nostra quæ nūc agimus, & ex nostris non minus illa lucem capiant, & explicari recte possint. Neq; admirari quispiā hic sanè debet si quod Græci *ισχίον* vocant, Theodorus clunem, nos coxam inuertimus. vtrunque enim (vt arbitror) recte dici potest. Nos autem Celsum & Plinium sequuti coxam appellare maluimus, quoniam *ισχίον* in homine quidem est proprium, in alijs vero translatum est animalibus: quod coxam illos vocare nulla est cōtrouersia. Subdit postmodum philosophus quòd aues quanuis sint bipedes, non tamen erectæ proceræve existunt stature vt homines. huiusce rei manifestam subiungens causam: Hoc enim, inquit, modo, & ita illarū se habēte corpore, vt se habet, id est ea corporis cōfiguratione qua visuntur, alarū sanè illis remigium vsui esse potest, quæ alioquin inutiles certe illis & incōmodę essent, si erectæ, vt homines, figura, & procero habitu ipsæ essent aues: quales sanè alatos Cupidines fingere pictores solent. neq; hoc ab re mehercule. ad extremos namq; pedes alæ vergerent, quin imò per ipsam traherentur terram, & cum illarum officerēt gressibus, tum in opus exire suum haudquaquam expedite possent: quod cauda etiam ipsa in crurum medio ad terram deiecta eo in habitu sanè faceret. Et quoniam aues vt homines erectæ (vt dictum est) stature esse non possunt, & iccirco alas habere videntur: pari rationis modo si quippiam erectum esse posset animal, vt homo esse conspicitur, id alas habere impossibile sanè esset: non solum quòd sanguine præditum, inquit, pluribus quàm quatuor moueretur notis, sed quia etiam nullū illas ad vsum penitus id gestaret animal. Natura autem nihil vanum in rebus, nihilq; quod temere & frustra sit, efficere cōsuevit. Id enim vult litera illa quæ dicit, Natura autem nihil contra naturam facit.

Quòd igitur nisi inflexus esset in cruribus, aut humeris, aut coxis, nullum sanguine pedibusq; præditum progredi posset animal, prius est dictum: similiq; modo quòd nullo quiescente nullus esse posset inflexus: & quòd homines cum sint bipedes, & aues contrarijs crurum vtuntur inflexibus. Quinetiam quòd quadrupedes cōtrario ad se ipsos & ad homines inflectant modo. Homines etenim brachia quidem ad concauum inflectunt: crura vero ad conuexum: quadrupedes autem priora quidem crura ad conuexum: posteriora vero ad concauum: similiq; modo aues. Causa autem est, quoniam (vt dictum est prius) nihil temere efficit natura, sed omnia ex ijs quæ fieri contingunt, ad id quod est melius.

Cur bipedes
aues stare pos
sunt.
Coxa
ισχίον.
Femur
μηρόν.

Ex iij. de
partibus
libro.

Theodorus.
Cornelius
Celsus.
Plinius secū
dus.
ισχίον.
Coxa.
Clunis.

Cur aues erec
tæ non sint
figuræ: & cur
alati esse hos
mines ne
queunt.

Cum igitur omnibus quibus pedum opera naturaliter inest, is qui per locum est motus, stante quidem vnoquoque pondus illic est, motis autem in ante, praeuium situ pedem oportet esse leuem: continuata vero progressionem, rursus in illud pondus resumere, manifestum est id esse necessarium, eo quod tum crus inflectitur, tum rursus rectum efficitur manente secundum protensum pedem signo, & tibia ipsa. Hoc autem simul contingere, & progredi animal. Quod si praecedens quidem crus flexum in ante habuerit, fieri potest: si retro, non est possibile. Sic enim ante lato corpore cruris erit extensio: illo autem modo, si retro feratur.

HOc in textu philosophus, deincepsque post hunc, retro dictam de membris organicis ad localem facientibus motum concludere videtur doctrinam, breuiterque prius sub epilogi modo illam recenset: vniuersalemque omnium illorum causam dicit esse naturam, quae nihil temere unquam, nihilque perperam in sibi subiectis efficit rebus, sed omnia pro suppositae sibi conditione materiae, & ut contingit, ad melius semper agit. Quamobrem cum praedictorum connumeratio sit clara, de inflexionum inquam modo cum in hominibus ipsis, tum in quadrupedum & auium generibus, cuius etiam rei retro adducta est expositio, non est cur eadem de re inutiliter legentes in praesentia obtundere velim: verum illud sane non reticebo, quod post generalem illam naturae fabricantis causam primum in homine ostendit, peculiarisque adducit causas propter quas organica membra eo inflectit modo quo inflectere visitur. Postmodum etiam recuset causas ob quas quadrupedes omnes cum priora, tum posteriora (ut faciunt) inflectunt crura: tertioque post haec ostendit loco, naturalisque assignat causas propter quas aues cum sint bipedes, contrario crura inflectunt modo perinde ac homines facere videntur. Verum de huiusmodi re postea. Ipse autem post supradictorum enarrationem, vniuersalisque causae assignationem, naturae scilicet nihil temere facientis, sed ad melius semper omnia dirigentis, ad partialiores illorum inflexuum deuenire cupiens causas subdit dicens: Cum igitur omnibus quibus, & quae sequuntur, usque ad literam, manifestum est id esse necessarium. ibi enim sensus redditur, qui huiusmodi sane esse videtur. Quoniam (ut ostensum est) quaecumque pedum ministerio animalia per locum mouentur, corporis quidem pondus in stante aut stantibus sustentant partibus: procurrens autem & proiectum crus semper onere illo vacat, & liberum est & leue. quando autem progreditur & procedit id animal, in illud rursus ingruit pondus quod prius erat liberum. quoniam inquam continuata progressio hoc fieri videtur modo, manifestum est necessarium esse (ut ostensum est) stans inflectere crus, rursusque illud rectum efficere, & istuc fieri manente secundum protensum pedem signo, & tibia ipsa, id est, protenso manente pede. quasi dicat, ea in progressionem & motu vicissim & commutatim inter sese huiusmodi alternant partes, stante semper in suffraginum signo & articulo illorum altero. vno enim manente crure, protenditur alterum, quod postea vicissim manet, & quod manebat protenditur. id autem effici dicit, & simul contingere ut animal ambulare & progredi conspiciatur. Si autem hoc res se habet modo, & ita in pedestribus progressio fit animalibus, si quidem praecedens crus in ante inflexum habuerit, id est, si ad curuam inflecterent circumferentiam cum quadrupedum genus omne priora crura, tum ipse homo illa quae habet, ambulare utique & progredi locoque se mouere poterunt. Si autem retro & posterius, id est, si ad concauam inflexus sit circumferentiam, impossibile sane est ambulare & progredi posse animal. Causamque huiusce rei statim subiungit, obscure quidem illam, & concise admodum, verum efficacem & propositam rem indubitate demonstrantem. Dicit namque, sic enim ante lato corpore cruris erit extensio. Illo autem modo si retro feratur. Cuius sane literae huiusmodi (ut arbitror) est intellectus. Sic enim, id est inflexus crurum in homine, & priorum in quadrupede pedum, ad curuum, id est, circuli fit circumferentiam, quoniam progreditur & ante fertur & procedit animalis corpus, quo sane modo nata scilicet sunt animalia se mouere. Omnia namque, cancro excepto, qui in latus fertur, ante procedunt animalia dum ambulant. Illo autem modo, id est si ad concauam circumferentiam esset inflexus, si retro feratur, id est, si quadrupedi vel homini naturalis in clunem (ut ita dicam) esset progressio & retro, non ante. Palam igitur est quod cum hominis crurum inflexus, tum quadrupedum omnium, ut ad priora pertinet crura, cum in ante illorum naturaliter fiat progressio, recte sane se habere videtur, imò melius se habere non potest.



PRæterea etiam flexu retroversus existente duobus fieret motibus ipsa pedum positura sibi inuicem contrariis: altera quidem retro; altera vero ante. Necessarium enim est in cruris inflexione,

femoris quidem extremum retrorsum deducere : tibiam vero ab inflexu pedem in ante mouere . Quod si in ante inflexus fuerit , neque contrarijs motibus , & vno qui in ante est , prædicta continget progressio . Et homo quidem bipes existens , locaque naturaliter cruribus permutans , ob retro dictam causam in ante flectit crura : brachia vero non sine ratione ad concauum . Contrario enim inflexa modo inutilia sanè essent cum ad manuum vsum , tum ad assumendos cibos . Quadrupedes autem quæ animal pariunt , priora quidem crura , quoniam progressioni illorum sunt præuia , & in priori eadem corporis sunt parte , necessario ad curuum inflectunt ,
 10 ea de causa qua homines . In hoc enim simili se habēt modo : quamobrem & ipsi in ante flectunt quadrupedes quo dictum est modo . Ita enim inflexu facto multum attollere poterunt crura . Contrario autem flectentes modo , modicum à terra illa attollere poterūt , quoniam & totum femur , & inflexus ille cui adhæret tibia , progrediente illo sub ventre dantur . Posteriorum vero crurum si quidem esset in ante inflexio , pedum certe eleuatio similiter se haberet vt in prioribus . Ad modicum enim illorum esset elatio , cum femur , inflexioque ipsa sub ventris caderent locum . Si autem retrouersus , vt nunc inflectunt , nulli illis ad progressionem sunt impedimento in huiusmodi pedum motu . Præterea earum ex numero quæ fœtus lacte nutriunt , ad talem operam vel necesse vel melius
 20 est crura sic inflecti . non enim facile ijs esset si intrinsecus crura inflecterēt , sub se habere sobolem , & fouere .

Probat hoc in loco Aristoteles hominibus & vniuerso etiam quadrupedum generi vel necessarium esse , vel melius saltem , & illorum naturæ accommodatius , sic inflectere crura vt faciunt , quàm si opposito id facerent modo . Si enim , inquit , crurum flexus retroversus fierent , id est , ad concauum circumferentiam crura inflecterent sua cum homines , tum quadrupedum genus : per duas , & eas contrarias illorum sanè crura mouerentur motiones : quod absurdum certe est , & minime fieri potest . nihil enim vnum & idem numero contrarijs mouetur motionibus . Quod statim declarat & ostendit dicēs : necessarium enim est in cruris inflexione femoris quidem extremum retrorsum deducere . extremum vocans femur , ipsum genu : tibiam vero , id est cruris partem à genu ad talos pertinentem , ab inflexu , id est ab ipso genu , pedem in ante promouere . Quod hoc declaratur modo : si enim ad concauum & retro fierent inflexus , femur quidem , id est cruris pars illa quæ à coxa ad genu vsq; pertingit , retro sanè flecteretur , clunescq; prospectaret . Necesse nanq; est femur ad clunes vergere in flexione ad concauum facta . id vero quod à genu ad ipsos pertingit talos , quod tibiam vocauimus , in ante proculdubio porrigetur . Quamobrem vniuersi cruris alteram quidem continget partem , id est femur , retro moueri : alteram vero , id est tibiam , in ante . Sunt autem retro & ante contraria , quare & huiusmodi etiam motus erunt cōtrarij . Si autē vt natura constare videntur , in huiusmodi animalibus inflexus in ante fiunt , curuamq; orbis circumferentiam , neq; contrarijs (inquit) motibus idem mouebitur crus , progressioq; animalium fiet per illum tantum motum qui in ante fieri videtur . Postquam autem supradicta in bipedum genere de homine dixit philosophus circa crurum (vt vidimus) inflexus : de reliquis duabus motionis notis , id est brachijs ipsis in eodem perscrutatur homine , quæ ad concauam inflecti circumferentiam dicit , non sine ratione , sed necessitate etiam , vt dictum est in cruribus , & vtilitate , dictantibus . Contrario nanq; posito , inquit , inflexu in ipsis brachijs , inutilia sanè essent illa cum ad manuum vsum , operaq; illarum ministerio obeunda , tum ad ciborum assumptio- nes nulli sanè illis vsui esse possent . quomodo enim ad os cibos applicare possent homo , quod ante est , si ad posteriorem corporis partem contrario inflectendi modo illius brachia vergerent : His explicatis in homine , vt visum est , hanc ipsam rem in quadrupedum etiam genere perscrutatur , natura-
 30 liscq; crurum cum anteriorum tum posteriorum inflexionis , vt in omnibus cernitur , euidentes explicat causas : dicitque in anterioribus cruribus illas easdē sanè esse quæ sunt de homine retro enarratæ ,

Vni & idem
cōtrarijs non
moueri motu
tionibus .

Cur quadrupeda
dū genus crura
ac visitur
inflectit sua .

maximeq; cum anteriora in illis crura progressioni illorum sint præuia, & in anteriori corporis parte collocata. Quibus peculiarem etiam addit causam in superioribus non adductam, quæ hominibus etiam conuenire potest. Ea autem est, iccirco quadrupes quæ animal pariunt, anteriora ad conuexum crura inflectere orbem, ut altius scilicet illa eleuare & attollere in progressionis possint opere. Si enim contrario se haberent modo, modicum profecto à terra illa subrigere & attollere possent. Cuius rei euidentem statim subiungit causam. In tali namq; eleuatione sic inflexis cruribus uniuersum sanè femur cum ipsa genu suffragine & curuatura sub ventre daretur, neque altius aut ultra posset attolli. modica igitur crurum esset eleuatio, quæ magna profecto est & expedita in hoc quo naturaliter inflectunt modo. Femur namq; & genu curuatura ante porriguntur, & in vacuum exeunt, nulloq; obstaculo alte eleuantur. His de anterioribus quadrupedum cruribus ostensis philosophus posteriorum etiam crurum, cur eo quo uisitur inflectatur modo, id est ad concauum circuli orbem, necessariam affert causam, eam scilicet quæ de anterioribus est dicta cruribus: quæ quia paulo ante explicatam arbitror satis, haudquaquam nunc illam repeto. Peculiaris autem causa in posteriorum inflexu crurum quadrupedum omnium hæc est, quam adducit, foetus scilicet educatio & custodia. Et iccirco (ut arbitror) in superiori dictum est textu: Quadrupes autem quæ animal pariunt, quibus solis hæc quadrare videtur causa. Hoc enim inflexus modo vel necesse, inquit, est, vel si nõ necessarium, melius saltem est illorum posteriora inflecti crura quadrupedum, quæ foetus & prolem mammis & lacte nutriunt, & alere conspiciuntur. Si enim, inquit, intrinsecus inflecterent, ita quod genua intrinsecus vergerent, & ad conuexum fierent orbem inflexus, haudquaquam ad mammas sobolem pullosq; admittere possent suos, minimeq; illos tueri & fouere possent: quod nullo negotio facere uidentur, suffraginum articulis retroversus spectantibus & conuersis.



Um autem quatuor inflexionum in iuncturis sint modi, necesse est enim inflectere vel ad concauum tã priora quam posteriora crura, ut in A: vel contrario modo ad curuum, ut in B: aut conuerso modo, & non ad eadem, sed priora quidem ad curuum, posteriora uero ad concauum, ut in C: aut modo contrario, curua quidem ad se inuicem, concaua autem extra, ut D se habet: certe ut se habent A & B, bipedum aut quadrupedum inflectit nullum: ut autem C, quadrupes: ut uero D, quadrupedum quidem nullum, elephantum excepto: homo autem brachia & crura. Brachia namq; ad concauum flectit, crura uero ad curuum. Semper autem in hominibus commutatim contrarios membra habent inflexus, ut cubitus ad concauum: manus autem carpus, ad curuum: rursusq; humerus ad curuum. Similiter modo in cruribus femur ad concauum, genu uero ad curuum: pes autem contrario modo ad concauum. Et inferiora profecto ad superiora manifestum est contrario se habere modo: principia namque contraria: humerus quidem ad curuum: femur autem ad concauum: & cubitus sanè ad concauum: genu uero ad



curuum: pes vero contrario modo, ad concavum. Et crurum quidem inflexus tales ob causas hoc se habent modo.


Necessaria hoc in textu diuisione colligit Aristoteles quatuor inflexionū modos quos in animalium organicis fieri membris non ab re quispiam imaginari & colligere potest. Ex quibus vnum admittit quadrupedum generi competentem, alios autem reijcit omnes illi haudquam conuenientes, quorum tamen duos bipedū generi quodatenus competere ostendemus. Hos autē inflexionum modos secundum iuncturas fieri dicit, per iuncturas intelligere volens cum genua ipsa, tum reliquorum articulos & suffragines membrorum, in quibus sanè fieri possunt inflexus. De quadrupedum autem genere præcipua hoc in loco videtur esse perscrutatio, quoniam ex complicatione combinationeque tam curui quam concavi, cum in prioribus, tum in posterioribus animalium cruribus necessario illi quatuor inflexionum resultant modi. Dicit igitur quòd in eiusmodi animalibus necessarium est vel ad concavam superficiem inflecti tam priora quam posteriora crura: quemadmodum vocat A, & illo signat elemento: vel contrario inflecti modo, ita quòd tam priora quam posteriora inflectantur crura ad cōuexam & curuam circuli superficiem, quem inflexionis modum appellat B. Aut commutatim, inquit, non ad eadem tamen inflecti: sed priora quidem crura ad curuū circuli orbem, posteriora vero ad concavum: quem sanè modum vocat C. aut modo, inquit, huic cōtrario, ita quòd priora quidem crura ad concavum, posteriora vero ad curuum flectantur orbem: quod ipse alio expressit modo, dicens: Curua quidem ad se inuicem, concava vero extra. quod idem sanè est. Si enim priora ad concavum flectuntur crura, posteriora vero ad curuum, genua, id est curuaturæ, cum priora, tum posteriora, vtrobiq; sub ventrem dantur, & in sese vergunt: concava vero, id est, poplites vtrinq; extrinsecus spectant, vt ex descriptione picturaq; palàm dignosci potest. Positis autem (vt visum est) ijs quatuor inflexionum modis, subiungit dicens nullum ex bipedi aut quadrupedi genere animal crura sic inflectere sua vt de A & B inflexionum modis est enarratum. Quæ res in quadrupedi quidem genere clara est. Priora etenim & posteriora crura neq; ad concavum vtraq; neq; ad curuū vllum flectere potest animal quatuor pedibus præditum. In bipedum vero genere non nihil difficultatis subesse videtur in primo inflexionis modo, in ipso videlicet A. nonnullæ enim auium sunt species quibus longa & protensa sunt crura, vt in gruibus est videre & ciconijs, in quibus cum crura ipsa gemina, tum alarum extensiones ad concavum orbis inflecti ambitum percipiuntur, qui sanè primus erat modus. Neque huic suffragari (vt arbitror) potest loco si dicatur de quatuor hic intelligi debere cruribus, & non de alis geminis, totidemq; cruribus. Nam cum philosophus in litera bipedum meminisset dicens, Vt se habent A & B, bipedum aut quadrupedum inflectit nullum. per priora & posteriora crura, quatuor signare videtur notas, per quas sanguine prædita animalia loco se mouere dictū est retro. Et paulo etiam post de quarto inflectendi modo, id est ipso D, verba faciens, nullum quadrupedum crura sic inflectere dicit, elephantò excepto, vt mox explicando videbimus. hominem vero brachia & crura eo inflectere affirmat modo. Curuæ nanq; partes mutuo sese respiciunt, cubitus scilicet & genu: concavæ vero extra vergunt, qui sanè quartus inflexionum est modus. Brachia nanque ad concavam tendunt circumferentiam, crura autem ad curuam. Hoc igitur in loco ad localem faciētes motum signari videntur notæ, & non illa quæ proprie appellantur crura. nanq; de huiusmodi in bipedum genere nulla esse posset ostensio quòd duos solummodo habent pedes, in quibus tamen cū brachia tum alæ (vt ipse etiam in commentarijs de animalium dicit partibus) priorum vicē crurum recompensare vidētur. Quæ si vera sunt, vt esse planè apparent, profecto vt quartus inflexionis modus, scilicet ipsum D, hominibus cōpetit: ita certe primus, id est ipsum A, auibus, quæ protensa habent crura, non immerito assignari poterit. Ex quatuor igitur assignatis modis secundus solummodo (vt videtur) est inconstans, nullumq; neq; in bipedi neq; in quadrupedi genere reperit assertorem: reliqui vero tres constare sanè videntur. Et primus quidem (vt dictum est) & quartus bipedum generi pro parte competūt: neuter omnibus. Tertius vero modus omnibus sine controuersia, elephantò excepto, competere & quadrare videtur quadrupedibus. Quamobrem consyderandam esse censeo literam illam, & bene pertractandam, quæ dicit: Certe vt se habent A & B, bipedum aut quadrupedum inflectit nullum. Nisi fortasse sanior istius loci est intellectus, q̄ secundum A bipedum & quadrupedum inflectit nullum, quoniam nulla auium alas inflectit suas, quæ sanè priorum illis vicem præstare videtur crurum, ad concavum orbis ambitum. si inquam inflexum consyderemus illum qui in alarū origine fieri percipitur, quæ certe pars proportionē ad hominis humerum respondere videtur, & non in consequenti alarum articulo, qui cubito in homine assimilari potest. Et istuc sanè est quod supra etiā his verbis significauit. Quadrupedes autem omnes priora quidem ad curuum, posteriora vero ad concavum: similiter & aues. Et paulo post etiam ita dicit: Aues sicut quadrupedes crura inflectunt sua. Illarum nanq; natura simili ferè se habet modo. Auibus enim alæ priorum vicem habent crurum: quāobré eodē inflexæ sunt modo, sicut illis priora sunt crura. Is igitur sanus (vt arbitror) loci huius videtur esse intellectus, cui omnia profecto consentire & quadrare percipiuntur. Verum ad literam reuertamur, in qua cum dixisset quadrupedes vt C inflectere, id est, secundū tertiu inflexionis modum, statim subdit: Vt vero D, quadrupedum nullum, elephantò excepto. quod idcirco dixisse videtur,

Difficultas ex philosophi emergens verbis.

Vnus inconstans solummodo apparet modus: cum tamen sint duo.

Verior literæ intellectus.

De elephantii inflexione.



modo ad
est contrari
em ad curu
a: genu ven

quoniam cum id animal genibus carere existimatum sit, in humerorum sanè articulis priora inflectit crura, posteriora vero in ijs quæ femorum articulis proportionem respondere videntur. His enarratis & ostensis Aristoteles de commutata horum inflexuum contrarietate, & variantis naturæ diuersitate in hominis organicis membris verba facit, quæ cum quadrupedibus etiam omnibus, tum alijs ab homine bipedum generibus non ab re quadrare possunt. Dicit igitur hoc in hominibus ostendens, quòd contrarios commutatim organica membra habent inflexus. Cubitus enim ad concauam flectitur superficiem: manus vero pars illa quæ carpus appellatur (est autem is articulus quo medio manus lacerto iungitur) ad curuam reflectitur ambitum: cum superior humerus hoc etiã inflectatur modo. Commutatim namque isthæc (vt diximus) inflexu fit contrarietas. Humerus enim ad curuam flectitur ambitum, cubitus ad concauam, carpus rursus ad curuam. Parique etiã modo in ipsis est animaduertere cruribus. Femur enim ad concauam flectitur ambitum, genu ad curuam, pars autem illa qua pes tibiæ iungitur, quã in præsentia appellat pedem, ad concuam inflectitur circumferentiã. Subditque postmodum miram quã ingenij felicitate philosophus huiusmodi corollariũ, quod superiora videlicet membra organica ad inferiora hac in re contrario se habent modo. neque id ab re, inquit, quoniã principia sunt contraria, summũ videlicet & imũ: in quibus membra illa sunt collocata. Statimque istuc ipsum clarissimis ostendit verbis. Nã humerus, inquit, in superiori collocatus parte, vbi primus (quasi dicat) cernitur inflexus, ad curuam flectitur orbem: cui in parte inferiori correspondens femur ad concuam orbis flectitur superficiem: rursus superne quidẽ cubitus ad concuam inflectitur ambitum, genu vero inferne ad curuam: & cum manus carpus ad curuam inflectatur orbem, pes, qui illi sanè respondere videtur inferne, contrario inflectitur modo. ad concuam namque circuli circumferentiã manifeste inflecti percipitur. His ostensis Aristoteles vniuersum hunc de inflexibus sermonem, vt ad alia accedat, more suo eleganter claudit.

Quod commutatim in brachijs & cruribus in hominibus fiat inflexus.

Mouentur autem posteriora ad priora per diametrum. Post enim dextrum prius, sinistrum mouet posterius. Ita sinistrum prius, post illud autem dextrum posterius. Causa autem est, quoniam si priora simul & prius, distraheretur sanè aut procidua esset ambulatio, & quasi tractis extensione posterioribus. Præterea etiam non progressus huiusmodi esset, sed saltus. Difficile autem est mutationem continuã facere salientem. Huius autem rei signum, quod cito lassescunt equi illi qui hoc mouentur modo: vt ij qui in pompis agitantur, seorsum quidem prioribus posterioribusve ob hoc non mouentur. Si autem vtriusque dextris prius, extra sanè fulcrorum fierent sustentacula, ruerentque. Si igitur est necesse aut istorum vtriusque modorum motionem fieri, aut per diametrum, neutro autem illorum contingit modorum, per diametrum motionem effici necesse est. Hoc enim mota modo, illorum neutrum pati poterunt. Et hanc ob rem equi, istiusmodique cætera, stant secundum diametrum protendentia, & non dextris aut sinistris vtriusque simul. Eodem etiam modo quæcunque plures quaternis habent pedes, motionem faciunt. Semper enim in quatuor deinceps positos posteriores ad priores per diametrum mouent. Palam autem hoc est in ijs quæ tarde mouentur. Cancris quinetiam eodem mouentur modo. ex multipedum namque sunt genere. ij etenim semper per diametrum mouentur quo progredi contendunt. Peculiari namque modo id progreditur animal. Solum enim ex animalium numero non in ante mouetur, sed in latus. Verum quoniã oculis id quod ante est determinatur, eos natura commodos effecit, qui crura consequi possent. In latus enim illi mouentur. Quamobrem cancos etiam in ante quodammodo moueri contingit.

Vltimum ex problematibus fuerat in hoc commentario pertractandis (vt retro vidimus) cur
 nam quadrupedes omnes per diametrum mouetur: quod hoc in textu declarat Aristoteles,
 euidentesq; assignat causas propter quas sic moueri quadrupedes est necesse. In primis autē
 declarat quidnam sit per diametrum moueri, ne rem ipsam ignoremus omnino de qua in præsentia
 agitur. Postea vero huiusmodi necessitatem motus cogenti sanè ratione concludit: vltimoq; nos do-
 cet, non quadrupedes solummodo, quod tantum quærere problema videbatur, sed pedestria etiam
 omnia per diametrum moueri. Dicit igitur in primis q; per diametrum moueri nihil aliud est quàm
 id quod natura quadrupedes faciunt omnes, quòd scilicet post dextrum prius, sinistrum mouent pos-
 10 terius: & ita rursus sinistrum priorem mouent pedem, postq; illum posteriorem dextrum. Quo de-
 clarato & constituto id ipsum demonstrare contendit, illiusq; causas reddere aggreditur. Est autem
 demonstratio, vt illam breuiter perstringamus, huiusmodi, Si quadrupes moueri debet animal, aut
 duobus simul prioribus mouebitur pedibus, dextro scilicet & sinistro, quos simul duo sequentur pos-
 teriores: aut simul mouebuntur dexter posterior, & dexter prior: vel cōtrā sinister mouebitur prior,
 & sinister posterior: aut simul mouebuntur dexter prior, & sinister posterior: & rursus sinister prior,
 & dexter posterior. Neq; alium est dare modum, neq; imaginari etiam licet quomodo aliter quadru-
 pedes sese mouere possint, cū cōbinatis inquam ijs adsequatur dextrum scilicet & sinistrum prius &
 posterius. Verum neq; duobus simul prioribus pedibus ad progressum vllum mouetur animal, neq;
 duobus simul dextris aut sinistris, cum prioribus, tum posterioribus, vt clare ostendetur. relinquitur
 ergo quartus modus, quòd dextris simul & sinistris motis, prioribus scilicet & posterioribus, & hoc
 20 commutatim, omnis proculdubio moueatur quadrupes. Id autem per diametrum est moueri, vt
 declaratum est. omnes igitur per diametrum mouentur quadrupedes. Et hæc sanè vniuersa est huius
 loci ostensio, ex connumeratione scilicet modorum per quos moueri quadrupedes quis existimare
 posset: ex qua destructis (vt vidimus) omnibus alijs modis, & quòd fieri non possint ostenso, vltimus
 sanè solum relinquitur tanquam constans & necessarius ad ipsas quadrupedum motiones modus, is
 videlicet qui per diametrum fieri animaduertitur. Philosophus autem in litera inutiles ad progressio-
 nem quadrupedum destruere aggrediens modos, à primo exorditur, dicitq; impossibile esse duobus
 simul prioribus ad progressionem moueri pedibus quadrupedes, ita quòd priores primo moueantur
 pedes, illosq; postea consequantur posteriores, quoniam distracta certe hoc modo, & separata, neque
 vna & cōtinua animalium esset progressio, cum post priorum motum pedum, posteriorum quasi at-
 30 tractio esset quædam, posterioribus corporis partibus veluti ad priores extensas retractis: quæ certe
 res à cōtinua & æquabili progressus motione valde est aliena. Præterea huiusmodi, inquit, motus
 planè est, nō progressio: quod oculata apparet fide. Difficile autē est & laboris plenum animalia isto
 moueri modo. Celerrime nanq; lassescerent. nam cito deficere illa videntur quæ sic sese mouent, tan-
 quam quadrupedibus ea non naturalis sit motio, sed violenta, præterq; naturam. Quam etiam rem
 manifesto confirmat exemplo eorum equorum qui in pomparum solennijs traducebantur, & eo agi-
 tabantur modo. restrictis enim & contractis frenorum habenis fessores illos calcaribus vrgebant, vt
 prioribus elatis cruribus, saltu antè procederent: quos cito sanè deficere & lassescere necessarium fuis-
 se cum ipsa dicat ratio, tum experientia nunc clare percipitur eorum qui eodem agitantur modo.
 Similiter neq; vtriusq; dextris simul, aut vtriusq; sinistris vllum moueri ad progressionem potest qua-
 40 drupes: qui sanè duo erant primum illum consequentes modi, secundus scilicet & tertius. nam illis, in-
 quit, modis extra fulcrorum sustentacula positum esset animal, & nedum quopiam progredi posset,
 sed omnino rueret, & pessum iret. Fulcra autem vocat cum dextrum priorem pedem, & sinistrum
 posteriorem, tum vicissim sinistrum priorem, & dextrum posteriorem. His enim manifeste stare &
 sustineri videntur quadrupedes. In textu autem dixit solum & mentionem fecit de vtriusq; dextris,
 nulla de sinistris vtriusq; commemoratione facta, illorum scilicet intelligi volens eandem esse naturæ
 rationem, cum subdit quòd extra fulcrorum sustentacula cōstituti ruerent quadrupedes. plurali vtēs
 numero, quoniam tam dextris quàm sinistris cum prioribus tum posterioribus cruribus pro fulcris
 & sustentaculis quadrupedum vtitur genus. In dextris igitur vtriusq; vtraq; etiam intelligenda sunt
 sinistra. His destructis modis Aristoteles & inutilibus ad animalium progressus ostensis, quartum sanè
 50 approbat modum, quem ex aliorum impossibilitate necessarium esse demonstrat. Is autem est, qua-
 drupedes omnes ad progressionem per diametrum sese mouere. nullum enim antedictorum incōue-
 nientium ad hunc sequi videtur modum. neq; enim interpellatur progressio, illiusq; dirimitur conti-
 nuitas, sed potius continenter eo efficitur modo: neq; saltus eiusmodi esse censetur motio: neq; extra
 fulcrorum sustentacula sic reponitur animal, vt pessum illi ruere sit necesse. nam per diametrum pro-
 cedentia animalia semper suis sustentantur nitunturq; fulcris. Quamobrem, inquit, cum equi ipsi, tum
 reliqua ex quadrupedi genere animalia à progressionem cessantia, stare videntur, corpusq; sustinere
 dextris sinistrisq; innisa pedibus secundum diametrum. Verum vt ampliorem etiam huius conclu-
 sionis nobis ostendat ambitum, vniuersaliusq; id indicet esse problema: non solum quadrupedes in-
 quit per diametrum moueri, sed multipedū etiā generi id ipsum accidere verissimū esse, si quis, inquit,
 60 ad quatuor semper deinceps positos pedes aduertere curauerit. Sit enim (verbi causa) ex multipedum
 genere quippiam quatuor & viginti habēs pedes. Si quis igitur viginti ex illis prætermisissis, quatuor
 tantū reliquos cōspexerit, is profecto per diametrum illos moueri cernet: rursusq; si illis quatuor omif-

Quid per dia-
metrum mos-
ucri.

Omnes qua-
drupes per
diametrum
moueri.

Quid per dia-
metrum mos-
ucri.

Multipeda
omnia per
diametrum
moueri.

Cancrorū obli-
quus motus.

sis ad sequētes animaduertit quatuor, illos certe vicissim eo moueri conspiciet modo: similiq; modo in reliquis semper fieri manifeste deprehēdet. Quæ sanè res eo manifestius percipi potest, quo multi-
peda tardiori se motione mouebunt. Subditq; postea cancrorum genus omne, licet oblique & in latus moueatur, per diametrum tamen illud etiam moueri. Quoniam autem in confessis est, receptaq; est opinio, cui ipse etiam attestatur sensus, cancrōs non in ante, sed in latus & oblique moueri: vt vni-
uersali suffragetur propositioni, quæ sanè asserit animalia omnia in ante moueri, ipsos etiam cancrōs dicit in ante quodammodo progredi esse censendū. Cū enim in latus mouētur, naturaq; illis exteros longe dedit oculos, & quasi cōtis quibusdam impositos, illos sanè moueri secundum membra, id est secundum cancrorum fecit pedes. conuertuntur enim & in latus flectuntur & excurrunt cancrorum oculi. Verum cum oculi in priori antecedentique animalium semper collocati sint parte, mouentur
autem cancri ad eam certe partem qua tendunt oculi, in ante profecto ipsi etiam quodammodo mo-
ueri non immerito censentur cancri.

Aves autem vt quadrupedes crura inflectunt sua. illarum nanque natura simili ferè se habet modo. Auibus enim alæ priorum vicem habent crurum, quamobrem eodem inflexæ sunt modo, vt illis priora sunt crura. nanque ijs in eo qui ambulationis est motu, ab alis isthæc originem habet mutatio. Volatus enim est harum peculiaris motio: quapropter illis ablatis neq; stare neq; progredi vlla sanè potest auis. Præterea cum bipes auium sit genus, neq; erectū, & priores corporis partes leuiore habeat: aut necessarium est, aut certe melius, vt stare possint, subiectum sic habere femur, retro versus dico cōnatum. Verum enim uero si hoc oportebat se habere modo, crurū etiam inflexus ad concuum fieri necesse erat, sicut in posterioribus quadrupedum est cruribus, eandem ob causam quā de ijs quæ animal pariunt quadrupedibus, retro adduximus.

Auis & qua-
drupedum si-
mitem quo-
dammodo esse
se naturam.

Hoc in textu philosophus & in sequētib; etiam vsq; ad commentarij huius calcem naturales inuestigat & reddit causas membrorum in animalibus ad progressionem maxime faciētium, quamobrem, vt videntur illa, vel necessario, vel certe melius se habeant, quā si alio se haberent modo. Ab auibus autem initium sumens dicit illas crura inflectere sua sicut quadrupedes posteriora inflectunt crura, ad concuam scilicet circuli circumferentiam. Cuius sanè rei easdem vt in illis affirmat esse causas. Fuit autem retro (vt vidimus) declaratum quadrupedes omnes intrinsecus, id est, ad concuum orbis ambitum crura inflectere sua, tum vt altius illa attollere possent, tum vt sobolem quæque suam ad vbera admittere, tueriq; & fouere commodius possent. Eo igitur inflectere modo crura nūc aues affirmat: neq; hoc ab re, mehercule. Similis enim & cognata quodammodo auium & quadrupedum videtur esse natura. Namq; alæ in auium genere priorum vicem crurum proculdubio præstare videntur, tum quia eodem inflectuntur modo sicut priora quadrupedum crura: tum quia ab ipsis alis motionis est initium auium generi, vt in quadrupedibus à prioribus sanè cruribus is qui per locum est incipit motus. Cuius rei manifestam statim assignat causam. Alis enim, inquit, ablatis, tanquam remoto principio primo, neq; stare potest vsquam auis, neq; progredi. Quo in loco animaduertēdum esse censeo ad illud quod hic dicitur, aues scilicet alas eodem inflectere modo, quo priores quadrupedes inflectunt pedes. Intelligere nanq; hic philosophus videtur inflexionē illam quæ in origine alarum fieri percipitur. Hæc nanq; ad curuum orbis flectitur ambitū, sicut priora quadrupedum crura. Nam sequens inflexus ad concuam curuatur circumferentiam: non alio sanè modo, quā in cubiti articulo brachia flectuntur in homine. Et ideo fortasse sic retro intelligendus est locus ille de primo inflectēdi modo quem philosophus dixerat non constare, & nulli neq; bipedi, neq; quadrupedi posse competere, cum scilicet vtrinq; cum priora tum posteriora crura ad concuū inflectuntur orbis ambitum. nam in quadrupedum genere priora ad curuum crura inflectuntur: & in bipedibus, auium scilicet genere, alæ ipsæ quantum ad exortum & sui originem ad curuam inflecti circumferentiam conspiciuntur. Et iccirco paulo etiam ante hac de re verba faciens, isthæc ad literam ipse dixerat: Quadrupedes autē priora quidem crura ad curuum: posteriora vero ad concuum: similiter autem & aues. Verū si superior textus de primo incōstanti modo, & iste etiam vbi dicitur aues suas inflectere alas sicut quadrupedes priora inflectunt crura, sic sunt intelligendi vt est pertractatū, de alarū scilicet inflexibus qui in illarū fiunt origine, quos ad curuū fieri ambitum oculata percipitur fide: non leuior sanè insurgit dubitatio de quarto inflexionum modo, de ipso videlicet D, quem ipse retro hominibus competere dixerat. Ibi enim inquit: Homo autem brachia & crura, illa quidem ad

concauū inflectit, crura autē ad curuū. Si enim ad originē brachij, & primū illius inflexum respicere voluerimus, palām est, ipso etiam attestāte, quod tam brachia quā crura ad curuā homo inflectit circūferētiā. Si autē ad cubiti articulū attēdere voluerimus, verū est quod ibi dicitur, quod homo brachia quidē ad concauū, crura vero inflectit ad curuū: qui quartus sanē erat modus. Sed statim de auibus pullulat dubitatio, quā alas certe suas eodē inflectunt modo, sicut brachia homines, si inflexum in parte alarū illa cōsiderare voluerimus, quā hominis cubito proportionē respōdet. illo namq; in articulo alas ad concauā inflecti circūferentiā nemo est qui ambigat. Quāobrē illas non certe flectēt sicut quadrupes priora inflectūt crura. Quod hoc in textu expresse dicit philosophus. Vndiq; igitur excipiūt angustia. Cōsiderādum igitur hūc censeo esse locū ab ijs qui lynceos habēt oculos, & nō oscitāter quācūq; in manibus inciderint, legere cōsueuerūt. Subdit postmodū causam philosophus cur in auū genere femur peculiari quodā modo se habeat ad coxā, & ad subiecta sibi crura: propter quā etiā necessariū dicit esse ad concauā orbis circūferentiā illorū fieri inflexū. Cum enim, inquit, bipes auū sit genus, neq; erectū omnino sicut homo, prioresq; corporis partes habeat leuiores: aut necessariū, inquit, est, aut saltē melius, ventri subiectū sic habere femur, & quasi retrorsum cōnatū, id est vergens & firmatū, nō retro, vt illis est coxa aut clunis, quā alterū videri posse femur ob longitudinē dixerat prius, sed retroversus tendens. eo enim corporis habitu cum stare, tum etiam progredi poterit, nisi illorum pondere membrorum grauioribus effectis posterioribus partibus, vt retro dixerat æneorum similitudine vsus equorum, qui posteriorum grauitate & pondere partium, saltantium modo prioribus elatis cruribus nullo negotio stare possunt. His præmissis hanc rem concludit dicens: Si hæc hoc se habere oportebat modo, necesse erat crurum etiam in auibus inflexum ad concauum fieri ambitū, vt in posterioribus quadrupedum est videre cruribus: & easdem ob causas, quas paulo ante diximus, de crurum scilicet commodiori eleuatione, & de sobolis cura & custodia.

Non leuis difficultas.

Locus cōsiderandus.

Mnino autē aues omnes, & ex volatili genere quæcūq; ex membrana integras gerunt alas: tum vero illa quæ in humore natant, instrumentisq; quibusdā in humore iter faciunt, non difficile est animaduertere melius sanē illis esse membrorum huiusmodi ex obliquo exortus habere, quales nūc illis inesse conspiciūtur: vt in auibus, & ijs quæ mēbranaceas habēt alas: idq; ipsum in piscibus. Auibus nāq; alæ, aquatilibus autē pinne, mēbranaceas autē habētibus alas mēbranulæ ex obliquo adhærescunt. Ita enim cum celerrime, tum valētissime diuidentia hæc quidē aērē, illa vero humorem, motum efficere poterūt. In ante namq; & retroversus corporis cōsequi poterunt partes, in cedēti scilicet trāslatæ cum humore, tum aère. Ex quadrupedū vero genere quæ cauernas subeunt, & oua pariunt, quales crocodili sunt, & lacertæ, & stelliones, necnon lutariæ testudines & terrestres, omnia isthæc ex obliquo crura habent annexa, & humi extensa, in obliquumque illa inflectunt, ob subintrādi facilitatem, & ad ouorum in cubitum & custodiam. Cum vero extra sunt, necesse est vt protensis femoribus & sub se datis corpus attollant. Hoc autem facto illa non aliter quā extrinsecus inflectere possunt.

Quoniam de auium cruribus, illorumq; inflexionis modo, in superiori pertractauit textu philosophus, causasq; propter quas sic fieret assignauit, hoc in textu in eodē etiam genere alarū perscrutatur naturā, earumq; situm & positionē non sine naturalibus expressis causis rationabiliter inuestigat. In piscibus quinetiam id ipsum facit, quorū pinnae cum alarum vicem (vnde etiā nomen habere vidētur) in humore illis præstāt, tum illorū eodem etiā modo adhærere corporibus sanē visuntur. Est autē vniuersalis ista cōclusio, Volantiū omnium, siue pennis distinctas, siue ex integra mēbrana fragiles habent alas, vt volātia sunt insecta, quin & aquatiliū etiam omniū quæ pinnas gerunt, vt isthæc in ipsis motus instrumēta, naturaliter oblique & in latus exeūt. Sic enim melius inquit esse, & illis sanē cōmodius cū ad volatus, tum ad natationes, quā si aliter isthæc se haberent mēbra. Celerrime namq; hoc naturæ habitu, & sic huiusmodi se habētibus mēbris, volantium quidem genus omne aērē secare, & in illo se mouere poterit: pisces vero id ipsum in humida natura nullo negotio facere poterunt. Illud autem in textu, In ante namq; & retroversus &c. id significat.

Cur alarū positio, & pinnae etiā omnibus in lat' exeūt.

care videtur, quòd alis scilicet in volatili genere, & pinnis in aquatili, cæteræ corporis partes obsequi, & illas cõsequi sunt natæ, siue in ante, siue retrorsum animal mouerint. Quo in loco animaduertendum esse censeo, quoniam omnis animalium motus in ante est, nullumq; naturaliter retroversus mouetur animal, q; illud retroversus, vel ad diuisionis plenitudinẽ hoc in loco est appositũ, cum nihil ad sententiæ faciat intellectũ, quæ vult cæteras corporis partes has motus cõsequi notas dum in ante tendunt: vel si temere non est adiectũ retroversus, & corporis partes, idẽ signare videtur: ita q; corporis partes aliæ, explicatio sit ipsius retroversus: istoq; modo huiusmodi literæ erit sensus, quòd videlicet alas & pinnas ad id quod in ante est, id est ad localẽ motum qui semper in ante fit, cõsequitur quod retroversus est, id est, illud quod post huiusmodi motionis notas est collocatũ, videlicet cæteræ corporis partes, in obsequentibus & cedẽtib; trãstatae elementis, aere scilicet & aqua. Fortasse etiã non perperã dici potest illud retroversus haud superuacue fuisse appositũ, cum animalia quædã retroversus aliquãdo naturaliter moueri cõspiciantur. Cãros enim scribit Plinius in timore retroversum eadem velocitate recedere, & locustas in obliquũ ire. Hęc mihi succurrebãt dũ isthęc scriberẽ. Si cui posthac iste commodius arriserit locus, is sanè bona cum gratia primas ferat. Subdit post hęc Aristoteles quòd ex quadrupedum etiam genere quæcunq; cauernas & petrarum aut terræ foramina subire videtur, quæ ideo omnia troglodyta appellat, eo crura annata habent modo, oblique scilicet & ad latus vergentia: aliquotque illorum nominat species, vt sunt, inquit, crocodili, & lacertæ, & stelliones, necnõ lutariæ testudines & terrestres. De crocodilo, quod peculiare Nili est animal, non est q; pluribus agere debeã, cum & plerisq; sit notus, & à cõpluribus etiã prodatur authoribus, in corpore scilicet magno & extẽso lacerti formã habere, & in aquis & terra æque degere, solũq; inter animalia reliqua maxillã mouere superiorẽ. Stellio vero, quẽ ascalaboten græci vocant, paruũ est animal lacerto simile, verum breuius, coloris cinerei, in sepulcrorum ruinis & aspretis degens. Testudines autem & terrestres & aquaticæ reperiuntur, quas *μύδαο* appellant, quoniã in luto & humida degunt natura. Has lutarias in animalium historia inuertit Gaza, quod & ego hic feci, tum quia illarũ naturæ & græco vocabulo fatis id quadrare visum est verbum, tum vt eruditissimi viri, & de re literaria optime meriti, nomenclaturæ & authoritati non minus fauerẽ. Subdit postremo philosophus vniuersa ista troglodyta, & in obliquum obuersa habere crura, & humi extensa illa inflectere in latus, vt cõmodius faciliusq; cauernas subire possint. quod sanè natura faciunt duce, tum vt oua incubent & foueant sua: cum vero extra cauernas fuerint, progrediq; voluerint, tum protensis, inquit, femoribus, siue cruribus, quẽ eousq; humi fuerãt resupinata & extensa, & sub se datis, id est erectis, corpus attollunt iuũ: quod profecto fieri bene nõ posset, nisi extrinsecus, id est in obliquum crura inflecterẽt sua.

EX pedestribus autẽ quæcunq; sanguine carent, & quidem multipeda sint, nullũq; eorũ sit quadrupes, à nobis dictum est prius. Quamobrem vero in illis necesse est pedes præterquã extremos ex obliquo esse cõnatos, & cum sursum versus inflexiones habere, tũ ipsos obliquos retrorsum vergere, palãm certe est. Omniũ etenim talium media certe crura cum præcedere, tum subsequi necesse est. Quòd si hoc illis inest, in anteriorem profecto partem, & in posteriorem inflexum habere oportet: quoniam quidem præcedunt, in priorem: quoniam vero subsequuntur, in posteriorem. Quoniam autem ambo isthęc illi cõtingere necesse est, eam ob rem torqueri, & in obliquum exire pedum inflexus necesse est, præterquam extremorũ. illi enim vt nati sunt magis, ij quidem vt præcedant, illi vero vt subsequãtur. Præterea hoc etiam inflectunt modo propter crurum multitudinem. Minus enim ita in progressionem sibi ipsis sunt impedimento, & minus offendunt. Eorumq; etiam ideo est distortio, quoniam cauernas subeant, vel omnia, vel plurima. non enim elata hoc esse modo possunt. Cancris autem inter multipeda maxime sunt spectabiles. non enim in ante progrediuntur, nisi vt dictum est prius: solũq; animalium multos habet præuios pedes. Huiusce autẽ rei causa est tum pedum ipsorũ durities, tum q; ipsis non ad natatus vtuntur, sed ad pro-

Triples literæ expostio.

Plinius Secundus.

Troglodyta.
Crocodili.
Lacertæ.
Stelliones.

μύδαο
Lutariæ testudines.

gressus. pedestrem enim degunt vitam. Omnium igitur multipedum in obliquum sunt inflexus, quemadmodum ex quadrupedibus ea quæ cauernas subeunt, qualia sunt lacertæ, crocodili, multaque præterea huiusmodi quæ oua pariunt. Causa autem est, quoniam hæc quidem cauernas subeunt partus tempore: alia vero per omnem vitam. Verum aliorum quidē propter mollitudinem obtorta vacciaque fiunt crura: carabi autē cum duri sint tergoris, pedes ad natandum, non ad progrediendū aptos habent. Cārorum autem inflexus in obliquum agitur: & etiā est obtortus & vacius, ut ouiparis, & sanguine præditis, & multipedibus, quoniam prædura sunt & ostreacea eiusmodi mēbra, cum neque natent, & caueruas subeāt. Iuxta terrā nanque illis est vita. Rotundæ quinetiam figuræ est cancer, neque caudam habet, quemadmodum carabus. Ad natandum nanque carabis vsui est cauda. is autem non est natatilis: similemque postremæ parti obliquam habet partem, quoniam multos præuios habet pedes. Cuius rei causa est, quoniam neque in ante inflectit, neque obtorquetur. Causa autem cur torqueatur, dicta est prius, durities scilicet, & ostreaceum tergus. Propter hæc igitur omnes habere præuios, & in obliquum necesse est. In obliquum quidem, quoniam inflexio est in obliquum: omnes autem præuios, quoniam quiescentes pedes ijs qui mouentur, impedimento sanè essent.

- 20 **P**osteāquā philosophus in superioribus inflexionū modos circa organica mēbra in bipedū quadrupedūque genere perscrutatus est, causasque subiūxit ob quas naturaliter ut visuntur huiusmodi sunt inflexus, id ipsum hoc in textu in multipedū etiam genere facere contēdit, quod ex pedestribus sanguine necessariō carere in superioribus ostēdit. Est autē eiusmodi insectorū genus omne, quod sanè tū in obliquū pedes habere connatos dicit, tū sursum illos inflectere, versus id scilicet quod in vniuerso est sursum, exceptis extremis, prioribus scilicet & posterioribus. ij nanque neque in obliquū sunt annati, & sicut in quadrupedi flectuntur genere, priores quidem in ante, posteriores vero retro versus. Verū illorū obliquitas, & obtorta quodāmodo natura, cum ijs quæ prædicta sunt palām cernitur, si quis ad muscarū apūmq; reliquorūque id genus pedum figurā & situm animaduertere voluerit. isthæc enim prius sunt oculis percipiēda, deinde cur ita se habeant indagandę sunt causæ. Quod hoc
- 30 sanè in loco facere aggreditur Aristoteles, dicitque prius quod in multipedib⁹ istis omnia intermedia crura, inter priores scilicet & postremos interiacentia pedes, & præuia sanè sunt, & subsequētia: præuia quidem posteriorū respectu, subsequētia vero priorū gratia. Quod si isthæc, inquit, hoc se habēt modo, necesse est ut illa simul quodammodo ad anterius posteriusque istiusmodi inflexiones habeāt crura: in ante quidem, ut sequētium respectu sunt priora: ad posterius autem, ut sunt posteriora respectu priorum. Dictū est nanque & ostensum quod priora quidem curuantur in ante, posteriora vero flectuntur retro. Intermedia autem multipedū crura, cum vtriusque naturam sapiant, anterioris scilicet & posterioris, vtrorūque etiam proprietates non immerito, ut fieri potest, habere cēsendum est. id autē solummodo fieri potest si illa in obliquum & in latus fuerint annexa, & tum vaccia sint & obtorta, tum inflexiones sursum versus spectantes habeant. Necesse igitur est ut multipeda omnia intermedios habeant pedes eo conformationis & posituræ modo ut illos habere videntur. Et hæc sanè necessaria videtur esse causa propter quam multipeda sic intermedios habent pedes. Extremos autem dicit, id est, primos & postremos ea habere figura & conformatione, ut illorum naturæ maxime competere videtur: primos scilicet in ante inflexos (ut diximus) postremos vero retro versus. Aliam postmodum Aristoteles subiungit causam cur multipeda intermedios pedes supradicto gerāt cōformationis modo: quæ licet necessaria non sit ut prior adducta, propter melius tamen, & illorum naturæ accommodatius esse non immerito censerī potest. ea autem est, in huiusmodi animalibus pedum multitudo nisi in latus vergerent, & sursum versus inflecterentur, in progressionē certe alijs alij officerēt pedes, & impedimento sanè essent, crebrōque attritu se inuicem etiam lederent: quod profecto hoc positionis modo minime accidere contingit. Melior igitur isthæc est conformatio & situs pedum. Natura autē
- 50 quod melius est ex supposita semper efficit materia. Sub ijs etiam tertiā huiusce rei assignat causam, quæ est quod animalia huiusmodi ex multipedum genere, vel omnia, vel saltem plura troglodyta sunt, f. ij.

Cur insecta
intermedia
crura intorta
habent, & sursum
versus
incurua.

Cancrorum
spectanda &
peculiaris na-
tura.

Crustaceorum
genera sum-
ma quatuor.
Carabi.
Astraci.
Squillae.
Cancri.

Cur cancri
præiis mul-
tos habent pe-
des.

Lacertæ.
Crocodili.

Ab vnica in-
terdū causa
contrarios
prouenire ef-
fectus.

βλαίσω-
της.

βλαίσωι-
Vaccij.

βαίβοι-
Vati.

Carabi, locu-
stæ.

id est cauernas & foraminū latebras subeuntia, ad quod cōmode & faciliter agēdum ipsa certe crurū
facit & adiuuat obliquitas, quæ si alioquin erecta essent, id ipsum proculdubio præpedirent. quæ res
naturæ vitæq; eiusmodi animalium est cōducibilis & salutaris: & ideo dicit, non enim elata hoc esse
modo possent. id est, non enim si hæc animalia erectis essent cruribus, & alte ipsis inniteretur, troglo-
dyta esse possent, & humiles subintrare petrarum cauernas & terræ latebras valerent. Postmodū de
cancrorum genere verba facit, quos dicit spectabiles, id est singularis cuiusdā & spectatæ inter mul-
tipeda esse naturæ. Siquidem nō in ante progrediūtur, sed in latus: nisi fortasse eo quo dictū est modo
illos quispiam in ante progredi dixerit, quoniā ad eam quo oculi diriguntur partē procedere videtur,
qui sanè anteriore in animalibus partē iure obtinere censentur. Quos tamen in latus obliquare, quo
etiam progreditur, cancrorum sine controuersia cernitur genus. Dicit igitur hic inquā philosophus 10
singularis spectatæq; etiā naturæ cancos, tū quia non in ante, sed in obliquū & in latus (vt diximus)
progrediuntur: tum quia inter cætera animalia cancri præuios & duces multos habent pedes. Cum
enim in crustaceo genere (vt ipse in quarto de animalium partibus docet libro) quatuor summa sint
genera, carabi scilicet, quas locustas nonnulli vocāt, astraci, squillæ, & cancri: quæ singula in plures dis-
tinguūtur species, quæ non modo forma, verum magnitudine etiam inter sese distāt: cancrorum ge-
nus maxime solitarium est & singulare, id est, inter crustacea omnia peculiaris istius admirandæque
est cōpos naturæ. nam & in obliquum tendit (vt dictum est) cum omnia animalia in ante recto proce-
dāt meatu: & multos ad progressionē præuios habet pedes. Cuius rei tāquā sensui notæ (oculata enim
istuc percipitur fide) causam in literæ huius calce afferre cōtendit. Dicit enim tergoris duritiē, crusta-
rumq; asperitatē esse in causa cur inter reliqua animalia cancer præuios multos habeat pedes. Cum 20
enim asperos & præduros id animal pedūculos gerat, duritiēq; illa & tergoris asperitate eos nequeat
in ante, id est ad curuum inflectere orbē, non habet duos tantū præuios priores, vt illa quæ id facere
possunt animalia, sed plures. Crurum igitur asperitas & crustacea illorum durities causa est vt in cā-
crorum genere præuij multi sint pedes. Verum aliam etiam huiusce rei affert causam philosophus,
quoniā scilicet pedibus non natationis gratia, sed progressionis manifeste vtātur cancri. Natate enim
haudquaquā cōspiciuntur, progredi vero & obrepere semper visuntur. Cum enim in latus & oblique
id progrediatur animal, & altero quidem laterum (vt ipse dicit) tanquam priori vtatur parte, altero
vero tanquam posteriore: nisi præuios omnes illius lateris haberet pedes, alterius vero subsequentes
omnes, præpedirent profecto sese inuicem illi, nullusq; progressionis fieret processus. Multos igitur
præuios habet pedes cancrorum genus, quoniam illos ad progressionē habent, non ad natationem. 30
Porrò progressio ipsa in obliquum fieri animaduertitur, quæ profecto esset nulla nisi plures (vt dictū
est) præuij essent pedes. Quoniam autem de obtortis & vaccijs cancrorum dixit cruribus, dicturusq;
etiam de eisdem mox est, vniuersali quodam enunciationis modo asserit hic quod multipeda omnia
suos in obliquum inflectūt pedes, sicut quadrupedum genera illa quæ cauernarum subeunt latebras,
troglogytaq; iccirco sunt appellata: quasdamq; illorum recēset species: vt sunt, inquit, lacertæ, & cro-
codili, nec non pleraq; ex illorum numero quæ oua pariunt. Hæc nanq; in obliquum crura inflectunt
sua, quoniam cauernas subeūt, & troglodyta sunt: pleraq; quidem illorum partus tempore cum oua
excludunt, & sobolem educant: nonnulla etiam per vniuersum ferè vitæ spatium illo degunt modo.
Inflectunt igitur in obliquum crura isthæc omnia, quoniam si subrectis essent pedibus, cauernas certe
& latebrarum humilitates & angustias subire non possent. Subiungitq; postmodū Aristoteles causas 40
propter quas obtorta & vaccia in animalibus fiunt crura: quæ cum duæ sint, & contrariæ sanè esse vi-
deantur, eiusdem tamen effectus secundum subiectæ materiæ diuersitatē non immerito esse percipiū-
tur causæ. Neq; id certe alicui mirandū videri debet, quādo haud dissimili rationis iudicio animaduer-
timus ab vnica & solitaria quadā causa, quod est admirandum magis, duos & eosdem cōtrarios pro-
uenire effectus. ab vnica nanq; solis essentia, caliditate media & glacies liquefcit, & luti gleba dure-
fcit. Dicit igitur q; aliquibus propter mollitudinē obtorta & vaccia fiunt crura: cancris autem id ac-
cidere, quoniam prædura & ostreacea huiusmodi habēt membra. Quod etiam retro visus est dicere.
Pro cuius literæ declaratione animaduertendum esse cenfeo q; βλαίσωτης, quā nos crurum obliqui-
tatem, siue distortam inflexionem appellare possumus, affectio quædam est & passio, & compositio-
nis (vt inquit medicī) morbus & vitium, cum distorta scilicet in hominibus crurum natura intror- 50
sus vergit, ita quod vtraque quasi sese contingunt genua, quos homines βλαίσωτος græci, nostri
vaccios appellant. Translatum autem esse videtur id nomen ad plerasque etiam animalium species,
quoniam eiusmodi figuræ visuntur habitu, similique modo distorta habent crura. Porrò in homi-
num specie is morbus siue naturæ vitium ex superfluenti nonnunquam humore fieri consuevit, qui
articulorū illic laxans cōpagines & nexus, in causa est vt ingruēte postea & deprimēte corporis onere
eo quo diximus modo, illæ præter naturā distorqueātur partes: quæ nonnunquā etiam eadē de causa
in contrariam situs conuertuntur formam, cum multum à se distantibus genibus, in extrinsecū latus
gemina arcuātur crura: quos βαίβοις græci, varos nostri appellare cōsueuerunt. Et hoc (vt arbitror)
est quod hic philosophus dicit, aliorū propter mollitudinē, id est superfluentē humiditatē obtorta &
vaccia fieri crura. Ante autem q; dicat cancris id accidere quoniam præduros & ostreaceos habent 60
pedes, de carabis, quos locustas quidā vocant, interserit quædā, dicēs illos in crustaceo genere pedes
in obliquū cōuersos habere, non vt progrediātur, sed vt natate possint. Vix enim, aut ne vix quidem

illis progredi possunt, natate autē ferē semper cōspiciūtur. Hoc interposito, ad cāros statim reuertitur, causamq; assignat cur in obliquū exporrecta & vaccia id animal habeat crura, quoniā scilicet ex multipedū genere cum non natēt cācri, sed gradiātur & repāt, latebrarūq; cauernas subeāt, formaq; sint rotūda & orbiculata, cauda quinetiā carētes, quē sanē illis, cū nō natēt, ad nullū esset vsū, sicut carabis, ad natandū vsui sanē esse videtur. Cū huiusmodi, inquit, sint cancri, necesse est illos vt pleraq; ex multipedū genere ouipara & sanguine prædita tum crura in obliquū exporrecta habere, quoniam troglodytū huiusmodi est animal: tum illa obtorta & vaccia esse, cū prædura sint & ostreacea: & ideo non duo solūmodo, sed plura (vt dictū est) eo in genere sunt præuia. quod necesse sanē est in vaccia crurū distortionē prouenire. Ad summā igitur cancri in obliquū crura gerunt inflexa, quoniā in obli-

10 quū illorū est progressio. Multos autē habent præuios & duces pedes, tum quia in obliquū progrediūtur, & ijs nō natāt: tum quia illos crustaceos & præduros habent: qui vaccij etiā & obtorti merito esse censentur, tum quia foramina & latebras subeūt: tum quia multos duces & præuios habēt pedes, illosq; ostreaceos & duros. Neq; sanē mirandū si eadē res hoc in loco cum effectus tum causæ vicē obtinere videtur. Causæ enim plerūq; sibi inuicē sunt causæ: quod in cārorū natura ex ijs quē dicta sunt, percipi maxime dignosciquē potest. Prosequitur postmodū philosophus dicēs cancrorū genus similē obliquā, id est lateralē habere partē, parti postremæ: neq; hoc immerito. Cū enim in latum progrediātur cancri, & lateris illius præuios habeant pedes, necesse est aduersum illi latum cum subsequentes omnes habere pedes, tum postremæ locum obtinere partis. Subditq; postmodum causam cur multos præuios habent pedes cācri, quā prius nos illius verbis assignauimus: quoniam scilicet nō in ante inflectit, neq; obtorquetur. & subaudiendum est hic, in ante scilicet. nam q; in latum cancrorū obtorqueantur crura, & sensu percipitur, & ipse statim subiungit causas, quas pauloante adduximus, cum vacciorum obtortorumq; pedum, tum multorum præuiorum & ducum in obliquum tendentium.

20

Causas plerūq; sibi inuicē esse causas

Pisces autē ij qui passerina sunt figura, eo modo natāt quo monoculi ambulāt. Distorta etenim illorū est natura: auiū autē plani pedes pedibus natāt. Quæ quoniā aërem admittunt, & respirāt, bipedes sunt. Quia vero in humore vitā agunt, planipedes sunt. Pro pinnis enim vsui illis sunt pedes eiusmodi existentes. Crura autē habent non vt aliæ in medio, sed retrorsum magis. Cū enim breuia habeāt crura, si retroversus illa fuerint, ad natatū sunt cōmoda. Breuibus autē sunt cruribus eiusmodi aues: quoniam quod crurū longitudini dempsit natura, pedibus apposuit, & pro longitudine cruribus crassitudinem, & pedibus latitudinē dedit. Vsui enim magis crassa sunt q̄ longa ad propellendum humorem cum natant. Recta etiam ratione volucres quidem pedes habent, pisces vero illis carent. Volucris enim vita in sicco est, sublimes autem semper manere haudquaquā possunt: quāobrem vt pedes habeāt necesse est. Piscibus autem in humore vita est, & aquam admittunt, non aërem. Pinnæ igitur illis ad natandum commodæ, pedes vero inutiles. Quod si vtraq; haberent, sanguine certe carerent. Aues autem quodammodo & pisces similiter se habent. Auibus nanq; alæ in superiori sunt parte, illis vero pinnæ duæ parte prona. Et auibus quidem in supina corporis parte sunt pedes: illis vero in supinis iuxta pronas pinnæ sunt pluribus. Et aues præterea vropygium habent, illi vero caudam.

30

40

A crustaceo aquatiliū discedēs genere, ad eos trāsit philosophus pisces qui à corporis forma plani appellantur, & passerina siue rhombacea sunt figura. Sic enim in præsentia id genus quod *ψηττοδεις* ipse in textu vocat, mihi inuertere succurrit. in ijs enim animalium generibus quæ nomine carēt, ipse in topicis suis nomēclatoris officio fungi nos iussit. Eius autē sunt generis rhombi, squating, passerēs, soleæ, raig, ceteriq; huiusmodi: quos dicit omnes sic natate & in aquis moueri, vt altero capti oculo, quos monoculos vocāt, ambulare vidētur. Quēadmodū enim illi altero oculorū carētes suffragio, intorto quasi collo, & altera capitis parte in qua est ocul⁹, præuia, altera vero mutila sub-

s. ij.

ψηττοδεις
Fig.
Rhombi.
Squating.
Passeres.
Soleæ.
Raig.

sequēte progredi & ambulare cōspiciūtur: sic huiusmodi aquatiliū genus in aquis tanquam strabum
 visitur. In prona nanq; corporis parte veluti cōiunctos & sibi inhærētes vtrosq; habet oculos. Hoc cō
 stituto philosophus ab aquis nō abscedēs, aquaticarū etiā meminit auium, quæ lacus & stagna, æstua-
 riave, necnon ipsa incolūt maria, victūq; inde piscatu sibi petūt. Quarū vniuersitatem sub planipedi
 colligit genere. huiusmodi autē sunt anseres, anates, mergi, fulicæ, cæteræq; id genus aues, quibus pe-
 dum articuli chartilaginea quadā mēbrana ad se inuicē coniunguntur. Has igitur omnes, inquit, quia
 in humore vitā agunt, eo habere modo pedes, ex illarū est vsu. illorū nanq; vtuntur remigio in aquis
 dum natāt, sicut pinnulis pisces. quæ ideo pedestres sunt & bipedes, quoniā aērē admittunt & respic-
 rant, cū pulmones habeāt: alioquin cum natēt, & in aquis degāt, & pro pastu suo maria vrinātes sub-
 intrent, ex pisciū sanē genere merito videri possent. Quā sanē rem ex crurū etiā positura & habitu
 ostēdere contēdit. Cum enim aliarū, inquit, auium crura ad mediū subijciātur ventrē, vt stare & in ter-
 ris ambulare possint (quēadmodū retro est demōstratū) aquaticæ huiusmodi aues retroversus crura
 habēt sua. Sic enim illis ad natādum sunt magis cōmoda, quæ tum breuia sunt, tum etiā crassa, vt in
 natatione valētius instātes propellere possint aquas pedū palmulis, crurū crassitudine quod lōgitudi-
 ni detraxerat prouida refarciēte natura. His pertractatis, organicorū cōueniētiam differētiāq; mē-
 brorū quas ad se volucres & pisces habere vidētur, hoc breuiter cōmemorat in loco philosophus, di-
 citq; volucres quidē pedes habere, illis vero carere pisces: verū pedū loco pinnis vti ad natandū, & ad
 eam quæ per locū est motionem. Horū autem vtrūq; non sine naturali rationis modo animalibus ijs
 accidere cēsetur. Cū enim volucrū generi in sicco & terris vt plurimū sit vita, nullaq; semper in subli-
 mi manere possit volucris, pedes illas habere est necesse. Pisces autē illis nimirū carere videntur, quo-
 niam cū in aquis degūt, & ad naturalis refrigerationē caloris aquā non aērē recipiant, quod terrestria
 faciūt animalia, pedes profecto illis ad nullū essent vsu. Pinnæ igitur pisciū generi ad natandū sunt
 vtilis & cōmodæ, quas sanē habere vidētur: & alioquin si vtraq; haberēt, pedes scilicet & pinnas, san-
 guine profecto carerēt pisces, & in genere insectorū reponerētur: quod falsum & impossibile esse cer-
 tissime ab omnibus asseritur. Verū enim uero quāuis in ijs differant pisces & aues (vt vidimus) simili-
 ter tamē, inquit, quodāmodo isthæc animalia ad inuicē sese habere vidētur. Illud addēs quodāmodo,
 vt non verā indicare similitudinē, sed proportionis cuiusdā modū videatur. Auibus enim, inquit, in
 superiori & eadē prona corporis parte geminæ collocātur alæ: piscibus vero in prona corporis parte,
 & intelligēdū etiā est, & superiori, duæ cōstitutæ sunt pinnæ, alis geminis in auibus proportionē re-
 spondētes. Præterea auibus quidē in supina corporis parte duo collocātur pedes: piscibus vero in su-
 pinis, inquit, partibus iuxta pronas pluribus insunt pinnæ, quæ pedū in illis vicē supplere videntur,
 & proportionē habere. Dixit autem in supinis, iuxta pronas scilicet corporis partes, quoniā in me-
 dio ferē illarū interstitio partiū posteriores collocatæ cōspiciūtur pinne. Illud autē pluribus adiunctū
 esse videtur propter aquatilia illa quæ serpentium formā præ se ferre vidētur, vt sunt lumbrici, an-
 guillæ, murænæ, cæteræq; eiusmodi quæ oblongam corporis habēt figurā. De ijs nanq; retro est ostē-
 sum q; cum duas tantū in anteriori corporis parte gerāt pinnas, reliquarū vicē duarū oblongi corpo-
 ris inflexione recōpensant. Aliā postmodū & tertiā proportionis similitudinē inter aues & pisces in
 literæ calce subiūgit philosophus, dicēs vtraq; hæc animalia sui generis caudā retro gerere: aues qui-
 dem quod dictū est prius vropygiū, vt illo scilicet volatus dirigant suos: pisces autē, vt natatus guber-
 nent & adiuuēt, id habēt quod *ὀυράϊον* vocat. Verū in vtroq; genere id nos mēbrū vnico sanē vocabu-
 lo caudā appellamus. Sed ne pronæ supineq; etiā partes de quibus verba fecimus, nouitiorū quēpiam
 cōturbēt, illis animaduertendū esse cēseo, pronū in animalibus, quod græci *πρηνὺς* vocāt, & esse &
 vocari dorsum: supinū vero, quod illi *ὕπτιον*, pectus & ventrē appellari. Quāobrem quæcunq; istis
 vicinæ contiguæq; sunt partes, cum pronæ, tum supinæ non immerito etiam appellari possunt.

Planipedes.
 Aues.
 Anseres.
 Anates.
 Mergi.
 Fulicæ.

Cur volucres
 pedes habeāt
 quibus merito
 carent pisces.

Pisces & aues
 quodāmodo
 conuenire &
 distare.

ὀυράϊον
πρηνὺς
ὕπτιον
 Pronum,
 πρηνὺς.
 Supinum,
 ὕπτιον.

DE ostreaceis autem ambigere quispiam sanē posset, quisnā illo-
 rum sit motus: & si neq; dextrum habent, neq; sinistrum, vnde
 moueri incipiant. Videntur autē moueri. An vt mutilū vniuer-
 sum istuc statuere oportet genus, & eo moueri modo ac si quis pedestriū
 crura decurtauerit, vt vitulus marinus, & vespertilio. Isthec enim quadru-
 peda sunt, sed peruerse. Ostreacea autē mouētur quidem, verū præter na-
 turam mouentur. non enim mobilia sunt, sed vt stantia quidem & hæren-
 tia, mobilia: vt progredientia vero, stare videntur: cancri quinetiam per-
 peram dextras habent partes, habent tamen. Indicio autem est brachiū.
 Maius enim & robustius est dextrum, ceu sinistra à dextris determina-
 ri cupiant. De partibus igitur cum alijs, tum ijs quæ ad incessum ani-

10

20

30

40

50

malium faciunt, nec non ad omnem per locum mutationem, hoc se habet modo. His autem sic determinatis proximum est de anima cōtemplari.

Quoniam retro (vt vidimus) dixerat philosophus q̄ in omnibus quę mouentur, priores & duces motionū omnium semper dextrę sunt partes, iccirco hoc in loco, & cōmentarij huius calce, post sermonem de auib & piscibus, ad postremū & imperfectissimū aquatiliū descēdens genus, ostreorū scilicet, & silicea testa intectorū, dicit nō immerito quēpiam ambigere posse quisnā aut qualis illorum sit motus, cum neq; dextrū, neq; sinistrum in illo vīpiam cōspiciatur genere. Quoniam enim moueātur ostrea, nemini dubiū esse debet, cū id oculata percipiatur fide. Vnde igitur initiū illorū erit motionis, si ijs manifeste carēt partibus vnde in alijs exoriri solet motus: Hac posita dubitationis difficultate philosophus statim illā dissoluere aggreditur, dicitq; breuiter admo-
 10 dū, & nota magis signās q̄ verbis explicās, nō esse mirādū si ostreorū genera mouētur nullis dextris aut sinistris insignita distinctaq; partibus. nā neq; illorū is certe legitim⁹ est motus, neq; omnino natura cōstās, qualis aliorū est animalū quę loco sese mouēt: sed præter naturā est, vt si quispiā pedestre animal cruribus decurtatis aut abscissis pedibus humi repere aut volutari permetteret. Quo motionis modo cū vitulos marinos in aquatili genere, tū vespertiones in volatili, loca cōmutantes manifeste moueri licet animaduertere: de quib⁹ in quarto de animalū partib⁹ libro circa finē hęc ipse ad verbū scribit. Vituli autē marini, & vespertiones, quia ambigūe sunt naturę, ij quidē in aquatilibus & ter-
 20 restribus, illi vero in volucris & pedestribus: eam ob rem vtrorūq; sunt participes, & neutrorum. Vituli nanq; marini vt aquatiles quidem, pedes habēt: vt terrestres vero, pinnas. Posteriores nanq; pedes pisces penitus habēt: dentes præterea ferratos omnes & acutos. Vespertiones autē vt volucres habent pedes: vt quadrupes autē non habent. Hęc ille. Vt igitur eo in loco de vitulis marinis & vespertionibus verba faciēs philosophus dixit animalia illa propter ambigūe sui natuā, cum vtriusq; tū neutrius participare generis, & vitulos quidē marinos vt aquatile est animal, quatuor habere pedes existimari posse, quibus sanē mēbris omnia carent aquatilia: vt vero terrestre, pedes non habere, sed pinnas: nāq; posteriores manifestas desinūt in pinnas: similiq; modo vespertilio vt volucris est animal, quatuor habere pedes videri potest: vt pedestre autem, minime est quadrupes: cutaneis nāq; alis pedunculorū potius signa quādā q̄ pedes habet annexa: vt igitur in illis est videre animalibus quę hoc in loco ob prædictas causas peruerse dicit esse quadrupes: sic in ostreaceo, inquit, genere animaduertere cōtingit. vt stantia enim & adhærētia ostreorū genera sunt mobilia: vt progredientia vero, & loco se mutātia, stare sanē videntur. Qui certe locus bifariam interpretari potest, aut q̄ ostrea
 30 spectu quidem stātium & adhærētium, vt sunt stirpes & plātę, sunt mobilia aliquo motionis modo: cōparata vero ad ea quę progrediūtur animalia, quę sese loco mouēt, stare sanē censentur. Quā expositionis sententiā in antiquis quibusdā glossulis sub nullo authoris nomine, licet nōnulli Michaēli Ephesio illas adscribant, expressam reperi. Aut, quod non perperā (vt arbitror) dici potest, neq; Aristotelicę dissonū est sententię, q̄ ostreacea quidē vt stātia & adhærētia (scopulis enim & saxis plerūq; adhærēt ostreę) sunt mobilia, claudētia scilicet sese, & rursus aperiētia, cum laxādo, tū se cōstringēdo. Vt progrediētia vero stare vidētur: quoniā & quę adhærēt ostreę, quāuis aliquo moueātur modo, manēt tamen, neq; loco se mouēt: & quę absolute sunt limo inhærētes, neq; progredi possunt: & si mouētur, peruerse certe mouētur, vt ipse dixit: veluti pedestre cruribus decurtatis moueri cernitur animal. Cui, vt arbitror, expositioni ea quę ex quarto de animalū partibus libro nuper enarrauim⁹,
 40 satis quadrare vidētur. Sicut enim vitul⁹ marinus inter aquatilia pedestris cēseri potest, in pedestrib⁹ vero aquatilis: similiq; rationis modo vespertilio inter volucres videri sanē potest quadrupes, in quadrupedibus vero volucris: ita ostreorū genus inter stātia se mouere: & in illis quę mouētur, stare iure & merito existimari potest. Vtriusq; enim naturę particeps quodāmodo esse censetur, licet neutrius expresse & cōmode. Cōstituto autē sic & expresse ostēsoq; q̄ ostreacea nullas dextras aut sinistras habent expresse & insignitas partes, quoniā sese loco non cōmouēt, subdit cārorū genus has ipsas habere quidē partes, verū male distinctas, & perperā illas habere. neq; hoc ab re, mehercule. Cū enim rotundę id animal sit figurę, & vtrūq; latus loco prioris & posterioris habeat partis (in vtrūq; enim æque id animal mouetur latus) nō immerito dextras sinistraq; partes insigniter expresse nullas habet: licet, inquit, indicium aliquod istarū partiū determinari à se inuicē cupiētū, alterū cancrorū sit brachiū, maius scilicet & valētius, quod chelā ipse vocat in textu. Quāobrē in cōmentarijs de animalū historia ipse, & Plinius etiā secūsus naturę inquisitor industrius, vbi de cācris agit, Dextrum, inquit, in cancris brachiū dicunt esse maius & robustius. ceu illo euidētia signo dextra à sinistris in cancrorū genere abunde satis determinari distinguere possint. His determinatis philosophus breui sanē epilogo, vt sui moris est, tum libros de animalium partibus, tum hanc de incessu & progressionē libellum colligit & constringit, simulq; commentarioli huius cum ad præcedentia, tum ad ea quę sequuntur, nos ordinem docet, abunde se pertractasse dicens tum de animalū partibus cæteris, tum de ijs quę ad progressionem faciunt, & ad omnem per locum mutationem. Reliquum autem esse posthac vt ad animę contemplandam naturam se conuertat.

F I N I S.

f.iiij.

cc
 cc
 cc Vitul⁹ mari
 ni.
 cc Vesperte
 cc liones.

Duplex lites
 ræ expositio.

Michael
 Ephesius.

De historia
 animalium
 Pli. ij.

N. LEONICVS THOMAEVS ANTONIO
AMVLIO PATRICIO VENETO S.



Commentariolos Aristotelis qui ad animantium perti-
nent vitas, vt plerosque alios, Latinos facere, & explicare
mihi nuper aggresso, Antoni præstantissime, non ab re
celebratum illud apud Marcum Varronem succurrebat
adagiũ, hominem scilicet nihil aliud esse quàm bullã.
Quod profecto vt de fragili vnus dũtaxat homuncio-
nis corpusculo verissime dicitur, quod omnibus expositum obnoxiumq̃
malis, paruo negotio ruere, facileq̃ pessum ire conspicitur, ita nihilo me-
hercule secius humanis etiam rebus omnibus quæ stabilitatem firmitu-
dinemq̃ maiorem præ se ferre videntur, non immerito conuenire posse
contenderim. Nam, per deum immortalem, vt in vniuersum istuc ipsum
perpendamus, quàm fluxus hic rerum omnium, quàm labilis & incertus
est status? quàm breues felicitatis cuiusq̃, imò momentanei potius sunt
periodi? & ad summam, quàm irrita sunt hic omnia, & vmbra (vt inquit
ille) somnijs simillima? Quod profecto cum semper aliàs in omnibus fe-
rè omnis experta sit ætas, tum superioribus diebus aduerso quodam fato
nos etiam ipsi vidimus, & perpeffi sumus. Cum enim post varias sæuien-
tis fortunę procellas quibus ab hinc tres annos Res Veneta cõcussa & pe-
nè afflicta fuit, quædam illi lætior arrisisset spes, & posthac ei fore melius
crederent omnes, Brixiaq̃ & Bergamo receptis, reliqua eo in tractu ad
illas iam respicerent opida, nescio quomodo tanquam subito procellæ
cuiusdam impulsu conuersa sunt omnia, strenueq̃ & præclare inceptum
facinus, & tantum non ad calcem deductum, dure profecto & infeliciter
cecidit. Nam repentino (vt scis) hostium aggressu & milites nostri qui
Brixiam receperant, omnes ferè concisi fuere, & ciuitas vniuersa direpta
fuit: ex opidanis vero qui cum Venetis faciebant, partim capti, & in vin-
cula coniecti, partim truculenter interempti fuere: & vt nihil deesset mali,
quod certe omnes superauit calamitates, viri præstantissimi Andreas
Gritteus Veneti exercitus Imperator, & Antonius Iustinianus Legatus,
capti, & in hostium potestatem redacti, vt gloriosam illis fecere victoriã,
ita nobis ingentem sanè luctum, vehementiq̃ sui desiderium reliquerunt.
Verum hoc in loco nequeo profecto, Antoni, dolori satis moderari meo,
dum charissimi Capellæ recordor, qui cum apud Gritteum ageret, & illi à
secretis esset, in eadem (vt aiunt) naui idem perpeffus est naufragium.
Qui nunc (vt audio) Ticini custodiæ traditus, in compedibus & squalore

TONIO
TO S.
mantium pe
ere, & expi
illime, non
nem succum
esse quam bo
taxat homin
am obnoxi
ur, ita nihil
litate firm
conuenire p
sum istuc ip
abilis & in
tanei potius
vmbra (vt in
is in omnib
rfo quodam
st varias san
ta cōcussa &
cei fore me
eo in tractu
ubito proce
clare incept
to & infelic
lites nostri
rniuersa dire
capti, & in
nihil deesset m
tissimi And
inianus Leg
is fecere vict
ium relique
s moderari
am ageret, &
s est naufrag
edibus & sp

duram trahit vitam, vir profecto (nisi me fallit amor) cum cōstans & frugi, tum iudicij perspicacis, & fidei, si quis alius, erga patriā singularis. Sed quid ego hæc defleo, tibi que itidem dolorem facio, & nō potius (vt inquit ille) te adiuto, curamve leuasso: cum alioquin inanis & viro prudenti turpis etiam omnis ille sit dolor qui rerum fragilium inconstantiumq; causa incassum sumi videtur? Nos profecto, nostraq; omnia, in fortunæ arbitrio sumus: illa certe omnium est domina, humanaq; res sua facit ludibria: & alios quidem deprimat, vt rursum illos extollat: alios vero in sublime euehit, vt lapsu postea grauiore deturbet & conterat. Quis scire iudicareque potest an is qui in præsentia nos conficit & male habet dolor, haud multū post tempus vertatur in gaudium? Quis planè compertū habet an & insperatæ cuiuspiam felicitatis hæc fortasse nobis exordium erit calamitas? Multa profecto sunt quæ nobis videntur incommoda & aduersa, quæ tamen ad prosperos sæpenumero cadūt euentus. Contrà pleraq; nobis prospere euentura iudicamus, quæ sanè postea ingentium causas fuisse malorum experiendo deprehendimus. Quamobrem hæc mecum ipse reputās, euangelicum illud, Nescitis quid petatis: non solum Zebbedæi filijs veritatis ore prolatum fuisse iure contenderim, sed vniuerso etiam hominum generi prædictum: cuius certe iudicio quo minus quæ bona sunt recte discernere valeat, multa sanè officere videntur. Aequo igitur isthæc ipsa & constanti feramus animo: & si quid (vt sæpe fit) secus ac volumus acciderit, æqui boniq; cōsulamus, illius semper dicti memores, quod aduersis & incommodis eos plerūq; deus examinat, quos saluos esse vult: vt expulsa animorū imbecillitate & mollitudine, verum & constans aliquando colligant robur. Verum quia nimium fortasse multis in præsentia isthæc philosophata est epistola, hic modū faciamus, orationisq; nostræ cursum inhibeamus, & ad exercitij nostri propositū reuertamur, libellumq; hunc de extensione & breuitate vitæ, quem latinū, vt alios, fecimus, & nomini tuo Antoni dicauius, consueta explicatione complanatum & omnibus peruium pro virili nostra reddere contendamus. Vale.

DE EXTENSIONE ET BRE-
VITATE VITAE.



Vr autem animalium nonnulla quidem sunt longæua, alia vero breuioris vitæ, & omnino de vitæ extensione & breuitate perscrutandæ sunt causæ. Disquisitionis autem principiū necessarium est, primo ambigere de ipsis. Non enim palàm, an eadem sit, vel alia causa animalibus & stirpibus, quare hæc quidem longæua sunt, illa vero vitæ breuioris. Nam in stirpium genere aliæ annuam, nonnullæ diuturnam habent vitam.

10

Omnia animalium opera corporis & animæ esse cõmunia.



Quoniam omnia animalium opera, quæ cum proprietates, tum passiones Peripatetici appellare consueuerunt, animorum corporumq; videntur esse cõmunia, vt alijs plerisque in locis, nec minus in commentario de sensu & sensibili est declaratum, quãuis inter illa alia quidem animos spectent magis, vt sensus, memoriæ, reminiscentiæ: nonnulla vero ad corpus magis vergere videntur, vt vigilia & somnus, sanitas quinetiam, & morborum genera, aliq; eiusmodi complura: quoniam etiam (vt eo loci est declaratum) ex huiusmodi operibus quædam magni sunt ambitus, ampleq; se extendunt: nonnulla vero minus se prorogant: aliqua etenim vniuersum animalis consequuntur genus, vt voluptas & dolor, appetitioq; illa qua naturaliter voluptatē quidem vnūquodq; prosequitur animal, dolorem vero declinat & fugit: nonnulla vero in animalium perfectiori genere cernere licet, vt exquisitiores sunt sensus, sic & memoriæ & reminiscentiæ, cæteraq; huiusmodi: ex illis quinetiam nonnulla sunt maximi cuiusdam ambitus & comprehensionis, quæ animalium vniuersum transcendentia genus, ad superiorē sanè viuentium ordinem sese applicant, illique merito quadrare videntur: huiusmodi autem sunt cū mors & vita, tum vtrorūq; horū extēsiões & breuitates, iuuentutes quinetiam & senectutes, aliq; huiusce notæ: animalibus enim isthæc sanè contingere videntur non vt animalia sunt, sed vt viuentia: nam de arboribus stirpiūq; vniuerso genere non minus hæc ipsa dici intelligiq; possunt: Quoniam igitur sic se habent illa quæ cõmunia appellantur animalium opera, talesq; inter se habere censentur differentias, philosophusq; retro (vt vidimus) de his animalium operibus quæ ad illa vt eiusmodi sunt pertinent, copiose luculenterq; pertractauit: in ijs qui sequuntur commẽtariolis ea nimirū animalium disquirat opera, quæ illis vt viuentia sunt accidere & inesse animaduertuntur. Quorum primus de diuturnitate & breuitate vitæ inscribitur, in quo quærentis percontantisq; modo (vt sæpe solet) philosophus proponit curnam animalium & stirpium nonnulla quidem esse videntur longæua, & extenso durantiã tempore: alia vero breuioris periodi, & breuioris vitæ. Vbi meminuit etiam, vt posteriora prioribus copulet & cõiungat, horumq; nobis librorum ordinem indicet, se prius pertractasse de somno & vigilia, & q; posthac de morte & vita, sanitateq; & morbo verba faciet, tanquã de rebus extremis & vltimis in negotio physico perscrutãdis. Quoniam autem quod facile corruptioni est obnoxium, breuis est permanentiæ & ætatis: quod autem difficiliter corrumpitur, longæuum sanè & diuturnum esse censetur: idcirco hac de re in isto loquitur libello: vbi etiam de ipsis per genera docet lōgæuis: posteaque etiam quærit assignatq; causas cur arbores hominibus sint diuturniores, & in illarum genere aliæ alijs longæuæ sint magis, & æui extensioris. Vbi accuratum de illis sermonem in stirpium commentarijs se facturum pollicetur: quos quidem ab ipso (quod audiuerim, aut legerim) editos non habemus: sed legitimi eius discipuli & scholæ successoris Theophrasti, illorum loco, admirabiles illos de stirpibus libros habemus. Verum de ijs posthac videbimus: ipse vero à principio statim huius commentarioli, postquã causas dixit esse perscrutandas, à naturali scilicet philosopho, cur in animalium genere quædam sunt longæua, alia vero breuioris vitæ: subiungit & omnino de vitæ extensione & breuitate esse perscrutandum: quod stirpium gratia dixisse videtur & arborum: quæ licet altricem habeant vitam, animalia iure vocari nō possunt, quæ sensibus insigniti perspiciuntur: sed animantia appellantur, in quibus manifeste etiam conspicitur cum extensio tū breuitas perdurationis & vitæ. Post quæ dicta perscrutationis illius subiungit modum, illum videlicet necessarium esse asseuerans qui dubitando quærendove procedere videtur. ipse enim est qui dixit alibi: Dubitare de singulis non est inutile. & alio sanè in loco, Dubitare est propè scire. Neq; enim hoc ab re, mehercule. Quæsitō enim aliquis & commodus dubitator latētes & quasi consopitos animorum suscitāt igniculos, illisq; sæpenumero ad collustrandam veritatis faciem pro fomite vtitur. Quæ

20

30

40

50

Quod facile corrumpit breuis est permanentia.

Certe hoc editum sunt Theophrastus de stirpibus.

Animal Animans

Dubitare est propè scire. Quid commodus efficiat dubitator.

autem huiusmodi esse debeat ambiguitatis & dubitationis ratio, statim subiungit: vtrū scilicet eadē sit vel diuersa longitudinis & breuitatis vitæ causa cū in animalium genere, tum in ipsis stirpibus: vbi verū animal quod sensu (vt dixim⁹) insignitur, ab animāte nō vero disternere animaduertitur. Nā in ipso etiam stirpium genere, inquit, & non solum in animalibus longitudo & breuitas vitæ manifestissime deprehenduntur. Quædam enim illarum annuo desinunt spatio: is periodi illarum est terminus, vt pleraq; herbarum sunt genera, arbusculæq; illæ quæ in ijs qui Adonidis vocantur hortuli, conferuntur. Legitimè autem arbores sunt diuturniores: in quibus etiam maxima est æui differentia. nā: q; oleæ, quercus, ilices, cupressi, nonnullaq; alia stirpium genera, longissimæ sunt vitæ, & ferè æternæ. Punicæ autē, fici & mali, exigui sanè sunt æui: breuiorisq; etiā inter illas sunt vitæ præcoces ferotinis.

Adonidis hortuli.

Quæ longæ sunt arbores: & quæ breuioris æui.

PRæterea vtrum de ijs quæ natura constituuntur, longæua sint secundum naturam sana: an disternatum est id quod breuis est vitæ, à valetudinario? An in quibusdam morborū generibus quæ valetudinaria naturaliter sunt corpora, & illa quæ breuis sunt vitæ, vicissim commutant: in alijs autem valetudinariorum nihil prohibet esse longæuos? De somno quidem & vigilia dictum est prius: de vita autem & morte posterius est dicendum: similiq; modo de morbo & sanitate quantum ad naturalem pertinet philosophiam. In præsentia autem de causis ob quas alia quidem longæua sunt vt diximus, alia vero breuioris sunt vitæ, considerandum. Hoc autem habent discrimen cum vniuersa quædam ad vniuersa genera, tum eorum quæ sub eadem sunt specie alia ad alia. Dico autem genere quidem differre hominem & equum: (longioris namq; vitæ hominum est genus quàm equorū) specie autem ipsos inter se homines. Ex hominum namq; numero sunt qui longioris sunt vitæ, alij vero breuioris, diuersi secundum varia distantes loca. Quæ enim in calidis degunt locis nationes, longioris sunt vitæ: quæ vero in frigidis, breuioris: & qui eadē etiā incolunt loca, hoc eodem discrimine differunt.

Postq̄ retro dixit Aristoteles q; nō solū in animalium genere, sed in ipsis etiā stirpibus causæ longitudinis & breuitatis vitæ à philosopho sunt considerandæ (nā nō minus in ijs q̄ in illis istæ conspiciuntur diuersitates) aliud rursus disquisitionis proponit initium, in quo cum longitudine & breuitate vitæ, valetudinarium & salubre coniungit & copulat. Quærit igitur an eadem longæua simul sint & salubria. Cui oppositum etiam est subaudiendum, an scilicet eadem valetudinaria sint, & breuioris vitæ. quod in litera non explicatum, subintelligendum esse recta sanè dicit ratio. Cui postea est subiungendum, an scilicet disternatum sit id quod est breuioris vitæ, à valetudinario. quasi dicere velit, an sint quædam breuis vitæ quæ tamen non sunt valetudinaria, sed sana. Valetudinarium autem vocat nunc illud quod actu quidē non est ægrum, ex parua tamen causa & nullo negotio egritudinem incurrere potest. Quærit igitur vtrum valetudinarium & salubre semper coniuncta sint, hoc quidem ijs quæ longioris sunt vitæ, illud vero ijs quæ sunt breuioris, aut nō semper hoc se habeat modo. Statimq; subdit (& hoc sanè ad propositam responsio esse videtur quæstionem) q; aliquando quidem isthæc se inuicem consequuntur, valetudinarium scilicet, & id quod est breuioris vitæ: eodēq; modo salubre, & id quod æui est prolixioris: aliquando autem separantur & disternantur hæc à se inuicem. In quibusdam namq; inquit, morborum dispositionibus permutant & communicant valetudinarium, & id quod est breuis vitæ. In mala enim corporis complexione aut compositione isthæc nimirum communicare videtur. Melancholicum namq; penitus animal, aut gibberoso & distorto corpore monstruosum cum paruis de causis ægritudinem facile incurrit: tum breuis & exigui esse percipitur æui. In alijs autem quibusdam nihil prohibet, inquit, isthæc à se inuicem disiungi & separari, & cum opposito sæpenumero coniungi & copulari. Nonnulli namq; valetudinarij longioris interdum esse vitæ animaduertuntur. & ad doctrinæ huiusce complementum idem etiam dicere possumus de combinatione altera, q; scilicet in multis corporum constitutionibus salubre cum longæuo copulatur & iungitur: nihil tamen prohibere illius etiam contrario ipsum adhærere posse. Multa enim animalia natura sunt salubria, vitæ tamen sunt breuioris: quod in stirpium etiam genere contingit videre. Post quæ enarrata, vt ordinem cum ad præcedentia, tum ad ea quæ sequuntur, præsentis indicet commen-

valetudinarium

Quid valetudinarium.

BRE.
em sunt long
le vitæ enim
Disquisitionem
ambigere de
causa animal
ua sunt, illa
nonnullæ cau
etates, tum pe
rumq; videtur
mentario de scilicet
immo spectentur
pus magis vege
torum genera
eclaratum) et
se extendunt: in
animalis consue
em vtrūquodq; p
tiori genere con
tiusmodi: ex illis qu
um vniuersum tra
nito quadrare vit
tates, iuventutis
videntur non v
tus hæc ipsa dici
imalium opera;
animalium oper
qui sequuntur con
in esse animadu
rentis percontat
inilla quidem di
euioris vitæ. Vt
eum ordinem ind
q; & morbo vtrū
oniam autem qu
difficiliter con
ur libello: vbi et
arbores hominib
rioris. Vbi aut
idem ab ipso (qu
æ laceratior. The
posthac videtur
mutandas, à natu
euioris vitæ: h
n gratia diuise
nt, quæ sensibus
ipicitur cum esse
t modum. Illu
pse enim est qu
ipè forte. Neq
quali conspici
pro sumite vtrū

Libellus de sanitate & morbo.

Alium vitæ cū protensioribus & breuioribus.

Loca & complexiones multæ ad vitæ prolixitatem & breuitatem facere.

tarioli philosophus, subiungit se quidem in prioribus de somno & vigilia pertractasse, & supplendū est, de sensu etiam & sensibili, & de alijs quæ sunt præmissa: restareque vt posthac de vita & morte verba faciat, doceatque etiam de sanitate & morbo quantum ad naturalem philosophum spectare videtur. is namque horum vniuersaliores cōtemplatur causas. nam partiales & peculiare magis sensilium artifex pertractat medicus. Verum is libellus vel iniuria tēporis sanè intercidit, vel ab ipso philosopho haudquaquam editus fuisse videtur. illum certe neque vidimus ipsi, neque apud quempiam qui illum viderit vnquam legimus. Subiungitque postea hanc diuersitatis differentiam, longitudinis scilicet & breuitatis vitæ ad se inuicem habere cum vniuersa genera ad alia diuersa genera, tum eorum quæ sub eadem sunt specie alia ad alia. Et de diuersis quidem generibus inter se statim subdit exemplum, longioris esse vitæ dicens hominum genus, quàm equorum: pro genere hoc in loco speciem intelligi volens. ex hominibus enim plerique octogesimo vitæ attingūt annum: pauci autem admodum equi trigessimū excedunt. Elephantum præterea, necnon cerui, cornices, anseres, ad extensa (vt aiunt) annorum durāt curricula: contrā canes, oues, sues, caprarūque genus, aliaque pleraque animalia & mature senescunt, & cito intereunt. Magna igitur diuersitatis ratio inuenitur cum longitudinis tum breuitatis vitæ, secundum generum (vt ita dicam) totalitates inter suprā enarrata animalium genera. Verum in ijs etiam quæ eiusdem sunt speciei, eadem nimirum spectatur diuersitas. Ex hominibus enim quosdam longæ uos videmus, nonnullos vitæ breuioris. Nestor enim, vt antiqua repetam, belli Troiani tempore tertiā, vt inquit Homerus, viuebat ætatem, in quo Achilles iuuenis extinctus est: vel si quis alius tunc non violēta morte, sed naturali puer interijt. Ea denique tēpestare Priamus ætate prouecta extinctus est, qui Ephebum & primæ iuuentē Troilum defleuerat. Verum hi iuuenes, dicere quispiam posset, acerba & violenta morte præuenti fuerunt: nihil tamen obstare videtur naturales etiam huiusmodi mortes cum seniorum & decrepitorum, tum iuuenum & puerorum assidue conspici. Verum in ipsa hominū specie hanc præcipue vitæ perdurationis varietatem, secundum diuersa habitationum loca, variisque cæli plagas manifeste animaduertere possumus. Qui enim calida, inquit, loca incolunt, protensioris sunt vitæ. per calida (vt arbitror) intelligens loca, ea in quibus aquarum aërisque viget temperies. in ijs enim cum animalia ipsa, tum plantarum terræque fructus salubres sunt, bonique succi, contēperataque efficiunt & conseruant complexiones, à quibus longa nimirum vitæ spatia proferuntur. Quicunque vero frigida incolunt loca, id est distemperata, contrario se habentes modo, complexionis vitio, quæ cum ab aëre & aqua, tum à fructibus frugumque generibus in illorum efficitur corporibus, & nullo negotio conseruatur, breuioris sunt vitæ. quod etiam, inquit, manifeste percipitur in ijs qui eadem incolunt loca, easdem ob causas. Sanguinei namque (verbi gratia) in quibus naturalis cum humido temperato viget calor, longioris certe sunt vitæ quàm melancholici, in quibus atræ bilis vitio frigiditas superfluit & siccitas.

Vmere autem oportet quodnam ex ijs quæ natura constant, facile corruptionem incurrat: & quod non de facili id ipsum patiatur. Ignis enim, & aqua, & quæ cognata sunt istis, cum non eadem potestate sint prædita, generationis & interitus sibi inuicem sunt causæ. Quæ obrem aliorum quodcumque cū ex ijs ipsis constant, eorūdem naturæ participare, rationi est consonum, quæcumque videlicet ex multorum constructione non constant, vt domus. De alijs igitur alius est sermo. Sunt enim plerisque rebus priuatæ quædam corruptiones, vt scientiæ, & sanitati, & morbo. Hæc etenim destruuntur non corruptis ijs quibus inerant, sed integris, vt ignorantia quidē corruptio, reminiscencia & disciplina: scientiæ vero, obliuio & deceptio. Ex accidēti vero naturales consequuntur corruptiones aliarum rerum interitus. Destructis enim animalibus, scientia & sanitas quæ in illis erant, corrumpuntur.

Quoniam de longitudine & breuitate vitæ nos docere causas præsens est philosophi intentio: illa autem breuis esse videntur vitæ, quæ de facili corruptionem incurrunt: longæua vero illa quæ diutius corruptioni resistere possunt: idcirco hoc in textu conuenire dicit, immo potius necesse esse de ijs ipsis verba facere, docereque quænam facile, & quæ cum difficultate corrumpantur. Statimque hanc ob causam ad generationis corruptionisque mixtorum primas ascendit causas, ad quatuor scilicet elementorum corpora, ignem, aërem, aquam, terram: quæ cum ex contrarijs planè constant qualitibus, quod hic intelligi vult cum dicit quod non eandem huiusmodi habent

potestatem, in se inuicem agere & pati nata, cum generationis, tum corruptionis sibi inuicem nimirum sunt causae. Ignis enim natura calidus & siccus, si in aquam naturaliter frigidam & humidam à maiori exuperantiq; agat proportione, illam quidem corrumpit, nouitiumq; illius interitu generat ignem: similiq; rationis modo de terra & aere est censendum, quae sanè cognata & affinia illis denominat, veluti ex quatuor simplicibus naturis duo reliqua & prima omnium mixtorum elementa. Si igitur in ijs generationes & corruptiones hoc (vt diximus) se habent modo: rationi, inquit, est consonum, quin immo potius necessarium, composita ex ipsis omnia eiusdem participare naturae. Mixta namq; eorum quae ad mixtionem concurrunt, naturam sanè sapere videntur: & composita nimirum simplicium naturam referunt. Sicut igitur seorsum & per se elementa sibi inuicem cum generationis tum corruptionis sunt causae, ita in ipsis compositorum acerbis earundem initia praebent passionum. Quocumq; enim ex elementis in mixti corpore corrupto, conflatum compositumque ab illo corrumpi summa est necessitas: hoc autem idcirco, quoniam id compositum illius particeps est naturae. Non omnia vero composita huiusmodi esse statim manifesto declarat exemplo. illa etenim ad quorum compositionem & structuram extrinsecus multa concurrunt, vt domus, aliaq; huiusmodi arte constantia, non hoc se habent modo. Non enim necesse est vno destructo lapide vel detracto, corrumpi statim & destrui domum. Quod tamen secus se habere percipitur in ijs quae natura constant, vt paulo ante diximus. His hoc modo constitutis, & de subiectorum substantiaq; generatione & corruptione declaratis, consequenti doctrinae ordine de accidentium generatione & corruptione inuestigare cupiens, dicit, De alijs quidem alius est sermo. quasi dicere velit, de accidentibus quidem circa huiusmodi passiones alio se res habet modo, praecipueq; circa ipsam corruptionem. Duobus enim modis vnumquodque corrumpitur accidens: & altero quidem à suo contrario, & huiusmodi propria illius & peculiaris est corruptio, & per se corruptio denominatur: altero autem cum destructo subiecto cuius illud erat accidens, ipsum etiam destruitur & corrumpitur accidens: & isthaec illius corruptio per accidens appellatur corruptio, quoniam non per se, sed propter subiecti se recipientis interitum accidere percipitur. Exempli gratia caliditas ignis ab aquae sanè frigiditate per se corrumpitur, quae per accidens certe id ipsum pati censetur cum ignis corrumpitur, & esse definit quod prius fuerat. Quod autem haec res hoc se habeat modo, statim ipse declarat inquit plerisque, entium, id est accidentibus ipsis peculiare quaedam & priuatas esse corruptiones, vt scientiae, sanitati, & morbo. Haec namq; destrui saluis & remanentibus possunt subiectis. Eodem enim durante & persistente Socrate, illius corrumpitur sanitas si illum aegrotare contingat: similiq; modo vicissim corrumpitur morbus dum coalescit idem Socrates, & prius aeger sanus efficitur: scientiaq; in illo rei cuiuspiam intercedente corrumpitur obliuione: & ea nimirum per se corruptiones iure appellari possunt, cum subiecto accidant saluo & remanente. Possunt etiam eadem ipsa per accidens corrumpi & destrui, dum corrumpitur Socrates. Destructis enim nobis (vt alio in loco inquit ipse) omnia sanè destruitur quae sunt in nobis. Verum quia eius quae per se est accidentium corruptionis exempla referens dixit ignorantiae quidem corruptionem reminiscenciam esse & disciplinam, scientiae vero obliuionem & deceptionem: animaduertendum esse censeo locum hunc altiore fortasse habere intellectum qui oscitans existimauerit lector. nam eius rei quam primo aspectu praese fert litera, facilis & ad manum (vt arbitror) est expositio. Ignorantiae enim rei cuiuspiam cuius alius quis sit oblitus, tum eiusdem reminiscencia est corruptio, si tota inquam res illa non fuerit deperdita: tum illius disciplina rursus suscepta & acquisita, si vniuersa inquam res illa penitus ex animo fuerit obliterata. ipsius autem scientiae cum obliuio est corruptio, quando quis videlicet rei cuiuspiam amisserit habitum: tum deceptio, qui error scientiae contrarius esse censetur. Haec inquam literae huius breuis est & dilucida, vt arbitror, explicatio. Sed fortasse, vt dixi, in penitiori quodam recessu illius latet sensus, qui sanè huiusmodi esse potest. Cum enim de Platonis Academicorumq; sententia humanus in corpora descēdat animus omnibus disciplinis exultans, ibiq; à corporea postmodum praepeditus mole, & quasi in obliuionis fluuium demersus, omnium nimirum obliuiscatur eorum quae prius tenebat, vsuq; posthac & exercitatione, disciplinisq; etiā & institutionibus veluti commonefactus, reminiscens eorum potius, qui de nouo illa perdiscere existimatur: Quae res Peripateticis haudquaquam placere videtur, qui humanos animos tanquam derivas tabellas, in quibus nihil pictum existat, affirmare visum sunt, in ijsq; sensibus & experiētijs prauijs, disciplinisq; insuper & institutionibus quibusdam nouam fieri in illis scientiam contenderunt: Cum inquam hac de re haudquaquam parua inter se differant viri, Aristoteles (vt arbitror) hoc in loco, vel propter sectae illius celebritatem & famam, vel quia non adhuc hac de re quando isthaec scribebat, vtro se haberet modo, fuerat satis disquisitum: vel fortasse, vt pleriq; asserunt, quibus sanè assentiri non est nephās, quia celebrata illa de reminiscencia animorum sententia, veterum fuit Academicorum, à quibus Peripateticos verbis magis quam rebus suis se diuersos omnis ferè consensit antiquitas: non ab re vtrasq; has innuisse & copulasse videtur sententias: ignorantiae quidem corruptionem reminiscenciam dicens, vt Plato & Academici voluerunt: & disciplinam, vt ipse & Peripatetici affirmare videntur. Puer namq; à nouella aetate ex ignorante fit sciens, vel reminiscendo illorum quae prius nouerat animus, vel nouam ab extrinsecò doctore suscipiens scientiam. Similiq; modo scientiae corruptio est obliuio, vel illa quae animis accidit propter descensum in corpora, vt Academicis placuisse diximus: vel habitus à doctore prius impressi, & postea deperditum iactura, vt Peripatetici dicunt. Deceptio quinetiam, scientiae est corruptio secundum vtrasq; sectas,

Elementa quae
litatibus suis
in se inuicem agere & pati.

Nō oīa cōposita quopīa ex ipsis corrupta destrui.

Duobus modis accidens corrumpi.

A corruptio 7
P
A suscipit 102
21110

De Platonica reminiscencia sententia.

Humanos animos veluti rivas esse tabellas de Peripateticorum sententia.

Duo ignorantia modi.

cōtrarius enim error rei illius quę scitur, eius nimirum scientiæ est corruptio: ita quę per obliuionem & deceptionē hic intelligantur duo ignorantie modi, quos recentiores philosophi negationis scilicet & dispositionis ignorantias appellant, qui scientie sunt corruptiones. Quod sequitur postea, clarum est, & præmissum, de accidentium scilicet corruptionibus per accidens propter interitum subiectorum.

Quamobrem de anima ratiocinari quispiã ex ijs poterit. Si enim est non natura, sed vt sciētia in anima, sic anima in corpore: illius profecto alius erit interitus præter eum quo corpore corrupto destruitur. Sed cum talis existere non appareat, ad corporis communionē alio sanē se habebit modo.

Quoniam ex ijs quæ retro dixi de duplici accidentium corruptione, per se videlicet, & per accidens, cum vel à cōtrario corrumpuntur suo, vel simul cum subiectis intereunt, de ipsa quispiã ambigere posset anima, an duos scilicet huiusmodi corruptionis pateretur modos, de ipsa loquens anima quę non est inseparabilis forma corporis, sed posterius (vt quidam dixerunt) extrinsecusq; ad illud accedit, quemadmodū scientia ipsi accidere posterius videtur animæ: idcirco huic occurrens dubitationi, alium dicit cōmunicationis esse modū quo anima corpori cōmunicare censetur, ab illo per quem scientia communicat animæ. Non enim manente & restante corpore corrumpitur & interit anima, vt anima remanente aliquando scientia destruitur: & ideo non sicut scientiæ duæ sunt corruptiones, per se videlicet, & per accidens, ita duo etiã ipsius animæ corruptionis erunt modi, quæ vnifariam solummodo destructo corpore corrumpi & interire censetur. Et hic (vt arbitror) totius literæ huius clarus est sensus. Pro quo animaduertendum esse censeo quod nonnulli dixerunt sensitiuam quidē & intellectiuam animā non esse corporis formas: posterius nanque illas conformato iam & organis insignito corpore extrinsecus accedere: altricem vero vitam siue nutritiuā & augmentatiuam, formas esse corporis, simulq; cū ipso infundi spermate: & idcirco dicunt hoc in loco philosophū de anima dixisse, si non est natura, id est, si nō est species & forma corporis, de sensitua scilicet loquens & intellectiua anima, sed posterius infunditur, quemadmodū ipsa sciētia (hæc enim per doctrinam postea & disciplinā animis accedere & infundi videtur) erit profecto illius corruptio per se, vt est scientiæ, & non corrumpetur tantūmodo ad corporis corruptionem, sed corpore remanente corrumpi poterit anima, & post animæ corruptionem animatum restare corpus. Quoniã autem hoc nō cernitur euenire modo, sed remota anima corpus restat inanime, erit vtique ipsa anima in corpore vt inseparabilis illius existēs forma, & nō vt est in anima ipsa scientia. Videtur autem hic velle philosophus animam corporis inseparabilem esse formam, cui vnicus tantum corruptionis cōpetit modus, cum scilicet corrupto corpore illa interire censetur. De sensitua igitur & vegetatiua loqui videtur anima, quæ certe corporis inseparabiles sunt formæ. nam intellectiua & separabilis est, & omnino incorruptibilis. Quo autem modo corpori assistat illa, quã dōve, & vnde veniat, profunda sanē est quæstionis difficultas, & inter philosophos non contemnendæ locus controuersie. Qui quoniã à præsentis alienus esse disquisitione videtur, idcirco à me sicco (vt aiunt) pede pertransibitur, si pauca prius quædam ex Galeni verbis hanc rē significantia in mediū adduxero, ex quibus sanē ostenditur magnam apud antiquos huiusmodi de re fuisse controuersiam. Scribit enim vir ille in secundo de affectuum locorum cognitione commentario, de principali animæ parte verba faciens, in hunc ferè modum. Verum isthæc animæ pars si est in circunieccto illi corpore, vt nos in quapiã sumus domo, fortasse nullo imaginari poterimus modo quippiam illam lædi posse. Cum diffideat autem hac de re inter se philosophi, & ij quidem illam vt in diuersorio contineri dicant, alij autem formam esse illam asseuerent: quomodo quidem lædatur, difficile est reperire. Quod vero lædatur, animaduertere est facile, cum id experientia nos doceat. Hæc ille.

Sensitiua & intellectiua animam nō esse corporis formas secundū quosdam.


Altricem vitam & augmentatiuam simul cū spermate infundi.

Galenus de principali animæ parte.

Sed forte quispiam merito dubitare poterit an alicubi corrumpi nequeat id quod corruptibile est, vt ignis sursum, vbi non est contrarium. Intereunt enim ex accidenti quæ contrarijs inexistunt, quoniam illa intereunt. Destruuntur nanque contraria ex se inuicem: ex accidenti autem nullum in substantijs contrariorum interimitur, quoniã de nullo substantia prædicatur subiecto. Quamobrem id cui nihil est contrarium, & vbi non est contrarium, interire nō potest. Quid enim erit interimens, si quidem à contrarijs interire contingit solum? Huic autem nihil est contrarium, vel omnino, vel eo loci.

Quoniam ad eos qui circa causas longitudinis & breuitatis vitae debentur sermones, multum facere dixerat cognitionem illorum quae de facili corrumpuntur, necnon illorum quae cōtrario se habent modo, vbi consequenti quodam doctrinae ordine de simplicium mixtorūq; corruptione breuiter verba fecit, & circa animae etiam ipsius naturam non contemnendam mouit quæstionem, & illam dissoluit: in eodem materiae eiusdem perstans tenore, hoc in loco quærit vtrū ne quippiam quod suapte natura corruptibile existat, loci alicuius gratia incorruptibile perseueret, & nunquam intereat: euidensq; statim subiungit exemplum de igne, qui sursum est, lunæq; contiguus est orbi, qui æther à plerisque appellari solet. Cum enim quinto corpori nihil sit contrariū (vt in commentarijs de cælo est demonstratum) pars illa elementaris ignis quæ concauam lunæ orbis tangit superficiem, incorruptibilis sanè semper erit. nam eo loci nihil illi est contrarium. De portione vero illa quæ subiectum contingit aërem, secus existimare licet, cum aër quidem sit humidus, ignis autem siccus. Et dubitatio quidē huiusmodi esse videtur, de qua probabiliter prius affirmat partem illam ignis quæ lunarem contingit globum, esse incorruptibilem. Postmodum id quod verū est asseuerat, dicens illam etiam corrumpi quāuis sphaeræ sit contigua, quæ illi non est cōtraria. Arguit autem vniuersalem adducens rationis modum omnibus quadrantem elementis, imò vniuerso etiam corruptibilium generi, quibus cōtrarij natura aliquo adesse videtur modo. Probat autem primo elementa de quibus præsens est sermo, non corrumpi posse per accidens: postea probabit neq; etiam per se illa corrumpi posse. Prima autem ratio hæc est: corrumpuntur enim, inquit, ea quæ contrarijs inexistunt per accidens. cuius literæ difficilis sanè & subobscuræ huiusmodi videtur esse intellectus, quod illorum scilicet quæ inexistunt contrarijs, si qua eiusmodi sunt, per accidens est interitus, & non per se, si quidem illa in quibus insunt contraria, per se interire cōtigerit: verbi causa, vt in ipsis videmus elementis, aqua quidē frigida est & humida, sed est etiam dulcis: ignis vero siccus est & calidus, sed etiam est albus: contraria autem in supradictis sunt elementis cum caliditas & frigiditas, tum siccitas & humiditas. inexistere autem calido & sicco, id est igni, albedo: frigido vero & humido, id est aquæ, dulcedo existimantur. Hoc in casu si quidem frigido & humido remanente dulce corrumpitur, propria isthæc & per se corruptio ipsius est dulcis. Si autē frigido & humido corruptis, ipsum etiā dulce corrumpitur (hoc enim accidere necesse est quādo illi inexistit subiecto) dulce pfecto per accidens corruptū est: similibusq; modo de albo est dicendū. Corruptur igitur per accidens dulce & albū. isthæc enim dixit aut istis similia ipsis inexistere contrarijs, id est frigido & humido, calido & sicco, huiusmodiq; similibus: & per accidens corrumpi corruptis ijs quibus insunt contrarijs. Contraria autem à se inuicem corrupti dicit, cum in se inuicem agant & patiantur. Si igitur per accidens corrumpi dicimus illa quæ in subiecto sunt aliquo, quoniam simul cum illo corrumpuntur: æther autem & reliqua etiam elementa nulli accidere dicuntur: (nulla enim substantia de numero illorum est quæ sunt in subiecto) nullū certe illorum per accidens corrumpitur. Hoc autem significare videtur illud, per accidens nullum contrarium in substantijs corrumpitur. intelligēs & appellans substantias animalia & composita omnia: contraria autem in illis ipsa quatuor elementa. Quoniam igitur omne quod per accidens corrumpitur, de illorum numero est quæ sunt in subiecto: nullum autem corporeorum elementorum est in subiecto: nullum proculdubio elementum per accidens corrumpitur. Illud autem de nullo subiecto prædicari substantiam, idem est ac si diceret nullam substantiam de numero illorum esse quæ sunt in subiecto. Et hæc est (vt dixi) ratio ostendēs nullū elementū per accidens posse corrumpi. Probat autem posthac quod neque per se corrumpi potest, de igne ostensionem virtualiter adducens, de quo in supra memorato mentionem fecit exemplo, subiungens quāobrem id cui non est contrarium &c. id est composita illa quibus non est contrarium, certe sunt incorruptibilia. omne enim quod corrumpitur, a suo contrario corrumpi perhibetur. quibuscūq; vero vel nullū est contrarium, vel in quo degunt loco, nulla cōtrarietas reperitur, illa pfecto incorrupta perseuerāt. Cæterum ignis portio illa quam ætherem vocant, in concauo lunaris degens sphaeræ, nullam patitur loci illius merito contrarietatem. incorruptibilis igitur ignis portio illa perstabit.

Ignis in propria sphaera æther appellatus.



An istuc partim quidem verum est, partim autem non verum? Fieri enim non potest vt illi quod materiam habet, nō insit quodammodo contrarium. Vbique enim calidum & rectum inesse contingit. Quodcunque autem calidum vel rectum vel album esse nō est possibile. Passiones nanque erunt seiugatae. Si igitur quando simul fuerint

actuosum & patibile, semper alterum quidem agit, alterum vero patitur: profecto fieri non potest quin mutatio consequatur.

Posteaquam retro declaratum est, & probabiliter conclusum elementa ipsa neque per se, neque per accidens posse corrumpi, praecipueque id de ignis portione quae lunarem tangit orbem, verissimiliter dici posse ostensum est, quae cum nullum loci gratia contrarium habeat a quo corrumpatur, incorruptibilis merito existimari potest: hoc in loco philosophus ijs quae praedicta sunt moderari cupiens, & principaliter ad quaestionem respondere quae requirebat utrum ne quippiam suapte natura corruptibile existens, loci alicuius gratia incorruptibile perseverare queat, dicit istuc partim quidem verum esse, partim vero non esse verum. Quod enim illud cui nihil est contrarium, omnino est incorruptibile, verum profecto est, & indubitatae fidei. a contrario namque suo quicquid corrumpitur corrupti sane percipitur. Quod autem nihil compositae sit contrarium substantiae, aut igni etiam lunarem contingenti sphaeram loci gratia nulla sit contrarietas, hoc certe falsum & erroneum est. Cuius rei statim subiungit causam, impossibile dicens esse haberi materiam non inesse quodammodo contrarium. cui nos ex hoc inferre doceat, altissimum illum ignem, & supremum aethere, cum compositum sit quiddam, & forma in materia, non ab re habere contrarium, a quo destrui tandem & corrumpi possit. Si enim ipsum materiae esse in hoc censetur, quod contrariorum videlicet est susceptiva: contraria autem sunt caliditas & frigiditas: rationabiliter existimandum est illam suapte natura semper satagere ut has quidem expellat qualitates, alias vero procuret admittere. quamobrem aetherius ignis in lunaris collocatus orbis sinu, corrumpetur quidem, licet difficulter corrumpi possit, cum illius materia quodammodo cum forma pugnet. omnis enim materia quae subiectum propinquum alicuius est, peculiare quaedam & proprias habet qualitates, quibus nimirum aliae sunt contrariae qualitates, quas vicissim materia illa admittere & recipere studet. Pro cuius rei intellectu hoc in loco animadvertendum esse censeo, materiae nomen apud antiquos & recentiores etiam Peripateticos sub duplici consideratione posse venire. Vel enim materiam illam primam significare, quae abnegatione omnium penitus formarum, segregationeque ab universis omnino speciebus, huiusmodi esse intelligitur: quam *αἰθερ*, id est nulla penitus qualitate insignitam graeci appellare consueverunt: quae intelligibilis quidem est, actu autem ex se nullam habet consistentiam: vel illam significare materiam quae aliqua semper qualitate tenetur, quam sensibilem vocant, semper actu existentem, licet suapte natura sit potentia, a qua denudatur euacuatque nunquam. Haec enim semper (ut ita dicatur) qualificata, recipit (verbi causa) nunc calidum & sic cum, sub alio prius formae alterius existens dominio, & ignis statim efficitur & appellatur: aliis vero non dissimili sane modo ad mixtorum variorum compositiones & denominationes se habere & apta praebet. Quapropter ambae illae materiae, intelligibilis scilicet & sensibilis (sic enim illas in praesentia vocabulis distinguamus) potestate ignis (verbi causa) existunt: verum intelligibilis illa ab omni seorsum qualitate considerata, in potestate remota magis esse censetur, quam illa quam sensibilem appellauimus: cuius nimirum propinquior est potentia. Quemadmodum enim dicere consueuimus nuper in lucem editum infantem potestate esse grammaticum, necnon illum etiam qui iam grammatici ludum frequenter incipit puerum: infantem tamen in remotiori potentia esse grammaticum, puerum autem in viciniore: sic de ipsis existimandum esse materiae non immerito est censendum. Intelligibilis etenim illa, nullaque penitus insignita qualitate in remota est potentia ignis: sensibilis vero quae a prima iam potentia ad secundam peruenisse videtur, & iam qualitate est praedita aliqua, in viciniore certe est potentia ignis, cuius formam cum non habeat peculiarem (potentia enim est ad omnes alias formas, quas assidue appetit) nihil sane mirum est si illam abijcere studeat, ut alterius sit compos. Non ab re igitur dictum esse videtur quod materiam habenti cuique quodammodo inexistit contrarium, a quo nimirum possit interimi: ex quo sequi etiam palam est aetherium ignem posse corrumpi & destrui, quamuis continentis gratia loci nulla illum oppugnet contrarietas. Et hic est (ut arbitror) sanus istius litterae intellectus, & commoda, ut videtur, illius explicatio. Illud autem quodammodo quod in textu expressum est, conueniens quaedam videtur esse moderatio ad propositionis illius veritatem seruandam. Nam quanuis materiae (verbi causa) quae sub ignis est forma illius, contrarietas non existat, (non enim illi inest frigidum & humidum distincte & actu) illi tamen aliquo modo inesse videtur contrarium, tum quia illi potentia inest ad contraria, nataque est hanc abijcere formam, & illam recipere: tum ob coniunctam aliorum priuationem quae illa appetere & adipisci nata est. Peculiarisque hoc etiam ipsum igni adesse animadvertitur. Actiuosa namque maxime in illo qualitas, caliditas videlicet, nihil in quod agat inueniens, & in suam vertat naturam, in se ipsam sane reflectitur, suamque nimirum destruit corrumpitque formam. Fieri igitur non potest (ut inquit hic philosophus) ut materiae habenti non inest quodammodo contrarium. Quamobrem aetherio igni, qui materiae sane non caret, contrarium in sese quodammodo gerenti, corruptionem accidere necesse est. Vere igitur pro responsione ad quaestionem, & eleganter mehercule adductum est aetherium ignem tum non habere contrarium ratione loci, & idcirco esse incorruptibilem quodammodo, id est qui non de facili corrumpi & destrui possit: tum materiae ratione in se quodammodo contrarium obtinentis, esse corruptibilem. Quibus postea consequenter philosophus haec subiungit verba. Vbique enim calidum & rectum inesse contingit: quodcumque vero esse calidum vel rectum vel album non est possi-

Cuius compositum aliquid esse contrarium.

Materiae essentia in recipiendis contrariis censetur.

Materiae nomen dupliciter habere significationem. Materia intelligibilis. Materia sensibilis.

Duplex materiae potentia.

Quomodo materiae sub ignis forma existenti quodammodo adfit contrarium.

- bile. Passiones namq; erunt seiugatae. Quae littera obscure profecto breuiterq; prolata, hunc habere videtur intellectum. Cum enim dixisset non esse possibile habenti materiae quodammodo non inesse contrarium, hoc probare & ostendere cupiens dicit. Vbiq; enim calidum vel rectum inesse contingit, id est in omni materiae parte quaelibet accidere potest contrarietas. Per calidum enim & rectum omnia contrariarum qualitatum genera intelligenda sunt, quae non minus in ista quam in illa materiae portione suscipi possunt. quaelibet enim illius portio quodlibet contrariarum nata est suscipere genus. Vniquodq; autem, siue omne, id est vniuersam autem materiae mole, siue omnes illius partes peculiari quadam qualitate esse insignitas sine aptitudine & habilitate scilicet ad illius contrarium, aut potestate vel appetentia, est impossibile. ex hoc enim sequetur, inquit, passionibus, id est qualitatis species esse seiugatas, id est separatas & abstractas, &
- 10 in nullo subiecti fundamento constitutas. quae rem hoc in loco veluti impossibilem supponit, cum illius sane impossibilitas in physicis sit probata, & vbi idearum labefactatur opinio. Accidentis enim esse est inesse, nullumq; de per se statum habet accidens: cum alioquin illorum nonnulla plane sint quae nedum ex sese suiq; natura sine subiectis esse non possunt, sed neq; libera etiam mentis intellectusq; operatione seorsum ab illis existentia imaginari queunt. Quod autem sequatur passionibus esse separatas, sic ostendi potest. Si enim quaelibet materiae portio esset calida (verbi causa) vel recta, vel alba, vbi nam illorum reponerentur opposita: aut a quibusnam isthaec transmutarentur contrariis: transmutari namq; illa certum est, cum id accidere sensu quotidie percipiatur. Necessae igitur erit illorum opposita separata, & in nullo existentia subiecto, quando illa per suppositionem vniuersam materiae occupant mole, in illa agere transmutando: quod non esse possibile iam receptum est, & in confessis habetur. Omni igitur rei in materia existenti tanquam in subiecto, aliquod esse contrarium necesse est. Et ideo responsionis statim affert coronidem dicens: Si igitur quando simul fuerint actuosum & patibile, id est, si quando componantur contraria, quorum vnum agere potest, & reliquum pati, semper illorum ad se inuicem actiones passionescq; naturaliter consequuntur, ex quibus cum generationes & corruptiones naturales fiunt, tum omnimodae transmutationum multiformium diuersitates. Et ut ad summam concludatur, nihil omnino materiale penitus est incorruptibile.

Accidentium nonnulla nedum sine subiecto esse nequeunt sed sine illo imaginari non possunt.

Nihil naturae penitus incorruptibile.

Raterea si necesse est excrementum facere: excrementum autem est contrarium: Ex contrario enim semper est mutatio: Excrementa autem reliquiae sunt prioris.

- 30 **H**aec est alia ratio id ipsum probans. Sumpta autem est ab alimentum nutritioniscq; naturali opere, quo omnia nimirum materiae habentia indigere videtur. Si enim ignis (verbi causa) alitur vbiq; collocetur: actuositate enim sua sine alimento diutius durare non potest: cum vbiq; reperitur alimentum, ibi etiam necessario illius reperiatur superfluitas & excrementum: Omnis autem contraria est superfluitas: Igni igitur vbiq; constituto aliquod certe erit contrarium: Vbi autem est contrarium, ibi corruptionem sequi necesse est: Vbiq; igitur collocetur ignis, illum aliquando corrumpi summa est necessitas. Et haec sane vniuersa est rationis huiusce series. Pro litterae autem declaratione animaduertendum est quod superfluitatem siue excrementum contrarium esse dixit, cuius causam statim subiungit, inquit excrementum prioris reliquias esse, id est praecedentis alimenti. In confessis enim est alimentum quodcumq; a principio esse contrarium illi quod alitur: quod tamen in fine illi postmodum fit simile. Philosophi enim omnes & medici hoc constanter asseuerant, & ipsa etiam dicitur ratio. nisi enim esset contrarium, in illud natura non ageret conuertendo, & in succum sanguineq; transmutando. Actiones enim passionescq; sunt mixtorum, contrariis intercedentibus: unde concoctiones digestionescq; a medicis sunt appellatae, cum a naturali scilicet calido assumpti vincuntur cibi: inter quos si validior perseverantiorq; fuerit pugna, duri certe illi & incoctiles appellantur. Vbi. Si vero innati caloris facilior de illis comodiorq; victoria fuerit, cum leues & coctiles dicuntur illi, tum boni etiam succi esse non immerito existimantur. Si igitur nutrimentum (ut diximus) contrarium est ei quod alitur, superfluitas autem pars est quaedam aut reliquiae primi alimenti, ut philosophi medicq; omnes affirmant: excrementum profecto & superfluitate illi quod alitur, contrarium esse necesse est. Ex contrario autem omnis est mutatio. Quamobrem manifesta sane est de materialium omnium corruptione conclusio.

Cur ignis sine alimento durare non potest.

Alimentum a principio contrarium, alito in fine simile.

Duri & incoctiles cibi. Faciles cibi.

- 50 **S**i autem omne actu contrarium expellatur, hic etiam incorruptibile erit. An istuc minime, sed a circumiecto corrumpitur aere? Verum si quidem id sufficiet ex praedictis, ita sit sane. Sin minus, ponere debemus quod inest quiddam actu contrarium, & excrementum generatur. Quamobrem minor flamma per accidens absumitur a multa, quoniam alimentum quod illa in multo consumit tempore, fumum scilicet, id

t.j.

multa flamma celeriter. Quapropter omnia perpetuo sunt in motu, & generantur vel intereunt: ipsumque continens aut suffragatur, aut refragatur. Et hanc ob causam translata pleraque diuturniora fiunt, etiam si natura breuioris essent æui. Perpetua vero minime quibuscunque sunt contraria. Statim enim materia contrarium habet. Quare si quidem ipsius ubi, per locum mutantur. Si vero quanti, per augmentum, & diminutionem. Si autem passionis, alterantur.

Quoniam retro, ut vidimus, dixit Aristoteles quod mixtum quodcumque ubicumque reponatur, siue ignis, siue aliud quippiam id fuerit, ut permanere possit, necesse est quod alatur: & si alitur, ut superfluitates & excrementa faciat, quæ illi nimirum sunt contraria: & cum ex contrario semper sit mutatio: necesse est illud tandem interire mixtum, & destrui: quia huic rationi quædam responsionis à quopiam afferri posset instantia, qui diceret ignem (verbi causa) ali & excrementum facere quod illi sanè est contrarium, verum ab illo non corrumpi, quoniã naturali quadã potestate illud potest à se expellere & amandare, quẽadmodum in animalium corporibus videre cõtingit quæ potentiã facultatemque habent expulsoriam qua humidum & sicci alimenti superfluitates & excrementa expellunt: ignis igitur actu cõtrariũ expellet, vocas actu cõtrariũ ipsas superfluitates: & hoc modo hic apud nos etiã incorruptibilis esse poterit ignis: quia igitur ad rationẽ prædictã hoc quispiã respondere posset modo, idcirco philosophus post adductã apparentẽ istã responsionẽ statim subdit, an istuc minime, id est, ignis hic est incorruptibilis. à continentĩ enim aere corrupetur cõtrarijs qualitatibus insignito. Pro quo animaduertẽdũ est quod de igne qui hic apud nos est, loqui videtur. nã statim subdit, Verũ si quidem id sufficiet. id est, si quidẽ sufficienter dicitur hoc, & ad responsionẽ illã cõmode, bene habet. Si autẽ non est sufficienter dictũ de cõtinentis cõtrarietate, & cõtenti corruptione: nanque hoc quadrare non potest igni in lunę cõcaua sphaera agenti, cui certe non cõtrariũ est continens: ad primam recurrendũ est instantiã de actu contrario ubicumque igni existenti se opponẽte, quod sanè actu contrarium excrementi superfluitatem esse dicit ipsis verbis: quã fieri in ijs quæ aluntur, summa est necessitas. Et idcirco subdit, quãobrem minor flamma per accidẽs absumitur à multa. ostẽdere volẽs ignẽ ubique ali & nutriri. Exurit enim & dissipatur per accidẽs minor ignis à maiori, quoniã alimẽtũ illius, fumalis scilicet illa euaporatio, quæ ignis est pabulũ, quam fumũ hic appellat, cito absumitur & celeriter interit à maiori & valẽtiori nimirũ igne rapta & absorpta. Ablato autẽ & prærepto illo, quo minor alebatur ignis, illum interire & destrui necesse est. Quãobrem concludit omnia hic, id est infra lunæ orbem, cũ materiã habeat & contrariũ, in perenni iugique semper versari motione, & cũ generari & corrumpi, tũ etiã varijs mutationibus cõflictari, Heracliticeque fluuio, in quẽ bis ingredi nõ licet, cõtinuè iactati certũ esse. De cõtinenti autẽ postea & locante verã affert sentẽtiam, illud scilicet dicẽs vel suffragari vel refragari ipsis quæ in illo cõtinentur & collocantur, ut diuturniora videlicet esse possint, vel breuioris æui. Cõtinens enim si quidem cõueniens est & cõmodũ animãtis cuiuspiã cõplexioni & naturæ, illud nimirũ coadiuuat, & ad vitæ prolixitatẽ multũ quantũ facit. Si vero incõmodum fuerit & discõueniens, resistit & officit, illudque breuioris esse facit vitæ. Quãobrem trãslata, inquit, diuturniora fiunt pleraque vel exiguioris æui quã illorum ferat natura. Homo enim, verbi causa, calidæ & siccæ cõplexionis, qui suapte natura lxx implere posset annos, si ad exustas orbis transferatur plagas, & ad Aethiopũ cõcedat loca, minor fortasse quinquagenario morietur, torrida celi plaga radicale in illo humidũ, quod innati sanè pabulum est caloris, vi sua valenter & cito absumẽte. Qui si forsitan ad algẽtes terrarũ cælicque tractus transferatur, longinquioris certe fiet æui, diutiusque in vita persistet, quã fortasse illius præ se ferebat cõplexio. Quãobrem nõ immerito Asclepiades inter medicos rari nominis, memoriæ prodidisse videtur Aethiopes quidẽ trigesimo ætatis anno senescere, apud Britannos vero multos ad cõtesimũ usque & vigesimũ peruenire ætatis annũ: quoniã solis calore apud Aethiopes resoluuntur arescuntque corpora, apud Britannos vero cõpacta dẽsaque fiãt celi algẽtioris causa, & exhalationi caloris nullũ relinquant locũ. Refragatur igitur nõnunquam, & aliàs suffragat ipsa cõtinentis natura omni sanè contẽto, secundũ varias dispositionũ affectiones, ut cuius recte inspiciẽti manifeste animaduertere licet. Verũ quãuis hoc efficere possit (ut dictũ est) cõtinens, æternũ tamen quippiã aut incorruptibile haudquã facere aut præseruare potest. siquidẽ illud materiã habet, cui indeficiens & semper iunctũ retro diximus esse cõtrariũ. Nullũ igitur habẽs cõtrariũ vere dicere possumus esse perpetuũ, & itẽ omne materiale plane esse corruptibile, quoniã omne id cõtrariũ in se habet. Verũ quia diuerso modo materialibus huiusmodi adesse videtur contrarietas, idcirco mutatio in ipsis, quæ corruptionis quidã est modus, diuersa esse cõspicitur. Quæcumque enim materiã ad ubi, id est ad loci contrarietates habent, ut diuina sunt corpora, quæ circulo feruntur, per locũ mutantur. Quæ vero materiã habent quanti, secundũ augmenta mutantur & decrementa. Quæcumque autem materiã habent passionis, & in qualitate versantur, hæc nimirum alterantur, & cum calefcunt & frige fcunt, aliasque qualitatibus incurrunt contrarietates, tum etiam generantur & corrumpuntur.

Cur maior flamma
ma minorem
absumit & de
uorat.

Asclepiades.

Nullũ habens
cõtrariũ esse
perpetuum.

Vnt autem neq; maxima minus corruptibilia. equus nanq; homi-
ne breuioris est vitæ. neq; rursum pusilla. pleraq; enim insectorum
annuum vitæ spatium non excedūt. Sed neq; stirpes omnino ani-
malibus. nonnullæ enim stirpiū sunt annuæ. Neq; rursum sanguine prædi-
ta. apis nanq; diuturnior quibusdam sanguine præditis. Neq; rursum ca-
rentia sanguine. mollia nanq; sanguine quidem carent, annum vero per-
durant spatium. Neq; ea quæ in terris degūt. etenim annuæ quædam sunt
stirpes, necnō terrestria animalia. Neq; ea quæ in mari. ibi enim cū ostrea-
cea, tum mollia breuioris sunt vitæ. Omnino autem vitæ diuturnitas in i-
10 p̄lis præcipue est stirpibus, vt in palma, & cupressu: mox in animalibus san-
guine præditis magis quàm illo carētibus: & terrestribus magis quàm aqua-
tilibus. Quocirca si isthæc copulentur, in sanguine certe præditis, & terre-
stribus animalium reperiuntur diuturniora, vt homo est, & elephas. At-
qui maiora etiam (vt de pluribus dicatur) minoribus sunt diuturniora.
Nanq; & alijs quæ longissimæ sunt vitæ, accidit magnitudo quemadmo-
dum supradictis.

Posteaquam retro (vt vidimus) dixit Aristoteles q; corruptibilia illa sunt omnia quæcūq; cōtra-
riū habent, cuiusmodi materialia sanè sunt omnia: & quod pleraq; cōtinentis ratione vel suffra-
gātis vel refragātis, cū diuturniora, tū vitæ sunt breuioris q̄ illorū ferat natura, quæ certe res ad
20 faciliter vel difficulter corrumpi planè deducitur, quorum in principio statim quæstionis ad literam
fuit facta mentio: post isthæc inquam sit enarrata & constituta philosophus causas nobis cum longi-
tudinis, tum breuitatis vitæ tradere studens, concausas quasdam eorū quæ quibusdā veræ videri pos-
sent causæ, remouet & abnegat, solitariasq; illas neq; longitudinis neq; breuitatis vitæ in solidū omni-
bus dicit esse causas, quarum tamen nonnullas complicatas & coniunctas nonnihil afferre ad longi-
tudinem & ad breuitatem vitæ posse asserit, vt statim videbimus. Dicit igitur primo quoniam ma-
iora in animalibus & stirpibus ferè videntur longæua magis, magnitudinem solitariam non esse lon-
gioris vitæ causam. Statimq; exemplum huius rei subiungit. Equus enim, inquit, qui homine sine cō-
trouersia est maior, breuioris certe est æui q̄ homo. Siquidem longissima equi vita quadragesimus aut
ad summum quinquagesimus ætatis est annus: licet ipse quendam ad quintum & septuagesimum
30 perdurasse scribat: quod rarissimū sanè, ne solitarium dicam, esse videtur exemplum. Ex hominibus
autem multi centesimum pertigerunt annum. Neque parua rursum inquit longioris esse vitæ. Mul-
ta enim insectorum annum tantum durant spatium, neque id fortasse integrum: vt muscæ, culi-
ces, papilionēs, & pleraque huiusmodi alia. Sed neque omnia terra nascentia, aut omnes inquit stir-
pes animalibus omnibus esse diuturniores, ita vt vniuersum genus vniuerso comparetur generi.
Nonnullæ nanq; ex illarum genere annum tātum habent vitæ spatium, immo etiam breuius, vt la-
tūca, nasturtium, ocymum, multaq; eiusmodi alia hortensia quæ temporaria sunt, & nisi seminibus
reparentur, funditus intereunt. Præterea quia nonnulla sanguine prædita animalia, sanguine caren-
tibus plerisq; diuturniora esse conspiciuntur, idcirco dicit non omnia sanguine prædita omnibus san-
guine carentibus esse diuturniora, ita q; sanguis in animalibus diuturnioris sit vitæ causa. Apis nāq;
40 inquit, exanguis animal quibusdam sanguine præditis est diuturnior: cuius longissima (vt nonnulli vo-
luere) vita septēnium est: vt alij decennium: quem temporis terminum quædam sanguine præditorū
non planè attingunt. Statimq; subdit neq; oppositam diuturnioris æui esse causam, sanguine carētia
dicens non esse longæua. Mollia nāq;, inquit, sanguine quidem carent, annum vero solummodo per-
durant spatium. Mollia autem ex pisciū genere appellamus illa quæ *μαλάκια* græci vocant, vt sunt
loligo, sepia, polypus, & id generis cætera quibus peculiaris quidam humor sanguinis vicem præsta-
re videtur. nam sepiæ atramentum illi sanè pro sanguine habetur. Annum autem ista perdurare di-
cēt spatium hoc in loco: in cōmentarijs autem de animalium historia sepiam & polypū bimatū non exce-
dere scriptū reliquit. Quæ insequutus Plinius secūd⁹ in naturali historia, Polypi, inquit, vltra bimatū
50 nō viuūt: pereunt autē tabe semper: foeminae celerius, & ferè à partu. Et omnino cū sanguine carentiū
quatuor maxima ista sint genera, *μαλάκια* videlicet, quæ mollia nostri appellant: crustis tenuibus
cōtecta, quæ græci *μαλακὸς σφρακκα* vocāt: duris inclusa crustis, quæ ostreaea nos, græci *ὄστρακὸς δερμα*
vocāt: & *ἐντομα*, quæ nos insecta appellamus: nullis ferè horū bimatū longior cōtingit vita, apibus
t.ij.

Longissima
equi vita.

Longissimam
apum vitam
septennium
esse.

μαλάκια
Mollia.
Plinius. ij.
Quatuor ma-
xima sangui-
ne carentium
genera.

μαλάκια
μαλακὸς
σφρακκα.
ὄστρακὸς
δερμα.
ἐντομα.

exceptis, quas septem viuere annos ex Aristotele & Plinio retro diximus. Quoniam autem terrestria aquatilibus diuturniora esse videntur, idcirco subdit Aristoteles in neutra harum differentiarum seorsum accepta longitudinis aut breuitatis vitæ causas constanter reperiri. Neque enim ea quæ in terris degunt, animalia scilicet & plântæ, vitæ sunt diuturnioris, omnibus videlicet ijs quæ in mari versantur, & in aquis viuunt. Stirpes enim multæ annuū temporis non excedunt spatiū: & terrestria etiā animalia pleraque non extensæ admodum sunt vitæ. Passeres quinetiam mares anno diutius durare negantur. Aquatiliū vero nonnulla longæua esse animaduertuntur, vt Delphines, Balenæ, Orcæ. Piscesque quosdam à Nedio Pollione in Cæsaris piscinam coniectos refert Seneca post sexagesimum expirasse annum. Neque rursus aquatilia terrestribus sunt diuturniora. Dictum est enim eo in genere mollia bimatium non excedere: & ostrea compertum est omnia cito interire. His hoc modo constitutis Aristoteles antequam ad perscrutandas longitudinis & breuitatis vitæ accedat causas, summario quodam enunciandi modo prædicit in terrestri quidem viuientium genere stirpium nonnullas longissimæ esse vitæ, vbi palmæ meminit & cupressus, quibus diuturnam esse vitam, & aliquot perseuerare secula, cū Theophrastus ipse, tum plerique rerum scriptores memoriæ prodiderunt. Huiusmodi autem dicuntur etiam esse Quercus, Ilex, Fagus, Olea, Lotos, Platanus: & omnino ex eodem genere siluestria domesticis esse diuturniora. Oleastrum enim magis quàm oleam durare dicunt: & siluestrem pirum, quam achradan græci vocant, domesticam vitæ prolixitate superare. Similique modo caprificus ipsa ficu est diuturnior. Et vt id etiam obiter dicatur, quod nonnulli sanè rerum scriptores prodiderunt, sciendum est palustres arbores, & quæ iuxta aquas nascuntur, breuioris esse vitæ quàm illæ quæ in sicciori natæ sunt solo. Et hæc quidem de stirpibus. In animalium vero genere cum terrestria inquit aquatilibus esse diuturniora, tum sanguine prædita ijs quæ carent sanguine. Neque hoc ab re, mehercule. namque animaliam esse sanguinem & animalium vitam antiquorum plerique dixerunt: vnde illud Poëtæ. Vitam multo cum sanguine fudit. & alio in loco, Purpuream vomit ille animam. Spiritus enim, id est vitæ vehiculum, sanguinem esse voluerunt. Quapropter duo isthæc copulantibus & adinuicem coniungentibus, animalium sanè diuturnior reperitur vita, in terrestri inquam genere & sanguine prædita, quàm in aquatili & exanguis. Cuius rei euidens statim adiungit exemplum, vt homo est, inquit, & elephas. Et de homine quidem dictum est prius: cuius ætas interdum ultra centesimum prorogatur annum. De elephantis autem in confessis sanè est plures ducentos viuere annos, quosdam etiam trecentos: quorum certe iuuenta sexagesimo incipiat anno. Eo præterea in genere foeminam decem annos in vtero gestare vulgus existimat: Aristoteles vero triennio asserit. Ad summam autem dicit philosophus in omni ferè genere maiora minoribus esse diuturniora, corporisque magnitudinem vitæ longitudini sanè attestari. Nam ea quæ sine controuersia extensioris sunt æui, magnis etiam esse corporibus prædita ferè conspiciuntur.

Nedius Pollio
Seneca.

Quæ arborū
sunt longæuæ
Theophrastus.

Palustres
arbores breuioris
esse æui.

Maro.
Vitæ cum sanguine
esse.

Elephantorum
natura.

Horum autem omnium causam hinc quispiam contemplari poterit. Sumere enim oportet omne animal natura humidum esse & calidum: ipsumque viuere eiusmodi esse: senectam autem frigidam esse & siccam: non aliterque id quod mortuum est, esse apparet. Materia autem corporum ijs quæ existunt, isthæc, calidum, frigidum, siccum, humidum. Necessè igitur est senescētia exsiccari: quamobrem non de facili exsiccabile ipsum debet esse humidum. Et idcirco pingua non putrescunt. In causa autem est, quoniam aëris sunt. Porro aër ad alia vt ignis est. Ignis vero non putrescit. Neque rursus exiguum debet esse humidum. Paucum enim facile est exsiccabile. Quamobrem magna animalia & stirpes (vt vniuersaliter dicatur) diuturniora sunt, quæ admodum dictum est prius. Rationi nanque consentaneum est maiora plus humoris habere.

Animal omne
natura calidū
esse & humidum.

Veras & vniuersales longitudinis & breuitatis vitæ in omni viuientium genere nunc enumerare incipit causas philosophus, suppositione quadam præmissa, quæ cum verissima est, tum ad sensum etiam omnibus manifestissime patet: in primisque animalibus cōpetere videtur omnibus. Ea autem est, animal omne natura calidum esse & humidum. Quod cū ex alijs multis, tum hinc etiam clarissima sui præbet indicia. Animal enim omne quandiu viuunt, tandiu etiā ali necesse est. Porro ad alimentum, vt aliàs dictum est, in principio quidem est contrarium, in fine vero ei quod alitur sic

simile. Vt autem istuc euenire possit, ipsum alterari necesse est. Alterans autem naturale est calidum, quod animalis temperat vitam. Cum enim actiuosa sit & efficax omnis sanè caliditas, naturalis nimirum illa quæ radicale appellatū depascitur humidū, illud nempe cito absumeret, seseq; cū illo interimeret, nisi extrinsecus animalium corporibus esculenta poculentaq; subministrarentur, in quibus naturalis calor vires exerceret suas alterando semper & immutando, absumptique loco aliud continuo subrogando. Quia igitur iugis isthæc est & nunquam cessat actio, idcirco quoad viuit animal cibos capere & ali necesse est. Calidum igitur omne est animal & humidum. sedes enim caloris & pabulum radicale & connatum est humidum. Quæ tamen duo iuuentæ præcipue vigent tempore, declinant autem & veluti hebescent cum in senium vergit animal: quamobrem senectutem frigidam & siccam physici esse dixerunt. Deficiente namq; calido, & humido arescente, & veluti terrestri effecto, quod sanè aëriū erat prius, animal nimirum frigidum efficitur & siccum naturaliter, quanuis ea tempestate in illo plurimæ redundent & ingenerentur humidæ præter naturam superfluitates, à debilitate innati caloris in illius corpore per accidens genitæ. Verum quoniam de his plura & vberiora loqui ad physicum pertinet illum qui iam medicum agere incipit, idcirco hic receptui canamus, senectutemque frigidam & siccam esse, vt ad sensum etiam patet, cum philosopho supponamus: similemque ipsam esse mortem concedamus. Caloris namque innati totalis extinctio ipsa est mors, & omnimoda humidi exsiccatio: quapropter cadauerum ad terram vltima fit resolutio, artuum & membrorum compagine dissipata, quæ humidi sanè naturali quodam glutino tenebantur. Materiam autem corporum dicit esse quatuor ista, calidum, frigidum, humidum, siccum. nam cum corporum materia quatuor proculdubio sint elementa, quatuor has qualitates quæ illorū esse cēsentur formæ, non immerito corporum materiam appellauit. His sic enarratis & constitutis, primam statim causam cū longitudinis tum breuitatis vitæ afferre aggreditur, dicens, cum sit necessarium omnibus in senectute humidum exsiccati (vt modo diximus) illa nimirum animalia siue viuientia longioris sunt vitæ, & diuturniora sanè longæuq; magis existunt, in quibus siccitati diutius repugnat humidū: contra illa minus prolixi sunt æui, in quibus nullo negotio & facile exsiccabile innatum est humidum. Quibus virtualiter dictis & ostensis, breuiter admodum subiungit, ad prolixitatē scilicet vitæ omnibus necessariū esse viuentibus huiusmodi naturale humidum quod non de facili exsicchetur & arescat: cuiusmodi humidum est pingue & compactum, non aqueum & diffuens. Id enim constantes & conglutinatas habet partes, & non facile separabiles. Cuius rei manifestum statim subdit exemplum: Pinguia enim non putrescere dicit. Putredo enim corporibus accidere videtur cum agente valentius calido intrinsecum exhalat humidum, cum quo nimirum & ipsum simul euanescit calidum. Quoniam autem pingue & lentum humidum compactas (vt diximus) & cōglutinatas habet partes, non de facili separabiles, idcirco non parua cum re putredinem incurrere percipitur. Ipse autem hoc in loco dicit id illi idcirco non contingere, quoniam aëriū est ipsum pingue, ab elemēti scilicet illius prædominio sic illud appellans. Aer autem aliorum respectu elementorum sub se positorum ignis existimatur esse quidam, cū illi regione sit vicinus, & in qualitate maxime actiuosa & efficaci, caliditate videlicet, cum illo communiceat. Porro ignis caliditate siccitateq; purissimis præditus, cum alia omnia expurgat puraq; efficit, tum ipse purissimus sanè est, nullique omnino putredinis incommodo obnoxius. Hoc sic constituto ostensoque, quod scilicet diuturnioris vitæ causa in animantium corporibus humidum est quod non de facili exsiccati & computrescere queat, cum pingue videlicet sit & glutinosum: aliam eiusdem rei philosophus subiungit causam, asserens huiusmodi humidum ad diuturniorem efficiendam vitæ commodum, non debere esse exiguum, sed competens videlicet, & potius multum. cuius rei statim ratio subditur. Paucum enim, inquit, cito & faciliter est exsiccabile. nam quoniam paucam habet molem, paruam nimirum ad contraria resistentiæ facultatem habere potest. Et idcirco corollarij loco id quod prius dixerat ipse, in præsentia adducit, magna scilicet asserens animalia, & eximia molis stipēs, vt in vniuersum dicatur, vitæ esse longissimæ, quoniam magnitudine sua largam humoris copiam habeant.

Non tantum autem hanc ob causam diuturnioris sunt vitæ: duæ namque restant causæ, quantū videlicet, & quale: quare non solum humidam copiam esse oportet, verum etiā calidam, vt neq; gelu facile stringatur, neque leui de causa exsicchetur. Et hanc ob rem longæuus magis est homo q̄ pleraq; maiora. Longioris enim sunt vitæ quæ humidam copia superantur, si quidem maiori secundum qualitatem proportionem superēt, q̄ secundum quantitatem vincantur. Et profecto quibusdam calidum est pingue, quod simul efficit vt neq; facile exsicchetur, neq; leui negotio frigescere possit. Quibusdam vero alium præstat succum.

¶.ij.

Quod viuit animal, ali necesse est.

Senectus frigida & sicca natura.

Totalem caloris extinctio- nem esse mortē

Pingue & lentū humidum diuturnæ vitæ esse causam.

Corpūgia & b putrescant.

Ignem nō putrescere.

Quia retro dixerat philosophus longitudinis vitæ causam humidi in viuentibus esse copiam, & idcirco magna ferè omnia cum in animalium genere, tum in ipsis etiam stirpibus esse diuturniora: in extensiori namque corporis mole plus certe inesse humoris verisimile est: & quoniam illa vitæ diuturnioris vera & exacta non videtur esse causa (equus nanque homine humoris plus habet, quia corpore etiam est maiore, non tamen prolixioris est vitæ) idcirco hoc in loco illi moderari cupiens dicto philosophus asserit humoris multitudinem & copiam solitarie acceptam diuturnioris vitæ non esse causam, verum illius sic cum calido se habentis copiam, ut neque facilius gelu stringatur, neque rursus de facili exsiccet. id autem accidere potest tum habili quadam inter calidum & humidum proportionem, tum ipsius humidi qualificato quodam naturæ habitu magis ad aëriam pinguedinem & lentorem, quam ad aqueum mucroem vergentis: quæ sanè philosophus duobus illis expressit vocabulis, per quantitatem quidem commensuratam intelligi volens copiam: per qualitatem vero ipsius pinguitudinem & lentorem humidi quæ ab aëris prædominio caliditati sanè attestari censetur. Sic enim repertum in corporibus humidum ob aëriam caliditatem neque facilius gelu adstringi potest, neque paruo negotio exsiccare, tum ob lentorem, naturæque illius viscositatem, tum ob commensuratam (ut diximus) copiam, qua à caloris conati actione diutius se præseruare potest. Duas igitur ad longitudinem vitæ huiusmodi concurrere oportet causas, humidi scilicet conati copiam, & illius pinguitudinem: quarum sanè quæuis solitarie accepta quæuis aliquid ad diuturnitatem se habentis facere possit, non multum tamen & integrum est id quod efficit. Quod ipse exemplo declarat de humoris copia non statim diuturniorē vitam faciente. Homo enim, inquit, longæuius est magis, id est æui prolixioris, quam plerumque maiora animalia: ut de equo retro est dictum. potestque etiā de bobus mulisque & alijs plerisque intelligi, quæ sine cōtrouersia breuioris quidem sunt vitæ quam homines, copiosiori vero humoris vtuntur abundantia, cum maiores corporum habeant moles. Longioris enim esse vitæ affirmat illa quæ humoris superantur copia, si quidem maiori secundum qualitatem superet proportionem quam secundum quantitatem superentur, per quantitatem (ut diximus) humidi intelligens copiam: per qualitatem vero ipsius caliditatem & pinguitudinem. Cuius literæ intellectus hoc declaretur modo. Supponamus (verbi causa) humidum quidem in equi corpore in tripla excedere proportionem humidum quod est in homine: calidum vero in hominis corpore repertum, equi calidum in octupla proportionem superare. Hoc sanè in casu pluri maiorem proportionem hominis calidum equi superat calidum, quam eiusdem humidum ab equi humido superetur. maior enim octupla est proportio qua hominis calidum equi superat calidum, quam tripla per quam illius humidum ab equi humido superatur. Ex quibus manifeste apparet copiam quidem humoris in viuentium corporibus ad eorum diuturnitatem non nihil facere: plurimum autem conferre illius caliditatem & pinguitudinem. Quoniam autem per ea quæ retro dicta sunt in humidi natura, calidum à pingui philosophus determinasse videtur, & quasi duas res intelligere voluisse: idcirco ne simplex fallatur auditor, statim subdit, in quibusdam, id est in perfectiori viuentium genere ipsum calidum est pingue, & pingue scilicet calidum. Dictum est enim pingue natura esse aëriū, aërem autem ad alia sub se elementa ignis obtinere vicem. Non facilius igitur id pingue humidum caliditate sua congelabit, neque de facili viscositate & lentore suo poterit exsiccare, quod etiam retro dictum est. In quibusdam vero alijs dicit, id est in viuentium genere imperfectiori, & ijs præcipue quæ breuioris sunt æui, non esse calidum illum pingue, sed alium quendam succum, id est humorem habere qui illi quidem proportionem respondet, verum tamen citius exsiccare potest, minusque algori & frigoribus resistere valet.

Præterea quod non de facili corrumpi debet, minime excrementitium esse oportet: id namque interimit aut morbo, aut natura. Contraria enim excrementi est vis & confectrix, hæc quidem naturæ, illa vero partis alicuius: quapropter quæ multo vtuntur coitu, genitaleque semen copiosius habent, celeriter senescunt, quoniam semen excrementum est, & exiens siccitatem affert. Et hanc ob causam mulus equo diuturnior est & asino, ex quibus procreatus est: necnon fœminæ maribus, si quidem salaces fuerint mares. Idcirco passeris masculi breuioris sunt vitæ quam fœminæ. Præterea quicumque ex maribus erumnosi sunt, laboris gratia senescunt magis, exsiccat enim labor. Senectus autem sicca est. Natura autem (ut vniuersaliter dicatur) mares fœminis sunt diuturnioris vitæ. Huius autem rei causa est, quoniam mas fœmina calidius est animal.

Duas ad vitæ longitudinem concurrere causas.

In perfectioribus animalibus pingue & calidum idem esse.

Aliam hoc etiam in textu assignat causam vitæ longitudinis: cuius etiam oppositi, vitæ nimis
 rum breuitatis, afferre censendus est causam. Dicit igitur quod illud quod non ex facili cor-
 rumpi, sed diuturnioris & prolixioris vitæ esse debet, minime oportet superfluitatū & excre-
 mentorū esse generatiuū, quod nos excrementitiū appellauimus. In qua enim viuentis complexione
 plurima ingenerantur excrementa, illi plurima sanè inesse contraria necesse est. Superfluum enim
 omne & excrementitiū contrarium esse diximus. quicquid autem pluribus obnoxium expositūq; est
 contrarijs, id diutius permanere non posse vero est consentaneum. Id namq; inquit, id est excrementū
 interimit aut morbo, aut natura. quod satis breuiter & obscure dictū, hunc habere videtur intellectū:
 Quādo videlicet ingenita excremēta cum vniuersa corporis complexione pugnātia (hanc enim hoc
 10 in loco appellat naturā) illā superauerint & pessumdederint, tunc dicimus illa interemisse animal &
 destruxisse natura, id est totā corporis cōplexionē cōmutasse: ad quod naturalis sanè consequit̄ mors.
 Quādo autē ingenita superfluorū excremēta ad vnicā tātum corporis partē siue mēbrum pugnaue-
 rint, ad iecur (verbi causa) aut lienem, & intercedentibus illis vniuersum postea interemerint prostra-
 uerintq; animal: tunc certe asserimus superfluitates illas morbo animal interemisse: quasi dicere velis-
 mus q; vna parte ægroti animalis corrupta, totum corruptum sit animal: qui violentē potius q̄ natu-
 20 ralis modus est mortis. nam morborum vi & generibus, & non ætatis maturæ decursu istuc accidere
 percipitur. Superfluitates igitur & excremēta in corporibus generata vel natura, vel morbo, breuita-
 tis vitæ sunt causæ, secundum hunc quē adduximus intellectum: quē ipse etiā explanās philosophus
 statim subiungit excrementorū vim esse cōtrariam & confectricē, id est corruptricem cū naturā, id
 est vniuersæ complexionis: tum partis, vt de liene diximus & iocinore: quibus intercedentibus vniuer-
 30 sa postmodum interit complexio, & morbo, id est præter naturam ipsum corrumpitur animal. His
 de excrementorū natura & potestate sic ostensis & constitutis, corollarij loco ponit ea animalia quæ
 plurimo vtuntur coitu, & genitale semen copiosum habēt, multarum sanè esse superfluitatum, & ic-
 circo cito senescere, & mature etiam interire. Genitale enim semen, inquit, superfluitas & excremen-
 tum est. Vbi autem plurima sunt excrementa, maturus sanè est interitus, vt pauloante ostensum est.
 Verum quoniam dicere hic quispiam posset semen quidem excrementum esse quoddam, sed vtile, vt
 physici asserunt, non autem ex superfluitatum illarum genere quas hic se habentis confectrices phi-
 40 losophus asserit, idcirco alia occurrit via philosophus, indubitata fidei sententiam ostendens suam.
 Quæcunq; enim, inquit, multum habent seminis, & plurimi sunt coitus, cum ab illis multū sperma-
 tis excernatur, iugi illo salacis naturæ opere exsiccati illa & arefcere vltra id quod naturæ conueniat
 50 necesse est: quamobrem & cito senescere, & mature illa interire contingit. Cum enim genitale semen
 sanguinei superfluitas sit alimenti, quæ in tertio sanè digestionis cōcoctionisq; sit ordine, vt autumat
 medici, à corpore exiens multum certe secum caliditatis & humiditatis rapere & abducere censetur.
 his autem excretis cum frigidius effici animal, tum siccus necesse est. Cui certe corporum cons-
 titutioni maturam sequi mortem ex retro dictis palam est. Ipse autem huic sententiæ constanti sta-
 tim suffragatur exemplo, mulorum inquit vitam diuturniorem esse quàm equorum & asinorum à
 quibus prognerantur. non enim admittuntur muli vt equorum & asinorum genus, neq; sobolis gra-
 60 tia coire permittuntur, & idcirco robustiores sunt, & vitæ prolixioris. Quam rem quotidie cernit &
 experitur vita: ipse etiam in commentarijs de animalium historia refert mulum LXXX. annos vixisse:
 idq; in Atheniensium monumentis memoriæ proditum inueniri: quod & Plinius secundus, & pleris-
 que etiam rerum authores scriptis suis prodidere. Quam etiā rem prolixius ostendere contendens sub-
 dit fœminas etiam ipsas, quæ proculdubio breuioris sunt vitæ q̄ mares (vt statim dicit ipse, euiden-
 terq; demonstrabit) hanc ob causam diuturniores sanè maribus esse si quidem ij frequenti multoque
 vtantur coitu. Neq; hoc in loco quippiam ob stare debet q; interdum fœminæ in coitus opere copio-
 sam emittant superfluitatem, vt ipsi etiam faciunt masculi: quoniam istuc neq; semper fit, & illa cer-
 te superfluitas cum emittitur, neq; calida est, spiritibusq; referta, vt maris est illa, neq; cōpacta & te-
 70 nax, sed frigida & diluta, aquei mucoris potius q̄ spermatis speciē referens, ita q; recto potius appel-
 lari possit nomine inefficax excrementum, q̄ genitale semen. Quam sententiam manifesto etiam iu-
 uat exemplo, passeris inquit masculos breuioris esse vitæ q̄ fœmellas. In confessis enim est passe-
 res salacissimum esse animal: vnde illud poetæ, Vernis passeribus salaciores. Et idcirco in commenta-
 80 rijs de animalium historia refert ipse passeris salacitate sua annum vitæ non excedere spatium. Pli-
 nius quoq; Secundus in naturali historia Aristotelem sequutus passeri minimum esse vitæ scribit: &
 q; mares negātur anno diutius durare, argumento esse quia nulla veris initio appareat nigrütudo in
 rostro quæ ab æstate incipit. Fœminis autem longiusculum esse spatium. His subiungit præterea phi-
 losophus q; ex maribus nō solū qui nimio vtūtur coitu, breuioris sunt vitæ, sed ij etiā qui immodicis
 sese cōflictant laboribus, erūnosamq; agūt vitā. neq; id ab re, mehercule. nā sicut moderatus exercitij
 labor calorē excitat innatū, expellit superflua, fluxilesq; corporis efficit humores, & ad summā vni-
 90 uersum cōseruat animal, protēsamq; & valētē illi sanè præstat vitā: ita immodic⁹ labor & superflue-
 tes defatigationes innatū exhalare faciūt calorē, laudabilesq; & pficuas absumūt humiditates, & vni-
 60 uersum exsiccant corpus, & frigidius reddunt: quamobrem & præmaturam afferunt senectutem, &
 breuioris vitæ efficiunt terminos. In textus autem calce vniuersalem de vitæ lōgitudine affert sentē-
 tiā, asserēs mares omnino fœminis esse diuturniores, & vitæ prolixioris. cuius rei statim & sub calce
 t.iiij.

Quid natura
 interire, &
 quid morbo

Excrementa
 breuitatis vi-
 tæ esse causas

Genitale se-
 mē sanguineū
 alimenti ex-
 crementum.

Cur qui mul-
 to vtūtur cois-
 tu, cito inter-
 eunt.

Cur muli es-
 quis & asinis
 diuturniores.

Plinius. ij.

Mulierum in
 coitu emissū
 humorē genit-
 tale non esse
 semen.

Catullus.
 Plinius. ij.

Salacitate pas-
 seribus vitam
 esse breuissi-
 mam.

Moderatos labores vitæ conseruare: imo dicos destruat.

(vt aiunt) manifestam affert causam, caloris videlicet illius copiam à quo cum superflua absumantur omnia, tū præseruatur humidum vt nō de facili cōgeletur: quod certe caloris defectu in fœminis, illarumq; veluti frigida natura, huic malo & plerisq; alijs expositum & obnoxium esse censetur.



Adem autē in tepidioribus locis protensioris sunt vitæ, q̄ in frigidis, eandem ob causam qua & maiora. Magnitudo autem potissimum est manifesta animalium natura frigidorum. Idcirco serpentes, & lacerti, & squamosa omnia calidis in locis magna proueniūt, & in rubro mari ostreaea. Augmenti enim & vitæ causa humida est caliditas. In frigidis autem locis quod animalibus inest dilutius est humidū: idcirco facile congelascit. Quamobrem exigui sanguinis animalia, vel ex anguia, aut non generantur omnino in locis qui ad Septentriones sunt, neque terrestria in terra, neque aquatilia in mari: aut si generantur, minora certe, & breuioris sunt vitæ. Aufert enim augmentum gelatio. Alimentum autem nisi assumant animalia & stirpes, intereunt. seipsum nanq; eliquat. Vt enim multa flamma minorem exurit & conficit, quoniam alimētum absumit: ita naturale calidum quod primo concoquēdi vim obtinet, materiam in qua est, absumit. Aquatilia autem terrestribus minus lōgæua, nō quod simpliciter humida sint, sed q̄ aquosa. Huiusmodi vero humidum facile corrumpitur, quoniam frigidum est, & ex facili congelatur. Et quæcunque sanguine carent, eandem ob causam, nisi magnitudine sibi suffragentur, non enim pinguitudinem, neque dulcorem habent. In animalium nanque genere pingue dulce est: & idcirco apes plerisque maioribus animalibus diuturnioris sunt vitæ.

Vitæ prolixitas caliditatis fœcia.

Quæ sint temperate regiones.

Draconū elephātorumq; discordia. Pl. ij.

Prosequitur Aristoteles alias inuestigare causas cū lōgitudinis tū breuitatis vitæ in animalium genere, & in ipsis etiā stirpib⁹: dicitq; primo in tepidiorib⁹ locis eadē animalia viuaciora & diuturniora esse, q̄ si in algentibus & frigidis degant regionibus, eā scilicet ob causam propter quā maiora dixit esse diuturniora: neq; hoc ab re, mehercule. maior enim & copiosior in maioribus est caliditas. caliditatis autē fœcia vitæ est prolixitas, vt retro est declaratū. Quod autē eadem animalia in tepētibus nata locis eiisdē generis sint maiora ijs quæ in frigidis nascuntur plagis, clarissimum hic, & nunquā in eiusmodi mentientem sensum affert testem. Videntur enim cum decentiora & robustiora, tum maiorum etiam corporum animalia quæ in temperatis degunt regionibus, æuiq; prolixioris q̄ contra eā quæ distemperatis nascuntur in locis. Vt enim calidi officium est dilatare, & augmentum facere, ita etiam est vitam ipsam extendere & præseruare. Eadem igitur causa est & q̄ maiora sint ea quæ in temperatis regionibus degunt animalia, & q̄ diuturniora, valens scilicet & vegetum calidum in sibi proportionato collocatum humido. Quo in loco animaduertendum esse censeo per calida loca hic intelligi oportere temperatas terrarum cæliq; plagas, aut non multum calore excedentes, quales sunt regiones quæ tertio, quarto & quinto sextoq; etiam subiectæ sunt climati. In ijs enim dicit, & sensu etiam percipitur, frigidæ complexionis animalia, & sanguinis exigui, vt serpentium genus est vniuersum, & ea quæ squamis teguntur animalia, magna esse: ostreaea quinetiam quæ sanguine penitus carent, ob tepidiorem cæli tractum in mari rubro magna reperiiri asseuerat. Nam eadem, vt diximus, vitæ & augmenti causa caliditas est humida, id est calidum in humido sibi proportionato & pingui degens. Quamobrem in calidis etiam insigniter regionibus, vt apud Aethiopes & Indos, quæ pauci sunt sanguinis animalia, ad maximas corporum moles excrefcere dicuntur, quod illorum naturæ deficit, cæli excellenti præstante calore. Memoriam nanq; proditum est quosdam apud Indos generari dracones perpetua discordia cū elephātis bellantes, tantæ sanè magnitudinis, vt & ipsos circūflexu facile amplexentur, nodorūq; nexu perstringant & interimant. Generare etiā inquit Plinius secūdus Aethiopiā dracones Indicis pares vicenū cubitorū. Megasthenes præterea eodē autore memoriam prodidisse fertur in India serpētes in tātam magnitudinē adollescere, vt solidos hauriāt ceruos taurosq; serpentēq; in Punicis bellis ad flumen Bagradā à M. Regulo expugnatum, centum viginti pedum fuisse longitudinis, idem est author Plinius. Taceo hoc in loco de Indici maris belius, in quo

Balenas quaternum iugerum, Pistricesque ducenum esse cubitorum rerum prodidere scriptores: ubi etiam Locustas quaterna cubita implere asserunt: anguillasque tricenum pedum in Gange reperiri. Ex quo clarissime patere potest calorem in omni viventium corpore praestantissimum esse augmenti & magnitudinis architectum, quando illa quae innatum id non habent, tantum extraneo proficere conspiciuntur. In frigidis autem terrarum caeliq; plagis contrario res se habet modo. Animalia namq; ibi sunt cum parvorum corporum, tum brevioris etiam vitae: ea inquam quae interno calore caeli inclementiae resistere possunt. nam exanguia aut reperiuntur nulla, aut infelicia certe, & aevi exiguioris. Paucissima enim, inquit Plinius, inopia fructuum, Scythia gignit animalia: pauca & contermina illi Germania: cuius sane rei veriore (ut arbitror) & peculiarem magis adducere potuisset causam, si inopia dixisset caloris potius quam fructuum id ipsum contingere. Namq; illius paucitas efficacissima sane esse censetur causa cur in illis regionibus desint fructus, qui a valenti nimirum calore in humidum indigestum agente cum generantur in stirpibus, tum aequabili coctura peculiare quique & suos accipiunt succos, omnimodosq; reddunt sapes. Quo cum rigentes careant regiones, nil mirum si neq; fructuum neq; animalium sunt feraces. In frigidis namq; locis, inquit hic Aristoteles, id humidum quod in animalium est corporibus, dilutius est & frigidius, illaq; sane caret pinguitudine quae lentore suo ad longaeuam animalium facit vitam: iccirco facile in gelu desatur: citiusq; sane id accidere non immerito existimatur illis quae aut parum aut nihil habent sanguinis. Sanguis namq; pingue illud est calidum cum quo vita perdurat. Huiusmodi igitur animalia in ijs quae sub Arcto sunt locis, id est Septentrionali caeli & terrarum plaga, vel non generantur omnino, vel si qua ex ijs provenire possunt, & pusilla sane sunt, & cito intereunt: siue de terrestrium intelligere velimus genere, siue de aquatilibus. In vtrisque enim idem rationis est tenor, & eadem veritatis est causa. Gelu namque constrictus humor, & veluti mortuus, neq; augmentum praestare potest, neq; alimentum. His ita enarratis rationem nobis philosophus consequenter assignat curnam & quomodo quae alimentum non recipiunt animalia & stirpes corrumpantur. ea autem nimirum est conati interitus caloris, qui efficacia sua dum semper agit, se ipsum aliquando destruit & corrumpit: quod ipse in litera tangit potius quam exprimat, dicens, Se ipsum namq; eliquat. Calor namque innatus si nullum sibi extrinsecus suggeratur pabulum, ipso valentior factus ieiunio, carnes absumit primo, & corporis humores, mox etiam ipsum radicale humidum in quo degit, consumit & destruit. Quo certe absumpto, & ipsum & animalia consequenter & stirpes interire necesse est. Cuius certe rei manifestum sane de maiori & minori flamma, deque praerepto minoris alimento adducit exemplum: quod cum retro ab eo eisdem fere verbis sit adductum, & a nobis illo explanatum in loco, non est quod in praesentia diutius in eo immoremur, cum alioquin nullam in se habeat difficultatem. Prosequitur postmodum philosophus comparando in hac longitudinis & brevitatis vitae differentia aquatilia terrestribus, uniuersum scilicet genus uniuerso generi: dicitq; uniuersaliter terrestria aquatilibus esse diuturniora. Huius autem rei causam esse inquit aqueum in illis & dilutum humidum, a praedominio existens eiusmodi, quod cum frigidum sane existat, & ex facili gelu concreascit, paruo nimirum negotio corrumpi potest. Exanguie praeterea uniuersum genus eandem videlicet ob causam brevioris est vitae propter frigidam in illis naturam discrimen: Nisi, inquit, magnitudine sibi suffragentur. Cuius literae hic sane videtur esse sensus. Cum enim viuens omne a praedominio sit calidum (sine calore namq; non perseverat vita) in maiore certe corporis mole plus inesse caloris verisimile est. Maiora igitur quaecumq; sibi adminiculari & suffragari possunt, in diutino viuendi opere perseverant caloris copia quem in se habent. quam certe vnam retro ex causis diximus esse longitudinis & extensionis vitae. Nam in confessis est, inquit, exanguia omnia altera carere causa & fortasse efficaciori ad quam prolixitas nimirum vitae sequi existimatur, pinguitudine scilicet illa dulci quae neq; facile congelascit, & lentore suo non cito evanescit & halat. Hanc autem in sanguine praeditis animalibus, sanguinis esse naturam recta profecto dicit ratio. Quam obrem pro corollario in textus calce refert apes plerisque maioribus animalibus esse diuturniores, quauis sanguine careant. Hoc autem iccirco, quonia id quod in illis sanguini proportionem respodet, pingue est & dulce. Talis enim illarum est cibus. Porro dulcedo omnis calida esse censetur: calidum autem (ut aliquoties dictum est) in pinguitudine & lentore diutius contineri & praeservari potest.

50 **I**N stirpibus autem sunt quae longissime sunt vitae, & quidem magis quam in animalibus, primum quidem quoniam minus sunt aquosae: quam obrere non de facili congelantur: deinde pinguitudinem habent & lentorem: & cum siccae sint & terreae, non tamen facile siccitati obnoxium habent humidum. Quod autem diuturnior arborum sit natura, sumere causam oportet. Peculiarem namq; habent illam animalium respectu, exceptis tamen insectis. Nouae enim continuo fiunt stirpes, iccirco diuturnae. Semper enim alij quidem exeunt rami, alij vero senescunt.

Calore in corporibus magnitudinis architectum esse.

Cur in scythia paucissima generantur animalia.

Calor innatus nisi extrinsecus iuuetur, se ipsum interimit.

Cur maiora animalia sint diuturniora.

Cur apes plerisque maioribus sunt viuaciores.

Radicum quinetiam similis est modus, sed non simul omnium, sed aliquando quidem stipites solum & rami interiorum, alij autem suborti sunt. Cum autem sic se habuerint radices, alij sane ex restati fiunt: & hoc semper perseverat modo, alia quidem corrupte, alij vero genite: & ideo protese sunt vite.

Postquam retro (vt vidimus) perfectiora animalia, imperfectioribus: & sanguine prædita, illo carētibz comparavit philosophus, in hac inquā viuentium omnium differentia, longitudinis scilicet & breuitatis vite: hoc in textu eadem in re animalia comparat & stirpes: dicitq; à principio statim literæ longissimos vite terminos, & æui diuturnitatem in stirpium magis genere reperiri quàm in animalibus. Cuius rei manifestas statim affert causas ex ijs quæ retro sunt adductæ. Primum enim, inquit, stirpium genus humidum habet minus aqueum & dilutum quàm animalia. Sūt enim sicciore arbores & rigētes magis ipsis animalibus, minusq; diffluētes: non de facili autē (vt dixim⁹) id gelascit humidum. Præterea pingue illud est humidum, tenacitatemq; & lentorem quendam habet: cuiusmodi in animalibus etiam existens ad extensam vite facere prolixitatem ostendimus: quoniam neq; de facili gelu cōstringitur, neq; rursus leui de causa exsiccat & arefcit. Id autem humidum in arborum esse genere, oculata (vt aiūt) percipitur fide. Facile enim inflāmatur & exurit quod aeriā pinguedinē, tenacitatēq; vim, & naturæ lentorē cuius clarissime indicare potest. Ex quo, inquit, non immerito existimari potest, arbores, licet à prædominio sint sicce & terreæ, nō tamē de facili exsicabile suum habere humidū, & ideo esse diuturniores. His hoc modo declaratis, aliā rursus philosophus adducit causam cur stirpium genera viuacia sint & longæua: dicitq; illam esse peculiarem & propriā solis cōpetentem arboribus, & non ipsis animalibus, nisi fortasse, inquit, insectis, vt videbimus. nā supradictæ causæ, de humido scilicet non diluto & aquoso, & facile congelabili, sed pingui & glutinoso, quod habere dixit stirpes, cum animalibus etiam illis sunt communes. Hanc autem quam dicturi sumus causam, peculiarem, inquit, & solitariam arborū habet natura animalium respectu, exceptis tamē insectis: id est, per hanc quidem differūt stirpes ab alijs animalibus, comunicāt autem cum insectis ex animalium genere. Verum quonam comunicēt modo, ipse mox dicit: nūc quo differāt modo, ostēdit prius. Nouē enim, inquit, cōtinuō fiunt arbores, & ij quidem in illis ramorum senescūt trunci, alij vero germinātes pullulāt, & nouelli in parente consurgunt: ita q; eadem semper arbor partes habet quasdam virētes & teneras, nōnullas vero iam senescētes & præduras. Similiq; modo ipsis cōtingere dicit radicibus. nam alia quidem ex illis senescūt & intereunt, alia vero pubescūt & vigēt. Non simul autem hoc cōtingere dicit, sed vicibus euenire. Interdum enim stipites & rami intereunt, radices vero remanent, ex quibus alij nimirū stipites & alij repullulāt rami. Interdum autem istuc ipsis cōtingit radicibus. Emortuis enim his, & capillamētorum exsiccatas fibris, alia rursus ex præexistēte, id est, ex ipso radicū scapo & corpore, & parte illa vbi arboris vite principium collocatur, emergunt & renascūtur, quæ arboris nimirum illius incolumitatis sunt causæ: eoq; modo cum senescētes per partes suas arbores, tum restauratæ, & quasi nouellæ rursus effectæ, diuturno viuunt, & pluribus perseverāt seculis: quæ peculiaris (vt diximus) videtur esse causa prolixioris arborū vite. nā in animalibus ipsis nihil huiusmodi esse cōspicitur, quorū partes non vicibus (vt in arboribus est ostēsum) sed simul omnes cum iuuenescere videntur, tum senescere, & vnā nascuntur & commoriuntur omnes.

Similes autem sunt stirpes insectis, vt dictum est prius. Diuisæ nanq; viuunt, duosq; & multa de vna efficiuntur. Verum insecta ad vite vsq; actum perueniunt, multum vero tēporis durare nequeunt. Instrumentis enim carent, neq; illa quod in vnoquoq; est principium efficere potest. Id autem quod est in stirpe, potest. Vbiq; enim cum radicem, tum caudicem potestate habet: quamobrem ex ea semper aliud quidem nouellum prouenit, aliud vero senescens: ita quod parui refert vt eo sint diuturnæ modo, quo sunt illæ quæ transferūtur. In ipsa nāq; translatione isthæc quodāmodo accidere quispiam asseuerare potest. Pars enim quædam est id quod transfertur. Verum in translatione quidem separatis id accidit partibus: ibi autem per continuum. Causa vero, quoniam vbiq; potestate inest principium.

Cur Stirpes animalibus diuturniores.

Arborum sola natura senescit & pubescit.

In quo conu-
niat & in quo
differat inie-
cta cum stir-
pibus.

Quia in præcedenti philosophus dixerat textu arborum genus peculiarem quandã & solitariã habere naturam, qua ab animalibus differre videbatur, nisi ab insectis, propter quam diuturnum & longæuũ magis esse poterat: hoc cõsequẽter in loco illa declarando quæ breuiter & subobscurè ibi dicta fuerunt, conuenientiam prius istam qua stirpes insectis sunt similes, explanat: postmodumq; clarã inter illa differentiã explicabit: vltimoq; loco causam propter quã multo diuturniora arborum q̃ animalium sit natura, rerũ euidentibus declarabit indicijs. Dicit igitur similes esse stirpes insectis: quod in præcedenti etiam dixerat textu: quoniã quemadmodum insectorum corpuscula præcisa viuunt, palpitãtiaq; aliquãdiu illa perstare possunt frustra (quod & sensu percipitur, & in commentarijs de anima, & de animalium incessu, abunde est declaratum) sic arborum succisã viuunt partes, ramiq; & furculi à matre reuulsi diutius perseuerant. Hæc igitur est conuenientia per quam sola ex animalium genere insecta cum ipsis comparari possunt stirpibus. Verum notabilem statim inter illa differentiã determinationem subiungit, insecta quidem afferens sic recisa multo tempore durare non posse: stirpes autem succisas diutius posse viuere. Cuius certe rei verissimam statim affert causam, in recisis inquit insectorum partibus non reperiri illud principium, id est opificem animam quæ instrumenta efficere & architectari possit illa per quæ diutius partes illæ recisæ perseuerare & viuere possint. per instrumenta sanè intelligens os & stomachum, cæteraq; membra illa quæ cum ad sumēdos, tum ad conficiendos & digerendos faciunt cibos. Cum enim viuere nullum diu possit animal (vt aliquotiens est declaratum) nisi alatur, profecto nutriri & ali haudquaquam poterit, nisi ad id operis peragendum requisita habuerit instrumenta: quibus quæcunq; carent, diutius sanè viuere nequeunt: quod insectorum recisis particulis manifestò contingere animaduertitur. Insecti enim anima illa quæ antequam secaretur id animal, vna quidem actu erat, potestate vero plures, post præcisionem actu plures effecta, ad præstandam quidem aliquandiu defectis particulis vitam est efficax: ad conseruandam vero illam & ad extensum prorogandam spatium haudquaquã est efficax. Cito igitur pereunt defecte animalium illorum partes, quod secus in stirpiũ genere animaduertere licet. recisæ enim arboris partes, furculiq; & rami à stirpe præcisi, principium sanè id in se cõtinent quod & radicẽ, & stipitis germinantẽ potestate habet caudicẽ, & de illis facillè potest efficere vnde & ali possint posthac, & auferere, diutiusq; viuere & durare queant. Sed quoniam de stirpium partibus non recisis, sed in matre manentibus præsens esse videtur sermo, quæ cum iuuenescunt & pullulant, tum senescunt & intereunt, ex quo renascentium quodammodo arborum diuturnior ostenditur vita, existimandũ est principium id de quo verba fecimus, in quibuscunq; arboris partibus non recisis potestate huiusmodi esse, & omnia etiã posse illa quæcunq; in recisis partibus actu existens architectari & efficere cõspicitur. Quãobrem, inquit, semper prouenit aliud quidem nouellum, aliud vero senescens. ab illo enim principio potestate inexistente, arescentium in arboribus ramorum loco, furculorum alia producuntur germina, quæ arborem renouant, illamq; diutius perdurare faciunt. Et hæc vera nimirum & peculiaris est causa per quam in stirpium genere vitæ diuturnitas reperitur magis quàm in animalibus. Quam rem manifestò concludere volens exemplo philosophus subdit simili ferè modo diuturniores fieri arbores & longæuas, quo in transferendis plantis successio quædam diuturna, & quasi vitæ æternitas fieri animaduertitur. Auulsi enim ab arbore rami, aut ferro recisi, si in subactam & rite præparatam collocentur terram, adulescunt cito, & nouellas efficiunt arbores: qui cum partes prioris fuerint arboris, ipsam quodammodo renouare videtur matrem. quam rem in eandẽ cadere arbore quotannis germinantem, nouosq; semper furculorum pullulos producentem, pauloante diximus. Differunt autem translata ista, siue auulsione, siue furculo fiant deciso, ab ijs quæ ex eisdem radicibus in eadem pullulant arbore, paulo quidem aut nihil quantũ ad vitæ longitudinis causam, nonnihil autẽ in hoc, quoniam ea quidem quæ transferuntur, & in alium collocantur locum, seiugata diuisaq; sunt à parente sua, solitariamq; degunt vitam. Quæ vero in matre perstant partes, eiusdemq; aluntur radicibus, & illius veluti gremio fouentur, simul cum illa existunt, siue potius illi inexistant: cum in vtriusq; tamen idem potestate sit principium, quod (vt retro dictum est) & stipitem & radices efficere potest. Et hoc est quod in litera dicitur illa, Verum trãslatione quidem separatis id accidit: ibi autem per continuum. id est, idem enim accidit omnibus stirpibus, quod semper scilicet in illis proueniat aliud quidem nouum, aliud vero senescens, ab eodem scilicet principio. Verum in hoc est differentia, quod translatis & transplantatis id accidit dum seiugata sunt & separata: alijs vero per continuum, id est dum in ipsa sunt matre.

Accidit autem idem in animalibus, & in stirpibus. In animalibus etenim mares magna ex parte sunt diuturniores: horum vero summæ partes imis sunt maiores. Pomilionis nanq; speciem magis refert mas quàm fœmina: sursum autem est calidum, frigidũ vero deorsum. In stirpibus autem quæ grauioris sunt capitis, eæ nimirum longioris sunt vitæ. Tales vero sunt quæ non sunt annuæ, sed arborosæ.

Sursum enim plantæ, & ipsius caput, est radix: annuæ autem inferne cum augmentum, tum fructus capiunt. Cæterum de ijs sanè separatim in cõmentarijs de stirpibus pertractabitur: in præsentia autem aliorũ animalium cum protensionis, tum breuitatis vitæ dicta est causa. Reliquũ igitur est contẽplari de iuuentute & senectute, necnon de vita & morte. his nãq; determinatis, ea quæ de animalibus est ratio, finem certe habebit.

Quia retro dixerat Aristoteles mares fœminis esse diuturniores, quoniã illis sunt calidiores, nanq; calidum ad vitæ prolixitatem multum facere demonstrauerat: eandem accidere rem cum animalibus ipsis, tum stirpium generi, ad efficiendam ostendẽdãq; æui longitudinẽ hoc in loco asserit. Mares enim in animalium genere quoniã fœminis sunt calidiores, tũ longioris sunt vitæ, tum supernas corporis partes infernis maiores sanè habent. Calidum enim quod suapte natura sursum fertur, ad ea secum loca multũ nimirum attrahit alimenti, & tum illa distendit & laxat, tum eisdem augmentum proculdubio præstare censetur. Vnde manifeste conspici licet mares in animalium genere pomiliones magis & nanos esse quàm fœminas, id est supernas corporis partes infernis maiores habere. Sic enim ipse alibi hoc exponit vocabulum, similitudine quadam à veris translata pomilionibus, quorum sine controuersia supernæ corporis partes monstruosum in modum infernis sunt ampliores. Videmus igitur hanc ob causam in hominũ specie in maribus quibusdem magna plerunq; capita, & latos humeros, pectora ampla, spatiosaq; terga, necnon validos laceratorum toros: contrã vero restrictam aluum, nates exiguas, crura autem compacta magis quàm pinguia. In fœminis autem contrario res se habet modo. Parua enim plerunq; fœminæ habent capita, angustos humeros, haudquaquam eminentes & latum pectus: cæterum amplas gerunt nates, cruraq; & tibias obefas habent & pingues. Frigidũ enim est ad inferna mouere magis, vt calidũ ad superna. Et hic profecto in vtroq; sexu naturæ recte se habentis membrorum conspicitur habitus: quem præstantes etiam artifices naturam sequuti magistrã, in picturis signisq; suis præclare expressisse videtur. Istuc ipsum igitur in stirpium natura animaduerti conspiciq; dicit. nanq; in illarum genere quæ graui sunt capite, id est magnas extensãq; habent radices, prolixioris sanè diuturniorisq; esse videntur vitæ. Radices etenim, & has quæ terræ inherent partes, quibus succũ vnde alantur attrahunt arbores, illarum sanè esse capita plerisq; dixit in locis. Huiusmodi autem sunt illæ quæ plura durare secula & rerũ scriptores prodidere, & omnis experta est ætas, quercus scilicet, & olea, platanus, cupressus, cæteræq; eiusmodi, quarum non simplices sed ramosæ sunt radices, multumq; occupant loci: ex quibus nonnullæ (vt aiunt) tantum descendere dicuntur, & ima telluris penetrare, quantum sanè ipsa attolitur arbor. Arborosas igitur has vocat stirpes philosophus, id est magnas, multarumq; radicum, & non annuas, qualia sunt hortensia ferè omnia, quæ aut vnicam tantum habent radicem, eamq; breuẽ & exilem: aut in tenues quasdam & capillaceas desinunt fibras: quorum sanè augmentum, vt in hominum specie videtur in fœminis, ad infernas corporis declinat partes. Per totum enim huius literę contextum in eodem perstare videtur similitudinis modo philosophus: neq; id ab re, mehercule. ipse enim est qui dixerat arborem quasi inuersum esse hominem, contrariõq; ad vniuersi partes se habere modo. siquidem ad inferna vniuersi superna habent arbores sua: homo vero hac in re ipsi quadrare videtur mundo. Quamobrem annuæ, inquit, stirpes inferne fructus capiunt & augmentum. Tritici nanq; vniuersa genera, necnon legumina omnia hoc naturæ habitu esse conspiciuntur. Folia nanque & seminum grana inferne gerunt: & hortensium genus vniuersum hoc etiam se habet modo. Quorũ tamẽ disquisitionẽ omniũ, & peculiare insuper rationũ modos, ad cõmentarios de stirpibus in præsentia reijcit: quos vtrũne fecerit edideritve, an secus, in incerto est. nam sub illius nomine, quod sciam, nulli feruntur: ceterũ legitimus illius discipulus, & scholę successor Theophrastus hanc sanè philosophiæ partem iacere non est passus, præclarosq; illos qui nunc passim reperiuntur, de stirpibus cõmentarios scriptos reliquit. His sic determinatis Aristoteles cõmentariolum hunc solito claudit modo, quæq; posthac perscrutari cogitat, nudis recenset verbis, in quibus finem eius quæ ad animalia pertinet rationis & methodi esse asseuerat.

Corporum in maribus & fœminis naturalis habitus.

Quercus.
Olea.
Platanus.
Cupressus.

Arborem seu inuersum esse hominem.

Theophrasti de stirpibus cõmentarij.

F I N I S.



Senectuti omnia non insunt mala, quidā ait Poëta. Ego vero Bembe præstantissime, vel plurima illi adesse bona planè contenderim, si quis recto mentis examine quæ vere sunt bona, quæve mala, perpendere voluerit magis, quàm in ijs diiudicandis cæcutientis, & ad omnia ferè obtusi iudicium sequi vulgi maluerit. Cum enim (vt omnes ferè voluere philosophi) homo nihil aliud sit, ac corpore vtens animus: longoq; inter se naturæ eæ distent intervallo: (altera nãq; neq; tangi potest, neq; cerni, perpetuaq; & nulli obnoxia morti iure esse cēsetur: altera autem sensu percipitur, & varijs semper mutationū subiecta casibus, morti tandem corruptioniq; debetur) vero sanè consentaneum esse videtur, cum bonorum tum malorum peculiare vtriusq; inesse rationes, ita vt alia quidem corporis, alia vero animorum bona & itidem mala & sint, & recte appellari possint. Porro vt animi excellentia quàm corporis natura præstantior, longeque melior & diuinior multis existit numeris: ita illius præstantiora certe dignioraq; merito censenda sunt bona: contra mala cum turpiora & despicabiliora, tum etiam perniciosiora sunt existimanda. Contraria enim inuicem æquo respondere sibi iure debent, quæ tota (vt aiunt) diametro inter se distare philosophorum cōmemorant scholæ. Sunt autem animi quidem bona cum artes omnes & disciplinæ: tum virtutes ipsæ, illarumq; omnium princeps sapientia: corporis vero, ea quæ prospere ipsi insunt corpori, & quæ extrinsecus posita ad illud planè pertinere videntur, & illius certe sunt gratia. Quæ profecto prospera potius & cōmoda, quàm bona: vt illorum contraria, aspera magis & incommoda, quàm mala, cum elegantiores appellauere philosophi, tum ipsa etiam dictat ratio. Non enim ea, vt opinor, iure vocanda sunt bona, aut contra mala, quæ humano non constāt arbitrio, & ab animorū potestate sunt aliena: sed illa magis quæcunq; recte aut perperam ipsi in sese admittunt animi. Neq; morbus igitur, aut paupertas, aut orbitas, vere sunt mala: animi enim non tangunt naturā. Iniustitia autem, timiditas, intemperantia, vel pestilentissima sunt mala, quoniam ijs cōmaculantur animi, labemq; contrahunt: horumq; sibi ipsis nimirum sunt causæ. Eodemq; rationis modo de bonis etiam est existimādum. Sed quorsum hæc? fortasse inquires Bembe. Vt intelligas scilicet quòd vera bona, & contraria etiam illorum mala, nusquā alibi quàm in ipsis perquirenda sunt animis. Ex quo etiam recte quiuis colligere poterit, & nullo negotio id quod à principio proposueramus, ostēdere, senectuti videlicet plurima adesse bona. siquidem illi ætati tum longo annorum decursu, tum philosophiæ studijs expurgatis iam animis, peculiaribus & proprijs hominis frui licet bonis: quod ne itidem iuuenibus contingat, aut non adeo ex facili, cum plura sanè officiūt alia, tum vel præcipue eius ætatis socia corporis voluptas:

ὅτι πάντα
τα τῶ γῆς
φαίωσι
ὅτι κακά

qua nullam capitaliorē hominibus pestem à rerum natura datam dicere solebat Architas. Præterea (vt hinc etiam aduertere possimus) parū ne cuiquam & contemnendum videri potest, quod ætas illa tanquā generosa quædam arbor, serotinos quidem, verum vberes suauissimosq; prudentiæ parit fructus? Cuius sanè folius (vt inquit Plato) humanus animus multis exercitus in rebus vix ad vitæ ipsius terminū fit particeps: cū qua etiam veluti terrestris quidam efficitur deus. Et profecto ita se res habet. Elegantes enim senes, & qui in optimarum artium studijs ætates consumpserunt suas (caue enim putes Bembe me de omnibus loqui) ab vniuersis corporis affectionibus & cupiditatibus ceu ab immitibus liberati tyrannis, bonaq; non aliūde, sed à semetipsis petentes, & animo magis quam corpori viuentes, proxime ad deorum immortalium naturam accedere videtur: quibus si qua corporis fortasse adsint incōmoda, illa profecto tum potiorum cōpensatione bonorum mitigant & componunt: tum quoniam non diuturna admodum fore sperant, æquo certe tolerant animo. Non ab re igitur vetus Pythagoreorum theologia mundanos deos, Solem scilicet, & Lunam, cæteraq; tā errantia quā inerrantia sydera iuniores appellauit deos: non eo magis (vt arbitror) quod nouam semper ij florentēq; efficiunt generationem, eamq; fatiscentem, & ob subiectæ defectum materiæ hebescentem renouant, & pubescere faciūt, quā quo superioris dignationem ordinis, eiu'sq; virium excellentiam, & mētis perfectionē nobis ostēderet. Quod enim in deorum natura semotum & intelligēs est magis, id profecto antiquius præstātiusq; iure esse cēsetur: inferiora vero omnia minora & iuniora. Quapropter de Ioue verba faciēs Homerus (cuius inter cælestes Deos, vt antiquis placuit theologis, suprema ordinis est potestas) inquit: Iuppiter ipse prior genitus, & plurima nouit.

ἀλλὰ ξυδο
προτεροσ
γενετο,
και παλει
ονα οιδεν.

Quem deorum etiam iccirco (vt arbitror) hominumque parentem idem sæpius appellat author, vt hac illi denominatione præcipuam dignitatem adscribat. Et ad summam supremos numinum ordines, cum intelligibiles & antiquos deos, tum inferiorum parentes vetus appellat theologia. Hæc mihi Bembe eruditissime succurrebant dum commentariolum Aristotelis quem ab hinc aliquot annos conuerti & interpretatus sum, transcriberem, & tuo nomini dicarem. Quæ, mehercule, libenter scribere sum aggressus, tum vt senectutem ipsam, cuius iam pridem sacraria sum ingressus, proprijs & veris decorarem laudibus: tum etiam vt tibi non minus rem gratam facerem, illius mox mysterijs initiando. Tu boni consules si eorum quæ in hac re dici poterant, omissa sunt plura. Non enim omnia (vt aiunt) hoc in loco vasaria erant excutienda: & negotij alioquin instantis habenda mihi erat ratio, quod me interpretem, non laudatorem huc accessisse admonebat. Vale.

DE IUVVENTUTE ET SENECTUTE, MORTE ET VITA, ET DE SPIRATIONE.

DE iuventute autem & senectute, & de vita & morte nunc est dicendum: & fortasse necesse erit simul spirationis explicare causas. Quibusdam enim animalium ob hoc ipsum cum viuere, tum non viuere contingit.

Post perscrutatas longitudinis & breuitatis vitæ causas non solum in animalium genere, sed in ipsis etiam stirpibus, quod in præcedenti factum est libello, consequenti doctrinæ ordine philosophus in hoc cōmentariolo qui de iuuentute & senectute inscribitur, de eisdem pertractare aggredditur, necnō de morte & vita, & omnino de inspiratione & respiratione, vt constituta de animalium natura methodus & ratio in ijs contēplationibus decentē fortiat terminū. Nō ab re autem post eos qui de longitudine & breuitate vitæ præhabiti sunt sermones, de senectute agitur & iuuentute. Ad vitæ enim diuturnitatē necessario sequitur seniū, vt cū eiusdem breuitate semper ferè adest iuuenta. In hoc igitur commētariolo de huiusmodi pertractat philosophus, præterea de ipso spirandi opere, quoniam multas (vt inquit) ex animalium numero id naturæ opus ad viuendum illis est necessarium. Vbi multa sanè præclara, & philosopho viro digna adducet cum de potestate animalium altrice, & sensitiua augmentatiuaque illius viribus, quæ cordis collocantur in arce: tum nos etiam docebit quod non animalia solum, sed stirpes etiam præsentem indigent refrigeratione, aëre vel aqua intercedētibus: antiquorūq; hac de re sermones reprehendet: nōnullaq; præterea circa animalia & stirpes ipsas partiali disquisitionis modo eleganter admodum & erudite perscrutabitur. Quæ quoniam in consequētis literæ contextu seriatim explicabuntur, cursim ea nunc prælibasse sufficiat: cum alioquin breuitati hoc in opere, sicut in alijs etiam fecimus, necnon perspicuitati sedulò studeamus.

Quæ in hoc libello sint pertractanda.

Quoniam autē de anima in alijs est determinatum, palamq; est quod illius essentia corpus esse non potest, sed tamen quod in aliqua corporis existat parte, manifestū est, & in eiusmodi sanè aliquo quod potestatem habet in partibus: aliæ certe ipsius siue partes, seu potestatiæ, siue quomodolibet illas vocare deceat, in præsentia omittantur.

Præmissa libelli huius propositione philosophus tractatum aggreditur, & à principio statim, quoniam de nonnullis animæ viribus in hoc commentariolo est agendum, illa in præsentia supponere statuit, quæ in peculiaribus eius commentarijs, tum alijs in locis de anima sunt ostensa, quod videlicet illius essentia non sit corpus, sed in ipso existat corpore. Corpus enim non est in corpore, neq; subiectum in subiecto fundari potest. verum non corpus est in corpore, & id quod est non subiectum, in subiecto esse censetur, quæ animæ quadrat naturæ. Quauis autem non sit corpus anima, ipsam tamen in aliqua existere corporis parte, palam esse dicit. ostensum enim est cū in ijs qui de animalium generatione inscribuntur commētarijs, tum in libello de animalium motione, & plerisq; etiā alijs in locis, animā in ipsa cordis arce collocari, quod principes vtiq; vires habet ad reliquas corporis partes. principium nanq; est cor vniuersarum corporis partium: & iccirco hic dicitur in eiusmodi aliquo animam consistere quod habet potestatem in partibus. Post quæ adducta, ab aliarum siue partium siue potentiarum ipsius animæ disquisitione, quæ ad propositum non faciūt libellum, in præsentia se abstinere profitetur, cum necessarijs tantum, & in rem suam facientibus insistere studeat. Vbi sub disiunctionis modo partes animæ siue potentias appellauit, vt varias antiquorum hac super re sententias innueret, quas neq; admittit nunc, neq; reprehēdit. non enim ad eiusmodi rem hic aptus est locus, sed quomodolibet appellentur, dummodo id decenter fiat, accipere videtur. Verum quoniam hic, & plerisq; etiam alijs in locis dictum est animæ sedem ipsum esse cor, animaduertendum esse censeo quod si ad illius respicimus essentiā, quæ vnica & indiuidua esse censetur, nulla illi prorsus determinata animalis ascribitur pars, sed cum in toto animali, tum in singulis illius partibus reperitur vniuersa. Si vero ad illius potestates, viriumq; intenderimus exordia & explanationes, & vbi primò incipere videtur vita, & à quo discedit postremo, profecto in ipso cordis medio animam sine controversia collocari debere affirmabimus. Secundum quem expositionis intellectum, & hoc in loco, & in alijs vbi hac de re agitur, hoc præsertim modo admittenda esse philosophi verba planè censuerim.

Quomodo intelligi debeat animæ sedem ipsum esse cor.



Qua autem re & animalia dicuntur, & viuere, in ijs quæ vtrunq; adepta sunt (dico autem vtrunque, & animal esse, & viuere) necesse est vnam & eandem esse partem per quam & viuuit, & id animal nuncupamus. Animal enim vt animal est, quod non viuuat, fieri non potest: quo vero viuuit, eo animal existere nõ est necessariũ. Stirpes enim viuũt quidem, sensum autem non habent: ipsa vero sentiendi facultate animal à non animali determinamus. Numero igitur vnam & eandem, essentia vero multiplicem & diuersam hanc esse partem necesse est. Non enim idem omnino est esse animal, & vita frui.

Quoniam in superioris textus calce dixerat philosophus se nõ de omnibus animæ partibus siue potentijs hoc in libello pertractaturum, sed de ijs videlicet quæ ad propositam faciunt disquisitionem: hic de vi animæ altrice, quam nutritiuam vocant, verba facere incipit. Hęc est enim qua animal viuere & perdurare animaduertitur. Statimq; à principio asserit qd hęc scilicet altricis animæ vis qua viuimus, & sensitua etiã potestas per quã animalia sum⁹, subiecto quidẽ vnũ existunt, ratione vero & definitione diuersa. in eadẽ enim animalis sunt parte, id est in ipso corde. Verũ aliud est esse ipsius altricis potetia ab esse sensitua. Nãq; diuersi etiam potentiarũ illarũ sunt actus. Viuere enim aliud sanè est, q̃ esse animal. quod ab ipso in litera manifeste declaratur. Licet enim sine vita animal esse non possit: vita tamen seorsum ab animalis ratione reperiri potest. Stirpes enim, inquit, viuũt quidẽ, animalia vero nõ sunt. quod statim ipse probat, sensu inquit, quo sanè stirpes carèt omnes, animal à non animali determinari. & profecto ita res se habet. Animal enim à sensu naturæ suæ characterẽ capit: recurrũtq; nimirũ in sese ista, omne sensu præditum est animal, & omne animal sensu est præditũ. In eodem igitur subiecto animæ vires sunt istæ, id est in corde, quãuis inter se sint diuersæ. Et hęc sanè totius literę breuis & clara (vt arbitror) est expositio. Verũ ad manifestiorẽ illius explicationem nonnulla in præsentia alibi ostensa, hunc in locum non inutiliter trãfferenda esse duco: quorum sanè primum est vt ostendamus scilicet altricem animæ vim, quam nutritiuã vocant, in ipso proculdubio corde collocari. hoc autem procedamus modo: Nulli dubium esse debet, quod in præcedenti etiam ostensum est commentario, vitæ ipsius causas & quasi materiam quandam caliditatem esse & humiditatem, quæ cum naturales, tum connatæ ab omnibus appellari solent, sine quibus vita esse non potest. Porro has in cordis arce & primo esse, & præcipue reperiri, cum verax dicat ratio, tum ipse etiam attestari videtur sensus. Primum enim ex omnibus animalium partibus quod viuere percipiatur, ipsum est cor, & postremum quod intereat: quod etiam redundantĩ semper caliditate & humiditate sanè est plenissimum. siquidem ex illo ceu ex perenni quodam fontis initio omnes per vniuersum animalis corpus sanguinis deriuant riuuli: quem esse calidum & humidum, notius certe est quàm vt pluri indigeat declaratione. Cæterum cum animalibus vita sine alimenti opera diutius durare non possit (vt aliàs est ostensum) in corde etiam altricem animæ collocari vim summa est necessitas. Vbi enim vita est, ibi etiam conseruatricem illius reperiri facultatem, vero consentaneum sanè est. Quod etiam non minus declarare potest venarum ad singula corporis membra discursus, quæ in exiguas extenuatæ venulas, & in latentium postea sensumq; ipsum effugientium fibrarũ tenuitatem desinentes, vniuersum sanè animalis corpus perpetuo & vitali irrigant alimento. Quas certe omnes à cordis sinibus, quos ventriculos vocant, exordia habere sua, oculata percipimus fide. Ex ijs igitur quæ dicta sunt, non ab re quispiam existimare poterit altricem animæ vim, & primo (vt diximus) & præcipue in ipso reperiri corde. Ex ijs vero quæ mox adducẽtur, quiuis credere vtique poterit & pro certo tenere sensitiuam animæ potestatem in corde etiam collocari, & ab altrice illius vi haudquaquã separari disiungi q; posse. Si enim corrupto sensitiuo viuere non potest animal (vt & alibi ostensum est, & sensu etiam clarissime percipitur) si quidem seiugatæ istæ essent potestates, & sensitiuo per casum destructo, quiddam poneretur esse animal, quod tamen altricem in se contineret potentiam, viuere profecto illud istius præsentia: non viuere autem (vt dictum est) propter corruptum sensitiuum. idem igitur eodem in tempore simul viuere & non viuere animal. quo nihil impossibile esse potest magis: quod vtique eorum positionem sequi videtur qui serio forte, vel disputationis causa sensitiuam animæ vim ab altrice illius potentia secerni separari q; posse contendunt. Sensitua igitur vis ab altrice haudquaquam disiungi potest. Alia præterea via istuc etiam ipsum ostendi demonstrari q; potest. Si enim sensitua animæ potestas ab altrice separari potest, quæcunq; vtrasque has habent potestias, non vnicam sanè habere dicentur animam, sed duas: quod vel absurdissimum esse apparet. Cũ enim ipsa deperse & solitarie altricis animæ vis in stirpiũ genere ipsas animare possit arbores, in animalium etiam genere eadem per se altrix existens potentia, quæcunq; obtinuerit corporis partem, illã proculdubio anima participem reddet. Et rursus sensitua animæ vis ab altrice se-

Animal à sensu characterem accipere.

Altricem animæ vim in corde collocari.

Sensitiuam animæ potestatem cum altrice illius vi in corde constitui.

parata vbiunque collocabitur, suam certe ibi infundet animam. Duæ igitur in vnico animalis corpore erunt animæ ab huiusmodi distinctis potentijs infusæ. quod cum dictu sit absurdum, & erroris plenum, tum factu etiam non esse possibile animaduertitur. Nanque hoc modo erit animal quod aliter quidem, & non sentit, in quo scilicet solitaria altrix est potentia: & rursus quod sentit quidem, non autem nutritur, vbi seorsum sensitua reperitur vis. quæ certe res neq; imaginari neque omnino etiam bene fingi potest. Manifestum igitur est quod vbi sensitua animæ reperitur vis, ibi etiã altrix illius potestas necessario reperitur.



10 **Q**uoniam igitur singulorum sensiteriorum vnum quiddã commune est sensiterium ad quod sensationes actu necessario conueniunt: id autem medium est cum priorum, tum posteriorum partium: prior namq; dicitur pars vbi nobis sunt sensus: posterior vero quæ ei est opposita: præterea etiam cum viuentium omnium corpora per sursum & deorsum diuidantur: omnia namq; superius habent & inferius: quare stirpes etiam: manifestum sanè est quod in medio illorum altricis animæ principium constituetur. per quam enim partem cibus ingreditur, superiorem vocamus, ad ipsum scilicet respicientes, nõ ad vniuersum: inferiorem autem, per quam excrementum demittunt primum. Id autem contrario se habet modo in animalibus, & stirpibus. Homo enim propter rectam stature conformationem ex animalium numero superiorè potissimum habere contingit partem ad id quod in vniuerso est sursum: alijs vero intermedie. ipsis autem stirpibus, quæ loco nõ mouentur, alimentumq; de terra capiunt, necessarium est inferius hanc ipsam semper habere partem. Radices enim in stirpibus proportionem respondent ei quod os in animalibus appellatur: per quod illæ quidem alimentum de terra capiunt, hæc vero ex se ipsis.

30 **I**n præcedenti (vt vidimus) literæ contextu ostēderat philosophus altricem animæ vim cum sensitua eiusdē potestate in vna & eadem animalis reperiri collocariq; parte: quæ sanè vires nunquã vbi ambæ reperiuntur, seiungi determinariue possunt, ita q; subiecto quidem eadē sunt, esse vero diuersum, & rationem sanè aliam habent: nosq; partem illã cor esse diximus, & nõnullis etiã id rationibus cõfirmauimus. Hoc autē in textu id ipsum philosophus vniuersaliori quadã ostētionis ratione facere videtur. Probat namq; altricem animæ vim in omni viuētium genere in parte sanè constitui illa quæ media nimirum est inter summum & imum, siue sursum & deorsum: quam certe in animalium genere non cõmemorato vocabulo ipsum intelligi vult cor: in stirpibus vero quippiã quod cordi proportionem respõdet. Sũpta autē videtur esse ratio cū ex ijs quæ in cõmētarijs de anima sunt demonstrata, tum ex nõnullis etiã quæ in libello de sensu & sensili fuere declarata. Hoc autē procedere videtur modo: eadē est pars per quã sentiunt & aluntur ea quæ vtrũq; facere possunt, & quibus vtrũq; est cõcessum: sed pars ea qua primo sentiunt, est in medio corporis interstitio, anteriorũ scilicet & posteriorũ, necnõ superiorũ & inferiorũ partiũ cõstitutata: pars igitur illa per quã primo aluntur quæ ali & nutriti nata sunt, in medio certe partiũ illarũ interstitio cõstitui & collocari debet, imò cõstituitur & collocatur: sed huiusmodi altricis animæ est principium: vniuersi igitur corporis medium id profecto obtinebit principium. Huius autē rationis maior quidem propositio in præcedenti (vt vidimus) probata fuit textu: minoris vero probationē hoc in loco magis signat quàm exprimat. Dicit enim partiales sensus omnes ad vnicũ cõmunẽ sensum referri, qui sanè tũ illorũ recipit alterationes, & veluti denũciationes, tũ inter illos diiudicat & discernit, differentiamq; inter albũ (verbi gratia) & dulce cõprehendit: & omnino omniũ operationes sensuum (quod nullus partialis de se ipso facere potest sensus) perpendit sanè & diiudicat. Hũc autē sensum in medio collocari cum anteriorũ & posteriorũ partiũ, tum superiorũ & inferiorũ, id est in ipsa cordis arce, & alibi est ostensum, & hĩc etiã nihil prohibet (vt arbitror) declarari, hoc maxime modo: Primũ & proximũ mouens cum eo quod proxime & primo mouetur, simul certe esse debet: sed in animali mouens proximum & primũ ipse communis est sensus: 50 primũ vero motũ est cor: cõmunis igitur sensus cum corde & in corde proculdubio esse cõfetur. Et hĩc

Quod nutritiuum & sensitiuum in media corporis collocatur parte.

Communem sensum aliorũ omnium arbitriũ in media corporis parte collocari.

est sanus (vt mihi videtur) literæ istius intellectus, cuius omnis à principio statim pendet sententia vsque ad locum illum vbi dicitur, Manifestum sanè est quòd in medio &c. quæ totius literæ est reditio, in qua quæ priores in animalibus sunt partes dicit, & quæ posteriores: tum etiam quæ superiores, & quæ inferiores: priores siue anteriores appellans illas vbi sensuum organa reponuntur, posteriores vero illis oppositas partes: & rursus superiores vocans partes, per quas alimentorū est ingressio: inferiores, vero à quibus excrementi primi est deiectio & egressus: primum (vt arbitror) vocans excrementum quod ex prima esculentorum concoctione excernitur, quod sanè in animalium genere in ipso primum fit stomacho, cuius exitus à postrema animalium cernitur sede: in quibus sicut os cum supernis corporis facit partibus, imò ipsum superiores proculdubio sibi propinquas efficit partes: ita sedes, quam anum vocant, circumiectas sibi partes & esse & appellari facit infernas. Vbi etiam cōsequenter dicit in homine quidem summum & imum, id est sursum & deorsum, ijs quæ huiusmodi sunt in vniuerso partibus correspondere & rite quadrare. In stirpibus vero contrario id se habere modo, cum ipsarum sursum & deorsum sit vniuersi. Radices enim stirpium sanè sunt ora, cum per illas succum quo alantur, capiant: deorsum vero stirpium ad vniuersi sursum spectare videtur. Alia vero animalia intermedie se habere dicit, id est medio quodam se habere modo inter homines & stirpes. nancq; sursum & deorsum habere visuntur suum ad laterales cæli vergentia plagas, ad orientalem scilicet & occidentalem, necnon ad meridiem & septentriones, quocunq; illa verti & prospectare cōtigerit. Cæterum quoniam hac de re in commentario de animalium progressionem verba fecimus, eaq; pro temporis captu abunde satis (vt arbitror) explicauimus, in præsentia ne impedio prolixiores simus, de illa finem faciemus, si lectorem tantum admonuerimus, in hoc & in præcedenti etiam textu præclare à philosopho fuisse demonstratum altricem animæ vim in animalibus quidem omnibus in loco collocari medio cum priorum in ipsis & posteriorum, tum superiorum & inferiorum partium, id est in ipso corde: in stirpium vero genere, quæ sanè neq; antè neq; postèrius habent, quoniã neq; sensus habēt, à quibus sanè hæc characterem accipiunt loca, eandem altricem animæ potestatem in interstitio collocari illo quod medium sanè est inter supernas infernasq; stirpis partes, quod animalium cordi proportione respondere iure contenderim: qua de re ipse etiam mox verba faciet.

Bruta anima
lia inter ho-
mines & stir-
pes medio se
habere modo.

Cum autem tres sint partes per quas omnia perfecta determinantur animalia: vna quidem qua alimentum capiunt: altera autem qua excrementa deijciunt: tertia vero quæ inter vtrâque est media: hæc sanè in maximis animalibus pectus appellatur: in alijs autem proportione quippiam illi respondens. Distincta autem isthæc magis est pars alijs quàm alijs. Quæcunque autem illorum gradientia sunt, ad eiusmodi ministerium adiunctas habēt partes, quibus totam ferant molem, crura scilicet & pedes, & quicquid his similes habet vires. Cæterum altricis principium animæ in trium medio collocari partium, cum sensu, tum ratione perspicuum est. Pleraque enim animalium vtrisque ablatis partibus, ea scilicet quæ caput vocatur, & ea quæ alimentum recipit, cum ea sanè viuunt in qua fuerit medium. Manifestum autem id est accidens in insectis, vt vespis & apibus: & in ijs etiam quæ ex insectorum genere non sunt. Diuisa nanque pleraque viuere possunt propter altricem animæ potestatem.

Clarissima est
se sensus ius-
dicia.

Prosequitur Aristoteles in ijs etiam declarare & ostēdere altricem animæ vim in parte viuētis media collocari, in corde scilicet, vel in aliquo quod cordi proportione respondeat: primumque sensus hac in re testimonio vtitur, cuius vel clarissima ostensionis sunt indicia: propter quod dicitur. Certissimus arbiter est oculus. Posteaque etiam id ipsum rationibus quibusdam demonstrabit. Prius autem quàm hoc aggrediatur, mediæ illius partis nomen recenset. nam extremarum vocabula partium vel præmisit, vel intelligi nobis permisit, superioris quidem os, inferioris autem sedem siue anum, & omnino loca illa vnde superfluitates excernuntur & excrementa. Hæc autem mediam partem in perfectis sanè & magnis animalibus pectus appellari asserit: in alijs autē, id est in animalibus imperfectis, & in viuētium etiam omnium genere, nullum sanè illi est impositum nomen, sed locus solum designatus siue pars quæ pectori proportione respondere possit. Hanc autem partem mediam cum magis, tum minus distinctam insignitamq; dicit esse in alijs & alijs, vt scilicet vel per

fectiora sunt, vel imperfectiora animalia, corpusque organizatum magis aut minus habent. ad quod euidentiùs declarandum statim subiungit, quæcunque animalium sunt gradientia, quod eo in genere perfectioribus sanè contingere non est dubium, illis certe ad tres illas principes partes, summum, imum, medium, alias etiam additas esse quasdam quibus corporis vniuersi molem sustentent & deferant, quas crura & pedes vocat, in perfectiori scilicet animalium genere: in alijs autem id esse asserit quicquid horum virtutem potestatemque & similes habere cernitur vires: vt in insectorum genere, & plerisque reptantium, in quorum huiusmodi partibus, pedum crurumque nomine, similitudinis proportionisque gratia licenter abuti solemus. His præmissis, & hoc constitutis modo, euidentià (vt diximus) à sensu capta, ostendit altricem animæ vim in media duarum illarum collocari partium, quam sanè in perfectioribus animalibus pectus appellauit, in alijs autem quippiam illi proportionem respondens. Dicit igitur quod cernere licet animalia plerumque detractis vtrisque partibus, capite scilicet & ea quæ infra pectus est portione, quæ alimentum capit, est autem inferior aluus, perdurare & viuere cum portione illa in qua fuerit medium, ipsum videlicet cor, vel quod illi proportionem respondet. In media enim parte illa, pectore scilicet, ipsum est cor, quod vitæ sanè principium & domicilium esse censetur. Si igitur aliæ quidem partes intereunt, aut non adeo perdurât, media autem in qua est cor, aut quippiam cordi proportionem respondens, non interit, aut diutius perdurare potest: palàm profecto est viuendi causam, id est altricem animæ vim, in medio, id est in corde, vel in proportionato illi quopiam, constitui & collocari. Hoc autem manifeste apparere dicit cū in ipsis insectis, vt vespis & apibus: tum in plerisque alijs quæ ex illo non sunt genere, vt in lumbricis (verbi causa) cum terrenis, tum aquatilibus, lacertis præterea & anguillis, alijsque plerisque huiusmodi animalibus, quorum abscissæ portiones aliquādiu viuere & durare possunt: non sunt autem huiusmodi ex genere insectorum, quoniam videlicet incisuris tenui coherentibus fistula insignitum distinctumque non habent corpus.

Lumbricis,
Lacerti,
Anguillæ.

Huiusmodi vero partem actu quidem vnam habet, potestate autem plures. eo enim, quo stirpes, constant modo, stirpes namque defecte separatim viuunt, & ab vno principio multe fiunt arbores. Quam vero ob causam eæ quidem defectæ viuere nequeunt, aliæ autem transferuntur stirpes, alius erit sermo. Cæterum hac in re simili sanè se habent modo stirpes, & insectorum genus. Necessarium autem est altricem animam actu quidem in ijs quæ illam habent, esse vnam, potestate vero plures: simili modo principium sensitium. Sensum enim habere videtur ea quæ præcisa sunt: verum ad conseruandam naturam stirpes quidem facultatem habent, illa autem id præstare nequeunt, quia instrumenta ad se conseruandum haudquaquam habent: & alia quidem eo per quod alimentum ingeratur, carent: alia vero eo quod id recipit: nonnulla autem cum alijs, tum ijs etiam vtrisque. Simili enim se habent modo huiusmodi animalia, tanquam si plura simul animalia cohæreant.

Quoniam circa præcedentis finem literæ determinauit ostenditque philosophus altricem animæ vim in medio pectoris collocari, id est in corde animalis, vel ea in parte quæ illi proportionem respondet: dixitque id sensu ex insectorum diuisione posse percipi, quorum vtrinque resectis partibus, superioribus scilicet & inferioribus, media illorum portio in qua altrix (vt diximus) degit anima, viuunt, & aliquādiu etiam perdurare potest: sed quoniam aliæ etiam partes viuere & motari cōspiciuntur, id autem non nisi ab altrice animæ vi procedere potest: iccirco hoc in textu à principio statim huiusce rei veram adducit causam, dicitque partem illam, id est vim animæ altricem in eiusmodi animalibus quorum defectæ viuunt partes, actu quidem vnā esse, potestate vero plures, cum integra scilicet illa sunt animalia: actu vero eadē plures efficitur vis, cum animalia illa præciduntur: cū quo tamen stat, id quod verissimum sanè est, vim illam altricem primo in corde constitui, aut in ea parte quæ cordi proportionem respondet, à quo postmodum per vniuersa corporis disseminatur diffunditurque mēbra, non alio sanè rationis modo, quā sensitua potestas à primo sensituo ad omnia sensitiorum deriuare organa censetur. Quod autē huiusmodi animæ vis actu sit vna, potestate vero plures, eo vt dictum est modo, declarare ostenditque aggreditur philosophus, similitudine de stirpium natura sumpta. Cōuenire etenim videntur cum stirpibus insecta animalia, quoniam resectæ in vtrisque viuere possunt partes eandē ob causam, propter altricem videlicet animæ potestatem. Qua de re ipse & in ijs qui de anima inscribuntur cōmentarijs, & in præcedenti etiam de longitudine & breuitate vi

Altricem animæ vim actu vnā esse: potestate plures.

Stirpium & insectorum conuenientia & differentia.

Cur in stirpiū
genere quadā
solo semine
proveniunt:
nōnulla vero
auulsione aut
furculo.

Theo-
phrastus.

Quōd infe-
ctorum recisā
partes sen-
sum nō amit-
tant.

Cur insectorū
recisā partes
diu viuere ne-
queant.

rae libello, plura differuit, & nos eo in loco de ijs quæ non bene proueniunt semine stirpibus, sed auulsione aut furculo trāfferuntur & propagātur, pro loci tēporisq; captu cōuenientes satis (vt arbitror) fecimus sermones, ad quos haud magna cum re studiosus recurrere potest lector. Hoc similitudinis enarrato modo inter stirpes & insecta animalia, philosophus ab insurgēte quadam ex ijs quæ dicta sunt quæstionis disquisitione, quā non immerito industrius asserere posset lector, paucis se absoluit, illamq; dicit præsentis non esse negotij, sed ad aliū pertinere locum. ea autē est, quamobrem in stirpiū genere eæ quidem translatae auulsione (vt diximus) aut furculo, viuunt, & ex sese magnas & multas producere possunt arbores: alia autem non viuunt, sed intereunt, quæ semine scilicet in plātarijs, & non furculo aut auulsione prouenire natae sunt: quales dicuntur esse abies, picea, pinus, eiusmodique complures alia arbores. Hæc (vt diximus) quæstionē hic non dissoluit philosophus, sed aliō nos reijcit, id est ad commentarios de stirpibus. Legitimus autem eius discipulus Theophrastus in primo de stirpium causis commentario, huiusmodi soluendæ quæstionis ansam nobis præbuit, cuius (vt arbitror) non erit malum verba apponere, quæ Gaza interprete hac de re illo facit in loco. Postquam enim dixit arbores omnes semine prouenire posse, nihil tamen obstare plerasq; alio etiam prouenire posse modo pro peculiari cuiq; natura, hæc ad verbum subiungit. Quæ enim sicca sunt & simplicia, minusq; plantigera: hæc nullum ferendi genus admittunt. neq; enim auulsionis, neq; rami auulsionis inquam, quoniam quæ simplicia excunt, carent eo quod auellere possis: Rami vero & furculi, quia sunt siccissima. Semper enim quod germinaturum est, aliquē humorem habere ingenitū, eundemque seruare posse oportet: quod quidem à natura siccis negatum penitus est. Hæc enim ubi dēpta ex arbore sunt, quā primum difflantur, euaporanturq;, & simul omnē calorem sibi innatum amittūt. Hęc ob huiusmodi causas nequeunt germinare. Cætera nimirum queunt, quæ media quadā temperie caloribus humorisq; constant, valentq; humorem caloremq; sibi insitum diutius conseruare. Quapropter non solum auulsione, verum etiam summis ramulis pleraq; facile pullulare queunt, vt ficus, vitis: & inter steriles, & aquarū præuidas, salix, sambucus, populus. Hæc ille. ex quibus profecto facile ad supradictam responderi potest quæstionem, q; arbores scilicet illæ quæ suapte natura siccae sunt, paulumq; humoris habēt innati, & illum diffabilem, & qui facile euaporet, neq; auulsione, neq; furculo prouenire possunt. Auulsio namq; ex ijs fieri potest nulla, vt ait Theophrastus. namq; siccitate sua & humoris inopia à radicibus pullulos non emittunt, qui cum matris corpore possint euelli. Vnicaules enim ferē huiusmodi sunt arbores: decisisq; furculi germinare nequeūt, aut diutius viuere. nam exigū ex ijs subito difflatur & exhalat humidum, cum quo innatum nimirum abscedere calidum necesse est, in quibus solis vitæ causam altricem animæ vim degere sæpenumero est ostensum. Translatione igitur siue transplātatione arborum istarum non propagātur partes, quoniā viuere diutius à matre ablatae nequeūt: illorū vero quibus cōstans magis & copiosius est humidū, quia recisæ diutius viuere possunt partes, innatumq; custodire calorē valēt, in quibus altrix nimirū degit vita, propagatio fieri cernitur non solum auulsione, sed etiā summis decisis ramusculorū furculis, & terræ infixis, vt in ijs quas protulit ille plantis, alijsq; plerisq;, & omnino in vniuerso ferē arbustorū ominū genere manifeste animaduertere licet. Et hęc sanè pro quæstionis dissolutione in præsentia dicta sufficiant. In littera autē illa, Quā vero ob causam eę quidē diuisæ viuere nequeunt, alia vero trāfferūtur stirpes: illud transferuntur siue transplantātur, idem est ac si esset dictū, aliae viuūt. translatae enim illæ quas diximus plantæ, nedū viuunt & germināt, sed ex sese multas etiā propagare valēt arbores. Post hæc philosophus à similitudine quā habere dixerat insecta animalia ad ipsas plantas, circa altricē scilicet animæ vim, in qua ceu viuētia ambo nimirū isthęc cōmunicare videntur genera, ad animalium se refert genus, dicitq; sensitiuā potētiam simili se habere modo in ipsis insectis, vt altrix animæ vis se habere visa est cū in stirpiū genere, tum in ipsis etiā insectis. Vt enim illa in viuētium genere actu quidē est vna, potestate vero plures: sic sensitua animæ potestas in genere insectorū se habere videtur. Integris enim illis actu vna est, potestate plures: quæ tamen ijs præcisus actu plures efficitur. quolibet enim ex illis recisa portio & viuere & sentire percipitur si quis digitū illis admouerit, aut offensaculū quoppia opposuerit. Et ego aliās à puero quodā bifariā scissam vidi locustam, vtriusq; quidem partibus à principio stare: postea vero q̄ ille extremos pedūculos qui in posteriori corporis erāt parte, digito cōtingere tentauit, portionē illā proculdubio sentiētē resiliere percepi. Istuc ipsum in corniculis etiā insectorum quorūdam animaduertere licet, quæ ablati etiā micātia capitibus si cōtingantur, illo sanè cōtrahūtur cōtactu, & in sese recurrere visuntur, vt cū integrum id erat animal. Sensitua igitur animæ vis, quæ ante præcisionē vna dūtaxat actu erat, plures vero potestate, defecto animali actu nimirum fit plures, & in qualibet illius portione esse cēsetur. Verum ad suam, inquit, cōseruandā diutius naturam recisum in frustra insectorum non valet genus. Plantæ autem valent, quæ sese propagare (vt diximus) & translatione augere multiplicareq; possunt. Cuius sanè rei causam hoc in loco in insectis quidem assignat: in stirpium vero genere nō assignat. Dicit enim insecta diutius perdurare non posse recisa, neq; viuere, quoniā portiones illę organa nō habēt pro illorū salute cōseruationeq; faciētia. à quo enim portio frustra ablatū est caput, id illi nimirū deficit mēbrū quod alimēti recipere debet: escas illi vero recisæ parti cui vētriculus deficit, id certe ablatū videtur esse mēbrū in quo receptæ sanè recodūtur escæ, vt ibi cōcoctæ & digestæ vniuersum postea nutrire queāt animal. Quoniā igitur ab altrice animæ potestate vitę ipsius emanat causa, hęc autē huiusmodi vtitur instrumētis, palām est quā

10

20

30

40

50

60

ob causam infecta diuisa etsi viuere aliquādiu possint, diutius tamē viuere nō possunt. Illud autē, alia vero cum alijs, tum ijs etiā vtrisque, appositū mihi videtur propter recisas insectorum partes, vel aliorū etiā animalium, vt de reptiliū diximus genere, in quibus neq; os, neq; venter, neq; cor siue quip; piā illi proportione respondēs reperitur: vt (verbi causa) si lacerti abscindatur cauda. Defectu enim cum oris, tum ventris & cordis frustum illud diutius viuere non potest. Secus autem in stirpium di- cit esse genere: nanq; auulsæ illarum plātæ, siue ferro recisæ, & in terram demissæ, propagātur & cres- cunt. Cuius rei hoc in loco non affert (vt diximus) causam, quoniā in superiori, vt arbitror, de lōgitu- dine vitæ libello illam prius adduxerat: vbi etiā cur recisa infecta viuere nō perseverēt, nos planē do- cet. Sunt autē eo in loco hæc illius ad literā verba: Similes autē sunt stirpes ipsis insectis, vt dictum est
 10 prius. diuisæ nanq; viuunt, duosq; & multa denuo sūt: verum infecta ad vitæ vsq; actum perueniunt, multum vero temporis durare nequeunt. non enim habent instrumenta, neq; illa efficere potest prin- cipium quod in vnoquoq; est. id autem quod est in stirpe, potest. vbiq; enim radicem habet & caudi- cem potestate &c. Ex quibus sanē de ipsius mente clarissime patere potest tam in recisis stirpiū sur- culis, quā in frustulis insectorum diuisis, omnia non adesse instrumenta quæ ad illarum vitæ con- seruationem faciunt: quia tamen principium quod est in plantis, id est alitrix illius, siue animam, siue vitam appellare eam malimus, illa reparare & efficere ex sese valet: iccirco viuunt stirpes, & præcisi earū repullulant surculi, radicemq; fibrulas ab ipsa recisione producere visuntur. Infecta vero recisa, quoniā id quod in illis est principium, id est animæ virtus, neq; os fabricare potest in frustis illis, neq; cor, neq; ventrem, diutius viuere nequeunt: viuere tamen præcisa possunt infecta (vt hoc inquit in lo-
 20 co) quoniā similia sunt animali ex multis cōstituto cōpositoq; animalibus. quod etiā in libello de ani- maliū incessu dixerat. quēadmodū enim, vt narrāt fabulę de Gerione, si duo quidā homines cōiunctis adherescētibusq; nascerētur dorsis, ij à se inuicē postea diuisi aliquandū viuere possent: ita similitudi- nis hinc sumpta euidētia, huiusmodi quippiā existimare de ipso insectorū licet genere, cuius quelibet pars ceu solitariū de per se videtur esse animal: quāobrem diuisæ etiā de per se viuere possunt partes.

Insectorū ge- nus veluti ex multis ani- malibus esse cōpositum.

QVæ autem optime constituta sunt animalia, istuc minime pati videntur, quoniam illorum natura quoad eius fieri potest maxi- me est vna: quamobrem nonnullę partium præcisę exiguum sa- nē ostentant sensum, quoniam animale quandam retinent affectionē. Ablatis nanque visceribus palpitant, vt testudines exempto corde.

30 **D**ifferentiā hoc in textu sensui patētem recenset philosophus optime constitutorū animalium, id est perfectiorū, quam ad insectorum habēt genus: cuius etiā assignat causam. Dicit enim per- fecta animalia, vt homo scilicet est, & equus, & bos, nō pati hoc, id est nō posse diuisa & secta viuere, vt insectorū perstare potest genus, quoniā illorū vt maxime fieri potest, vna est natura, & nō multę, id est quoniā vnūquodq; illorū vnicū est animal, & nō veluti ex multis cōstitutum animalib;: qualia diximus esse infecta: quāobrem, inquit, quædā ex illis recisæ partes exiguū faciūt & ostētāt sen- sum, id est vel exigue admodū & obscure penitus sentiūt: & nō vt insectorū recisæ partes, quæ mani- feste sentire percipiuntur. Vel potius faciūt sensum, id est exiguū & imbecillē se spectātibus faciunt sensationē, q; recisæ scilicet viuunt. Exiguas enim & debiles quasdā ostētāt palpitationes, quæ cito desinunt: quoniā (vt ait) animalis in ijs præsens magis cēsetur esse passio quædā & affectio, q; animæ præsentia sensitivæ: quā certe decisis insectorū portiunculis adesse nulla est cōtrouersia. Quāto igitur differunt affectiones & passionēs ab ijs quorum esse dicuntur affectiones & passionēs, tanto per-
 40 fectorum animalium præcisæ partes in sentiēdi opere ab ipsis insectorum distare certū est partibus. Multū autē quantū differt à suis affectionibus & passionibus anima. Rationabiliter igitur plurimū is distabit sensus qui cōiunctim & immediate ab ipsa fit anima, vt is qui in præcisis insectorū cōspici- tur partib; ab illo qui ab illius resultat affectionibus & passionib;: qualis sanē in animalium trūcis per- fectorū animaduertere licet. Et ideo inquit optime cōstituta illa animalia separatis plerūq; viscerib; motū facere & palpitare. nonnulla enim ex illis cernere cōtingit exenterata & viscerib; carētia ad bre- ue saltē tēporis spatium palpitare: & nos aliquādo cōspeximus iugulatū & euisceratū porcellū motari quodāmodo, & veluti micare, & quibusdā cōtremiscere partibus, nō quidē animæ præsentia sensitivæ, quæ sanē tūc aderat nulla, sed affectione passionēve quadam ab illa infusa quæ adhuc restabat in mēbris. Materialis enim affectio vt vniuersa abscedere possit, aliquo certe tēporis indiget spatio: ipse autē hoc in loco dicit id ipsum testudinib; accidere, q; exēpto corde adhuc palpitēt & motētur, eādē ob causam, id est animalis præsentia passionis siue affectionis adhuc exempto corde in illis restantis.
 50

Perfectiora animalia nat- tura vnitatē maxime habere.

Materialis af- fectiones cū abscedentes tū accedentes tempore indigere.

Ræterea in stirpibus & in animalibus id palam est: & in stirpi- bus quidē, si productionē ex femine, tum insitiones & trāsplāta- tiones animaduertere voluerimus. Ex feminibus nāq; generatio
 v. iij.

omnibus cōtingit à medio. Cum enim biualua sint omnia: qua cohærent, continetur, & medium vtrarunq; est partium. Hinc etenim & caudex pullulat, & nascentium radix. Principium autem illorum est medium. In insitionibus etiã, & trãsplantatis id ipsum maxime contingit ipsis truncis: quãdoquidem rami simul principiũ & mediũ ipse est truncus: quãobrem aut illũ auellũt, aut illi inserunt, vt vel ramus vel radices ex illo proueniant: tanquam principium quoddam sit à medio caudicis & radice.

Propositũ est philosopho (vt retro etiã vidimus) demonstrare altricẽ animæ vim, quæ vniuerso viuẽtiũ generi vitæ actũ suggerit, in medio corporis animalium collocari, id est in corde, vel in alia qua huiusmodi parte quæ cordi proportionẽ respõdeat: idq; ipsum aliquot retro assequutus est ipse rationib; quib; (vt ex alijs plerũq; alia pullulãt) sermonis decursu cõueniẽtias quasdã differẽtias que adiũxit, per quas cũ dissentire à se inuicẽ, tũ cõuenire plãtarũ insectorũq; naturẽ animaduertitur. Denuo igitur ad constitutũ redit negotium, probationeq; de sensus euidẽtia recepta ostendit virtutẽ animæ altricẽ cum in ipsa stirpiũ natura, tum in animalium etiã genere in medio reperiri: primoq; de ipsis agit stirpib;. Cũ autẽ illarũ triplices ferẽ generationis animaduertãtur esse modi: aut enim semine pueniũt: aut auulsione: aut insitione: hos omnes in prẽsentia recẽset philosoph; & ostẽdit, id quod oculata etiã cernitur fide, in vnoquoq; illorũ productionis & generationis initia ex medio sanẽ pullulare & emergere. Vbi autẽ prima est productio & generatio, primã etiã esse nutritionẽ certũ est. In plantarũ igitur omnium medio altricẽ collocari animæ potestãtẽ illarũ vitæ causam, cum clarissimũ, tũ etiã indubitatẽ esse fidei videtur. Dicit igitur productionẽ siue generationẽ omnibus, eam scilicet que ex feminibus fieri animaduertitur, ex ipso sanẽ cõstare medio. Cũ enim malus ex mali, & pirus ex piri producat genereturq; semine, illarũ certe generatio & productio ex illis sit medijs. Nã cũ omnia femina sint biualua, id est bifariã suapte natura diuisa, licet partes illẽ vnico & perpetuo superinducti corticis velẽtur inuolucro, ex medio certe illo interstitio vbi geminæ vniũtur partes, cũ plãtarũ pullulãt caudices, tũ ipsarũ cõformãtur radices. In ipso igitur medio, in ijs inquã quæ proueniũt semine, cõtinetur, id est inhabitat & degit alrix animẽ vis, de qua verba facim;, & vtrarũq; partiũ est media, id est duarũ illarũ valuarũ quas in feminib; esse dixim; omnibus. Inde enim (vt dictũ est) & ipse egreditur caudicis pullul; & eo sanẽ loci futurẽ posthac arboris radices cõformãtur & prodeũt. Hoc autẽ in primis seminũ germinationibus sensu manifeste cõprehendere licet, & mediũ illarũ esse principiũ animaduertitur: quod altricẽ sanẽ esse animẽ vim sæpenumero asseuerauimus: istoq; modo ei stirpiũ generationi & productioni que ex semine prouenit, attestari sanẽ videtur sensus: qui etiã hac eadẽ de re in trãsplãtationibus cũ auulsione fiũt, & in insitionib; id ipsum esse cõfirmat. Sũt autẽ per insitionẽ generationes proueniẽtes, cũ ex alia scilicet arbore ramusculi in alijs inserũtur arborib; vel eiusedẽ generis, vel diuersi, quarũ tenaci cõprehensi morsu suã posthac ex alieno faciũt vitã. Trãsplãtationes autẽ hoc intelligũtur loco, plãtarum generationes que auulsione fiunt, cũ scilicet rami à matre auulsi, siue à radice, siue ab alio corpore, in bene subactã transferuntur terram, qui viuere sanẽ & augetcere cernũtur, & ex sese proceras efficere arbores. In his igitur duobus stirpiũ generationis modis hoc idẽ accidere dicit, id est germinationes & pullulationes circa medium fieri & apparere: ibidẽq; principiũ reperiri, id est altricẽ animæ potestãtẽ. Truncus enim, inquit, principium quoddã est ipsius rami simul & mediũ. Pro quo animaduertendũ esse censeo q; ista in arboribus partiũ feruntur vocabula, Radicũ cespites, siue radices, quæ terra continentur: Stipes siue caudex, qui primo à terra surgit & erigitur: Trunci, qui à stipite scilicet vndiq; exeũt rami, veluti arboris ipsius brachia: Rami, tenuior truncorũ portio: Surculi, ramorũ extremitates, & tanquã desinẽtis iam arboris nouella germina. His ita constitutis, clara (vt arbitror) philosophi est litera. Dicit enim truncũ quoddã arboris esse principium simul & medium. æquiualeat nanq; hoc in loco cum principio medium. nam in medio altricis principium animæ reperiri demonstratum est retro, & idẽ etiam nunc agitur. est autem medium truncus ipsius rami, & stipitis siue caudicis, vt oculata percipitur fide, & ex pauloante dictis apparere etiam potest, necnon ex huiusmodi ostensionis ratione, quam ad clariorem philosophi sensum in expositis elementis adducere non dubitamus. Sit itaq; arboris stipes A B C: cuius truncus quidẽ sit B D E: ramus autem, trunci ipsius pars, D E. Hoc in casu truncus (vt videtur) cum ipsius rami est principium, tum etiam medium. medius nanq; rami & stipitis ipse est truncus. Quãobrem, inquit, in transplantationibus, & in ea quæ per auulsionem, siue plantæ decisione fit generatione, truncum quidẽ euellũt siue præciunt, & in rite subactã deponunt terram, ceu medium quiddam quod in se animẽ vim cõtinet altricẽ: reliquã vero illius partẽ, id est ramum, extra terram esse sinunt, qui postea à naturali sibi à defosso trunco subministrata vi pullulat, & surculos frondesque ex sese

Triplix in stirpibus generationis modi

Bifida omnia fere esse femina.

Insitio. Auulsio.

Partium in arboribus vocabula.
Radicibus.
Stipes vel caudex.
Truncus.
Ramus.
Surculus.



qui postea à naturali sibi à defosso trunco subministrata vi pullulat, & surculos frondesque ex sese

producit & generat. Et hoc sanè generationis modo ex malorum punicarum præcipue, ficorūq; ramis nouellæ surgunt arbores: necnon ex taleis vites oleæq; mira fertilitate proueniūt. In ipso autem infitionis opere, ramo falce reciso à trunci ipsius corpore, ipsoq; postmodum scisso, in illius rimulam cuspidatim decifus ex aliena arbore immittitur ramusculus, qui de alieno posthac viuens, & veluti in nobiliorem adoptatus familiam, generosos postmodum sui generis procreat fructus. In quo etiam generationis modo (vt clarissime patere potest) truncus ipse medius est inter insertum ramusculū, & arboris illi⁹ stipitē. Ab ipso igitur insert⁹ alitur furculus, vt prior decifus alebatur ramuscul⁹: altrixq; animæ vis, principium inquam vitæ, in illo nimirum collocari, & ex illo splendescere existimatur. Et iccirco subdit philosophus, vt vel ramus, vel radices ex illo proueniant. Ramus quidem, vt in infitionibus manifeste percipitur, vbi pro reciso ramusculo, ex altera sanè arbore in truncum coniecti germinant furculi. Radices vero, vt in translationibus ex auulsione, quas etiam trāsplantationes vocant, vbi decifus (vt diximus) siue auulfus ab arbore truncus, & in terram deiectus, humescit primo, mox radicum ex sese germinat & producit fibras, quæ extra terram stantem ramusculum cum deceter alere, tum etiam in magnam producere valent arborem. His ita positis & ostensis, conueniēti sanè textum huius de stirpium generatione claudere videtur sine. Nam sicut, inquit, in auulsionibus & infitionibus vitæ principium in medio rami & caudicis esse percipitur, ita in totius arboris natura id ipsum principium, id est altrix animæ vis, in medio radicum caudicisq; interstitio nimirum collocatur: & ad summam in omni viuentium genere medium semper vult obtinere.

Principium
mediū fern
per vult obtie
nere.

IN animalibus autem sanguine præditis cor primum formatur. Hoc autem palam est ex ijs quæ cum adhuc fierent, nobis videre contigit. Quamobrem & in ijs quæ sanguine carent, id quod cordi proportionem respondet, primum gigni est necessarium. Quod autem cor venarum sit principium, & in ijs quæ de animalium partibus sunt commentarijs dictum est prius: necnon quoniam sanguis ijs qui eo sunt præditi, vltimum est alimentum, ex quo fiunt membra. Manifestum igitur est quod vnam quandam in conficiendo cibo operam oris potestas subministrat: alteram vero ventris ipsius vis: cor autem præcipuum est, & finem imponit. Quapropter & sensitivæ & altricis animæ principium animalibus sanguine præditis esse in corde necesse est. Aliarum enim partiū operæ in alimento, huius sunt gratia operæ. Oportet enim id quod præcipuum est, ad id cuius gratia est persistere, & non in ijs quæ sunt huius gratia: vt medicus ad sanitatem. Sed profecto quod præcipuum est sensuum in sanguinem habentibus omnibus, in hoc est. Necessarium nanque est omnium sensiteriorum in hoc commune esse sensiterium.

Quoniam retro (vt vidimus) dixerat philosophus manifestū esse altricæ animæ virtutē & in ipso stirpium genere, & in animalibus in ipsorum medio collocari, idq; pluribus ostenderat rationibus indubitatae esse fidei in ipsis stirpibus, id ipsum in animalibus etiā esse euidentibus probationū declarat indicatijs. Eo autem in genere à sanguine præditis initiū non ab re facit, quoniam & perfectiora sunt illa, & ostensionum magis expressas capiunt probationes. Quo etiam in loco (vt retro fecerat) nonnihil sensus testimonio vtitur, cuius sanè validum (vt diximus) in huiusmodi rebus videtur esse iudiciū. Dicit igitur q̄ in sanguine præditis animalibus inter omnia alia membra primū formatur cor, quod cum ex alijs multis, tum ex ijs palam esse debet quæ in ipsis generationis exordijs, dum adhuc animalia fiunt, videre contingit, vt omnis quotidie experitur vita. Namq; genitale viri semen muliebres subintrās locos, à virtute secum ingressa in spiritum cōuertitur, qui in prolificum mulieris agens semen, siue menstruas illius humiditates, in illis sanè pro sui domicilio tenuē quādam cōformat vesiculā, quā esse futuri animalis cor omnes sanè autumant physici. Prima igitur sine controuersia in animalibus sanguine præditis cordis est conformatio. Quare & in illis etiā quæ sanguine carent, non solū vero est consentaneū, sed etiam necessariū, particulā illā quæ cordi proportionem respōdet, omnes alias corporis partes in generationis præuenire primordio. Perfectiora enim animalia in eiusmodi re de imperfectiorib⁹ indubitata sanè astruere debēt fidē. Ceterū cū cor ipsum parve quæ illi proportionem respōdet in animalium genere, & medium obtineant locū, & primo viuere

Quomodo
plamentus
animalia.

v. iij.

conspiciantur, altricem animæ vim, quæ à sensitua (vt vidimus) in animalibus non seiugatur potestate, medium obtinere locum summa est necessitas. Cor enim quod primum in animalium genere viuit, & primo nutritur, in medio cum priorum & posteriorum, tum superiorum & inferiorum necnon dextrorum & sinistrorum manifestò esse percipitur. Et hæc est clara (vt arbitror) ostensio quæ hoc in loco magis innuit, quæ exprimat philosophus demonstrans altricem animæ vim in animalium collocari medio. Verum ipse hic alia etiam instat via id ipsum ostendens. Dicit enim venarum originem ipsum esse cor, quæ per vniuersum animalis disperguntur corpus. seq̄ istuc ipsum demonstrasse in ijs commentarijs qui de animalium partibus inscribuntur. Cui sanè addendum est id etiã fecisse in tertio de animalium historia libro, necnò in ijs qui de generatione sunt commentarijs. His enim in locis à sinistro cordis sinu quem ventriculum vocant, cum arteriam quæ aortam appellat, tum venam magnam originem habere affirmat, per quas ceu per canalium fistulas quasdam sanguis in corde decoctus, vltimum inquam membrorum alimentum, ad diuersas corporis deriuatur partes, quibus cum alimenti subsidio vitalè etiam animalèq; importat & cõuehit spiritum, quibus postea cum augetur alunturq; animalis membra, tum viuunt & sentiunt. Verum hic postea triplicis ciborum digestionis cõcoctionisq; philosophus meminit. Namq; primã in ore fieri dicit cum mastiçatur molliunturq; cibi: secũdam autem in ipso fieri ventre, quæ stomachum recentiores vocant medici, vbi humescunt conficiunturq; coniecta cibaria: tertiam vero in ventriculis fieri cordis asserit, vbi genitus decoquitur sanguis, purusq; & syncerus efficitur, & ad nutrienda posthac membra fit aptus & efficax. De quarto autem digestionis modo qui in iocinoris fit corpore, hoc in loco nullã facit mentionem, vel quia vniuersum nimirum id cordi ascribit opus: vel quia illud sanguinis appellat nomine, qui vltima & exactissima concoctione in corde tanquam aurum obryzum in nouissimo fornacis camino depuratur. Neq; hoc ab re me equidẽ, quãdo confectus in iocinore sanguis plurimis scatet superfuitatibus & excrementis. Namq; de illo quod sanè est aquosum, ad ipsos decolat renes: quod vero crassum est & acre, cuiusmodi atra est bilis, ad lienis amandatur receptacula. cholericæ vero illius & biliosa portio, felis vesicæ delegatur, vt purior postea cordis intret penetralia, à quo examinatus (vt diximus) & nobiliori coctura insignitus, animæq; characterem accipiens, posthac spirituum cum animalium, tum vitalium contubernio, per venarum quaqueuersus sparsas & deriuantes fibras membris omnibus alimentum præstat & vitam. Quamobrem non immerito in textus litera dixit philosophus in hoc confectiois opere principalissimas esse cordis partes, in hocq; consummatum expleri illius finem. Cum quo stare etiam potest, id quod medici confirmant, sanguinis in iecore substantiam generari, dummodo intelligatur illum non esse purissimum & defecatissimum, ita vt membris omnibus alimentum vitamq; præstare possit. Quam sanè rem ab ipso (vt diximus) accipere corde cum ipse hoc in loco philosophus asserit, tum retro dictæ & post etiam dicendæ rationes de virtutè animæ altrice & sensitua in cordis arce collocatis, fidem proculdubio afferre possunt. Cõcludit igitur philosophus ex ijs quæ dicta sunt, vim animæ altricem, & sensituum illius principium necessario in ipso collocari corde. cum enim in illo vltimũ fiat nutrimentum (vt ostensum est) & vbi vltimum nutrimentum, ibi est nutriens primum: vbi autẽ nutriens est primum, id est alrix animæ vis, ibi etiam est primum sensituum, vt retro est demonstratum: vbi certe vltimum est nutrimentum, ibi istæ proculdubio animæ reperiuntur potestates: sed illud in corde fieri & reperiri ostensum est: propositum igitur bene (vt arbitror) & valenter est demonstratum. In litera autem quando dicitur, Aliarum enim partium operẽ in alimẽto, per partes intelligit os & ventrem siue stomachum: & si cui placet, intelligatur etiam iecur. Operẽ enim istorum omnium, id est confectioes & concoctiones in illis effectæ, cordis nimirum operẽ sunt gratia: & iccirco subiungit: Oportet enim id quod præcipuum est (præcipuum & principale vocans virtutes animæ altricem & sensitiuam) ad id cuius gratia est persistere, id est in ipsa cordis arce collocari, cuius gratia operẽ, ceu cuiusdam finis, aliarum operẽ laborant partium: & non in illis membris quæ alterius scilicet sunt gratia, ipsius videlicet cordis vt illi deseruiant & subministrent: Vt medicus, inquit, ad sanitatem. Quemadmodum enim medicus sanitatis est gratia, cui omnibus deseruit modis: ita oris, ventris, iocinorisq; operẽ, cordis opificio habilem aptamq; præparant materiam. His constitutis postremo subiungit in sanguine præditis animalibus primum sensituum in hoc collocari loco, id est corde, necesse esse: explanatq; ipse quid per præcipuum & principale omnium intelligit sensum, ipsum scilicet communem omnium sensiteriorum sensum: qui tum sentit ipse, tum aliorum diiudicat sensuum opera: de quo certe plura & exactiora in peculiaribus de anima commentarijs sunt ostensa: & nos in ijs quæ retro dicta sunt de sensitua animæ potestate, ceu eadem de re, idem arbitrari oportere contendimus.

DVos autem manifeste huc contendentes videmus, gustatum, & tactum: quare & reliquos est necessarium. In hoc enim alijs contingit sensibus facere motionem: ipsi vero non tendunt ad eum qui sursum est locum. Præterea etiam si vita omnibus in hac consistit par-

Cor venarum esse originem.

Aorta arteria
Vena magna.

Triplicis in animalibus digestio.

Cur de digestionem in hepate facta non meminerit.

Vltimum nutrimentum primum nutritiuum coniunctum.

Communem sensum omnium esse præcipuum.

10

20

30

40

50


te, palàm est quòd ipsi sensitivum inesse principium est necesse. Quo enim animal est, eo & vivere dicimus: quo vero sensitivum, eo corpus animal esse asseueramus. Cur autem alij quidem sensuum ad cor manifeste contendunt, alij autem in capite sunt, & eam ob causam pleriq; existiment animalia cerebro sentire, separatim in alijs dicta est causa. Ex ijs igitur quæ apparent, & quæ dicta sunt, est manifestum quòd in hoc, & in trium corporis partium medio, cum sensitivum animæ, tum augmentativum & nutritivum est principium.

Quoniam in superioris (vt vidimus) textus calce dixit philosophus quod communis sensus qui aliorum diiudicat opera sensuum, in sanguine præditis animalibus cordis obtinet arcem: hoc in textu ad euidentioremodum, nedum sensum communem in corde, sed partiales etiam sensus omnes ibidem reperiri & contendere dicit, idq; demonstrare nititur euidencia à duobus sensibus sumpta, gustatu scilicet & tactu, quos manifeste ad ipsum tendere cor cum ex ipsis animalium dissectionibus patet, tum ipsa etiam nimirum dictat ratio. Nervorum etenim omnium fons & origo est cor, quibus & carni cum sensus ascribatur tactus, illum profecto ad ipsum referri cor vero est consentaneum. Porro gustatus ipse tactus quidam esse censetur, vt & alibi ipse, & in secundo de anima libro præcipue demonstraui. Præterea quoniam sensus tactus crassior materialiorq; est quàm alius quispiam ex reliquo sensuum ordine, materialiq; etiam alteratur modo: idcirco terreum à prædominio & cõpactum esse illum oportet, vt huiusmodi perferre queat alterationis modos, cuiusmodi etiam nervorum natura esse cõsetur. In tali igitur parte eum esse oportet, quæ cum terrestri & compacta, rû calida etiã sit & nervosa. maiore enim caliditate ad opera indiget sua tactus, quàm aliorum spirituum sensitivum. Huiusmodi autem cordis est essentia, cõpacta inquã & terrea, plurimisque contexta vt pote quæ illorum origo est & principium, & inter alias calidissima est animalium partes. In corde igitur sensum tactus collocari, & ad ipsum tendere necesse est. Quodq; de tactu dicitur, de gustatu sanè etiam intelligere oportet. Gustatus enim (vt diximus) quidam est tactus. Ex dissectionibus autem manifeste percipitur cum alios ad cor tendere nervos, tum geminos illos qui sub linguæ sunt basi, in quibus gustatus sensitivum esse physicorum elegantiores autumant. Certum igitur est quod hic philosophus dicit, duos istos sensus ad cor ipsum cõtendere: quapropter subiungit reliquos etiã ad ipsum tendere esse necessarium, si quidem duo isti eo loci peruenire videntur. Cuius statim rei subditur ratio, quoniam, inquit, aliorum motiones sensuum quibus ab externis excitantur obiectis, cû ad ipsum communem referantur sensum (vt retro dictum est) qui cum altrice animæ potestate degit in corde, ad ipsum sanè tendere cor est necessarium. ad ipsum enim à sensitivis omnibus deducentes sanè sunt semitæ, quas *ωροουο* græci vocant, illarumq; nulla ad cerebrum dirigi & tendere cõspicitur. id enim intelligit sanè cum dicit, ad eum qui sursum est locum. Quam etiam rem alia demõstrat via. Si enim, inquit, in tali parte, id est in corde ipsa consistit vita, vitæ scilicet principium altrix animæ potestas, palàm utiq; esse potest in ipso etiam sensitivum animæ principium necessario reperiri. Ostensum enim est retro duo isthæc principia in ijs quæ vtraque habet animalibus, simul iuncta copulataq; esse. Ipse autem hoc in loco syllogismi cuiusdam necessitatem afferre videtur, obscuriori sanè prolato modo.

Tactū & gustatum ad cor tendere.

Vbi gustatus sensitivum.

Omnes sensus ad cor tendere.



quo enim animal est, inquit, eo & vivere dicimus: quo vero sensitivum, eo corpus animal esse dicimus. vbi conuerso solummodo formæ ipsius modo & ordine, in prima figura hoc concludi potest modo: Secundum quam partem sensitivum est quippiam, per illam est animal: Secundum quam partem est animal, per illam viuit: Igitur secundum quam partem est sensitivum, per illam & secundum illam viuit. Si autem hoc est, vt sæpenumero est declaratum, nõ in alia utiq; corporis parte sensitiva animæ collocabitur

vis, in alia vero illius altrix potestas vitæ principium & origo, sed in eadem certe erunt, cordis scilicet arce collocatæ, ratione, vt dixit, seiugatæ & distinctæ, subiecto vero eadem & coniunctæ. His ita constitutis, quoniam non immerito quispiam de his quæ dicta sunt ambigere iure posset, plures, imò ferè omnes in animalium capitibus conspiciens esse sensus, idcirco subiungit statim ab huiusmodi se excusans disquisitione, in alijs hac de re separatim se pertractasse locis, in ijs videlicet qui de animalium generatione inscribuntur libris. Dixit enim ibi visum quidem in priori capitis parte, eademq; eminentiore fuisse à rerum natura collocatum, vt inde ceu ab altissima quadam specula occurrentia quæq; præuideret, ad eam sanè partem ad quam fit motus: in ante autem omnis fit motio. Auditum vero ad latera fuisse collocatum, quoniam nõ ex directo solum, sed circumquaq; audire & sonos percipere natum est animal. Similiq; modo in sublimi odoratus sensum constitutum fuisse, cû euaporationes vni-

Cur plures sensus in capite sint collocati.

uersæ in quibus sanè est odor, leuitate sua summa petere comprehendantur. Gustatum præterea eodè collocari constituiq; in loco, vtile certe & commodum fuit: cum à gustabili immutetur sensus, quod os sanè ingredi intrareq; debet: os autem in animalium vniuerso genere superne positū fuisse iam est demonstratum, vbi ipsum reperitur caput. His ita constitutis & declaratis philosophus rationes ex sensus euidencia sumptas hoc claudit in loco, dicitq; perspicuū esse nō solū sensitiuam animæ vim, sed eam etiam quæ auferere facit, & quæ alit & nutrit, in hoc, id est in corde, & in medio trium corporis partium constitui & collocari. tres illas corporis intelligens partes, ante scilicet & retro, dextrum & sinistrum, sursum & deorsum: cuiusmodi sanè cordis est locus, vel partis illius quæcunq; cordi proportionē respondere censetur.



Quod ratione etiam perspicuum est, quando in omnibus naturā 10
conspicimus quoad fieri potest quod optimum est efficere. cū
autem in medio vtriusq; principij existat essentia, vtrūq; pro-
fecto membrum suam ipsius perficit operam, tum id quod vltimum cō-
ficit alimentum: tum illud quod recipit. Penes vtrūq; enim eorum ita
erit. Locus quinetiam huius medius, principis est locus. Præterea quod
vtitur, & quo vtitur, differre sanè debent. Vt autem potestate, ita etiam
contingit modo: quæadmodum tibia, & quæ tibiam mouet manus. Si igitur
eo quod principium habet sensitiuum, determinatum est animal, in
sanguine quidem præditis istuc in corde constitui principium est necesse:
illo vero carentibus, in parte ea quæ cordi proportionē respondet. 20

Naturā quoad
fieri potest se:
per quod est
meli⁹ facere.

Prima ratio
ostēdens præ-
stātes animæ
potestates in
corde colloca-
ri.

Secunda ratio
à loci excellē-
tia & dignas-
sione sumpta

Tertia ratio.

Postquam retro (vt vidimus) demonstrauit Aristoteles ex ijs quæ sensu percipiuntur, q; in me-
dio animalis corpore sensitua & altrix animæ degunt vires, id ipsum probabilius etiam ratio-
nū quarundam euidentijs hoc in loco ostendere cōtendit: dicitq;, quoniā receptum est, & maxi-
mæ propositionis loco ab omnibus iam concessum, naturam ipsam ex ijs quæ fieri possunt, semper
quod optimum est facere: ex subiectæ nanq; materiæ conditione cum optima omnia tum decentia &
pulchra semper architectatur & efficit natura: optimum autem est vires animæ prædictas in medio
collocari: in medio igitur illæ proculdubio constituentur. Quod autē vtriusq; principij essentias opti-
mum sit in medio esse collocatas: (vtrūq; vocans principium, cum altricem, tum sensitiuam animæ
potestatem) inde probare & ostendere contendit, quoniam sic se habēt re, vtrūq;, inquit, membrum
suam egregie nauare & perficere potest operam. per vtrūq; membrum supernas (vt arbitror) & infer- 30
nas corporis intelligens partes. Cum enim ex animæ vires quæ vitam sensumq; omnibus ministrant
corporis membris, in medio totius corporis fuerint collocatæ, ex æquo certe omnib⁹ adesse poterūt,
præsentiaq; sua omnia rite disponere & temperare valebunt: & idcirco ipse in litera membra magis
signare q̄ exprimere volens illa, dixit, tum id quod vltimum conficit alimentum, tum illud quod reci-
pit: significans per primum cum os ipsum, tum superiora etiā viscera. ibi enim alimenti ipsius & pri-
ma & vltima sit cōfectio. per secundū autem quod recipere dicit, intelligens & vētrem, quem stoma-
chum vocāt, & inferiora etiam, aluum scilicet & intestina, in quibus sanè alimenti cōcoctiones fiūt:
& ab illius etiam excrementis nonnullæ excernuntur partes alēdis animalium membris quibusdam
non inutiles neq; incōmodæ: quibus diuersarum partium operis multum profecto conferre censendū
est altricis principium animæ in illarum medio collocatum, & vtriusq; penè cōiunctum membris. In 40
corporis igitur medio naturæ opificio nihil vnquam frustra, nihil perperam facientis, sed omnia sem-
per pro subiectæ captu materiæ optime disponentis, altrix animæ potestas merito collocari debet.
Quare & illius etiā sensitua vis eo loci constituetur. quæ nusquam vbi ambo reperiuntur, ab illa dis-
iungi animaduertitur. Hoc ita constituto aliam ad id ipsum ostendendū adducit rationē à loci ipsius
natura dignationeq; sumptam. Cum enim medius semper locus principalem & veluti regiam habe-
re censeatur dignitatem (securitatis nāq; plenus est, & ab omni aduersantium incurſu tutissimus) vi-
tali merito assignari debuit principio, vt ibi peculiare altricis animæ esset domicilium, vbi & maior
securitas, & aduersantiū minor esset timor. Huiusmodi autem in animalib⁹ thorax est, & in ipso re-
positū cor, siue quippiā quod cordi proportionē respōdere censetur. Tertiam sub his ad id ipsum ostē-
dendum affert philosophus rationem, quæ huiusmodi esse videtur: Quod vtitur, & quo vitur, inter se 50
iure differre vidētur, eaq; nimirum distare differentia qua artifex ab instrumentis distat suis. Porro
quod in animalibus est medium, id est thorax & cor, id est quod vtitur: alia autem omnia mēbra sunt
quibus vtitur. Artificis enim similitudinem gerit cor: alia vero omnia instrumentorum habent vices:
quod vel inde palām esse potest. Nanq; sine pedibus manibusve, capiteq; etiam ipso (vt in cancrorū

est genere) esse potest animal: sine corde vero, aut proportionata cordi parte, haudquaquam esse potest. Principalissimum enim & maxime necessarium membrum est cor, quo alia sanè indigent omnia, cū ipsum nullis indigeat alijs. Cum igitur hoc manifestæ sit veritatis, & cum rationibus, tum experientijs etiam comprobatum, quod vtitur, certe erit medium: quibus autem vtitur, reliquæ corporis erūt partes. Cæterum melior vtentis est conditio & modus, & potestas planè dignior, per quam quod vtitur, facere & mouere, nec non imperare cēsetur, q̄ illorum est modus quibus vtitur, quæ nimirum pati & moueri & regi dicuntur. Cuius autē modus est melior, & dignior potestas, illud profecto dignius excellentiusq; esse censetur: vt docta musici manus, tibijs scienter vtens, nobilior digniorq; omnibus est tibijs. Cor igitur ipsum sine controuersia omnibus animalis partibus dignius erit & excellentius: quod cum medium trium illarum (quas retro diximus) conspiciatur esse partium, dignationem certe suam & excellentiam medio concedit & donat loco, qui locati nimirum referre & sapere naturam videtur. Alijs igitur melior & dignior omnib⁹ medius iure est locus. In meliori autē & digniori præstantes animæ potestates collocari dignum sanè & æquum est. In medio igitur animalis corpore cū altrix animæ reponitur vis, ipsius vitæ origo & conseruatricis: tum sensitium illius principium, à quo nimirum animalis insignitur essentia. id autem medium in sanguine quidē præditis animalibus (vt sæpenumero diximus) est cor: in alijs vero quæ viscere illo carere videntur, cordi proportionata quædam censetur esse pars.



Mnes autem partes, & vniuersum animalium corpus cōnatam habent quandam naturalem caliditatem: quapropter dum viuunt quidem, apparent calida: vitæ autem vsu orbata, contrario se habent modo. Necessè igitur est huius principium caliditatis, ijs quæ sanguine sunt prædita, in corde esse: illis vero quæ sanguine carent, in parte cordi proportionate respondente. Omnia nanque conficiunt & alimentum concoquunt naturali calido, idq; in primis quod præcipuum est cor, vel quod illi proportionate respondet. Quo fit vt alijs quidem frigescentibus partibus remaneat vita, contra quod in hoc omnino corrumpitur, propterea quod caloris & animæ principium quasi eo loci ignitæ, inde omnibus dependet: exanguibus quidem in parte cordi proportionali: sanguine vero præditis in ipso corde. Necessarium igitur est simul & vitam & huiusmodi saluum esse calorem: eamque quam vocant mortem, huius esse interitum. Atqui duplices ignis animaduertimus interitus, exsiccationem, & extinctionem. Appellamus autem id quidem quod à semetipso illi accidit, exsiccationem: quod vero à contrarijs, extinctionem: & illud quidem senectutem: hoc autem violentiam.

Mltus profecto est & ferè nimius philosophus ad probandum & omnibus rationum modis ostendendum virtutem animæ altricem in medio viuentiū corpore, id est corde, aut illi proportionate correspondente parte collocari. Nam post adductas quæ à sensu sumi possunt euidencias, post rationes tum communes, tum etiam proprias & peculiare huius rei connumeratas, tanquam ægre ab hoc contemplationis curriculo discedens, alia etiam id ipsum nunc probare aggreditur via, nouamq; rursum eadem de re comminiscitur rationem, à comato animalium calido occasione accepta, quod cum in vniuerso (vt videtur) dispersum sit corpore, & omnia illius permeet discurratque membra, ibi plurimus non immerito esse censetur, vbi fons origoq; sanguinis & spiritus esse percipitur: sed sine controuersia in sanguine præditis animalibus locus & sedes illa est cor: in carentibus vero illo, cordi proportionale quoddam membrum. in his igitur plurimam & vegetam esse caliditatem cōnatam necesse est. Porro vbi plurima naturalis adest caliditas, ibi vitæ proculdubio adest principium: cuius nimirum ad peculiare peragendum opus, alendum scilicet, caliditas est instrumentum. In corde igitur, aut in parte illi proportionate respondente, vitæ constitui & collocari principium, id est altricem animæ potestatem, summa est necessitas. Hæc Aristotelica (vt arbitror) est ratio hoc in textu probans principium vitæ in ipso esse corde, aut in parte illi proportionate respondente, in vniuerso inquam animantium genere. Quæ autem ad literam spectant, hoc se habere videtur modo. Caliditatem primo dicit connatam adeste quædam cum vniuerso animalium corpori, tum singulis etiā illius mēbris,

Spiritus & sanguis calidissimi animalium partes.

Eousque vivere animal quousque alii potest.

Cor extremum in animalibus frigare.

Cur mortem frigidam & exanguem poeta dixerit.

Ignis geminas esse corruptiones.

μάρανσις exsiccatio. σβέσις extinctio.

cuius praesentia vivere nimirum omnia dicuntur illa quae vitam habent. Cuius sanè rei euidenciam ab ipso mutuatur sensu. eam enim ob causam viuencia inquit omnia calida apparere: vitæ autem vsu orbata, contrario se habere modo, id est frigida esse. Quamobrem huius principium caliditatis, id est altricè animæ vim necesse est in corde cõstitui & collocari. ibi enim valès & vegeta est caliditas: à quo ceu à perenni quodã fontis exordio ad vniuersas postmodum corporis scatet & deriuat partes. Siquidem in sanguine praeditis animalibus, spiritus & sanguinis naturæ, omnium quæ sunt in corpore calidissimæ res, ibi generantur primo, & inde ad reliquas corporis confluunt partes. in ijs vero animalibus quæ sanguine carere dicuntur, in parte certe illa quæ cordi proportionem respondet, proportionatæ quædam insunt humiditates sanguini spirituique correspondentes, quæ per vniuersum illorum diffusæ corpus, calorem qualemcumque vitamque in illo adducunt & disseminant. Neque id profecto alicui mirum videri merito debet, quando eousque vivere cernitur animal, quoadusque nutriri aliisque potest. Alimentum autem omne in principio quidem est contrarium illi quod alii nutriri debet, in fine vero fit simile. istuc autem fieri nõ potest nisi altricis animæ potestatis actione & vi, quæ efficaci cõnati caloris instrumẽto vtès cum alterando & digerendo assumptos cibos, tum applicando & assimilando (vt phisici & elegantiores dicunt medici) augmentum animalibus praestat, vitamque illis iugi quodã actionis tenore imperat & ministrat. Et idcirco, inquit, animaduertere licet in animalium genere cor, veluti huiusce domicilium animæ, cum vegeto semper feruens calore, tum corruptionis interitusque tempore cum natura dissoluitur, vniuersis frigentibus membris adhuc calidum, extremumque ex omnibus animalium partibus frigus id est mortem admittere, ceu deplorata iam viuendi spe, omnibus amissis alijs, cum caloris praesidio in hoc tanquam in arcem concedente & refugiente anima. Illud vero, ipsius animæ veluti in huiusmodi locis ignitæ. translatum videtur ab ignis natura, qui in carbonibus ceu in compacta quadam & solidiore materia densatur magis, valentiorque efficitur. Ita enim naturalis ille calor in cordis commorans sede, & in solida densaque illius substantia veluti ignitus, cum vegetus semper est & efficax, tum eo ex fonte omnibus affatim sufficere potest membris. Quod autem de corde hucusque diximus, & de connato illius calido in animalibus sanguine praeditis, id ipsum profecto in ijs quæ eo carent, de parte quæ cordi proportionem respõdet, cõuenientique illius caliditate, intelligi hoc in loco & alijs etiã volumus. His ita constitutis concludit philosophus necessarium esse simul & vitam animalis, & huiusmodi saluum esse calorem. Neque enim sine calido viuum quippiam esse potest, neque naturalis vsuque vitam sine vitæ alicuius modo reperitur caliditas. Neque hoc ab re, mehercule. nam quicquid vivere animaduertitur, alimento sanè indigere videtur. Nutritionem autem ipsam sine calido fieri nõ potest, retro abunde est demonstratum. Quamobrem omnimodam illius corruptionem, mortem appellamus, quam idcirco frigidam & exanguem poetæ denominauerunt, quia vniuersus caloris & sanguinis in illa cernitur interitus. Quoniam autem innati caloris duo corruptionis sunt modi, ambo similitudine ab igne mutuata, hoc perspicue declarat in loco. Ignis enim, inquit, geminas esse corruptiones cernimus, alteram quidem qua ipse sese destruit, cum post absumptam scilicet omnem combustibilem materiam, & in cinerem conuersam, alimenti defectu ipse postremo interire conspicitur: quem sanè corruptionis modum μάρανσις vocat ille, nos quia aliud cõmodius non succurrebat vocabulum, exsiccationem inuertimus: alteram autem qua à contrario corrumpitur suo, frigida videlicet & humida natura: quæ appellatur extinctio: prioremque veluti deficientis ex se ignis senectutem dicit, id est naturalẽ quendam corruptionis modum: posteriorem vero violentum illius vocat interitum, cum tamẽ vna eademque vtrorūque sit causa. nã in sequenti statim litera id ipsum explanans hoc declarat modo.



Accidit autem eadem de causa vtrasque fieri corruptiones. cum enim alimentum deficit, & alii calidum nequit, ignis corrumpitur. Contrarium etenim cõcoctionem prohibens facit quominus alatur. Quandoque vero exsiccare contingit copiosiori coacto calido, quia non respirat, neque refrigerari potest. Etenim cito hoc etiam modo magna caloris vis coacta alimentum conficit, prauertendoque absomit prius quam fiat euaporatio. Quamobrem non modo minor ignis iuxta maiorem exsiccat, sed etiam ipsa per se lychni flammula si maiori imponatur flammæ, exurit, vt quiduis aliud quod exuri natum est. Causa autem, quoniam praeparatum flammulæ alimentum maior praeripit flamma prius quam aliud succedat. Semper autem ignis perseuerat fies & fluens quasi fluuius, sed ob velocitatem latet. Manifestum igitur est, si quidem saluum oportet esse calidum (id autem necesse est si vita cõseruari debet)

quandam fieri oportere calidi quod in principio est refrigerationem.

Quoniam in præcedenti (vt vidimus) literæ calce dixerat philosophus geminas ignis esse corruptiones, & alteram quidem ab ipsomet igne procedere, quæ exsiccationem appellauimus, tanquam senium quoddam, & naturalem illius interitum: alteram vero violentam à contrario extinctionem: ne quispiã fortasse huiusce rei vt diuersa sunt nomina, diuersas etiã existimet esse causas, à principio statim istius textus huiusmodi occurrit opinioni, dicitq; vtrosq; illos corruptionis modos ab eadem sanè fieri causa. nam vtraq; proculdubio accidere videtur, cum deficiente alimento ignis ipsius calidum ali nequit, quare illius sequi interitum summa est necessitas. Quod enim alimento non fouetur, cito sanè deficit, & interire videtur. Incipit autem id ostendere in eo corruptionis modo qui à contrario fieri animaduertitur. Contrarij enim natura concoctionem præpediens, nutritionem certe impedit. nihil enim nisi à prius digesto concoctiq; ali potest. Vbi autè propter indigestionem cruditatemq; non est nutritio, ibi certe conati calidi sequitur extinctio. A contrarij igitur vi & natura ob nutritionis defectum conati calidi interitus prouenit & extinctio: & ideo videre contingit aliquando nonnullos esculentorum poculentorumq; suppeditate copia affatim se ingurgitantes, ingluuie sua repentinò interiisse. Cum enim alimētum omne (vt à philosopho in ijs qui de generatione & corruptione, & in illis etiã qui de anima inscribuntur cōmētarijs, est demonstratū) à principio quidē contrariū sit illi quod ali debet, in fine autem efficiatur simile, illius profecto superfluens copia animalis corpus ingressa, cum ab illius confici nequeat calido, illud nimirum suffocat & extinguit: idq; alimenti inopia non ab re prouenire censetur, quoniam nulla sanè alimenti facta est concoctio, calido (vt diximus) statim superato & extincto. Cæterum quod facere nunc ostēdimus superfluentem ciborum largitatem & copiam, nonnunquam etiam illorū efficere videtur naturæ qualitas, siue venenosa sit illa, natureq; inimica, siue immutari concoquive, aut naturæ suæ vitio, aut recipientis imbecillitate, caloriscq; conati hebetudine, non possit, qualis Cynici Diogenis memoriæ proditur mors, qui cum crudum vorasset polypum, illum haudquaquam cōficere valens, ab illo sanè cōfectus breui extinctus est. Nosq; etiam aliquando Venetijs nouimus scurram quēdā famosum in epularum licentia, vt madidis placeret cōpotoribus, risumq; moueret, viua deglutita anguilla tertium post diem interiisse. In quibus (vt par est) contrarij præsentia cōnatum calidum ob alimenti (vt diximus) indigentiam fuisse extinctum, certissimum esse contenderim. Et alter (vt dictum est) is conati calidi corruptionis est modus, qui propter alimenti indigentiam ab ipso fieri censetur contrario.

Alter vero illius corruptionis modus qui ab ipsomet fit calido, cū exsiccatur & marcescit, ab eadem nimirum effici percipitur causa. indigentia nanq; alimenti hoc etiam modo à semet destrui & corrupti dicitur calidum. Cum enim copiosius, inquit, coactum & congregatum fuerit calidum, valens factum & immodicum, nonnunquam respirationis defectu, quæ illi frigidum planè apportans aërem, aut aliud eiusmodi quippiam, eius temperat vehementiam, salutaremq; proportionis conseruat modum: tale, inquit, cum fuerit coactum calidum, refrigerio sanè carens, immodica proportionis actione citius alimentum absument, q̄ illi extrinsecus succurri possit. præcepto autem & absumpto alimento ipsum mox exsiccari & emarcescere necesse est. Et hoc certe est quod in litera dicit ipse, q̄ coactum calidum alimentum conficit prius quàm fiat euaporatio. per euaporationem intelligens frigidioris rei cuiuspiam ingressum, quæ efferuescentem illius temperet qualitatem, eamq; ad commensuratam proportionis temperiem deducat. Quamobrem vterq; (vt visum est) corruptionis modus alimenti defectu non ab re accidere censetur. Quam certe rem in ignis similitudine perstans, cuius retro duos & eosdem corruptionis dixerat esse modos, manifesta sanè declarat euidētia. Non solum enim, inquit, minor ignis iuxta maiore positus exsiccatur & esse definit, sed ipsa etiam lucernæ flamma maiori imposta flammæ exurit & exsiccatur vt aliud quippiam quod exuri natum est. neq; id ab re, vt arbitror. Si enim paruus iuxta magnum positus interit ignis, alimenti scilicet inopia, quod sibi nimirum à maiori præripitur igne: multo citius lucernæ cuiuspiã flamma cum suo exuret alimento, fumali scilicet euaporatione qua alitur & perdurat, si in maiore valentiorēq; flammā ceu in vas quoddam conijciatur. Cuius sanè euidētiæ coniunctā statim recenset causam dicēs minori igni & flammæ id accidere quoniã illis à valentioribus maioribusve alimentū præripitur citius q̄ aliud parari subsequiq; possit. Cum autem horum, ignis scilicet & flammæ, ipsum esse cōstet in fieri cōtinuo, non ab re profecto esse videtur si deficiente illo ex quo fiunt alimento, intereant & exsiccentur: veluti is (exempli gratia) qui ex colliquatis niuibus fit riuus, qui sanè eousq; fluere percipitur quo usq; liquefcit nix: deficiente autē materia, & omni absumpta niue, interit certe & exarescit. Quo in loco ignem flammamq; labenti comparat fluuio, qui specie quidem vnus esse censetur, numero vero non vnus, cum alios semper & alios subnascentes aquarum voluat latices, & diuersas semper habeat partes: & idcirco in eundem bis ingredi fluuium non posse quempiam dicere solitus erat Heraclitus. Id autem latere nos dicit, q̄ ignis scilicet factus sit, & fluens, id est continuo fiens, propter velocitatem, id est celerrimam ipsius immutationem. Velocissimæ nanq; inter omnia naturalia corpora motionis esse censetur ignis si de syderum cæliq; motu hoc in loco reticere voluerimus: quam etiam rem de flamma & de fluuio intelligi oportere arbitror: eorum quinetiam omnium quorum esse in fieri constituitur. His ita enarratis & ostensis, intentam philosophus concludit sententiam, hoc asseuerans in loco, si quidē naturale

Quod escaſi
plerūq; quāri
tas, interdum
interinat qua
litas.

Diogenis Cy
nici mors.

Sē per alimē
ti defectu in
terire calidū.

Heracliti
flumen.
Ignē & flammā
specie quidē
vnū perseue
rar e: numero
vero nō vnū.

præseruari debeat calidum, sine quo haudquaquã stare potest vita (dictum est enim illud altricis animæ peculiare esse instrumētum) necessarium esse eius essentiam calidi quæ in principio est, id est cordis domicilio, aut illi quapiam proportionata parte collocata, refrigerari, id est frigidioris inspiratione aëris, aut eiusmodi cuiuspiam rei præsentia conseruari, & in commensurata proportione custodiri. Nisi enim id iugi quadam naturæ fiat opera, excrescens profecto illud, & sui dāno valētius effectū, alimenti totius absumpto statim subsidio, illius certe exsiccat & marcescit inopia.

Necessariam esse calidi refrigerationē.



Vius autē rei exemplū sumere licet ex eo quod præfocatis accidit carbonibus. Si enim obstructi cōtinue fuerint eo quod præfocatorium vocant, quam primum extinguuntur. Si autem per vices quispiã & crebro, modo operiat, modo aperiat, diu ignescentes perstant. Et profecto ipsa occultatio ignem conseruat. neq; enim à respiratione prohibetur ob cineris raritatem: obstatque circunieccto aëri ne caloris copia quam in se continet, illum extinguat. Verum de huiusmodi causa, quod contrario accidat modo contecto & præfocato igni, nam hic quidem exsiccat, ille autem pluri manet tempore, dictum est in problematibus.

Quia retro dixerat coactum & coadunatum naturale calidum, nulloq; refrigerij auxilio refocillatum, absumpto omni prius alimento seipsum postremo destruere, quod tamen diutius perseuerare videtur si respirare valeat, & aliquo frigidi temperetur ingressu: id ipsum manifesta hoc in loco declarat similitudine à carbonarijs officinis significanter accepta. Si enim vasa illa in quibus succensi continentur carbones, bene scienterq; carbonarij obstruxerint, operculūque id quod præfocatorium hic Aristoteles vocat, optime vndiq; quadrans indiderint, cito profecto extinguuntur, decentēque accipiunt confectionem. Cum enim succensus in carbonibus illis respirare nequeat ignis, neq; extrinsecum recipere aëris possit halitum propter bene claudētis interiectū operculi, validior sanè factus & impotens, præparatam sibi statim absumit escam qua ali debet, & quam primum extinguitur: qui alioquin diutius durare, & in succensis viuere carbonibus sanè potest, si vicibus quispiam crebris modo vas illud præfocatorio obstruat operculo, modo contra illud aperiat. nã & igni respirandi dabit facultatem, & frigidioris ingressum aëris non prohibebit, à quo sanè illius temperatur caliditas, & ad commensuratam proportionis reducitur mediocritatem. Cæterum quia hoc in loco non oscitans ambigere posset lector, quoniam dictum est respirationis inhibito opere, & frigidioris ingressu aëris prohibito, ignitos extingui carbones: cur secus accidere percipiatur in ijs carbonibus qui ad ignem conseruandum cineribus occultantur. prima nanq; operati vespera in longissimis hybernis noctibus ad diem vsq; igniti perdurant, qui alioquin neglecti cito intereunt & emarcescunt. Quia inquam istuc quispiam aduersus ea quæ dicta sunt, adducere posset, idcirco tacitæ occurrēs dubitationi philosophus dicit occultationem proculdubio ignem conseruare. nam neque prohibet, inquit, illius respirationem circunieccti raritas cineris, quam vtiq; in succensis prohibebat carbonibus cum vndiq; obstructum carbonarium vas, tum illud densum & bene quadrans operculum: & cineris interiectum obstaculum circunfuso nimirum obijcitur aëri, latentiq; igniculo plutei vicem præstat, ne à pluri copiosioriq; aëris, vt inquit, caliditate absumatur & intereat. Quo in loco mirari sanè debet nemo si aërem dicimus modo refrigerio esse, modo caliditatem præstare, quia pro subieccta vtrūque recipientis efficere potest materia. Cum enim primo neq; calidus sit, neque frigidus aër, calidioris certe respectu frigidus esse censetur: ad frigidius autem quippiam comparatus, calidi vicem præstare potest. In occultatione igitur ignis quæ cineris superiniectu efficitur, illius sanè raritate calidi nō prohibetur (vt dictum est) respiratione. Dissipatur nanq; illud & diffunditur: neque valido compressu illico alimentum conficit & absumit. Idem enim est diffundi & euentari calidum, & extrinsecus refrigerium accipere. vtroq; enim conseruatur modo, & ad commensuratam deducitur mediocritatem. Et vnus profecto is occultati ignis conseruationis est modus: alter vero quoniam circunfusi obstant cineres, ne à circunieccto extinguatur aëre ob copiam inexistentis in illo caliditatis. Quæ sanè litera huiusmodi (vt arbitror) habere videtur sensum. Cum enim aër ille ignitos circunstantes & complectens carbones, illorum planè vicinitate & contactu, necnon calidis exhalationibus flagret & ignescat, si illius copiosa caliditas ignis caliditati coniungatur, & cineris interiectu veluti parietis cuiusdam interpositione non discludatur, illi profecto vires addet, efficietq; vt præsens citius alimentum absumat, quam nouum parari succurrereq; possit, ignisq; eo emarcescet interibitq; modo. ostēsum enim retro est, coactum calidum quoniam non respirat neq; frigescit, nutritionem impedire eo quo dictum est

Cur carbones cineribus operati non extinguuntur.

Aëre pro subiecta materia eū calidū, tū frigidū esse.

modo: quod occultato ne accidat igni, cineris certe facit præsentia, quæ & ignis caliditati respiratio-
nem præstare potest, & calentis contactum aëris nihilominus valet prohibere. Cæterum horum qui-
dem vtrorūq; causam, cur ignis scilicet cineribus opertus seruetur & duret, obrut⁹ vero & suffocatus
extinguatur & emarcescat, à problematicis quæstionibus perquirendam esse dicit: quam tamen ego
adhuc neque ab ipso neque ab Aphrodiseo Alexandro expressam reperire potui: nisi fortasse multa
proposita & soluta fuisse problemata verisimile est quæ in illis non fuerunt coniecta commentarijs.
Verum hac in re modica mehercule facta est iactura: atq; vtinam ita esset in alijs. Nāq; harum quæ-
stionum mirifice dissoluti sunt nodi: & naturales accidentium illorum quæ tantum non manu tan-
gatur, explicatæ sunt causæ. occultatus enim ignis seruetur & durat, quoniam respirat, & ali potest:
conclusus autem suffocatur & interit, quoniam spirare non valens, alimenti marcescit inopia.

Problematicæ
quæstiones.



Quoniam autem omne quod viuit, habet animam: & id ipsum
(vt diximus) non sine caloris consistit natura: stirpibus qui-
dem id quod ex alimento accedit, & ex circumfuso fit aëre, ido-
neum est auxilium ad naturalis calidi conseruationem. rece-
ptum enim refrigerat alimentum, vt hominibus cum primo illud su-
munt. Ieiunia nanq; calfaciūt, & sitim afferūt. incommotus enim aer sem-
per calefcit: alimenti autem commotus ingressu refrigerat quoad id con-
coquatur. Si autem propter anni tempus circumfusus aer frigore super-
fluat, valido orto gelu arefcunt: aut si æstate nimij inciderint calores, & at-
tractus à terra humor haudquaquā refrigerare possit, exsiccatu sanè in-
terit calor, & sphacelismum si derationemq; tunc dicuntur arbores pati.
Quāobrem lapidum genera quorundam radicibus substernunt, & aquā
in vasculis, vt stirpium radices refrigerant. Cum autem animalium alia
quidem in aquis, alia vero in aëre degant: ex ijs profecto, & horum medio
refrigerationem sibi vendicant, alia quidē aqua, alia vero aëre: quo autem
modo, & quorum opera, diligenter considerantibus est dicendum.

Quoniam retro dictum est naturale calidum vitæ fomitem & causam, vt conseruari queat, &
mensuratum habere temperamentum, refrigeratione proculdubio indigere: id autem in vni-
uerso viuientium genere est intelligendum: huiusmodi nanq; omnia cum animam habēt
altricem, tum naturalem quendam calorem, illius (vt retro dictum est) instrumentum: si-
ue Academicorum more vehiculum illum appellare malimus, possident: hoc in textu quale huius-
modi sit refrigerium cum in animalibus, tum in stirpium genere, breuiter & clare demonstrat philo-
sophus, lectorisq; mentem excitat ad præclaras posthac de respirandi opera & modo suscipiendas
ostensiones. De stirpium autem genere, omnibusq; terranascentibus primo verba facit: quorum in-
quit omnium conatum calidum cum ex alimento quod à radicibus capiunt, tum à circumfuso aëre
refrigerari, idq; satis auxiliij esse ad illius temperamentum salutemq; conseruandam. Cum enim im-
bribus & terrea natura stirpes alantur, & herbarum genus vniuersum, paucaq; eo in genere naturalis
existat caliditas, nedum ab alimento ipso, quod sanè valenter refrigerare potest, sed etiam à circum-
plectentis qualitate aëris, & à terrea natura illarum radices ambiente, earum conseruari, & ad tempe-
ramentum deduci potest calor. Quo in loco quoniam de alimento facta est mentio, exemplo ab ho-
mine sumpto, dicit id sanè quod sæpenumero plerisq; in locis dixit, alimentum scilicet omne princi-
pio assumptum anteq; concoquatur refrigerare: postremo tamē ipsum concoctione facta in calidita-
tem valenter addere posse. Ad quod verissime sanè prolatur, corollarij vice aliam subiungit naturæ
operam, cuius cum euidentissima sensu percipiatur effectio, causa vero lateat, illam sanè recēfendo,
tum industrio lectori facit satis, tum principali etiam suffragatur intento. Dicit enim ieiuniorū abs-
tinentias exalfacere corpora: cuius sanè rei præclarum etiam addit signum, sitim scilicet quam ie-
iunantes incurrunt. cuius profecto hæc videtur esse causa, quoniam ea scilicet temporis constitutio-
ne calidum alimento indigens, idq; sedulo quærens, supra radicale appellatū humidum conuertitur,
& tum refrigerij inualefcit inopia, tum humidum absumendo, naturalem sanè in homine frigidi &
humidi efficit appetentiam: ea autem sitis esse censetur. Tunc igitur incalescunt & sitiunt homines.
qui profecto assumpta ciborum refectione statim refrigerari se sentiunt. ipse autem & id intelligi

Naturale calo-
re altricis ani-
mæ esse vehi-
culum.

Cur ieiunia si-
tim efficiant.

Sitis frigidi
& humidæ ap-
petentia.

vult quod diximus, ex ijs quæ alibi sunt declarata, & aliam hoc in loco proposito magis quadrantem commemorat causam, id accidere inquiens quoniam immotus aër calefcit semper. Hoc autem sensu manifeste percipitur. in concauis enim & humilibus conclusus aër locis, nullis ventorum flatibus excitus æstatis tempore, non solum incalefcit, sed etiam feruet: similiq; rationis modo aër qui in mēbrorum sinibus & receptaculis qua alimentum permeare natum est, degit, nullo illius refrigeratus ingressu, à naturali excalfactus calido, cum membra calfacit illa, tum vniuersum etiam animalis corpus: qui nouo postmodum alimenti aduentu commotus & excitus, contrariam nimirū recipit qualitatem, quoad id perfectam accipiat concoctionem. Hac autem de re & in commentarijs de generatione & corruptione, & in libellis de anima, alijsq; pluribus in locis luculenter satis & abunde à philosopho est pertractatum. His ita constitutis & enarratis, geminas stirpium interitus causas hic recenset philosophus, cum vel feruoribus nimijs, vel gelu & frigidibus corrumpi & perire animaduertuntur. Si enim, inquit, per anni tempus vehementer gelauerit, & omnis fere humor in glaciem cōcreuerit, exsiccātur arbores, & intereūt. Cuius certe rei (vt opinor) duplex afferri potest causa. Aut enim paruus ille calor qui stirpium fouet & temperat naturam, contrarij excellenti extinguitur superfluitia: aut is sanè contrarij declinans circumfusi violentiam, & stirpium petēs interna, per antiperistasin validior effectus seipso, alimenti nimirum sui statim cōsumit humorem: quo certe absumpto, cū ipse interit, tum eo deficiente intereunt & exarescunt arbores. Et istuc quidem gelu maximiq; frigidibus stirpibus accidere videtur. Contrā æstatibus cum magni & ardentes fuerint feruores, terraq; arida, & vndiq; æstiuans & sicca temporis constitutio, tum radicale stirpium circumfusi aëris calore euaporat humidum, nulliq; subsidio illi sunt imbres: tum etiam aut nullus ab arenti terra, aut exiguus certe, & non satis sufficiens & aptus attrahitur humor qui arborum decēter refrigerare possit & alere calidū. Ignescens igitur illud & congeminatum, seipsum (vt sæpe diximus) alimenti conficit inopia. Quæ sanè tempestate languescētia primum, mox arentia & decidua etiam cernimus folia, extremosque arborum stiones planè marcescere, & arbores paulopost ipsas squalescētes inarescere cōspicimus: quæ certe corruptionis modum, cum scilicet stirpium generi is nimijs accidit feruoribus, cū sphacelismū, tum siderationem philosophus hoc appellat in loco: & siderationem quidem propter anni tempus. arefcere nanq; maxime solent arbores sub canis exortu, tum cum exurit Sirius agros. illius enim sideris exortum, cum pleraq; alia, tum ferta omnia & nouellæ præcipue sentiūt plantæ. Sphacelismi autem translatum videtur esse vocabulum à morbi cuiusdam genere quod animalia plerunq; infestare videtur, cum carnis scilicet intacta natura, subiectum corrūpitur & putrescit os: quod ipsis sanè accidere censetur plātis cum integro adhuc corticis libro interior arefcit medulla. qui profecto morbus aeditatibus feruoribusq; cum squallēt omnia, nouellis maxime stirpibus accidere existimatur. Quæ obrem illis periti succurrunt agricolæ, tum lapidū quorūdam genera substernendo: tum vascula aque plena illarum radicibus apponendo: vt & aquæ vicinitate refrigerentur illæ: & lapidum appositu & interiectu veluti spiramenta quædam & liberos habeant afflatus. Quæ autem lapidum illorum esse debēt genera, cum ex Theophrasto in ijs qui de stirpium causis inscribuntur commentarijs, tum ex Virgilio vate in Georgicis suis didicimus: quorum (vt arbitror) nihil prohibet, vt maior huic explicationi adhibeatur fides, expressas ad verbum referre sententias: quod sanè libenter hoc in loco facio, vt palām sit omnibus sicut alia pleraq; ad vitam commoda, ita etiā ista ex Aristotelicis fontibus largiter emanasse. Sunt autē Theophrasti quidē verba in tertio cōmentariorū illorū libro, Gaza interprete, huiusmodi, iis quæ summo cohærent, ceu oleæ & fico, quantū natura exigit subministrāt, lapides subiiciunt, vt plantæ & per hyemē humore perfrui, & per æstatem possint refrigerari. Enimvero contra vtrūq; tempus ita præparasse oportet, vt lapides humorem contineant, & æstate radicibus calorem propulsent. Alij sarmenta substernunt. Alij vas fictile plenum aquæ apponunt. Alij lignum infodiunt satis crassum, quod postea extrahunt, vt nunquam alimenti copia desit, ex humoris confluxu solo assidue humescente. Hæc ille, & quæ sequuntur. Virgilius autem quo diximus in loco isthæc agricolis præcipit:

Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
Inter enim labentur aquæ, tenuisq; subibit
Halitus: atq; homines tollent sata. iamq; reperti
Qui saxo super, atq; ingentis pondere testæ
Vrgerent: hoc effusos munimen ad imbres:
Hoc vbi hiulca siti findit canis æstifer arua.

Ex quibus profecto apparet id quod dixerat Aristoteles, contra sphacelismum, & siderationis iniurias lapidum genera quorundam solere substerni, cum Theophrastum tum Virgilium exposuisse: cum alter quidem lapidum genus esse apponendum dicat, quod humorem continere queat: alter vero eadem rationis causa carmine suo bibulum expresserit lapidem. Et profecto ita se res habet. nonnullis enim terrarum tractibus valde opportuna cum arboribus tum frugibus etiam ipsis lapidum videtur esse vicinitas. Cui sanè rei testimonio esse potest id quod de Corinthio agricola Theophrastus memoriæ prodidit: qui cum ex Peloponneso Syracusas aliquando concessisset, agrumq; excolendum conduxisset, & patrio culturæ vteretur modo, cum bene agrum subigendo, tum lapidibus illum (qui passim eo abundant in tractu) sedulo purgando, messis postea tempore magna frustratus est spe.

Dux stirpium
interitus causas.

Sideratio.
Sphacelismus

Theophrastus.

- » interprete, huiusmodi, iis quæ summo cohærent, ceu oleæ & fico, quantū natura exigit subministrāt,
» lapides subiiciunt, vt plantæ & per hyemē humore perfrui, & per æstatem possint refrigerari. Enimvero
» contra vtrūq; tempus ita præparasse oportet, vt lapides humorem contineant, & æstate radicibus
» calorem propulsent. Alij sarmenta substernunt. Alij vas fictile plenum aquæ apponunt. Alij lignum
» infodiunt satis crassum, quod postea extrahunt, vt nunquam alimenti copia desit, ex humoris
» confluxu solo assidue humescente. Hæc ille, & quæ sequuntur. Virgilius autem quo diximus in loco
» isthæc agricolis præcipit:
» Aut lapidem bibulum, aut squalentes infode conchas:
» Inter enim labentur aquæ, tenuisq; subibit
» Halitus: atq; homines tollent sata. iamq; reperti
» Qui saxo super, atq; ingentis pondere testæ
» Vrgerent: hoc effusos munimen ad imbres:
» Hoc vbi hiulca siti findit canis æstifer arua.

Virgilius.

Theophrastus
de Corinthio
agricola.

Triticea namq; seges quę eo loci inter lapides læta fertilisq; prouenire solebat, elapidato agro, foli atiditate, & cæli feruore, cum exilis & rara, tum arida certe & enecta apparuit. Ex quo Syracusanis, q; illorum lapidosus sit ager, nature benignitate consultum non immerito videri potest. His de caloris refrigerio in stirpium fatorūq; genere præmissis, philosophus ad animalium transit genus: quod hoc in loco bifariam disternat & diuidit, in aquatile scilicet & aëriū, sub aërio terrestria etiam omnia comprehendens animalia. In hoc enim refrigerandi opere nihil sanè distare terrestria ab aërijs animaduertimus. ab aëris enim vtraq; elemēto refrigerij habent subsidium: aquatilia autē omnia id ipsum ab ea in qua degunt aqua proculdubio consequi videntur. Verū quoniā exactior cōpletiorq; de eius modi re in ijs quæ sequuntur sermo habebitur, idcirco breui hoc in textu preparationis admonitione

10 contentus, nos ad spirandi posthac disquirēdos perscrutādōsq; modos exhortatur & excitat, dicens.

In refrigerationis opere aëria à terrestribus nō distat.

DE SPIRATIONE.



E spiratione enim pauci quidā ex prioribus physicis verba fecerunt. Quam autem ob causam animalibus insit, alij quidem nihil asseruerunt: alij autem dixerunt quidē, attamen minus recte, sed in ijs quæ accidunt, nullū vsum præ se ferentes. Præterea etiā omnia spirare asserunt animalia. Id autem minime verum est: quapropter de ijs

primo recensere necesse est, ne videamur temere absentes accusare. Quod igitur quæcunq; pulmones habēt animalia, spirent omnia, palām est: verū

20 ex ijs ipsis quæcunq; quidem id membrum exangue & fistulosum habent, minus spiratione indigent: ob eamq; rem multo manere queunt tempore propter corporis vires. Fistulosos autē habent pulmones ouipara omnia, vt ranarum genus: præterea lutariæ testudines & aquaticę extensum sanè tempus in humore degunt. illorum nanque pulmo exiguam habet caliditatem. Parum enim habet sanguinis. Inflatus igitur ille, motione refrigerat, & per multum manere facit tempus. Quod si vi vtatur quispiam, & per extensum continuerit tempus, strangulantur omnia, quoniam ex illis nullum aquam vt piscis recipit. Quæcunque autem sanguine refertos habent pulmones, ob caloris copiam refrigeratione sanè indigent omnia.

30 Aliorum vero quæcunq; pulmones non habent, respirat nullum.



Contrario q̄ proposuerat docendi ordine hoc in cōmētariolo vsus videtur fuisse philosophus. nam cū à principio statim de iuuetute & senectute, de morte & vita, & simul de spiratione pollicit⁹ fuisset verba facere: prius (vt vidim⁹) nos docuit animæ vim altricē & sensitiuā & vegetabilem in viuentiū medio collocari, id est in corde, aut parte quapiā illi proportione respondente. Postea ad conuati conseruationem calidi veniēs, illud nimirū ostēdit refrigerationis subsidio indigere, quod variū sanè esse ostendit secundum varia & diuersa viuentium genera. Post quæ adducta ad spirandi præclaros sanè & vere phisicos deuoluitur sermones, quod vltimo ppositū fuerat loco, vt ex illis postea

40 ad iuuetutis & senectutis, necnō mortis & vitę indagādas accedat causas, quæ sanè primo fuere pposita. Dicit igitur posteriora hæc superioribus copulās & cōiungēs, q; de spirādi opere pauci quidē antiquorū physiologorū verba fecerūt: verū cur id animalibus inesse cēseatur opus, ex illorum numero quidam omnino reticuerunt: alij vero dicere aggressi, eiusq; causas explicare, haudquaq; recte id fecisse videntur, nullo vsu callentes de accidentibus iudicare, id est ignari & inexperti cuiusnam rei gratia animalibus respiratio accidat. In hoc præterea antiquorum plerosque errasse asseuerat, quia omnia

x.j.

Oia pulmonē
habentia pro
culdubio spi-
rate.

Testudines
lutariae.
Testudines
aquaticae.

Sanguinis nas-
tura spiritus
esse vehiculū.

Democritus
Abderita.

respirare animalia dixerunt, cum illa solummodo spirare cernantur quæ pulmones habent. Quamobrem necesse est, inquit, ne indicta (vt aiunt) causa quispiam condemnetur, contraque absentes inique afferri videatur accusatio, illorum prius referre sententias, vt illis scilicet examinatis & excusis, quid recte hac de re, quidve secus dixerint, perpendi animaduertique possit. Dicitq; primo, & pro confesso sumit, palam esse omnibus animalia pulmonem habentia respirare omnia. Hoc autem non solum ratione demonstratur, sed etiam sensu deprehenditur. Quo posito profequitur dicens, ex animalium numero quæcunque pulmonem, aut sine sanguine habent, aut parum sanguinis habentem (vtrunque enim hoc in loco significare nobis potest græcum vocabulum ἀναίμορον) præterea illum habuerint fistulosum, magnos videlicet concauitatum in se habentem sinus: isthæc nimirum omnia paruo respirationis indigere opere. Quamobrem multo manere queunt tempore non respirantia, videlicet propter corporis vires. Vis enim quædam ostenditur corporis & animalis, cum id crebro respirare non necesse habet: vt imbecillitas (mehercule) quædam esse censetur crebro & incessanti distendi anhelitu. Quæ autem huiusmodi sunt animalia fistulosum habentia pulmonem, statim subiungit, ouipara scilicet esse omnia, & cum ranarum genus vniuersum, tum etiam testudinum, siue lutaria fuerint illæ, quas græci μύδαο vocant, siue aquaticæ. Multum enim temporis vtræque aut luto aut aquis immersæ degere valent: vt in ijs qui de animalium partibus inscribuntur libris, sæpenu-mero est declaratum. cuius rei causam ipse statim subiungit, afferens horum omnium pulmones cum exiguam habere caliditatem, cum modicum habeant sanguinis: tum concauos quosdam & fistulosos recessus, in quibus insufflatus semel & receptus aër, motione, id est expressione & respiratione refrigerare potest: quæ res multum animalia illa sub aquis demersa manere posse facit, & minus extrinseci subsidio aëris indigere. Quæ tamen, inquit, omnia si diutius sub aquis violentia quadam continentur, respirareque prohibeantur, strangulari & suffocatione interire manifeste conspiciuntur: quoniam scilicet non recipiunt aquam ad calidi refrigerationem innati, vt pisces recipere & intro capere censentur. Terrestrium enim non aquatilium respirant modo. His ita pertractatis de ijs quæ pulmonem sine sanguine & fistulosum habent animalibus, de illis quæ id membrum excellenter sanguine præditum habent, subdit dicens omnia sanè illa ob excellentem caliditatis copiam proculdubio spiratione indigere. Sanguinem enim spiritus & caliditatis esse vehiculum, alibi est ostensum. Omnia vero alia pulmonibus carentia animalia respiratione etiam carere manifestius certe est, quam vt pluri indigeat disquisitione. Siquidem solum respirare quæ pulmones habeant, cum sensus (vt dictum est) percipit, tum ipsa etiam dicit ratio. Et ad summam (vt vniuersa breuiter isthæc colligatur ratio) dicendum sanè est qd ex animalium numero quædam pulmonibus carent, quæ etiam spirandi opere carere animaduertuntur: nonnulla vero pulmones habent, quæ profecto respiratione indigent. Cum autem ex ijs quædam fistulosum, & pauco cum sanguine id habeant membrum: quædam vero multo sanguine præditum: priora quidem illa non respirantia diutius certe perdurare possunt: posteriora vero crebriore nimirum ob caloris copiam indigent respiratione, citoque respirare prohibita interire conspiciuntur.

Democritus igitur Abderita, & pleriq; alij qui de spiratione scripserunt, de alijs sanè nihil determinauerunt animalibus, statuere tamen videntur quasi spirent omnia. Anaxagoras autem & Diogenes cum omnia spirare asseuerent, de piscibus & ostreis quoniam spirent modo, exponunt. Et Anaxagoras quidem dicit cum per branchias aquam emiserint, eum qui in ore subortus est aërem trahentes spirare planè pisces: nullum enim esse in aëre. Diogenes vero cum per branchias aquam emiserint, ex ea quæ ipsum os circumfunditur aqua, inani quod in ore est aërem attrahere, tanquã in aqua sit aër. Isthæc autẽ fieri nõ possunt.

Quoniam retro (vt vidimus) dixerat Aristoteles qd ex antiquis physiologis pauci quidem de spirandi opere verba fecerunt: qui vero de illo loquuti sunt, aut non bene, aut non sufficienter eam rem pertractauerunt: & quòd conueniens decensque erat, ne iniuria eos accusare videremur, illorum prius hac de re sententias recensere, illasque sedulò disquirere & perscrutari: idcirco hoc in loco istuc ipsum facere aggreditur, à Democrito Abderita initium faciens, vt cum in omni philosophia, tum in physicis præcipue siquis alius ea tempestate percelebri, & magni nominis. Hunc igitur dicit, nonnullosque alios physicos qui de spirandi opere loquuti sunt, nullã de alijs mentionem fecisse animalibus, id est de ijs quæ pulmone carere videntur, vtrum spirent, necne: & si spirent, quonã spirent modo. Nihil enim istiusmodi distinxisse & determinasse videntur illi, tanq̃ de illorum sententia omnia spirẽt animalia. Quod sanè falsum esse posteriores ostẽdent sermo-

nes. Post quæ adducta, Anaxagoræ Clazomenij, & Diogenis Apolloniatae de spiratione opiniones recenset, & illas examinat: quos hac de re eadem ferè sensisse cum omnis testis est antiquitas, tum ex ijs philosophi verbis palàm esse potest. Vterque enim omnia terrena & aëria respirare dixerunt animalia. Pisces quinetiam ipsos, & ostreorum genus vniuersum, intromisso respirare & refrigerari aëre voluerunt: hac tantummodo differentes in re, quoniam Anaxagoras quidem aqua de piscium branchijs exeunte, motu illo & veluti micatione quadam & saltu illam rarefieri dicit, & in aëris naturam conuerti, quo postea spirare valeant pisces: siue potius cum nullum in rerum natura detur inane & vacuum, aqua de piscium branchijs violenter eiacta & velocissime, pisciū aëre repleti ora & branchias, quo sanè attracto respirent pisces. Diogenes autem nullam eo in opere aquæ in aëris naturam esse asseuerat transformationem, sed in omni aquæ portione actu aërem reperiri, qui sanè attractus piscibus respirandi præbet facultatem. Modum igitur quo secundum utrosq; spirare censeatur pisces, à philosopho in hoc expositum loco videamus, & pro virili ad illorum sententiam quàm accommodatius fieri potest accedamus. Magis enim hoc in loco hic tangitur quàm explicetur modus. Ait enim pisces branchiarum extensione aquam recipientes, illamque vicissim earum compressione reddentes, & extra se mittentes, efficere sanè vt motu illo percussa & turbata aqua, iactatucq; illo veluti exalta, in aërem vertatur, aut vniuersa quæ per branchias piscium ingressa fuerit os, aut quota illius portio. porro is genitus & effectus aër, ne inane detur & vacuum, cuius sanè vel ipsum natura abhorret nomen, piscium illico patentes ingreditur buccas, vnde branchiarum (vt diximus) compressu extrusa exiuerat aqua. Vacuum enim vt omnes ferè physiologi, ita Anaxagoras & Diogenes nequaquam dari voluerunt. Quo autem istuc fiat modo, & de aquæ aërisq; antiperistasi, utq; simul fiat, in commentarijs de physico auditu est pertractatum, eo inquam in loco vbi de vacuo agitur. Et iste quidem referente philosopho de Anaxagoræ sententia piscium respirandi existit modus. Diogenes autem inquit pisces aqua extra eiecta quam per branchias receperant, vacuo quod eorum est in ore, ex circumstante & circumfusa aqua aërem actu in illa existentem attrahere, eoque respirare modo. Actu enim in aqua esse aërem (vt diximus) Diogenes voluisse videtur. Dicit autem philosophus illos aquam attrahere vacuo illo quod in ore habent: non sanè quòd vacuum in rerum natura posuerit dari posse Diogenes: (ex negantibus enim dari vacuum is certe fuit vfr) sed per vacuum quod in ore est, aquæ intelligere voluit absentiam: ita quæ in os aqua vacuum effectum, ad locum illum replendum illico aër subingrediatur. Et hæc quidem viri illi de piscium spiratione memoriæ prodidere. Cæterum quoniam modo ab ore ad cordis refrigerationem is progrediatur & perueniat aër, aut à quo attrahatur, neq; Anaxagoras neq; Diogenes ex ijs quæ hic recenset philosophus, declarasse videtur. Quamobrem vniuersaliori prius modo antequàm partialius vtrorūq; excutiat sententias, simul utrosq; taxans philosophus dicit non possibilis esse ea quæ de respirandi opere ab illis fuere prodita.

Anaxagoræ
& Diogenis
de spirandi op
sententia.

Anaxagoræ
& Diogenis
explicatæ sen
tentia.

Commentarij
de physico
audit.

Pincipio etenim dimidium auferunt rei, nam id quod commune est, alteri tantummodo adscribunt. Spiratio enim appellatur. Huius autem hoc quidem exspiratio, illud vero inspiratio, de qua nullam faciunt mentionem, quo pacto id genus animalia exspirent. Neque etiam illis dicere contingit. Cum enim spirauerint: hac qua inspirauerunt parte, rursus exspirare oportet: idque vicibus semper facere. Quamobrem cōtingit simul aquam ore recipere, & aërem exspirare. necesse autem est isthæc inter se occurrentia alterum alteri impedimento esse. Præterea cum aquam egerunt, tunc ore vel branchijs exspirant: quare accidit simul exspirare & spirare. Tunc enim ipsum spirare dicunt. Simul autem spirare & exspirare non est possibile. Si igitur necessarium est spirantia exspirare, & inspirare: exspirare autem illorum contingit nullum: manifestum certe est quòd nullum etiam illorū spirare continget. Præterea dicere etiā aërem attrahere ex ore, & ex aqua per os, non est possibile. Non enim habent arteriam, cum pulmones non habeant, sed venter statim ori adhæret: quare ventre attrahere necesse est: quod cætera quoque facerent animalia. nunc autem id minime faciūt. Quinetiam eadem ipsa cum extra humorem sunt, id ipsum manifeste facerent. atqui

id facere non videntur. In omnibus præterea spirantibus, spiritumque trahentibus videmus motum quendam excitum attrahentiis membri: quod piscibus contingere non videmus. nihil enim circa vêtrem mouere cernuntur, sed tantūmodo branchias, & cum in humore degunt, & cum in siccum inciderint, quando palpitant.

Multis hoc in textu argumentorum instat rationibus Aristoteles contra Anaxagorā & Diogenem qui piscium genus spirare, & aëre intromisso refrigerari voluerunt: primoq; illos insufficientiæ damnat. Cum enim spiratio commune quoddam sit nomen, communem sanè indicans rem, & in duo manifeste distinetur, in expirationem scilicet & inspirationem: dimidiū inquit illos huiusce afferre rei, id est alterum dicere, & alterum prætermittere membrum. Manifestū enim est tam Anaxagoram quàm Diogenē de sola inspiratione verba facere, illiusq; reddere causas: de expiratione autē nullam facere mentionem, quæ altera sanè spirationis est pars. Alterum igitur illius prætereunt membrum, expirationem scilicet, de qua sanè nihil dicunt, neque etiam ex illis quæ dicunt, id facere contingit. Quomodo enim de expiratione recte loqui poterunt illi qui non recte de inspiratione, sed perperam sunt loquuti? Quod vt ostendat, breuiter prius recenset quonam animalia inspirent expirantq; modo, dicens. Cum enim spirauerint, id est quando inspirauerint, spirationis vocabulum pro inspiratione hoc vsurpans in loco, genus scilicet pro specie ponens, ea certe qua inspirauerint parte, expirare illa necesse est. Necessarium enim est inspirans quodcunque expirare: idque permutatim & vicissim efficere: ita vt inspiratio sit prior, postea exspiratio consequatur, & rursus expirationem sequatur inspiratio. His ita constitutis quæ in spirantibus omnibus manifesto deprehenduntur sensu, vtrorumq; de spirandi modo in piscium genere reprehendit opiniones, dicens. Quamobrem contingit simul aquam ore recipere, & aërem expirare. Est autem quod dicitur, potestate huiusmodi: quoniam enim, vt voluere illi, exeunte de ore aqua aër ingreditur, & fit inspiratio, palam profecto est quod aqua in os ingrediente aër sanè egredietur, illiusque fiet exspiratio. Si enim contrarium cōtrario, per locum topicum: contrarium vtique erit contrario. non minus enim ingressus & exit⁹ cōtraria esse cōsentur, q̄ inspiratio & exspiratio. Si igitur ad aquæ de ore egressum fit aëris (vt dicunt) inspiratio, ad aquæ profecto ingressum in os aëris exspiratio fiet. Cæterū cum isthæc sibi inuicem occurrantia manifeste sese impedire sit necesse, & alterum sanè alteri officere (corpora enim sunt, quæ se penetrare non possunt) nulla profecto ad ingressum aquæ aëris poterit fieri exspiratio. Quamobrem eadem rationis via, neque ad aquæ egressum, aëris in ora piscium fieri poterit inspiratio. Simul enim ista voluere fieri, & non per vices, vt in ijs quæ sine controuersia respirant, fieri animaduertitur. Cæterum vt vera fateri liceat, & audacter proferre, logica sanè isthæc philosophi videtur esse ratio per probabilia procedens, nullamque rei necessitatem afferens. Ex ijs nanque sermonum ostensionibus, quæ de antiperistasi in physicis sunt declaratae, ne vsquam detur vacuum, illis paruo negotio responderi potest. Cedunt enim sibi inuicem elementorum corpora, & locum inter se concedere videntur: & cum laxius diffundantur, maiusque loci occupant spatium: tum coguntur in arctum, & in angustias se colligunt. Quare si quis isthæc nosse voluerit, illis petat de commentarijs. Satis enim mihi in præsentia esse debet digitum (vt aiunt) ad fontem intendisse. Aliam postmodum adducit rationem philosophus ad manifestum (vt videtur) illos inconueniens deductionem. Ex illorum nanque sententia sequitur, inquit, pisces simul inspirare & expirare, eodemque temporis momento ijs contrarijs moueri motionibus. quod nedum inconueniens, sed impossibile etiam esse videtur. Quando enim, inquit, aquam per os vel branchias (nihil enim refert alterutro dicere modo) emittunt, tunc certe expirare videntur. Ex vocabuli nanque etymologia omne id eijciunt & extramittunt quod ore vel branchijs continebant: sed tunc maxime de illorum sententia inspiratur aër. Aquæ nanque de ore vel branchijs egressu respirare dixerunt illi pisces. Simul igitur expirationes fiunt, & inspirationes: quo nihil sanè est absurdus. Vbi etiam animaduertendum esse cenfeo pro respiratione inspirationem esse intelligendam: quæ ideo confundere nomina hoc in loco philosophus videtur, quia illi pro inspirationis nomine, respirationis vocabulo vsi fuisse apparent. Cæterum si quis non simul, sed successiue hos fieri dicat motus: id autem propter breue temporis latere interuallum, vt in ijs quæ, ne detur vacuum, per antiperistasm fiunt, probabilis sanè non cogens isthæc etiam videbitur esse ratio. His ita ostensis philosophus ad superiores illas adductas rationes communem quandam adiungit conclusionem, ex illis scilicet colligens piscium genus non respirare. Cum enim, inquit, necesse sit respirantia animalia expirare & inspirare, vicibus scilicet, & non simul: ostensum autem est nullum piscium expirare posse: neque inspirare igitur vllum piscium poterit genus: quamobrem nullus profecto piscis respirare poterit. à quibus enim omnes remouentur species, ab eisdem ipsum etiam remoueri & abduci genus certissimum est: & à quibuscunque vniuersæ deducuntur partes, ab illis profecto totius abducitur & separatur natura generis. In animalium igitur respirantium numero, piscium sanè haudquaquā reponetur

Spiratio.
Inspiratio.
Exspiratio.

Logicas esse
philosophi ra
tiones cōtra
Anaxagoram
& Diogenē.
In antiperi
stasi elemen
torū corpora
sibi inuicem
cedere.

A quibus au
fertur genus,
auferuntur &
species, & cō
tra.

genus, cōtrā ac Anaxagoras & Diogenes voluerūt. Sub ijs statim dictis tres cōsequēter philosophus subiungit rationes illarum damnantes sententiam qui pisces respirare dixerunt. Quorum certe prima ex respirandi sumpta est instrumento, quo aquatilia ferè omnia carere cernūtur. impossibile enim est, inquit, dicere, vt asserunt illi, piscium genus aerem ex ore attrahere, vt Anaxagoras voluisse videtur: vel ex aqua per os, vt Diogenes sensisse dicitur. Non enim habent arteriā, id est spirabilē fistulam, cū pulmonibus manifeste vniuersum ferè id careat genus, cōiunctūq; ventri os habeant pisces. Attractū igitur aëre in illorū ferri ventres necesse est. Verum id haudquaquā fieri animaduertitur in ijs quę manifeste spirāt animalibus, sed per spirabilē fistulam ingressus aër ad ipsos peruenit pulmones, & non ad illorū ventres. nulla igitur spirādī illā est ratio aut modus quo spirare pisciū genus Anaxagoras & Diogenes prodiderūt. Pręterea si aërem, inquit, reciperent pisces, eoq; cōnati caloris vterentur refrigerio, in terra etiā id ipsum possent efficere, diutiusq; viuere illos extra aquas respirantes conspiceremus. Verū secus accidere animaduertitur. neq; durare enim neq; omnino viuere in terra illos cernimus, sed breui interire. Aërem igitur in respirando nō attrahūt pisces, vt illi voluere. Si enim attraherent, illis certe in arida etiā ad conseruandam sufficeret vitam, vt respirantium sufficere generi videtur. Vltimo loco id ipsum, nō respirare scilicet pisciū genus, ex accidentis cuiusdam ostendit euidētia, quod omnibus nimirū sine cōtrouersia respirantibus eo in opere adesse conspicitur. id autem est cū eleuatio locorū quorūdam, tum depressio, pectoris scilicet & pulmonum, necnon transuersi appellati septi. isthęc enim manifeste moueri cernuntur: & cum leuantur continuo & insurgunt: tum cōtrā vicibus deprimuntur & resident: quod ipsis accidere piscibus haudquaquā animaduertere licet, nam neq; illorum ventres, neq; vllæ sanè circa ventrem partes excitari moueriq; conspiciuntur, branchijs solūmodo exceptis, quas cum in aquis degentes mouent, tum etiam in arida, cum palpitantes & crebro commoti ceu strangulati & suffocati interire conspiciuntur.

Quod nullo modo respirant pisces.

PRæterea cum suffocata extinguuntur in humore quæ spirant omnia, bullæ sanè fiunt, cū spiritus violēter exeat, vt si quis testudines cogat, aut ranas, aut istiusmodi quippiam generum. Piscibus autem nihil tale accidit, etsi omni quis contendat modo, quippe qui nullum extrinsecus spiritum habeant. Et profecto quo pacto ab illis spirationem fieri asserūt, hominibus certe id ipsum in humore cōtingere posset. Si enim pisces in os ex circumfusa attrahūt aqua, cur etiam homines id facere non possunt, reliquaq; animalia? Nam eum qui ex ore est, perinde ac pisces attrahere poterunt. Quamobrem si ibi fieri posset, & hic certe fieret: quoniam autem fieri nequit, palām quod neq; in illis fiet. Ad hæc autem si spirare possunt, cur in aëre pereunt pisces, palpitareq; videntur vt illa quæ strangulatu intereunt? non enim alimenti inopia id pati videntur. Nā ea quam Diogenes affert, insulsa sanè est causa. Iccirco enim eos interire ait, quoniam in aëre quidem copiosiore attrahunt aërem, in aqua vero moderatum. In terrestribus etenim id ipsum accidere oporteret. Atqui ob vehemētem respirationem nullum terrestre suffocatur animal. Præterea etiam si spirant omnia, manifestum est quod insecta etiam spirant animalia: illorum autem pleraq; dissecta non modo in duas, sed in plures etiam partes, viuere apparent, vt quæ vocantur scolopendræ: quæ quomodo, aut qua cōtingit respirare parte? Causa autem cur præcipue de ijs non recte dicatur, est, quoniam tum internarum insueti erant partium, tum non animaduertebāt alicuius gratia naturam omnia facere. Si enim quæsissent cuius gratia animalibus inesset spiratio, & in partibus id ipsū cōsiderassent, vt in branchijs & pulmonibus, nullo sanè negotio spirationis causam adinuenissent.

Alijs rursus rationum euidentijs hoc in textu philosophus illorum reprehendere nititur opi-
 niones qui pisces spirare voluerunt, & vndique attestatam hac de re suam ostēdit sententiam.
 Prima autem ratio ex accidenti quadam sumpta est apparentia manifeste respirantium ani-
 malium, quæ si quo casu aquis immerfa suffocata interierint, ascendentes quasdam ad aquæ super-
 ficiem emittunt bullas, quas nimirum is efficere censetur spiritus qui illorum inclusus pectoribus vi
 extruditur, cum inspiratum sub aquis secum attulerint aërem, vt in testudinibus, inquit, videre cōtin-
 git & ranis, quæ quanuis sub aquis (vt retro dixerat) perdurare possint, tamen si quis illas vi diutius
 contineat, suffocantur certe, & inspiratum prius excernētes aerē, bullas quasdam in aquarum superfi-
 cie faciunt, quæ id ipsum nobis declarant. Quod profecto in piscium genere animaduertere non li-
 cet, si omni etiam quis contendat nisi illos sub aquis continere: quoniam, inquit, extrinsecus non ha-
 bent spiritum, id est quoniā non habent extrinsecus inspiratum aërem. Non spirant igitur pisces, ne-
 que extrinsecus aërem accipiunt pro conuati refrigerio caloris. Præterea si respirant, inquit, pisces, aut
 quia eum qui in ore ex aquæ fit motione attrahunt aërem, vt Anaxagoras voluit: aut quia ex circun-
 fusa aqua aërem illic actu existentem in os attrahunt suum, vt asseruit Diogenes: quid sanè prohibet
 homines etiam aquis demersos, animaliaque reliqua hoc etiam respirare posse modo, vel ex circūfusa
 aërem attrahendo aqua: vel ex aquæ ab ore reflatu motione aërem efficiendo, illumque postea in os
 suscipiendo? Si enim in piscium id fieri potest genere, in hominibus etiam reliquisque terrestribus
 animalibus fieri sanè poterit. Verum illis isthuc accidere non percipitur, quia fieri non potest. non
 respirant enim isthæc aquis demersa, quin potius suffocantur & intereunt. neque in piscium igitur
 genere id fieri vtique poterit. non spirant igitur pisces. Hæc sanè ratio per indemonstrabilem
 tenere videtur modum qui sub conditione profertur, cum destructo scilicet consequenti, antecedens
 etiam destrui est necesse: vt in isto verbi gratia, si curris, moueris. sed non moueris, non curris igitur.
 In literæ autem contextu cum dicitur, si enim pisces in os ex circūfusa attrahunt aqua, supplendum
 est, aërem: vt paulo post cum dicitur, nam eum qui ex ore est, similiter vt pisces attrahere poterūt, ad-
 dendum est etiam aerem. vtrobique enim defectiuus est sermo. Alia etiam instat rursus & vrget via
 philosophus, ab aduersarijs quærens cur nam pisces extra aquam positi palpitando & saliendo cito
 interire videntur, vt illa quæ strangulatu & suffocatione pereunt animalia. Siquidem aërem inspirare
 valent. Non enim dicendum est, inquit, id quod aduersariorum quispiam huic suffragari studens sen-
 tentiæ dicere posset, illos scilicet in terris expositos interire, quoniam alimento careāt. pluri enim tē-
 pore in aquis alimenti suffragio carere percipiuntur, nec tamen interire, quàm quo in terris eos mo-
 rientes conspiciamus, non idcirco igitur illos interire censendum est, sed quia scilicet cum aërem non
 spirant, naturali sibi aquæ carent refrigeratione. Nam ea, inquit, quam Diogenes affert causa, cum va-
 na est & fatua, tum refragantem etiam sensus habet experientiam. Dixerat enim ille extra aquas po-
 sitos pisces ideo cito interire, quoniam nimis multum attrahunt aërem, vtpote in toto tunc degentes
 elemento, & non moderatum, & illis spirabilem, qualis sanè is esse censetur qui sub aquis reperitur.
 immodico igitur illius strangulatur impulsu. Istuc cum stultum dicit esse & fatuum, spirantia scilicet
 animalia spirando suffocari, & spiritu viuentia illius præsentia interire: tum sensui etiam repugnans
 & contrarium. Nullum enim terrestre animal, & aërem sanè spirās, huiusmodi quippiam pati anim-
 aduertitur. Atqui id illis etiam accidere par erat si ex copioso vehementique aëris attractu & halitu re-
 spirantia suffocari possent animalia. Et hæc quidem contra eos qui pisciū spirare dixerunt genus, phi-
 losophus hucusque contendit. Cum autem illorum plerique non pisces tantū, sed omnia etiā spirare vo-
 luerint animalia, ratione hoc in loco de insectorum genere sumpta, illos absurda, & quæ fieri nō pos-
 sint, dicere, conatur ostēdere. Si enim omnia, inquit, spirant animalia, insecta etiā omnia, cū in anima-
 liū censeantur genere, proculdubio spirare dicentur. Cæterum cū istorum plerique defecta diuisaque nō
 solum in duas, sed in plures etiam partes, viuere animaduertantur, vt retro est ostensum: quomodo, in-
 quit, aut qua illorum parte frustra illa spirare, & idcirco viuere poterunt? Si enim (verbi causa) sco-
 lopendra, quam à pedum multitudine millepedam nostri vocant, multas secetur in partes, omnes
 profecto illæ viuere & motari visuntur. quomodo igitur spirant? Si enim illa quæ caput habent præci-
 sum, per os spirare dicent, disertationis causa id illis concedemus: sed statim ab illis quæremus & in-
 terrogabimus quonam modo cæteræ quæ etiam diuisæ viuunt, respirent partes: quæ sanè neque os
 neque caput habent, neque arteriam aliquam, neque pulmones. profecto dicere non habebunt. Quod
 si viuunt quidem illæ, & non respirant, integrum profecto etiam sine respiratione id viuere potest
 animal. Manifestæ igitur est falsitatis mendacium dicere omnia respirare animalia, cum insectorum
 manifeste non respiret genus. His ita constitutis, & antiquorum sententijs hoc taxatis modo, breuiter
 hoc in loco philosophus assignat causam cur hac de re perperā antiqui sint loquuti. Cū enim, inquit,
 viri illi nullam internarū experientiam haberent partium, quæ ex animalium dissectionibus recte com-
 parari potest, & incōpertum etiam haberent cuius gratia quælibet à natura conformata esset pars, &
 quamobrem respirandi quibusdam esset necessitas, in huiusmodi profecto delapsi sunt errores. Si
 enim pulmonis conspexissent viscus, illudque respirandi gratia effectum fuisse animaduertere pos-
 tuissent, eiusque operam & ministerium esse cum aerem attrahere frigidum ad interni temperamen-
 tum caloris, tum calentem illum & inutilem rursus expellere: profecto in quibus pulmones nō vi-
 dissent animalibus, illa omni assertione non respirare contēdisset: causasque ita cū respirandi, tū non

Indemonstrabilem sub conditione modum.

Insecta non spirant.

Scolopendra millepeda.

respirandi, nullo negotio afferre valuissent. Et hæc quidē ipse hoc in loco adducit. Ceterū quoniā nefas est (vt arbitror) præstantissimos illos viros, & de philosophia optime meritos indicta (vt aiunt) causa cōdemnare, turpiterq; ignorantia eos arguere, & reos etiā facere: pro illorū causa animaduertendum esse censeo, Pythagoreorū antiquam fuisse sententiā, à quibus vniuersa cū rite cœpta, tum præclare etiam perfecta fuisse videtur philosophia, spiritalem halitum quē attrahēdo animalia viuunt, non tātum in aëre esse, sed in aquis, terraq; etiā ipsa spissiore naturæ elemēto: cui rei testimonio esse possunt animalia quæ semper defossa viuunt, vt talpæ, vermiumq; complura genera. Omnia igitur de illorū sententia peculiari quodā naturæ spirare modo, vero (vt arbitror) consentaneū est: & terrestria quidē cū aëre vitalem illum attrahere spiritū: aquatilia vero cum aqua: alia vero cū ea scilicet elemēti natura in qua degere videntur. Nec aliquid (opinor) prohibet terrestria aëre refrigerari, & aquatilia aqueo humore, eoq; modo innatū calorē ad conueniens vitæ tēperamentū reducere & conseruare, dūmodo intelligatur vitale illū vigore omnia tranātis spiritū, in omnibus disseminatū mūdi mēbris, omniavivifico replere halitu. Vnde nō ab re Virgili⁹ Maro de hoc loquēs spiritu, diuina hæc cōdidit carmina:

Principio cœlum & terras, camposq; liquentes
 Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; astra
 Spiritus intus alit: totamq; infusa per artus
 Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Vbi certe de spiritu cunctis vitā præstante, & de mente quæ intelligentiam exhibet, de illorū sententia manifeste verba facere videtur. Hunc igitur quo omnia viuunt spiritum, & hunc vitalem halitū, aëris nonnunq; vocabulo antiquiores illos physiologos signasse, omniaq; illum spirare dixisse, non ab re in præsentia contenderim. Cur autē alia aliō illū trahāt modo, & cur aquatilia in terris, in aquis vero terrestria vitalis huius anhelitus indigentia strangulentur & intereant, præclarus sanē disquisitionis est modus: quem cum apud nullum adhuc expositū cōpererim, haudquaq; tamen silentio præterire statui id quod mihi dū isthæc scriberem succurrebat, non q; illud sententiæ haberi loco nūc ex postulem, sed vt alijs posthac inuestigandi potius ansam præbitam velim. Mihi etenim in causa esse videtur terrestria quidē sub aquis, in terra vero aquatilia suffocari & interire, quoniā cū spirabilis ille halitus, siue anima, siue spiritus vocari gaudet, peculiari in vtriusq; indigeat vehiculo, quo nimirū veluti instrumento vtitur: in terrestribus quidē aëris natura, in aquatilibus autem aquæ elemento, vtrique profecto id deficit generi dū in alieno elementi globo ceu orbe aliō collocātur. Non spirant igitur il-

la, quoniā in discōuenienti posita elemento vitale illā recipere & reddere nequeunt auram. quoniam vero non spirant, idcirco interire cito cōspiciuntur. Nā quod de pulmonum natura dicitur, quo viscere quæ carent animalia, spirare nō cēsentur, quale insectorū dicitur esse genus, huic (vt arbitror) nihil obstat sententiæ. Pulmonū enim loco omnibus illis alia quædā inesse potest pars, quæ illius sanē mēbri repræsentet vices, eiusq; fungatur officio: quod in cordis certe viscere, de eisdē verba faciens insectis retro dixerat ipse, quando omne animal necessario aut cor habere, aut partē illi proportione respondentem asseruit. Eadem enim rationis via dicerent ij quibus id est curæ, nullum spirare animal nisi pulmones habuerit, aut id quod illis proportione respondeat: quod insectis inesse omnibus proculdubio suo iure contenderent. Verumenimvero quoniam Plinij secundi plerosque etiam mouet authoritas, opinioni omnia spirare volentium suffragantis, fortasse non erit malum illius quoque ver-

ba subtexere quæ in nono naturalis historiæ commentario sunt notata. Cum enim in examinanda piscium natura de Aristotelis dixisset sententiā nullum sine pulmone spirare posse animal, hæc ad verbum subiungit. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo, quoniam & pulmonū vice alijs possunt alia spirabilia inesse viscera, ita volēte natura: sicut & pro sanguine multus alius humor. In aquas quidem penetrare hunc vitalem halitum quis miretur, qui etiam reddi ab ijs eum cernat, & in terras tanto quoq; spissiore naturæ partem penetrare, argumento animalium quæ semper defossa viuunt, ceu talpæ: Accedit apud me certē efficaciam vt credam omnia in aquis spirare naturæ suæ sorte, primū sæpe annotata pisciū æstiuo calore quædā anhelatio, & alia tranquillo velut oscitatio: ipsorum quoque qui sunt in aduersa opinione, de somno piscium confessio. Quis enim sine respiratione somno locus? Præterea bullantium aquarum sufflatio, Lunæque effectum chararum quoque corpora augescencia. Super omnia est, quod esse auditum & odoratum non est dubium, ex aëris vtrunque materia. Odorem quidem non aliud quàm infectum aëra intelligi posse. Quamobrem de ijs opinetur vt cuique libitum erit. Is etiam author in vndecimo eiusdem historiæ libro de insectorum genere verba faciens, Aristotelis & Peripateticorum taxans sententiā, hæc memoria prodidit: Insecta multi negarūt spirare, id ratione persuadentes, quoniā visceri interiori nexus spirabilis non inesset. Itaque viuere vt fruges arboresque, sed plurimū interesse, spiret aliquid, an viuat. Eadem de causa nec sanguinem ijs esse, qui sit nullis carentibus corde aut iecore. Sic nec spirare ea quibus pulmo desit. Vnde numerosa quæstionum series exoritur. Iidem enim & vocem esse ijs negant, in tanto murmure apum, cicadarum sono, & alijs quæ suis æstimabuntur locis. Nam mihi contuenti semper suasit rerum natura nihil incredibile existimare de ea. Nec video cur magis non possint trahere animā talia & viuere, quàm spirare sine visceribus. Quod etiam in maritimis docuimus, quāuis arcente spiritū densitate & altitudine humoris. Volare quidē aliqua, & animatu care-

re in ipso spiritu viuentia: habere sensum victus, generationis, atque operis, & de futuro etiam cura.

Digressio in la p antiquorū de respiratione sententia. Pythagorei. Vitalem aurā vbiq; esse, & oīa tranare.

Virgilius Maro.

Cur terrestria in aquis, contra aquatilia in terris strangulentur.

Plinius. ij.

ram: & quāuis non sint membra quæ velut carina sensus inuehant, esse tamen ijs auditum, olfactum, gustatum, eximia præterea naturæ dona, solertiam, animum, artem, quis facile crediderit? Sanguinē non esse ijs fateor, sicut nec terrestribus quidem cunctis, sed inesse simile quiddā, vt sepia in mari sanguinis vices atramentum obtineat: purpurarum generi infector ille succus. Sic insectis quisquis est vitalis humor, hic erit sanguinis loco. Sed existimatio sua cuiq; sit, nobis propositum est naturas rerū manifestas indicare, non causas iudicare dubias. Hæc Plinius. Ex quibus manifeste apparet de pisciū infectorūq; respiratione sententiā non magnos tantū, sed multos etiā ea tēpestate habuisse assertores. Verum de his hætenus, nūc cū Aristotele ad ea quæ hac de re sensit Democritus, accedamus.

Democritus autem spirantibus quidem aliquid euenire expiratione dicit, asserens per illam ne extrudatur anima prohiberi: non tamen quod huius gratia id natura efficiat, prodidit. Et omnino vir ille, vt alij etiam physici, nihil huiusce tangit causæ: asserit autem animam & calidum idem esse, primas scilicet sphericorum figuras. His igitur expulsis aëris inextrudentis spirationem auxilio esse inquit. In aëre nanque magnam esse talium copiam, quæ ille mentem & animam appellat. Spirante igitur animali, & aëre ingrediente, simul intrant illæ, & extrusionem prohibentes, inexistenter animalibus animam exire non sinunt: & hanc ob causam in ipso spirandi & expirandi opere cum vitam ipsam, tum mortem consistere. Cum enim circumfusus comprimēdo præualuerit aër, neq; quod extrinsecus ingreditur, amplius prohibere potest spirandi intercepto vsu, tunc sanè animalibus accidit mors. Esse nanque mortem eiusmodi figurarum de corpore exitum propter circumfusi aëris extrusionem. Causam autem cur omnibus necesse est mori, nō autem vt cunque, sed per naturam quidem senectute, præter naturam autem violentia, nihil declarauit: atqui oportebat, quoniam aliquando quidem id fieri apparet, aliquando autem non apparet vtrum eadem causa extra est, aut intus. De origine quoque spirandi nihil dicit, quæ illius sit causa, vtrum extrinsecus, an intrinsecus. Neq; enim quæ foris est mēs auxilium seruat, sed intrinsecus spirationis & motionis procedit initium, nulla circumfusi aëris vi. Absurdum quinetiam est circumfusum aerem comprimere, & ingressum diducere. Quæ igitur dixit ille, & qua ratione, ferè sunt eiusmodi.

Digressiſcula
de rerū princi-
pijs secundum
Democritū.

Post taxatas Anaxagoræ & Diogenis de piscium respiratione sententias, ad Democriti hac super re placita, cuius primo meminerat, hoc in loco reuertitur philosophus: eiusq; prolixè prius & insigniter sanè opinionem recenset: postea vero illam (vt sui moris est) reprehendit & dānat. Verum vt ea quæ hic explicanda sunt, melius percipi, & accuratius comprehendere possint, altius sanè quædam de opinione Democriti mihi in præsentia repetenda esse duxi: quæ hoc se habent modo. Duo rerum omnium principia Democritus esse voluit, plenum scilicet, & inane: & plenum quidem ens appellauit: inane vero siue vacuum, non ens. Porro in infinito vacuo (nam infiniti etiam posuit naturam) infinita ferri corpuscula asseruit infinitis prædita & insignita figuris, solida sanè omnia, & nihil in se vacui admittentia, & idcirco indiuidua, quas atomos appellauit. omnem nancq; sectionis diuisionisque modum vacui interueniente natura is vir fieri voluit. Corpuscula igitur illa non exiguitate sua, sed vacui absentia indiuidua & infecabilia (vt diximus) atomos vocauit. Cum autē omnes physici cōtraria posuerint principia, vt illorū nimirū inter se actionibus & passionibus cōstituerētur omnia, suis etiā Democritus principijs cōmunē quādā cōtrarietatis assignauit naturā. Distare enim illa voluit cū figurarū cōformatione, tū etiā ordine & situ, in quibus ceu primis quibusdā aliæ nimirū cōtrariorū cōprehēdūtur naturæ, sursum scilicet & deorsum, ante & retro, primū & vltimū. Horū porro concursatione complicationeq; corpusculorū cū ipsum factū fuisse cælum, tum

omnia etiam quæ illius continentur amplexu, fabricata & constructa. Cæterum non vniuersorum tantummodo corporum huiusmodi esse voluit principia Democritus, sed naturæ etiam incorporeæ. Animam namq; & mentem ipsam ex eiusmodi cõstare principijs asseruit. Cum enim animam ignem esse voluerit, ob calorem, motionisq; celeritatẽ, quæ certe duo illa sequestre & media in ipsa animato- rû deriuari visuntur corpora: calẽtia namq; sunt animata omnia, & moueri cõtinuò agitariq; animad- uertuntur: ignem autem ex globosis sphæricisq; constare eadem de causa dixerit atomis: ipsam ni- mirum animam sphæricis huiusmodi constare principijs asseruit. Et hæc quidem sunt quæ de rerum principijs Democritus sensisse videtur. His ita constitutis & prælibatis, videamus quænam vir ille de animalium respiratione, illiusq; senserit modo: quæ certe cû ex hoc textu, tum ex ijs quæ hac de re in primo de anima libro retulit philosophus, sufficienter sanè & clare satis colligi possunt. Cum enim animam Democritus ignem esse, & ex sphæricis constare corpusculis voluerit, à continentis, inquit, frigiditate vndiq; animalia circumplectentis, sphæricæ illæ atomi, quæ alioquin suapte natura bene sunt mobiles (figurarum namque omnium maxime mobilis est sphæra) compressæ & veluti eiacula- tæ de corpore exeunt. Quæ profecto animalibus mortem statim repræsentarent, abituq; suo corpus exanime relinqueret, nisi per halitum extrinsecus eiusmodi alia ingredientia corpuscula, cum exeun- tia illa occurfu prohiberent suo, egrediq; non permetterent: tum illorum quæ exire præuenissent, loca complerent. Corpusculorum enim illorum sphæricorum aërem esse refertum, quæ ille animam & mentem appellat. Idem enim esse animam & mentem Democritum voluisse, cum ex hoc loco, tum ex ijs quæ in primo de anima scripta sunt libro, manifeste apparet. Non solum autem spirantium vi- tæ extrinsecus illa occurrentia corpuscula hoc succurrere voluit modo Democritus, vt internarum scilicet exitum prohiberent atomorum, illarumq; vicẽ quæ exire præueniant, supplerent, sed etiam vt intrinsecis coniuncta atomis, illis nimirum vim præstarent vt continentis compulsioni extrusionique aëris firmiter resistere valerent, & non adeo ex facili nulloq; negotio eijci eiaculariq; possent. Et hæc sanè Democriti de respirandi necessitate, vt ex philosophi dictis plerisq; in locis colligere potuimus, fuisse videtur opinio, simulq; propositi textus sententia & intellectus. Quamobrem ad literæ posthac declarationem accedamus, in qua à principio statim Democritum taxare videtur philosophus, vt physicorum etiam plerosq;, qui cum de spirandi loquuti sint opere, finalem sanè illius causam silẽtio præteriere, cuius vel maxima in omnibus naturæ operibus excellentia & dignitas nimirum esse debet, cum alijs ipsa causis vim necessitatemq; asserre censeatur. Democritus enim (vt de reliquis hoc tacea- mus in loco) aliquid quidem respirationem dixit efficere, prohibere namq; interiorum exitum cor- pusculorum, id est animæ de corpore egressionem, dixit: non autem huiusce rei gratia id à natura re- rum effectum fuisse subiunxit. Exitum enim animæ de corpore respiratione prohiberi dixit Demo- critus, & non respirationis finem à natura primo intentum, animalis esse vitam & conseruationem intelligere voluit: quoniam genus hoc finalis causæ scilicet hac in re, vt physicorum pleriq;, neq; tes- tigit, neque animaduertere voluit. Cæterum (vera enim sunt libere profitenda) mirum mihi sanè, vel incredibile potius esse videtur, virum illum in physicis, si quis alius, sua tempestate consumma- tissimum, non animaduertere potuisse naturam cuiusnam rei gratia in animalium genere respirandi effecisset opus: qui certe respirare iccirco dixit animalia, vt continentis frigidi compressu extrusis & exeuntibus sphæricis atomis, externorum similium occurfu illorum inhiaberetur egressio, eoque vita animalium conseruaretur modo. Falsus enim fortasse & fictitijs opinionis illius videri potest mo- dus: & omnis illa cum extrudentis internas atomos continentis, tû extrusæ in illis animæ, nisi aliarum inspiratione similium extrinsecus sit succursus, erronea & fabulosa esse potest machina. Verum his quomodolibet receptis, tam finalis profecto est causa animæ per respirationem in corpore detentio & conseruatio, quàm per inspiratum extrinsecus aërem (vt ipse voluit) calidi ad temperamẽtum de- ductio, eiusdemq; conseruatio. Vtrobisq; enim vitæ cõseruationis gratia videri potest respirationem à prouida rerum natura fuisse institutam. Sed hæc vt obiter mihi succurrebant, ita sunt scripta. In omnibus vincat veritas. Postea vero quàm dixit philosophus finalẽ causam ab antiquioribus fuisse prætermisam, Democriti de respirandi modo recenset opinionem, quam quoniam pro tempore fa- tis explicatam fuisse duximus, nihil est quòd in præsentia pluribus immoremur, nisi quòd lectorem obiter admonitum volumus, per mentem & animam Democritum eandem intellexisse rem, vt in primo etiam de anima libro à philosopho est memoriæ proditum. Hoc autem iccirco (vt arbitror) quoniam Pythagoreorû fuit opinio, mentem ipsam animæ esse caput. cui sententiæ cum Academici omnes, tum Peripatetici etiam assensisse videntur: quam (vt arbitror) ex sphæricis illis constare ato- mis dixit Democritus, non quòd incorporeas naturas corporum cõstitui componiq; globis voluerit: sed intellectionis illius designans modum, qui in se ipsum sanè reflectitur, & circuli modo à se proces- dens, in sese recurrere censeatur, illis vsus est verbis. Verum de hoc, quoniam ad superiorem pertinet artificem, in præsentia tantum sit dictum. Prosequitur philosophus postea Democritum taxas, quòd necesse scilicet omnibus animalibus mortis causam non expresserit: quæ fortasse illi non conuenie- bat loco. non enim omnia in omnibus sunt incubanda: nisi forte de morte etiam & vita pertractari in illis cõmentarijs fuerat cõstitutum: quos quia non vidimus, istuc in præsentia indiscussum relinqui- mus. In litera autẽ vbi dicitur, sed per naturã quidem senectute, præter naturã autẽ violẽtia: id opi- nor signare vult philosophus, qd mors quidem illa quæ senio accidit, naturalis consumptione humidĩ,

Animam esse ignem secun- dum Demo- critum.

Democriti de spirandi ne- cessitate sen- tentia.

Idem esse ani- mam & men- tem ex De- mocriti sen- tentia.

Pro Demo- crito.

De Pythagoræ reorum sen- tentia mentẽ animæ esse caput.

Cur animã ex sphæricis cõ- stare atomis dixerit De- mocritus.

De naturali
& violenta
morte.

innatiq; caloris extinctu, naturalis sanè est, quoniã naturę in animali fatiscētis & defectę est termin⁹. illa vero quę vi aliqua accidit, id est in iuuenili aut consistenti ætate (vt iuuentutem hic senectuti opponamus, sicut præter naturam illi quod est per naturam) præter naturam esse censetur. non enim naturalibus prouenire videtur causis, sed extraneis quibusdam naturam vi opprimentibus, eiusq; tenoris seriem ceu extensum quendam funiculum proscindentibus. Quo etiam in loco vniuersi violentę mortis modi sunt intelligendi, qui sanè omnes præter constitutas naturę leges prouenire censentur. Oportebat igitur, inquit, illum dicere quam ob causam aliquando quidem in extrema animalis senectute accidit mors, aliquando autem in crescētibus ætatis annis, aut in consistentibus. Vtrūq; enim non parum sæpe videre contingit: neutrum vero semper. Addere præterea debebat, vtrum ne mortis ipsius causa extrinsecus reperiretur, an intrinsecus esset reperta. Neq; etiam, inquit, attulisse videtur Democritus conuenientem & aptam quandam de respirandi principio causam, vtrum ne internum id esset, an externum. Neq; enim ea, inquit, quę de foris est mens, auxilium seruat, id est neq; anima & mens quę extrinsecus in aëre reperiuntur, illa videlicet sphærica corpuscula, auxilium seruat, id est causę sunt cur animalia respirent: sed respirandi principium sanè est internum, conuati scilicet conseruatio caloris, eiusq; ad temperamentum deductio, nulla continentis vi indigens: quod etiã (vt diximus) Democritici non minus proferre possent, internum scilicet esse respirationis principium sphæricas illas atomos quę animalibus vitam præstare censentur: ad quod tamen nihil prohibere continentis etiam accedere (vt dictum est) exprimentem illam vim. Absurdum præterea est, inquit, & inconueniens, ipsum cōtinens simul exprimere, & id quod ingreditur dilatare. ceu idem dicere velut oppositorum esse causam. Si enim sphæricę illę atomi ignitę simul cum aëre nos ambiente existunt, vt ille voluit: absurdum certe esse videtur extrinsecus quidem existentes cum aëre infrigidare & adstringere corpora: cum eodem autem ingressas aëre calfacere & dilatare. Hoc enim modo vnus & eiusdem rei opposita & contraria nimirum essent opera. Probabilis sanè isthęc, sed non est necessaria ratio. eadem enim res non eodem se habēs modo, cōtraria certe opera efficere potest. Idem enim qui refrigerat & adstringit aër, si quapiam alterationis causa calidus efficiatur, illa proculdubio quę prius gelu adstrinxerat, resoluet & exalfaciet corpora. quod cum alijs in multis, tum nihilo secius in præsentis speculationis exemplo animaduertere cōtingit. Sphærica nanq; illa & calida corpuscula in copiosa quidem frigidi aëris præsentia à contrario veluti præpedita & hebescentia constringere cum illo corpora & compingere possunt: quę tamen ingressa, & ignitorum sui generis atomorum appulsu roborata & confortata, tum secum ingressum exalfacere valent aërem: tum etiam circumiecta dilatare & diducere possunt loca. Calidi enim suapte vi est dilatare.

Eandem rem
nō eodē se ha
bētē modo
contraria effi
cere.



Erunt si quę prius dicta sunt, vera esse existimare oportet, & non omnia spirare animalia, non de omni sanè interitu hanc adductam fuisse causam existimandum est, sed in ijs solum quę spirant: quanquam neq; de ijs ipsis recte. Palam autem est ex ijs quę accidunt, & ex huiusmodi quorum vsu habemus omnes. In caloribus enim exalfacti magis, spiratione indigemus magis, crebriusq; omnes spiramus. Cum autem circumfusus frigidus fuerit aër, corpusque adstrinxerit & compinxerit, spiritum distineri contingit. Atqui tunc oportebat eum qui de foris illabitur, extrusionem prohibere. Nūc autem fit contrarium. Nam quotiens non expirantibus copiosus calor sese collegerit, totiens spirationis indigent opera. Necessarium nanq; est inspirantes respirare: æstuentes autem refrigerationis causa crebro respirant, quando, quod in prouerbio, facit ignis ad ignem.

Alijs etiã rationū euidētis hoc in textu contra Democritum instat philosophus. Quoniã enim dixit ille eousq; perdurare & viuere animalia, quousq; respirare possent, mortemq; illico representari illis quando eo deficerent ab opere: iccirco hic dicit ipse non de omnium morte & interitu animalium hanc sufficienter adductam esse causam. siquidem ea quę retro de spirandi dicta sunt opere, recte vereq; fuere prolata: animalia scilicet solummodo respirare halitūq; trahere illa quę pulmonem haberent, cætera vero illo carentia viscere haudquaquam respirare. quo enim illa interirent modo, à Democrito nullam redditam fuisse causam. Cæterū cum ipse sit qui retro dixerat Democritum in eorū censi numero, qui omnia respirare existimauerunt animalia, nihil sanè est quod hac illum ratione in præsentia reprehendere contendat. Quam certe rem animaduertēs (vt arbitrator)

Pro Democrito.

- philosophus, cum in hoc aduersarium (quod aiunt) perstrinxerit potius quam confecerit, alia rursus illum aggreditur via, dicitque in ijs etiam quæ manifeste respirant animalibus, non rectam eum neque veram respirationis attulisse causam, ex ijs quæ palam accidunt, vscq; & experientia deprehenduntur, ratione sumpta. Si enim eius rei gratia sphaerica illa quæ animalibus insunt corpuscula, eisque vitæ sanè & motum præstant, eiaculantur & exeunt, quoniam ab extrinseci frigiditate continentis adstringuntur & condensantur corpora, & iccirco vt illorū inhibeat egressio, spiratione tunc indigēt animalia: oportebat profecto in caloribus & æstu aut nō respirare omnino, aut non crebro id facere animalia. non enim adstringūtur densanturque tunc corpora: quāobrem neque sphaericæ illæ extruduntur eiaculanturque atomi: quæ cum nō exeunt, nullam sanè respirandi efficiunt indigentiam. Verum alio
- 10 se res habere videtur modo. In æstuosis namque caloribus sensu percipitur crebra magnaque indigere respiratione animalia: quæ alioquin argenti anni tempore minus respirare, & diutius anhelitum cōtinere possunt. Cōtrario igitur hoc accidere videtur modo, quā quo Democritus voluit. ille etenim respirandi esse dixerat necessitatem propter sphaericorum exitum atomorum, illorumque extrusionē à corpore: quæ nulla profecto in feruoribus maximis iure à cōtinentis esse debet natura: & alioquin cum propter caliditatis indigentiam atomorum abscessu necessariā esse respirationē dicere videatur Democritus, oppositū certe æstatibus cōtingere cernitur magis, respirationis scilicet maiorem tunc animalibus adesse indigentiam ob caloris vehementiam, quā propter remissionem & paucitatem. Cum enim suppresso anhelitu multum fuerit cōgregatum intrinsecus calidum, tunc profecto & maiori & crebriori respirationis indigemus auxilio. quod etiam vel inde manifeste apparere potest. Feru
- 20 uido namque æstatis tempore excafacti, quando (vt in prouerbio est) ignis igni additur, exterior scilicet æstus interno calori, profunde sanè & crebro anhelu pectore respiramus, feruentis nimirum caliditatis remedium refrigeriumque quæritantes. Hæc ipse, qui profecto certissimus rationis videri potest modus, cum sensus testimonio vtatur, quem certe hac in re suffragatorem assertoremque præsentem habere videtur. Ceterum quoniam Democritum semel agere cœpi, illiusque tutari sententiā sum aggressus, huic etiam rationi pro mentis nostræ captu respondere tentandum. Dicamus igitur in primis aërem extrinsecus positum, & omnia complectentem, siue caleat, seu frigidus sit, in omni temporis constitutione animalium semper adstringere corpora, illaque certe comprimere. Semper enim contrarij ratione in illa agit, illorumque comparatione frigidus sanè esse cōfetur. Cui certe rei testimonio esse potest quauis calidus & feruens balnearum aër, in quo diutius commorantur & respirant homines.
- 30 Animaduertendū præterea esse ducimus quod ad omnē expressionis extrusionisque modū, nō solū exprimentis extrudentisque considerari debet vis, sed rei etiā expressæ obedientiæ vel inobediētia: siue obsequium vel resistantia: seu aptitudo, vel ineptitudo. Si enim illius quod exprimi extrudique debet, maior fuerit inobediētia vt exprimi extrudique possit, quā exprimentis fuerint vires, tunc profecto aut nulla, aut certe parua fiet expressio. Omnis enim vis & omnis potentia à maiori sanè proportionem super illius in quod agit resistantiam, agere sanè censetur. His ita constitutis, pro responsione ad philosophi rationem subiungimus, quod hyemis quidem tempore argente cælo licet valida calētium atomorum à circunciecta frigiditate fiat expressio, non tamen illorum vehemens sit extrusio, & multus exitus, quoniam per antiperistasin contrarium fugientes & declinātes validum, compinguntur certe illæ & vnitæ perstāt, neque extrudi faciliter & eiaculari possunt. Vnita enim virtus (vt omnes philosophorum clamant scholæ) maior & validior est seipsa dispersa & distracta. Huiusce autem rei vel cuius
- 40 dens signum est tum iuges puteorum aquæ eo incalescentes tempore, tum subterranei tepentes specus: quoniam in vtrisque ea temporis constitutione contrarij vim fugiens caliditas constipatur & vnitur, neque de facili vinci superarique potest. Ignitæ igitur illæ & sphaericæ atomi quæ intrinsecus animalis corpus viuificant & mouent, quauis à circūstanti frigiditate hyemali tempore valenter extrudantur & exprimentur, non parent tamen, neque multæ exeunt ob dictam causam: & iccirco exteriorum non multum indigent auxilio. Nō magnæ igitur, neque crebræ hyemis tempore in animalibus fiunt respirationes: quas certe contrario fieri modo in æstatis feruoribus cernimus, quoniam cum corpora tunc etiam adstringat (vt diximus) & exprimat frigidus illorum respectu aër, dissipatæ nimirum atomi illæ, velociterque commotæ, nullo negotio extrudentis exprimentisque sentiunt vim, & exeunt: quāobrem vehementiori tunc & crebriori respirationis animalia indigent auxilio. Et
- 50 hoc (vt arbitror) respondendi modo neque sensus perspicua negatur euidētia, neque Democriti penitus labefactatur opinio. Verum de ijs æstimet quisque vt libuerit. nam mihi propositum est omnia æqui bonique facere.

Efficax cōtra
Democritum
ratio.

Pro Democrito.

A èrē semper
comparatione
corporum i
gidi vicē præ
stare.

Omniem po
tentia à ma
iori agere
proportione.

Contrariū per
antiperistasin
à contras
rio valētius
fieri.

QVæ autem in Timæo scripta est circumpulsio, de alijs sanè nihil constituit animalibus quonam modo in illis calidi sit conseruatio, vtrum eodem modo, an aliam ob causam. Si enim solis inest terrestribus spiratio, dicenda erat causa cur solis. Sin etiam alijs, diuerso sanè modo de eo quoque determinandum erat, si quidem omnia respirare

possunt. Præterea etiam commentitius causæ illius est modus, quoniam per egressum caloris ore factum circuniectum inquit aërem impulsam in eundem ferri & incidere locum per raros carniū meatus vnde internum exierat calidum, quoniam nihil est inane, per illam quam ad se inuicem agunt antiperistasin. Excalfactum autem rursum per eundem egressi locum, & intro per os circumpellerere aërem qui calidus inde exierat. & hoc continuo cum spirantes, tum exspirantes facere.

Post Anaxagoræ, Diogenis, Democritiq; de respiratione enarratas explosasq; sententias, de hac ipsa re Timæi Platonisq; placita recenset philosophus, vt ipsa suo more reprehendat & dānet, quò maior opinioni propriæ posthac adducendæ adstruatur assensus. A principio autē ipsius literæ insufficientiæ statim Platonem damnat, qui solum in ijs quæ in confesso respirant animalibus, spirandi reddiderit causam, alijs sanè prætermittis, de quibus vtrum spirent necne, & si spirant, vtrum eodem spirent modo, an alio: & si non spirant, quoniam modo in illis conuati fit conseruatio caloris: nihil sanè ab illo, cum id non minus fieri oporteret, memoriæ proditū fuisse legitur. Quibus profecto si quispiā occurreret dicens voluisse Platonē exspirare & respirare animalia solum illa quæ pulmones habent, quæ nimirum eo quo homines respirant modo: alia vero quæ non respirant, innato succurre re calori eo quo ipse censet modo eadem illa sibi ipsis sufficere: profecto nulla in Platonis opinione dictisve hac de re videbitur esse insufficientia & defectus, nihilq; vere iudicari poterit à viro illo fuisse prætermittum, quod ad exactam illius sententiæ & dictorum faciat veritatem: quam rem (vt aliās semper fecimus) illorum relinquimus iudicio excutiendam examinandamq; qui nulli addicti sectæ, illam scienter libereq; perpendere & diiudicare possunt. Post quæ dicta philosophus de respirandi opere Platonis ex Timæo (vt diximus) refert sententiā: quam non erit fortasse malum si prius Platonis ipsius agnoscamus prolatam verbis, quæ alioquin Aristotelis breuitati eadē de re hoc in textu præclare suffragari poterunt. Sunt autem Marsilio Ficino interprete hoc maxime se habentia modo.

Sed videamus iterum quibus causis respiratio hunc in modum quem nunc cernimus, fuerit instituta. Cuius quidem rei talis erit consideratio: Quoniam vacuum nusquam est quo quicquam eorum quæ perierunt, ingredi queat: spiritus autem è nobis euolat: cuius certe constat non in vacuum quidem hunc spiritum euolare, sed proximum sibi è sua sede depellere: depulsum rursus illum, proximum sibi semper extrudere: ac secundum necessitatem huiusmodi quicquid in sedem illam repercutitur atq; impellitur vnde exclusus est halitus, ingressum illuc, replensq; halitum ipsum subsequi: idq; totum simul reuolutione quadā, quia nusquam sit vacuum, fieri. Quamobrem cum pectus pulmonesq; spiritum efflauerint, mox aëre corpori circumfuso meatus corporis penetrante replentur: ac rursus euolās à corpore aër, & emissus anhelitus, inspirationē intro retrahi cogit per oris nariumque meatus. Causam vero quæ ijs principium dat, huiusmodi ponimus. Omne vniuersi huius animal in venis & sanguine calorem quasi fontem ignis aliquem possidet: idq; reti sagenæ comparauimus per medium extensum, totumq; ex igne contextum, cum exteriora omnia ex aëre sint. Calorem sanè putandum est natura sua in regionem suam extra ad id quod sibi cognatum est emanare. Cum vero discursiones duæ sint, vna per corpus extra, altera rursus per os ac nares, cum anhelitus ad alia impetum facit destruditq; alia contra retrahit atq; repercutit. Quod autem retractum est, in ignem incurrens, calefcit: quod exhalauit, friget. Dum ergo caliditas permutatur: & quæ alio transitu vtuntur, calefcunt: ac rursus quod feruet, ad naturam suā emigrat, & hac emigratione alia in aliud iter repercutit, rursusq; hæc idem perpetiuntur aguntque semper. Certe anhelitus hic circulo quodam hinc atq; illinc iugiter fluctuans, expirationem & inspirationem continet. Hæc Plato. Ex quibus manifeste vult respirationem in animalibus non solum per os & nares fieri, sed ab vniuerso etiam corpore ob raritatem (vt inquit) carniū meatus & poros vndiq; in se habentium. Cū enim pro confesso accipiat (quod elegā tiores ferè omnes voluere philosophi) nullam vacuū esse naturam, sed omnia semper corporum aliorum plena reperiri, sic opinionem corroborat & confirmat suam. Dicit enim quòd quando ex ore & naribus per expirationem aër exierit calidus, vt cognatum scilicet sibi aërem, conuenientemq; petat locum, proximum sanè extrinsecus propellit aërem. non enim vacuum quippiam est quod occupet, & in quod ingrediatur. ille autem extrinsecus impulsus aër, alium certe sibi contiguū eodem rationis impellit modo, qui rursus illi loco cedens, coniunctumq; propellens & impetens animalis corpus, illiusq; ingressus carnes latentibus peruias meatibus, quo tēpore respiratio per corpus & illius carnes fieri censetur, iugi cursu tenorem conseruans suum, locum nimirum petit illum ex quo exspiratus ex ore & naribus abscesserat aër, illumque replet, ne vacuū quippiam relinquatur. Ibi autem valenter excalfactus, Euripi retrocedens more, & cognatū petens aërem in corporis meatibus existentem, illum sanè impellit, qui alium sibi contiguū impetit, eumq; extra corpus per latententes extrudit meatus: non alio sanè modo similitudinis modo, quàm quo in aquæductus fistulis

Pro Platone.

Platonis ex Timæo.

Respirandi modus de Platonis sententiā.

aque portio quædam præcedentem quidem impellit portiunculam, à subsequenti vero propellitur, quoad ordine quæq; suo à fistulæ exeant tubo, & in aërem eiaculentur apertum. Et ista nimirum exspiratio esse censetur quæ per corporis latentes meatus de Platonis sententia in ipsis fit animalibus. Porro is de corpore exiens calidus aër extrinsecum impellens aërem, illum certe loco mouet, qui alium impellens, eum sanè in patentes oris nariumq; meatus ingredi cogit, & ad locum deuenire illū vnde expiratus per corporis (vt diximus) meatus aër prius abscefferat. Et hæc nimirum respiratio est illa quæ per os & nares fieri animaduertitur. Is autem postmodum excalfactus loco vbi ignei caloris est fomes, cognatumq; sibi rursus petens aërem, per os (vt dictum est) & nares retrocedens extra fertur, vicinumque impellens aërem in causa certe est cur inspiratio posthac per corpus illiusque carnes eo quo diximus fiat modo: sicque circulari quodam processu ordine & via respirationum expirationisq; in animalibus supradicti fiunt modi. Cum enim per os naresq; respirent animalia, per latentes nimirum corporis tunc meatus eadem exspirare censentur. Cum vero per meatus respirant illos, per os certe & nares tunc expirare visuntur. Pro quo animaduertendū sanè esse cenfeo q; huius assertores dogmatis nō habent cōcedere q; omne quod inspiratur siue respiratur, (idem enim per vtrunq; intelligo vocabulum) penitus expiratur, sed id omne quod excalfescit. Calfescit autem non vniuersum simul, sed per partes: vt cum ex aqua in aërem fit trāsmutatio, non tota simul in aërem vertitur aqua, sed per partes id sanè accidere videtur. Similis igitur proportionis est modus cum ingreditur aër in tercedente respiratione, non enim totus simul incalfescit, sed per partes, quæ conuenientem (vt diximus) petentes locum, illico contiguas sibi impellunt partes, quæ statim exeunt simul cum impellente, mouentq; & loco (vt diximus) pellunt extrinsecum aërem: ex quo in aduersa animalis parte fit respiratio. Et hic profecto est Platonis Academicorumq; de respirandi ratione clarissimus (vt opinor) modus: ex quo Aristotelica hac de re verba quæ breuitatis causa obscura fortasse videri poterant, tandem etiā cuiq; & hebeti manifestissima sanè fient: quanuis in tanta compendij breuitate nihil (vt arbitrator) clarius, nihil elegantius enunciari exprimiq; potuit. Quicquid enim hac de re lacteum eloquentiæ Platoniciæ flumen pluribus descripsit verbis, id sanè totum non minus perspicue quàm elegantè Aristotelica mirifice expressit breuitas.

Contingit autem sic opinantibus prius inspirationem fieri quàm expirationem. Signum autem, quoniam vtraq; res penes sese vicissim peragitur. Moriētes autem exspirant: quamobrem necesse est principium esse inspirationem. Præterea cuius rei gratia isthæc animalibus contingant, inspirare inquam, & exspirare, nihil sanè dixerūt qui hoc asserunt modo: sed tanquam de re quadam quæ temere fiat, loquuntur. Atqui isthæc cum vitæ, tum mortis dominari animaduertimus. Cum enim spirare nequeunt quæcunq; spirant, ea tunc interire contingit. Quinetiam absurdum est, calidi quidem per os cum exitum, tum ingressum nos non latere: spiritus autem in pectus ingressum, eiusdemq; rursus excalfacti egressum, nos latere. Absurdum quinetiam respirationem calidi esse ingressum: quandoquidem contrarium apparet. Quod enim exspiratur, calidum sanè est, quod inspiratur vero, frigidum. At cum fuerit calidum, anhelantes respirant, quoniam enim id quod ingreditur, non sufficienter refrigerat, crebro spiritum trahere contingit.

Exposita Timæi Platonisq; de respirandi modo sententia, hoc in textu philosophus quatuor contra illam instat rationibus, quarum prima est quòd ex illorum dicēdi serie & modo, in animalium genere quæ huiusmodi naturæ vtuntur opere, prior sanè inspiratio est ipsa exspiratio: ne: quod est ac si diceret inspirationem quidem esse causam, causatum vero & effectum expirationē. Dixerunt enim (vt vidimus) quòd expiratus per os & nares calidus aër, extrinsecus positum propellebat aërem, qui impulsus sibi contiguum loco dimouebat: isq; rursus per latentes corporis ingreditus meatus, ne quid daretur vacui, ad sedem illam properabat vnde egressus ille per os & nares aër abscefferat. Manifestum enim est quòd nisi aër ille prius ingressus fuisset, & ad eum inspiratus locum vnde postea excalfactus, & contiguum propellens aërem, simul cum illo egreditur, peruenisset, nunquam profecto exspiraret animal. Expirationis igitur causa est inspiratio. Cum autem causa prior esse censeatur effectū, inspirationem certe priorem expiratione esse summa est necessitas. Quod alia

Prima ratio
cōtra Timæum
& Platonem

Pro Timæo
& Platone.

Secunda ratio
cōtra Timæū
& Platonem.

Pro Timæo
& Platone.

Tertia ratio
contra eisdē.

Pro eisdem
responsio.

Quarta ratio
contra eisdē.

Pro eisdem
responsio.

etiam rationis probat via, morientes inquit vltimum expirare. Si enim vltimo expirant, paulam certe est quod inspiratum pauloante expirant aërem, qui expiratum vltimo expulit calidum: quo sanè expulso amplius non expirant animalia, quoniam iam vita functa inspirare amplius nequeunt. Expirationis igitur hoc modo causa ipsa videtur esse inspiratio: & sic expiratione nimirum (vt diximus) de illorum sententia prior est inspiratio. Id autem falsum & erroneum merito esse censetur, cum huiusmodi iuxta sese vicissim fiant, id est cum huiusmodi vicissim sibi ipsis sint causæ: quæ profecto certissime veritatis videtur esse ratio. Tam enim inspiratio expirationis est causa, quam expirationis inspiratio. Verum nihil Timæum Platonemque (vt opinor) huiusmodi reprehensionis tangit modus. Voluere namque (vt vidimus) viri illi in eo naturæ opere hæc se inuicem consequi & præcedere, circulumque effici quendam cum expirantis tum inspirantis naturæ, quoniam vtrunque id opus alterius respectu & causa est & causatum. Sicut enim in circuli reuoluto orbe nulla prior & posterior recte dicitur esse pars, sed quacunque accepta parte, prior profecto illa & posterior merito esse existimatur: ita in ipso respirationis gyro inspiratio cum prior tum posterior expiratione iure dici potest. Quod sanè viri illi cum manifeste intellexisse videntur, tum verbis etiam clare expressisse circuli similitudine adducta. Quoniam autem ab expirato aëre calido opinionis suæ modum ostendere cœperunt, iccirco Aristoteli ansam dedisse videntur ad argumentandum videlicet ex illorum apparere verbis inspirationem expiratione esse priorem. Secundam postea subiungit rationem philosophus illorum planè insufficientiam taxans qui de respiratione eo loquuti sunt modo, quoniam finalem, inquit, illius reticuerunt causam, neque expresserunt cuiusnam rei gratia animalibus quæ eo vtuntur opere, istuc prouida circūscripsit natura, sed de illo ceu de vulgari quopiā accidente quod temere fiat, verba fecerunt, qualia pleraque in animalium visuntur genere nullius gratia finis effecta, sed materiæ necessitatem consequentia. Atqui, inquit, isthæc animaduertimus opera inter ea quæ principem obtinent locum, connumerari, vitæque in se causam mortisque continere. siquidem respirantia animalia eouisque viuere conspiciuntur, quousque respirare possunt. Cum autem id efficere nequeunt, manifeste sanè intereunt & corrumpuntur. Hæc philosophus. Cæterum isthæc manifesta videtur esse calumnia haudquaquam iure contra viros illos composita. Respirationem enim illorum vterque voluit esse ad internum refrigerandum temperandumque calorem, & illius rei gratia à natura constitutam, & animalium generi traditam. nihilque profecto hac in re ab illius discrepare videntur sententia. Quod clare sanè ex Platonis verbis perspicere licet, vbi de hominis illiusque partium fabrica à nouitijs constituta conflatamque dijs in Timæo loquitur suo. Post enim præclaros illos de corde sermones, de pulmonis differens natura, hæc ad verbum scribit. Auxilium cordi machinati dijs pulmonis ideam inseruerunt, fistulas in se habentem, & veluti spongiam perforatam, vt spiritum & potum suscipiens & refrigerans, illi respirationem facultatemque feruoris tempore præbeat: quamobrem arteriæ canales ad pulmonem diuiserunt, ipsumque circa cor constituerunt. Hæc Plato: ex quibus vel cæco (vt aiunt) est manifestum illum cum Pythagorico voluisse Timæo respirationis finem caloris innati temperamentum & conseruationem esse: quod cum Academicis & Peripateticis omnes, tum elegatiores postea physici & medici voluerunt. Tertia post prædictas adducitur ratio, quæ perspicuitate sua, nullo sanè explicationis indiget auxilio. Ait enim inconueniens quidem esse & absurdum inspirationem & expirationem quæ per os & nares fiunt, sensu deprehendi posse: illas autem quæ per reliquos corporis procedunt meatus, nos planè latere. Inspiratus etenim & expiratus per os & nares visitur aër, hyberno maxime tempore, cum circūstans nos frigida & crassa aëris est constitutio: quod tamen nulli temporis qualitate in ijs quæ toto corpore fiunt expirationibus & inspirationibus animaduertere licet. Latet enim nos, inquit, spiritus ad pectus ingressio, cui sanè subaudiendum est literæ, per occultos scilicet corporis meatus. & illius rursus excalfacti egressio. Quæ res (vt arbitror) tantum abest vt inconueniens sit & absurda, vt vera sanè, & si alia quæpiam, recte & naturaliter se habere videatur. per eos enim qui latissimi corporis sunt meatus, ingressiones egressionesque aëris manifestas esse verisimile est: quas itidem latere nos cum per minutos & sensum effugientes fiunt poros, non minus vero est consentaneum fieri illas cum omnis physicorum medicorumque consentit natio, insensiles corporum concedentes halitus: tum ipsa etiam docet experientia, sordes quasdam cernens in membris, & roridas sudoris humiditates per angustos latentemque corporis meatus continuo exeuntes. Vltima autem præsentis literæ ratio quanto manifestior est verbis, tanto re ipsa inefficax magis cōtra Timæum & Platonem esse videtur. Dicit enim absurdum & inconueniens esse aërem inspirari calidum. quasi illi concedere necesse habeant, illum qui per expirationem calidus exierit aër, rursus vt est intus attrahi & inspirari: idque cōtrarium ipsi experientiæ esse asserit. Calidum enim, inquit, expiratur, & frigidum inspiratur, quoniam scilicet illius ad loca illa refrigeranda est necessitas. Quam rem significanter profecto & admodum manifeste declarat illius testimonio accidentis quod in feruidis anni temporibus circa respirandi opus fieri animaduertimus. Tunc enim feruore extrinsecus vrgente anhelantia respirant animalia, quod sanè exponens vocabulum, crebro inquit tunc illa spiritum trahere. Id enim est anhelare. istuc autem illis iccirco accidere, quoniam cum circumfusi constitutio aëris non sufficienter refrigerare valeat, crebra tunc anhelitus frequentia, quod illi de qualitatis deficit natura, vt fieri potest, animalis indigentia repræsentatur. Cæterum vt rei veritas proferatur, neque Plato calidum vsquam ad respirandum ingredi dixit aërem: neque ex verbis illius aut Timei, sententiæque modo, id sanè conijci deducere

potest. nam & respirationem ad interna refrigeranda loca necessariam esse voluerunt, & calidum ex-
euntem aërem nō prius inspirari quā à compari extrinsecus frigeret, vterq; asseruit. Dixit enim
in Timæo suo Plato (vt retro cognouimus) hac de re istuc ipsum, sic scribens. Quod autem retractū
est, in ignem incurrens calefcit: quod exhalauit, friget. & quæ sequūtur. Ex quibus sanè apparet quòd
nullam calidi respirationem, vt illis imputatur, esse censuere Timæus & Plato.



Erumenimvero neq; alimenti gratia existimandum est respi-
rationem effici: quasi à spiritu internus alatur ignis: & spirāte
quidem animali tanquam igni fomitem subministrari: alio
autem igne expirationē fieri. Eadem enim rursus ad hanc
10 rationem afferemus, quæ ad priores attulimus. In alijs etenim animali-
bus istuc ipsum accidere oportebat, aut aliud sanè quod huic proportio-
ne responderet. Omnia nanque vitalem habent calorem. Præterea cali-
dum ex spiritu effici quoniam oporteat modo, dicere, commento est simi-
le. id enim ex alimento fieri cernimus magis. Contingit autē per id alimē-
tum capere, & excrementū eijcere: quod tamen in alijs fieri non videmus.

Post Timæi Platonisq; de respirandi modo & opere taxatas sentētiās, hoc in textu philosophus
quorundam, quos tamen de nomine non declarat, de respiratione recenset sententiam. Dixisse
nanq; asserit illos ideo respirare animalia, vt internus ignis, conuatum scilicet calidum, spiritu,
id est inspirato aëre, aleretur, qui nimirum illi fomitis & pabuli est loco, & ceu ligna combustibilisque
20 materia ignita illi alimentum præbet. Cibi igitur vicem inspiratum præstare aërem voluerunt: ex-
spiratum vero ceu inutilem & incommodum factum pro excremento censerit, forasq; eijci. Hæc illi,
quicunq; fuere (nanq; huiusmodi assertores dogmatis apud neminem memoriæ proditos legi) philo-
sophi sententia de respirandi opere sensisse videntur. Nam quod recentiores dixere quidam, istuc etiā
de Platonis esse opinione, illumq; hoc planè taxari in loco, haudquaquam verum esse arbitror. Nus-
quam enim (quod sciam) internum ignem spiritu ali dixit Plato: neq; respirationem ideo fieri, vt illi
extrinsecus pabulū suggeratur, qui (vt vidimus) ad cordis refrigerium, conuatiq; caloris conseruatio-
nem & temperamentum à natura machinatam fuisse respirationem affirmavit. Cui certe sententiæ
cum alia plerq; illius indicio esse possunt, tum quæcunq; vir ille de calore & spiritu in Timæo suo
memoriæ prodidit. quo in loco sensisse sanè videtur, id quod elegantiores post eum physici & medici
30 proculdubio voluerunt, caloris scilicet naturalis fomitem in cordis arce collocatum esse: vbi spiritus
ipse, id est sanguineus quidam vapor, caloris opera ex tenuissimo procreatus sanguine, illi coniūctus
mira quadam naturæ efficacia vniuersum permeat corpus: qui quoniam vitalis est, iugiq; & perpe-
tuo cietur motu, per omnes penetrans meatus, calorem motione semper excitum, vitamq; secum de-
fert, omnibusq; impertit membris. Præterea quicquid in stomacho alimenti reperit, totum certe id
extenuat & digerit, secumq; ad iecur trahit: quod in sanguinem eo loci concoquens, illum postea ad
venas arteriasq; secum rapit, in quibus exactior sanè quædam meliorq; sanguinis fit coctura: qui post-
modum ad vniuersa transmittitur deriuaturque membra, quæ sanè singula nutrit & auferere facit.
Is autem feruens, & omnia viuificans spiritus, per omnes transire venas & arterias de Platonis sen-
40 tentia censetur: & venas quidem crassiore replere sanguine, arterias autem subtiliore. Et quanuis
vtrouique spiritus sanguinis vehiculo inuehatur, in venis tamen sanguinis plurimum, spiritus non
adeo multum reperitur. Contrā in arterijs spiritus sanè multus est, sanguis vero exiguus. Cuius etiam
aliam voluit distinctionis esse differentiam. Nanq; is qui in venis est spiritus, naturalis esse censetur:
vitalis autem & animalis is certe est qui arteriarū fistulas replet. Quamobrem prior quidem ille alit
magis, & auferere facit: hic vero posterior vitā motionemq; animalibus præstare non immerito exi-
stimatur. Hæc sunt quæ de calore & spiritu cum diuinus ipse Plato, tum posteriores Academici sen-
sisse videntur. Ex quibus nullum interno calori alimentum, extrinsecum per respirationem inferre
aërem, aut dictum aut intellectum animaduertere possumus. Aliorū igitur quorundam (vt diximus)
supra enarrata fuisse videtur opinio: contra quam tribus, sed breuib; rationum inuehitur instātijs.
Quarum prima (vt videtur) insufficientiæ sanè illos damnat, quoniā ijs quæ non respirant animalis
50 bus, ab illis dictus spirādi quadrare non potest modus: qua de re nihil sanè ab illis pertractatum ex-
quisitumq; fuisse videtur. Certum autem est (quod retro etiam fuit ostensum) animalia omnia inter-
no quodam viuere calore. Eadem igitur contra istos certe afferri possunt, quæ contra Anaxagoram
Diogenemq; fuere dubitata, de ijs scilicet quæ non respirant animalibus, quomodo internus illorum
alatur calor, aut alio conseruetur modo, qui certe illi proportione respondeat: quod quia non ex-

Inspiratum
aëre de quo-
rundam sen-
tentia natu-
ralis caloris
esse fomité.

Platonis de
naturalis calore
& spiritu sen-
tentia.

Sanguinis dif-
ferentia cum
in venis tum
in arterijs exi-
stentis.

Primatio.

prefferunt, insufficienter profecto hac de re pertractasse merito existimari possunt. Præterea, inquit, & est secunda contra illos ratio, commentitium sanè, inquit, quiddam esse videtur, & fabularum deliramentis non ab simile, modum recensere conari quo calidum ex spiritu generetur & fiat. Sensu enim percipimus ex ingestis in corpus ciborum alimentis, & recte decoctis, calidi naturam generari & conseruari. Ex ijs nanq; digestis sanguis efficitur, qui calidi subiectum, & (vt diximus) vehiculum esse censetur. Longe autem esculentorum poculentorumq; composita natura ab aëris simplici distat essentia. Postquam rationem tertiam statim subiungit in probationem ex operum naturæ similitudine sumptam. Accidere enim inquit ex huiusmodi positione quiddam contrario ac rerum ipsa natura præscripsit modo. In omni etenim animalium genere alia quidem cibos & potus recipiunt membra: alia vero excrementa superfluentescq; ciborum partes deiciunt & egerunt. Os enim in omnibus cibos & potus recipit: sedis autem infima loca illorum excrementa expellunt, & amandare visuntur. Ex illorum autem sententia eadem corporis pars, id est os & nares, cum inspiratum recipiunt aërem, id est calidi ipsius alimentum, tum exspiratum emittunt, quod illius certe excrementum esse & superfluum voluerunt: quæ res absurda profecto esse videtur, rerumq; naturæ (vt diximus) contraria constitutioni & fabricæ. Cæterum quoniam ad illorum verba huiusmodi adductæ fuisse apparent instantiæ, si quidem per ali & nutrirum internum calorem ab externo spiritu, id est aëre, conseruari illum, & ad vitæ commodum aptumq; temperamentum deduci intellexerunt: non video quamobrem iure & merito hac in re reprehendi possint. Nam in ijs quæ non respirant animalibus, si id viri illi concederent, conuenienter satis respondere possent quòd licet aëre inspirato conuati caloris conseruatio fieri non possit, extra tamen positus ille, & illorum tangens corpora (vt inferius ipse dicit) sufficiens satis remedium illius conseruationi esse potest.

Secūda ratio.

Tertia ratio.

Diuerfas corporis partes operibus attribui diuer.

Pro responsione ad obiecta intellectus.

DE respiratione etiam mentionem facit Empedocles, sed neque cuius gratia fiat, neque de omnibus palàm facit animalibus spirarent illa, necne. De ea præterea quæ per nares fit respiratione verba faciēs, de præcipua loqui respiratione arbitratur. Contingit etenim cum per arteriam ex pectore spirare, tum etiam per nares: ipsis autem sine illa spirare non licet naribus. Et alioquin ea quæ per nares fit respiratione si priuentur animalia, nullum incurrunt detrimentum. Si vero hac quæ per arteriam fit orbentur, intereunt. Natura nanque non ex proposito ea quæ per nares est spiratione ad nonnullorum animalium olfactum abutitur. Quamobrem odoratu quidem omnia ferè participant animalia. Omnibus autem idem non est sensiterium. De ipsis autem manifestius in alijs est pertractatum. Fieri autem asserit inspirationem & exspirationem, quoniam venæ sunt quædam in quibus sanguis quidem inest, non tamen plenæ sunt sanguine. Meatus autem in eum qui extrinsecus est habent aërem, corporis quidem partibus tenuiores, aëris vero ampliores. Proinde cum sanguis cum sursum tum deorsum moueri naturam habeat: si quidem deorsum feratur, influere aërem, & inspirationem fieri: sursum vero lato, foras effluere, exspirationemq; fieri, eiusmodi assimilans accidens clepsydris.

Empedoclis Agrigentini sententiam de respirandi modo, post enarratas aliorum opiniones hoc adducit in textu Aristoteles, illam satis accurate & prolixè recensendo, eiusq; intellectum explicando, quod in alijs non ita fecerat, quoniam (vt arbitror) cum versibus Empedocles dogmatico scribendi stylo, reperiatur, quæ certe aperire & explanare oportebat, vt illius de respirandi modo clare patere posset sententia. illius quinetiā poetico (vt opinor) delectatus ingenio, præclara ad verbum hac de re conscripta recenset carmina, eorum (vt diximus) explicatione præmissa. Verum ante omnia illum (vt alios etiam fecerat) cum insufficientiæ, tum falsitatis etiam damnare contedit. Et insufficientiæ quidem, quoniam de respiratione verba faciēs, finalem illius reticuerit causam,

- quæ sanè inter reliqua causarū genera principalem obtinet locū. Præterea quoniã dictis non expresserit suis vtrum ne omnia spirent animalia, aut ex illorū genere quædam esse censeantur quæ inspiratum non trahāt aërē: istuc enim de spirandi opere verba faciētem examinare certe & recēdere oportebat. Et hæc profecto illius adscribit insufficiētiã. Pro sententiã autē illius falsitate ostendenda, alia sanè aggreditur procedere via, asserens illū cum de illa quæ per nares fit respiratione verba fecisset, de principali se respirationis pertractasse modo existimauisse: quod profecto falsum, & erroris plenu est. Cum enim duo, inquit, respirandi sint meatus, nares scilicet, & illa quam tracheam vocant arteriã: principalior certe arteriæ est semita, quæ ad pectus pulmonesq; recta ducit: quàm narium via, per quã non nisi ab arteriã emissus egreditur halitus, aut per eas intronissus arteriam statim petit, vt inde ad caloris innati temperandã accedat superfluētiã. Cū igitur nares sine arteria spirare nequeat: illa autem absq; narium adminiculo in id exire valeat opus: principalius profecto arteriæ q̄ narium ad id muneris existimari debet obsequium. Et alioquin alia etiã via id ipsum palàm esse potest. Animalia etenim quæcunq; spirant, omnia obturato obstrusoq; narium meatu pati videntur nihil, vtpote quæ arteria spiritum sufficienter trahant, & inuicem reddant: quæ certe si quo obturetur casu, aut arte constringatur, eadem illico strangulantur & intereunt, ceu respirationis principali intercepta & prærepta semita. His contra Empedoclem adductis, obiter respirandi per nares vtilitatem & cōmodum à rerum natura quibusdam concessum animalibus recenset. Dicit enim naturam vltra eam quæ principalior est intentio, respiratione quæ per nares fit, ad odoratum etiam abuti quorundã animalium, in quibus scilicet odoratus semita carūculis quibusdam obstruitur, aut alia quapiam re obducitur & præpeditur, vt in hominibus est videre. In his igitur inspiratus per nares aër id remouens obstaculū, odorabili speciei, siue fumalis sit illa euaporatio, siue immaterialius quippiã, patētes sanè ad olfactus sensiterium præstat accessus. Ad duo igitur nimirum natura, ea quæ per nares fit respiratione, vt videtur: ad melius scilicet citiusq; refrigerandum cordis principium, adiuncto sibi arteriæ ministerio: & in quibusdã (vt diximus) animalium, ad remouēda obstacula, & obices dimouēdos qui obiectu suo odoris speciei ad olfactus sensiteriū peruenire non sinūt. Et primum quidem principalis naturæ est intentio: secundum vero ex superfluenti quadam illius sit indulgentia, & ad bene esse: quod sanè *πάρεργον* hic philosophus appellat, id est præter principale intentum: quod in alijs etiam plerisq; illã prouide facere animaduertimus. Linguae namq; instrumento (cuius mihi nunc obiter se offert exēplum) cū ad gustatum natura vtitur, tum ad loquēdum, & ad cordis arcana propalandū. Subdit postmodum philosophus q̄ omnia ferè odorantur & olfaciūt animalia: omnibus autem idem nō est sensiteriū. Vbi de olfactus quidem sensu illud ferè adiunctū esse videtur, vniuersalitalisq; restrictior effecta, propter animalium quorundã imperfectorum genera, quæ sanè nullum habere vidētur olfactum: quales sunt ostræ, & ex terrestribus vermium genera, eiusmodiq; nonnulla. Quod autē non omnibus idem olfactus sit sensiterium, sed alijs quidem narium caruncula, alijs autem meatus quidã nullo anfractu recte peruij, nonnullis vero (vt insectorū generi) transuersi membrana septi, dictum est cum in ijs quæ de sensu & sensili inscribuntur cōmentarijs, tum in libris de animalium historia. His ita dispositis & enarratis videamus Empedoclis de respirationis modo adductam sentētiã, vt à philosopho hoc adducitur in loco. Dicit enim respirationem & inspirationem in animalibus iccirco fieri, quoniã in illorum corporibus quædã sunt venæ sanguinem quidem in se continētes, non plenæ autē & redūdātes.
- 40 Porro venas huiusmodi meatus habere quosdã dicit per vniuersum corpus ad extrinsec⁹ circūfusum aërem contēdentes, qui corporis quidem partibus, id est sanguine, (id enim in præsentia per corporis intelligit partes) sunt tenuiores & angustiores, vt inde scilicet exire & egredi nō possit: aër autē ipso maiores & ampliores, vt facile scilicet per illos ingredi & egredi possit. Cū autē sanguis calore videlicet & spiritu sursum & deorsum moueatur, illius profecto motione cum respirationē, tum inspirationem fieri. Cum enim retrocedendo deorsum mouetur, vacuaque deserit quæ prius occupauerat loca, per tenues illos meatus ad illa replenda circūfusum ingreditur aër. Et hæc nimirum animalium respiratio esse censetur. Quando vero sursum fertur sanguis, obstantemque repellit aërem, illum certe nullo negotio foras extrudit & eicit, idque naturæ opus, expirationis sortitum est nomen. Quod sanè clepsydræ similitudine significanter etiam & manifeste declarat Empedocles. Est autem clepsydra vas quoddam quo irrigantur hortuli, oris quidem angusti in extremo collo, quod protensum habet, positi: fundi autem latioris, & foraminibus crebris peruij. Id si obturato ore, vel digitis compresso, in aquas mergatur, per subiecta foramina nihil prorsus aquæ admittit & recipit. Cum enim nulla penetrantium se inuicem corporum naturalis concedatur actio, aër certe ille quo nimirum plenum est vas, nullum sanè aquæ præbet ingressum. Superne nanque obturato ore, exire non potest: & quo minus inferne per foramina exeat illa, aquarum obstant obices. Perstat igitur aër plenum, vt erat prius quàm aquis immergeretur vas. Si vero illius aperiat os, manusque, aut quicquid illud obstruebat, dimoueatur, exeunte statim inde aëre per foramina inferne ingreditur aqua, vasque illud cito replet: quæ rursus eo loci perstat immota, neq; vsquam exit, si quis obstructo vasis ore illud in aëre diutius contineat. Non enim per foramina descendit aqua, ne vacuus quispiam relinquatur locus: qui certe restaret, nisi egrediente aqua, aëris subintraret natura. Cum autem obturato superne ingressu intrare nequeat, inferne autem obstans illi restat aqua, cuius plenum est vas: nulla profecto circa vas fit mutatio, aquaq; perstat plenum eousq;
- y.j.

Duo respi
rādi meatus,
nares, & aspe
ra arteria.

Respiratione
ad odoratum
quædam ani
malia abuti.

Quid sit
πάρεργον

Empedoclis
de respiratione
sententiã

Clepsydræ sit
similitudo.

quoad eius aperiatur os: quo sanè factò, & aqua illico inferne descendit & defluit, & ad replenda quæ continuo euacuantur loca, per apertum os aër ingreditur. Simili igitur influxus & refluxus modo, sanguinis qui in animalium reperitur venis, cum respirationem, tum expirationem fieri voluit Empedocles. Vt enim aqua in clepsydram illabente, egreditur aër: aère autem immisso, exit aqua: ita sanguine sursum in venis commoto, & illas replente, expellitur aër. quod in expiratione fieri animaduertitur. Deorsum autem illo lato, sedesque quasdam vacuas relincente, ad illas sanè replendas immissus vndique aër illabitur: quæ certe inspiratio esse censetur. Et hæc profecto sunt quæ philosophus de Empedoclis opinione hoc recenset in loco. Ceterum quoniam statim (vt diximus) illius ad verbum expressa hac de re subiungit carmina, quæ inuertere, & verbum de verbo exprimere, seruatis cum elocutionis, tum sententiarum figuris, necnon numeris, dicendive modis, difficile admodum, vel potius impossibile existimauimus, hac prætermissa nunc re, & in finè mox dicendorum dilata, carmina prius ipsa soluto expressa orationis stylo, seruatis ijs quæ seruari poterunt, in præsentia recensimus, interlinearesque glossulas conuenientibus apponemus locis, quæ ipsa solum explicabunt vocabula. nam illorum omnis ferè sententia pro virili à nobis retro est explicata.

Sic respirant omnia & exspirant: cunctis sanguipriuarum ^{non plenæ, neque redūdātes sanguine}
venarum per corporis superficiem

Carnium fistularum extremum per corpus extendantur:

Et illis oribus crebris perforatæ sunt sulcis, ^{venulis & fistulis}

Narium vltimæ longitudines per totum: vt clarum quidem ^{sanguinem}

Occulat: ætheri vero facilè iter gemina diuidi via: ^{per bifidas nares}

Inde quidem quando excitus tener fuerit sanguis ^{.i. recesserit mollis}

Aether reboans descendet fluctu vehementi, ^{.i. fluxione}

Quando autem resilit, exspirat rursus: vt cum puella ^{.i. confusi, & malleo deducti}

Clepsydris ludens bene deducti æris: ^{orificium}

Quandoquidem super fistularum transitum pulchram imponens manum ^{.i. candidæ}

In aquæ merferit tenerum corpus argenteæ: ^{id est aqua}

Non iam in vas imber ingreditur: sed illum prohibet

Aëris moles intrinsecus incidens ad foramina crebra: ^{aëris scilicet}

Donec adaperiat densum fluxum: verum postea ^{id est aère}

Spiritu deficiente pulchra ingreditur aqua. ^{.i. vasis æret}

Similique modo quando aqua quidem profundum habuerit æris, ^{id est orificio}

Transitu obturato humana manu, siue meatu, ^{id est aër .i. aquam}

Aether extrinsecus ingredi cupiens imbrem arcet ^{.i. foramina .i. meatus superficiem}

Circa portas resonantis isthmi extrema obtinens: ^{puella scilicet}

Donec manu remittat: tunc rursus contra quam prius ^{per latas vias .i. venas}

Spiritu ingruente pulchra defluit aqua. ^{id est deorsum latus fuerit}

Simili ferè modo tener sanguis conturbatus per plateas ^{id est aër ingreditur ceu fluctus à ventis impulsus}

Cum retrocedens irruerit ad intimum, ^{.i. sursum latus fuerit sanguis aër scilicet .i. similiter .i. extra.}

Alter illico fluxus aduenit fluctu prouens: ^{.i. similiter .i. extra.}

Ceterum quoniã Musis non nihil debere me fateor, quarum à prima suuenta sacraia ingressus, ad hos vsque annos illas & colui præcipue, & seuerioribus etiam studijs cum licitum fuit, semper coniunxi, Empedoclea carmina quæ animi gratia paulo pluribus versibus latina aliquando feci, ijs quæ de respiratione dicta sunt, apponere decreui: quod in alijs etiam feci: vt candidus inde lector non solum serijs nostris iuuari, sed iocis etiam oblectari possit. Hoc autem se habent modo.

Sic & respirant alterno animalia motu

- Omnia, & exspirant: sic cunctis sanguine cassæ
 Venæ extenduntur summum per corpus, & arctis
 Sunt adeo sulcis crebroq; foramine fissæ
 Extremæ nares, vt clarum impune cruorem
 Compescant: æther vero sibi limite bino
 Findat iter facilè, vt cum iam discesserit intro
 Ipse tener sanguis, neu detur inane, repente
 Descendit reboans animosis fluctibus aër.
 Quando autem resilit, vice rursus exspirat anhela:
 10 Vt cum clepsydris fabricatis ære nitenti,
 Colludens virgo cultus accommodat hortis
 Pensilibus, pulchramq; manum superindit hianti
 Fistulæ, & in liquidis vndis vbi merferit illam,
 Non iam continuo fluxu subit imber: at ipsum
 Aëris interior ad crebra foramina moles
 Illabens prohibet, donec pandatur aperto
 Ore viæ: demum tum deficiente vicissim
 Flamme, pulchra subit crepitanti murmure lymphæ.
 Consimiliq; modo sedes humore profundas
 20 Aeris habente, manu obstructo candente meatu,
 Indugredi cupiens æther extrinsecus imbrem
 Arcet circa isthmi portas resonantis, & obstat,
 Cuncta extrema tenens: donec lasciua remittat
 Nympha manum: tunc rursus aquæ contraria moles
 Destruit è spissis redeunti flamine riuus.
 Nempe modo simili per latas sub cute venas
 Ipse tener sanguis turbatus ad intima labens,
 Cum retro irruerit, fluxus simul ingruit alter:
 Alternosq; ciet natura reciproca fluctus.
 30 Cum vero exiuit sanguis, simul aëra rursus
 Exspirare retro parili ratione necesse est.

Hæc de spirandi ratione dixit ille. Spirant autem (vt diximus) quæcunque id per arteriam manifeste faciunt, per os simul & per nares. Quamobrem si de hac sanè loquitur spiratione, necessario quærendum est quonam congruet modo dicta causæ ratio, quandoquidem contrarium videtur accidere. Attollentes enim locum perinde ac folles in ærarijs officinis respirant. Attollere autem calidum, vero est consonum: necnon sanguinem calidi obtinere locum. Deprimentes autem & constringentes, vt ibi folles exspirant: nisi quòd ibi quidem non
 40 per idem aërem accipiunt, & rursus reddunt, cum inspirantibus per idem fiat. Si autem de ea quæ per nares tantum fit asserit, magnopere deceptus est. Respiratio enim non est narium propria, sed per canalem eum qui iuxta guttur est, vbi extremum est palati, perforatis naribus procedit: atque partim spiritus hac, partim per os tum egreditur æque, tum ingreditur. Quæcunque igitur ab alijs de spiratione sunt dicta, tales & tantas habent difficultates.

Post adducta & enarrata Empedoclis carmina in quibus illius de respiracione sententia cõtinetur, illam reprehendere & damnare philosophus aggreditur. Cum enim omnia, inquit, quæcũq; respirant, manifeste per arteriã quam asperã vocãt, respirare cernãtur, per duos videlicet meatus, oris scilicet & nariũ, si quidẽ Empedocles de hac loquitur respiracione, de qua certe loqui videtur: conueniens profecto est de illo quærere, quonam congruat modo respiracionis ab illo descripta ratio, causæ quam carminibus descripsit suis, de retrocessu scilicet sanguinis ad venarũ extrema loca, à quo
 50 y.ij.

inspirationem fieri ille dixerat: & de illius postea regressu superficiem versus, quo aërem expellebat
 ingressum, expirationemque sic fieri existimabat. contrario enim istuc fieri animaduertitur modo in ijs
 quæ respirant animalibus: vt testimonio esse possunt clarissima sensus iudicia: vbi manifesto follium
 vtitur exemplo, quos in ærarijs officinis cum aërem attrahentes, tum illum per vices exsufflantes cō-
 spicimus. Vt enim eleuatis illis & sursum diductis manifesta aëris fit ingressio, compressis autem &
 constrictis, illius fit egressio & exitus: ita in respirandi opere cum attolluntur pulmones, & ea quæ circa
 pectus sunt loca, extrinsecus sanè inspiratur aër: compressis autem illis & constrictis expiratur & ex-
 pellitur. De Empedoclis autem (vt retro visum est) sententia contrario certe hæc res se habet modo.
 Compressio namque, quæ sanè fit retrocedente in venis sanguine, inspirationem efficit aëris. Eleuatio autem,
 & illius ad supera regressio, expirationem prius ingressi facit aëris. Illius igitur opiniones sensui refras-
 gari palam est, cuius in eiusmodi re efficacissimæ sanè esse debent assertiones. Causam vero in respi-
 rationis opere pectoris & pulmonum eleuationis, calidum esse dicit ampliorem querens locum, & illud
 facile replens. Calidum autem in sanguine esse, illiusque loco ab Empedocle sanguinem poni, ve-
 rissimile, & rationi consentaneum esse dicit. Quadrare autem follium exemplum cum residentium
 tum elatorum pulmonum pectorisve contrarijs illis motionibus quæ respirando fiunt, asserit in omni-
 bus, in vno autem solummodo dissentire: quoniam in folliis quidem non ex vna & eadem illorum
 parte ingredi & exire aër percipitur: sed ingredi quidem per foramen illud quod in asserere cōspicitur
 inferne posito: egredi autem & exsufflari per canalē fistulæ quæ antè cernitur. In respirantibus autem
 animalibus idem operis vtriusque locus esse videtur, qui aspera est arteria. Quamobrem non leuiter,
 inquit, errauit & deceptus est Empedocles, qui de ea quæ solū per nares fit respiratione est loquutus,
 cum alioquin illa quæ naribus fit, propria non sit respiratione. non enim per venas procedit is qui per
 nares ingreditur aër, sed per canalē eum qui iuxta guttur est. Canalē quidem (vt arbitror) totam
 appellas arteriā: guttur vero illius vocans extremitatē vbi lingula esse dicitur quæ epiglottidē vocat.
 Cui certe à natura id muneris est præstitutum, vt in esulentorum poculorumque ad ventrem descen-
 su, asperæ arteriæ meatum ocludat, ne à recta quippiam aberrans semita, & in illam delatum, paruo
 negotio animal strangulet. Ad hanc autem vltimam arteriæ partem, palati nimirū pertingit extre-
 mitas, vbi sanè interna narium sunt foramina. Quod igitur narium influit aut effluit meatibus, id vni-
 uersum cum ipsam petit arteriam, tum ab illa exit & egreditur: quæ ambobus (vt retro dictum est)
 fiunt meatibus, oris scilicet, & narium. In expirando namque inepti pars aëris per nares, pars autem per
 os exit. Similique modo in ipsa fit inspiratione. His hoc modo dictis & ostensis, vniuersa quæ de priorū
 opinionibus philosophorum hac in re sunt pertractata, hoc claudit in loco, asserens ostensum à se esse
 & declaratum quot qualesque illorum de respiratione sententias, difficultates consequantur. Cæterum
 vt Empedoclis dignitati aliquid à nobis etiam in præsentia tribuatur, asserimus, si ad vacui negan-
 dam intentionem, antiperistaltisque naturam omnis habeatur ratio, qua plerasque rerum naturæ caus-
 sas non minus commode quàm subtiliter antiquiores perscrutati sunt physici: præterea si per sangui-
 nem in præsentia, cum calente tum refrigeratum intellexerimus spiritum varijs pro alterationis mo-
 do excitum motionibus: per venas autem, & latentes audiuerimus & manifestos corporis meatus: nō
 multum (vt opinor) isthæc Empedoclis opinio ab ijs quæ Anaxagoræ & Diogeni necnon Democri-
 to adscribuntur, distare videtur sententijs: eoque rationis modo recte defendi tuerique potest. Et alioquin
 de viro qui philosophiam versibus scribere est aggressus, non indecenter (vt arbitror) existimari
 potest, si hanc quam pro illius defensione sententiam diximus, poetarum inuolucris verborum ve-
 lare & occulere studuit. Nō enim cuius est populo viri illi, sed sapientibus scribebant & paucis, qui pri-
 ma philosophiæ mysteria literis mandare decreuerunt. namque priores etiam qui tantummodo ore sunt
 professi, & quos probatos habebant, solos docere voluerunt, nihil omnino memoriæ scriptis suis pro-
 diderunt. Verumenimvero si Plutarcho Cheronæo credendum est, viro, si quis alius apud græcos, cum
 multæ doctrinæ, tum omnimodæ historiæ peritissimo: Empedocles aut alijs in locis, aut in isto etiam
 vnde supradicta fuere transumpta carmina, de respirationis opere aliter sensisse videtur, siue alio po-
 tius modo hac de re dogma protulisse suū. Scribit enim Plutarchus in ijs qui de Philosophorū Placi-
 tis inscribuntur commentarijs, capite illo vbi de respiratione quorūdam refert sententias, in hunc fe-
 re modum: Empedocles primam respirationem primi esse dixit animalis, illius abscessu humiditatis
 quæ in primo illius fuit ortu, cum ad vacuum replendum locum patentibus meatibus extrinsecus
 ingreditur aër. Postea autem, Exspiratio quidem fit innato calido, suo ad exterius impetu aërem ex-
 cernente: inspiratio vero, illius ad interiora recessu, quando aëri præstat ingressum. Quæ nunc autem
 est, sanguine lato ad superficiem fit, quando aërem influxu suo per nares expellit, illiusque re-
 cessum expirationem esse. Retrocedente autem illo, & aëre in sanguine vacua subeunte loca, in-
 spirationem, vbi Clepsidra etiam mentionem facit. Hæc Plutarchus de Empedocle: quem dis-
 uersimode (vt videtur) hac de re scripsisse constat, vltimumque respirationis modum solum à phi-
 losopho fuisse adductum. Nam secundus cum Anaxagora & Diogene necnon Democrito conue-
 nire sanè videtur: qui etiam si in paucis quibusdam modificetur, non multum certe à philosophi
 sententia (meo quidem iudicio) distare videbitur. Cæterum hac de re quisque quod sibi placuerit magis
 iudicium ferat, mihi satis sit explicuisse quod vidi & legi. Verum quoniam de respiratione in præsen-
 tia agimus, Plutarchumque in manibus habemus, non malum erit (vt arbitror) breuiter percurrere

Epiglottis
lingula.

Pro Empedocle.

Plutarchus
Cheronæus.

Asclepiades
medicus.

quæ vir ille de Asclepiadis Herophilique sententijs præclarissimorum artis medicæ professorum circa respirandi opus scripta reliquit. Asclepiadem enim inquit pulmonem in animalibus ad infundibuli se habere modum, illiusque præstare vicem voluisse, causamque respirationis esse subtilium quarundam partium à pulmone confectarum præsentiam, in pectore existentium, ad quam exteriori influere aërem suapte natura crassum: qui sanè retro rursus expellitur, cum pectus scilicet est repletum, illumque sufferre amplius non potest. Cum autem illius exitu aliquid semper illius quod subtilium esse diximus partium, remaneat (non enim excernitur vniuersum) ad id rursus exterior fertur aër. Isthæc autem quæ diximus, cucurbitulis assimilari asseruit. Voluntariam vero respirationem fieri voluit attractu subtilissimorum quorundam meatuum qui in pulmone reperiri dicuntur, quos nostræ obedire electioni & voluntati affirmavit. Herophilus autem potestates quasdam in corporibus motrices esse dicit cum circa neruos & arterias, tum in ipsis membrorum musculis. Pulmonem igitur inquit sui natura appetere diastolen & systolen, id est dilatationis constrictionisque motiones: à quo postmodum alia alantur membra. Opus autem pulmonum esse extrinsecus aërem trahere, illoque repleti: qui secunda postea appetitione restricti, illum in pectoris capacitatem transfundere dicuntur: Pectus vero repletum, neque à pulmonum natura quicquam amplius trahere valens, quod in sese habet superflui, rursus ad pulmones transmittit, à quibus postea per expirationem exterius omne sanè id amandatur & excernitur. Quatuor igitur in pulmone motiones fieri affirmavit: & primam quidem, per quam de foris aërem recipit frigidum: Secundam vero, per quam quod extrinsecus accepit, interius ad ipsum transmittit pectus: Tertiam autem, per quam à pectore sibi mandatas recepat superfuitates: Quartam vero, per quam illud quod à pectore ad se redijt, extra propellit. Quarum quidem motionum duas esse dixit diastoles, id est dilatationes quasdam: vnam qua extrinsecum recipit aërem: alteram qua id quod à pectore retrofertur, accipit: duas autem systoles, id est compressiones & constrictiones quasdam: vnam scilicet qua receptum extrinsecus aërem in pectus profundit: Alteram vero qua à pectore receptas superfuitates foras propellit. Hæc Herophilus de respiratione, illiusque modo, referente Plutarcho, memoriæ prodidit. Plura profecto alia hac de re ab antiquis cum philosophis tum medicis prolata, & à recentioribus etiam subtiliter sanè disputata, hoc in loco referre possem, nisi compendio magis quam prolixitati studerem: quapropter omissis omnibus ad sequentem Aristotelis textum reuertamur.

Herophilus
medicus.

Quatuor in
pulmonibus
motionum
modi.

Duas esse dia-
stoles: & duas
systoles.

Quoniam autem dictum est prius, quod viuere, & ipsius animæ habitus, non nisi cum quadam est caliditate: concoctio namque per quam alimentum animalibus præparatur, sine anima aut calore non conficitur: igne namque omnia operantur: ideo in quo principali corporis loco, & in qua prima primi loci parte principium esse huiusmodi necesse est, ibi primam altricem inesse animam est necessarium. Hic autem medius sanè est locus illius quod alimentum recipit, & vnde excrementorum deiectiones fiunt. Quod in exanguibus quidem nullum habet nomen: in sanguine vero præditis id membrum est cor. Porro alimentum ex quo animalium constituuntur partes, sanguinis est natura. Sanguinis autem & venarum idem esse principium est necesse. Alterius enim gratia est alterum, vt vas & recipiens. Venarum autem origo in sanguine præditis est cor. non enim per id, sed ex illo omnes sanè sunt annexæ: quod ex dissectionibus palam esse potest. Et aliæ quidem animæ potestates sine altrice esse non possunt: quam vero ob causam, in ijs quæ de anima sunt præmissa, dictum est prius. Hæc autem sine naturali igne non consistit. Hac enim in parte natura illam igniuit.

Post enarratas explosasque antiquorum de respiratione sententias, philosophus, vt sui moris est, hac de re propriam & peculiarem recenset opinionem, eamque ostendit & explicat, rationibusque insuper & euidentibus plerisque confirmat. Prius autem quam id aggredi contendat, quædam breuiter repetit & manifeste, quæ retro fuerunt adducta, quæ viuere scilicet animalis, & ipsius animæ præsentia & habitus, cum quadam semper est caliditate. Cum enim viuendi principium ipsa sit anima: viuunt autem vniquodque quoad alii nutrimenti potest: nutritur autem & alitur eousque quo per concoctionem accessit.

Cum vita &
anima semper
per conuersionem
esse caliditas

y. iij.

342

pti conficiuntur digerunturque cibi: concoctio autem & digestio nulla nisi mediante fit calido, quod sanè internum animæ instrumentum ad id perficiendū opus non immerito esse censetur: cum isthæc igitur (vt sæpenumero est dictū) ita necessario se habeant, palàm profecto esse debet cū anima semper, & cum vita ipsa coniunctam necessario esse caliditatem quādam. Quapropter recte ab antiquioribus dictum fuisse existimādum est igne omnia operari & efficere animam. siquidem caliditatis instrumento connatæ illa omnia sua exercet opera. quamobrem necessarium esse inquit in quo primo corporis loco, & in qua prima loci illius parte, id principium scilicet innatum reperitur calidum, ibi & altricem proculdubio reperiri animā, quo (vt diximus) instrumento illa ad opera vtitur sua. Locū autem hūc, & caloris connati sedem, medium dicit esse, eius scilicet quod cibos nutriendo recipit animal, ipsius videlicet oris: & eius vnde amādātur & deijciuntur excrementa ciborum, id est sedis: per re censetur esse locus, quoniam in se præstantissimum seruat locatum, cordis scilicet essentiam, quod sanè inter omnia animalium membra non immerito primas sibi vendicat. In ijs autē animalibus quæ sanguine carent, & iccirco hoc carere viscere animaduertuntur, quippiam certe cordi proportionem respondens iure esse creditur, quāuis nomine careat, cui certe omnia illorum membra ceu principi deferūt parti. Quod etiam ipse probat de sanguine præditis animalibus ratione sumpta, vt in alijs etiam id comprobatur existimetur, ex manifestioribus sanè obscuriorum indubitatam adstruens fidem. Cū enim sanguine præditis, inquit, animalibus vltimum & certissimum alimētum sanguinis sit natura: per venas enim is omnes, illarumque tenues deriuatus fibras, vniuersum animalis irrigat corpus, & omnia illius alit membra: sanguinis autem & venarum idem necessario censetur esse principium: illius enim gratia à rerum natura fabricatæ sunt venæ, ceu sanguinis vasa quædam & receptacula: porro cum sanguineis omnibus certissimus à cordis essentia venarum sit exortus: nanq; non per illud sanè transeūt, cum ab illo scilicet ortū habeant, vt in reliquis percipere licet membris: sed illi ceu principio & origini omnes sanè venarum sunt annexæ fistulæ: vt ex anatomia animaliumque dissectionibus manifeste deprehendere licet: cum igitur isthæc hoc se habeant modo, in sanguine certe præditis (vt retro dictum est) animalibus in corde profecto cum alitrix collocabitur animæ potestas, tum innatus calor, illius (vt diximus) instrumentum: in illis vero quæ sanguine carent, in parte sanè illa quæ cordi proportionem respondere censetur, isthæc ipsa iure collocabitur. Post quæ dicta philosophus subdit vnum quod exactius à se pertractatum fuisse in ijs qui de anima inscribuntur commentarijs asserit: id autem est, alias animæ potestates quæ animalium insunt generi, sine altrice illius vi haudquaquam existere posse: illam autē seorsum ab alijs esse posse. Neq; hoc immerito, mehercule. sine vita etenim cuius altrix animæ potestas est principium, neq; sensitua vis, neq; intellectiua in animalibus esse potest. Sine his autem altrix potestas in vltimo animantium conspicitur genere. sine illa enim viuientia potius quàm animalia recte appellari debent. Hærbarum nanq; stirpiumque genera vniuersa hoc primo animæ insigniuntur gradu. Hanc autem altricem animæ vim sine calido esse fieri certe nō potest. Diximus enim pauloante illius instrumentum innatum esse calidum tum ad concoquendos conficiendosque cibos, tum ad vniuersum etiam alimenti augmentique in animalibus exequendum opus. In calido enim, inquit, innato, huiusmodi animam, id est altricem, igniuit natura, id est constituit & collocavit, translatione (vt videtur) significāter hoc in loco sumpta à succensis carbonibus, in quibus sanè ipsa ignitur & coaceruatur flamma: & si audacius etiam dicere liceat, coëssentiatur. Nihil enim (vt arbitror) prohibet ad exprimendos animi sensus, quando præsertim meliora vsitatoraq; defecerint, noua quædam & dura etiam fingere vocabula. Omnia nanq; viro philosopho iure & merito deferuire debent, cui sanè licentiæ plurimum, rerum plerunque concedit obscuritas.

Calidum innatū altricis animæ instrumentum.

Vnum philosophum vocabulis non adstringi.

Ignis autem interitus (vt præmissum est) extinctio est, & exsiccatio. Extinctio quidem est quæ fit à contrarijs: quamobrem à continentis frigiditate vniuersus, & celerrime, quoniam diuisus, extinguitur. Et hic quidem violentus est interitus, qui perinde in anima præditis, & illa carentibus cernitur. Instrumentis enim quibusdam diuiso animali, & ob nimium frigus gelu adstricto, interire contingit. Exsiccatio vero ob caloris est copiam. Etenim si excellat quod circuniecctum est calidum, siue alimentum non capiat, interit quod ignitum est, non frigore, sed exsiccatione. Quamobrem necesse est refrigerationem fieri si salutem assequi debet. id enim auxilio est ad eiusmodi corruptionem.

QVæ retro dixerat de duplici ignis corruptione, cum aut à semetipso corrumpitur, aut à contrario, hoc repetit in loco philosophus. nanque ad confirmandum istuc sanè facere videtur illius cum derepiratione, tum de morte & vita sententia: & multa præterea intercesserunt hucusq; quæ ab illorum speculatione præsentis negotio necessaria nos abduxerunt. Renouatione igitur quadam rei illius opus erat, & iccirco illam commemorat, dicens ignis, id est innati caloris duplicè sanè esse corruptionē & interitū, extinctionem scilicet, & exsiccationem. Ita enim nos id quod græci *μάρανσι* vocant, & prius appellauimus, & nunc etiam inuertimus, & posthac faciemus, donec melius reperiemus vocabulū. Et extinctionem quidem fieri inquit à contrario: istuc autē bifariam, aut cum adunatim & subito ab excellenti continentis frigiditate destruitur & interimitur calidum: aut cum celerrime distractum & diductum dissipatur & euanescit: ad quæ nimirū animalis sequitur interitus. Siue enim vehemētissimo gelu constringatur & congelauerit humidum, vt ad caloris pabulum reddatur ineptum: aut retrocedens & conclusum calidum (vt prius est ostensum) consumpto multiplicata proportione humido, seipsum per accidens interimat: siue (vt ipse in textu dicit) instrumentis quibusdam, id est gladijs, aut id generis similibus conciso animali innatum dissipatur calidum, & ad minima diducitur, vulneribus illis distractum proculdubio interit calidū, cōtrarij scilicet actione in ipsum agētis, & illud destruētis. Dissipatū enim vulneribus illis & diuisionibus calidum, exiguitate & distractione sua cuiuslibet iniuriæ fit obnoxiiū, ita q; vel a parua cōtinētis frigiditate facile extinguitur. Vtrobique igitur, aut cū adunatim & simul à cōtinētis frigiditate extinguitur, aut cum celerrime dissipatū interit calidū, à contrarij certe natura superari & interimi videtur. Quod sanè corruptionis genus, cum in animalibus, tum in stirpium genere (quod nunc anima carere, id est sensitiua illius potestate dicit) violētum certe & præter naturam esse censetur: & est alter nimirū corruptionis modus, qui igni & innato calori accidere animaduertitur, quē extinctionem & retro appellauit, & nunc etiam denominat. Alter vero corruptionis modus, quem retro cum exsiccationem, tum senium vocauit, naturæ constare voluit, quoniam à semetipso, & ab intrinseco (vt aiunt) cum igni, tum calori innato accidere percipitur, est cum calidum deficit, siue aliquam ob causam excellēter augetur, & absumpto humido suas ipsum in sese conuertit vires, siue alimentum non capit quod humidum restaurare resarcireq; possit. Tunc enim quod ignitum est, id est ipsum interit calidum, non à contrarij sanè vi, id est à frigidi natura, sed à semetipso exsiccatum, & tanquam senectutis extremæ marasum qui dicitur, incurrens, qui certe corruptionis (vt diximus) modus naturalis esse censetur.

His breuiter repetitis philosophus proposito suo & ijs quæ diciturus est conuenientem sanè subiungit cōclusionē, dicens necessarium esse ad animalis salutem aliquē refrigerationis adesse modum, qui huiusmodi corruptioni suppetias ferre possit, naturali scilicet, & quæ ab intrinseco accidere nata est. nam de illa quam extinctionem vocat, & violentam esse dicit, alius certe est sermo, & diuersus rationis modus, proposito de respiratione negotio haudquaquam satis quadrans.

μάρανσι

Bifariam à contrario extinguitur calidum.

Cur vulneribus cōcisum cito interit animal.

Naturalis corruptionis duplex modus.



Quoniam autem animalium alia quidem in aquis, alia vero in terris vitam agunt, ijs quæcunque pusilla sunt omnino, & quæ sanguine carent, refrigeratio quæ ex circumstanti fit aqua aut aëre, contra eiusmodi interitū satis sufficiens est auxilium. Cum enim exiguum habeant calidum, paruo sanè indigent auxilio. Quamobrem eiusmodi ferè omnia breuioris sunt vitæ. Ad vtrunq; enim modico indigent momento. Quæcunque autem ex genere insectorum longioris sunt vitæ (nanque exanguia vniuersa sunt insecta) ijs sub transuerso septo scissum quiddam est, vt per graciliorem membranulam refrigerentur. Cum enim calidiora sint, maiori sanè indigent refrigeratione: vt apes nonnullæ etenim apum ad septennium vsque perueniunt: & alia præter ea quæcunque murmur edunt, vt vespæ, & melolonthæ, & cicadæ. Spiritu enim quasi anhelantia sonum reddunt. Cum enim in ipso septo transuerso innatus spiritus attollitur & deprimitur, euenit ad pelliculam attritum fieri. Siquidem haud secus hunc mouent locum, ac illa quæ extrinsecus pulmone spirant, & pisces brachijs. Similiter nanque accidit ac si quis obstructis faucibus spirantium suffocet quodpiam. Hæc

enim pulmone hanc efficient elationem. Verum ijs quidem non idoneam motus eiusmodi affert refrigerationem, illis vero idoneam: & attritu (vt diximus) ad membranulam bombum exprimunt, qualem per terebratos pueri efficiunt calamos, cum tamen imposuerint pelliculam. propter hoc etiam cantatrices canunt cicadae. calidae nanque sunt, & scissum est illis sub transuerso septo: quod utique non est scissum ijs quae non canunt.

Post recepta quaedam & repetita (vt retro vidimus) de quibus in principio huius libelli mentionem fecerat, quoniam ad peculiarem ipsius de respiratione sententiam facere videbatur, hoc in textu philosophus rem ipsam aggreditur, & de respirandi pertractat modo. Quonia
 10 autem respiratio omnis ad innati salutem temperamentumque caloris a rerum natura animalium generi concessa fuisse videtur: omne nanque animal cum calido viuat, illius (vt visum est) aliqua indiget refrigeratione: de huius nos docere modo hoc instituit in loco, recto sane doctrinae ordine ab imperfectioribus exordium faciens. Huiusmodi autem sunt exanguia omnia cum aquatilia, tum in terris degentia. Sunt enim & in terra exanguia quaedam animalia, vt vermes, & insectorum vniuersum genus: in aquis autem, vt sepiae, carabi, ostreae, multaque id genus alia. Quorum de numero dicit
 20 exigua sane & omnino pusilla satis superque refrigerij ad innatum reperire calorem a circumfuso circa illa aere vel aqua. Sufficiens enim est satis illorum auxilium, quicquid illa amplectitur & circumdat, ne prius enarrato corrumpantur modo, id est per exsiccationem, quem naturalem caloris dixerat esse interitum. Statimque huiusce dicti manifestam subiungit causam dicens, Exiguum enim habentia
 20 calidum paruo sane indigent auxilio, neque certis egent instrumentis ad refrigerationem intrinsecus recipiendam, vt in sanguine praeditis animalibus videre contingit, pulmonum scilicet & brachiarum naturam, sed illis solummodo continentis sufficit contactus: quae omnia iccirco breuioris esse vitae animaduertuntur, quoniam exiguum habent calorem. Origo enim & fomes vitae (vt saepius est dictum) connatus est calor, quando naturali proportionatur humido. Et haec quidem in textu clarissime sunt expressa. Illud vero, ad vtrunque enim modico indigent momento, quod sane obscure prolatum videtur, hunc habet intellectum, quod haec scilicet exanguia animalia & omnino pusilla, parua
 30 indigent momenti inclinatione ad vtriusque rei effectum, salutis scilicet & corruptionis. Exiguum enim nata refrigerij auxiliu, faciliter saluantur: rursumque a paruo destituta refrigerationis subsidio, nullo negotio intereunt. id enim est ad vtrunque, saluari scilicet & interire, modico indigere momento. Et ijs quidem (vt dictu est) ob caloris exiguitatem connati continentis refrigerium idoneu est satis: alijs vero ex eo genere quae cum maiuscula sunt, tum etiam praeditis calidiora, & longioris iccirco
 40 sunt vitae, & aui protensioris, particula certe quae sub transuerso pretenditur septo, scissa est, in cuius sane scissurae medio intrinsecus pellicula reperitur & extenditur quaedam tenuissima per quam exterioris refrigerium aeris admittunt. Cum enim corpus habeant durum & asperum eiusmodi animalia, & praecleara sane inclusum crusta, illius profecto duritiae extrinseci refrigerationem aeris admittere non bene possunt, quapropter partem illam natura scissam habent. Similique se habet ratione is scissurae
 50 modus biualuibus ianuis, cum referatis, tum inuicem oclusis. referatur enim & occluditur naturale illud scissum ab innato calido, siue naturali spiritu, (idem enim per vtrunque intelligi volumus) qui in cordis residet arce, aut in parte quae illi proportionem respondet: quo certe extenso aut contracto animalia mouentur illa, vt in libello de animalium motu retro fuit pertractatum. Referatis igitur aut oclusis ab innato calore (vt diximus) & spiritu scissuris illis, deprehensus & simul conclusus aer tenui illi incurrens membranulae, calidum sane refrigerat innatum, illudque temperat. a subtili enim id facere haudquaquam prohibetur membranula, quod a duris illorum certe prohibebatur
 60 crustis: cum alioquin non sensim, sed velociter incurrat. Quod autem aer tarde quidem commotus, & sensim cuius se applicans rei, leuiter sane refrigeret: qui si velociter conticetur, & vehementer impellatur, id ipsum valenter efficere potest, cum in libris de sublimibus ostensum est ab ipso, tum sensus etiam testimonio liquidò patere potest. Venti enim loco & natura calentes propter vehementem aeris commotionem frigidum sane apparent: & in canicularibus diebus crebri flabellorum motus calidum propter anni tempus aerem frigidum videri faciunt. incurrens igitur ob referatas & oclusas
 70 scissuras illas ab innato insecti calido in tenuem illam & extensam membranulam aer, cum innatum (vt diximus) refrigerat calorem: tum etiam strepitus illius siue bombi qui sentitur, causa esse censetur, diuersaeque rei suapte vi duplicem sane praestat effectum, refrigerationem scilicet, quoniam frigidus est: & bombum, quia natura est sonorus. incurrens nanque velociter & conclusus conteritur quodammodo & excitatur, eoque resonat modo. Verum obiter hic quispiam non immerito ambigere possit, cur nam culices & muscae nonnullaque alia id generis insecta in solo perstreperant volatu, stantia vero haudquaquam sonant: contra vero cicadae faciunt. stantes enim aequae & volantes ca-

De insectorū scisso quo perstreperant & refrigerantur.

Aerem tarde motū leuiter refrigerare: id autē valenter facere celeriter motum.

Cur muscae & culices in solo perstreperant volatu, cicadae vero etiā stantes canunt.

nere percipiuntur. Cui certe quæstioni isthæc (vt arbitror) pro temporis captu non incommoda videri poterit responsio : cicadas quidem, ceu calidiores natura, frequentius & vehementius mouere aërē, ad cōnatum calidum pluri indigentes refrigeratione: quapropter in vtroq; canunt habitu, stantes scilicet & volantes, meridiano maxime, cū maxime feruet dies. tunc enim quia pluri indigent refrigerationis ope, vehementius sanè & crebrius aërem commouent: quod tamen non æque matutino faciunt, aut vespertino, quoniam eius rei illas non vrget necessitas. In frigidioribus quinetiam locis neq; canunt quidē, quoniā vel nulla vel parua sanè refrigerationis indigent opera. Muscæ vero & culices, cæteraq; id genus animalia, cum sint frigidiora, non vehementer adeo & frequenter dum stant aërem cōmouent, & idcirco non perstrepunt. In volatu autē aërem vehementius mouentia, strepitū certe faciunt, calido quod sub transuerso est septo, cum alas ipsas, tum vniuersum corpus excitante & cōmouente. Aut fortasse isthæc etiam dum resident obstrepunt: sed quoniam exiguo calore imbecilliter admodum id faciunt, non sentiūtur, & idcirco id non facere existimantur. Et ad propositā sanè quæstionem hoc responsum sit modo: quapropter & præsentem inhibeamus excursus, quē pro literæ declaratione non inutiliter (vt arbitror) hoc in loco facere suscepimus, & textus residua verba & sententias pro virili explicemus. Vbi posteaquā dixit quæcunq; calidiora sunt ex insectis, quoniā à continentis contactu illorū satis refrigerari nequit calidū, sub septo transuerso scissum habere quidādam per quod eo quo diximus refrigerari possunt modo: quæ profecto quoniā calido abundant in nato, diuturniora etiam & longeva magis esse asserit: apumq; vtitur exemplo, quas septē interdū viuere annos & hoc dicit in loco, & in commentarijs de animalium historia memoriæ prodidit. De modo autem quo isthæc refrigerātur animalia, scribens postmodum, in septo, inquit, transuerso, spiritu con-

10 nato attollente & comprimente ad membranulam accidit attritum fieri. Quoniam enim sub septo residens transuerso in parte cordi proportionē respondente connatum calidum cum attollens & eleuans, tum deprimens & compingens, id est aperiens & occludens scissuras illas, ingruentē eo loci accipit & commouet aërem, illumq; ad membranulam adiacentem compellit, palām certe est q; is spiritus siue connatum calidum attritum efficit illum, & q; sonus efficiatur, est in causa: non q; spiritus ille connatus resonet: quod superficiei tenus literam legentibus videri fortasse potest: sed q; in scisso illo comprehensus aër & ad membranulam illam adiacētē attritus, sonet. Sonorus enim (vt diximus) suapte natura est aër, & quicquid ex illo componitur, tāto profecto ad sonum est aptius aut ineptius, quāto magis aut minus aëre participare videtur. Quoniam autem ea quæ manifeste respirāt anima-

20 lia, aëris ingressu extrinsecus attollere pectus cernūtur, ne suspicetur aliquis in insectorū genere propter aliquem per os aëris ingressum attollere illa locū qui sub transuerso est septo, quem (vt dixim⁹) cum eleuare, tum deprimere conspiciuntur: in istis refrigerationis declarare volens modum, subiūgit dicens similiter accidere insectis ac si quispiam respirans animal comprehensis & obstruissis naribus & ore strangulare contenderet. Vt enim videre contingit in hoc animali dum suffocatur, validum pectoris sese attollentis motum, cum nullus tamē extrinsecus ingredi possit aër obseptis meatibus: ita insecta animalia connato spiritu eum qui sub transuerso est septo commouēt locum nullo exterioris aëris ingressu. Quod enim in respirantibus pulmonis efficit natura, necnon in piscium genere faciūt branchiæ, id profecto connatum intrinsecus in genere insectorum facit calidum. Cæterū haud parua inter ista differentiæ videtur esse diuersitas, nanq; in respirantibus animalibus cum obstructis oris nariumq; meatibus strangulantur, pulmonis motu interius excitus aër & impulsus ad refrigerationem

30 haudquaquam est idoneus & sufficiens, & idcirco strangulata intereūt illa. ad insecta autem (vt diximus) refrigeranda, huiusmodi interioris spiritus satis sufficiens & idoneus est motus, cum dilatantis tum scissim illud comprimētis, aëriq; frigido accessum concedentis, ad membranulam inquam illā ad quam profecto attritus cum refrigerationem interno præbere calori, tum strepitum efficere non immerito censetur. quod ostendere studens philosophus similitudine de puerorum ludicro quodam mutuata, ita ad tenuem inquit illam membranulam resonare aerem, veluti cum pueri ad terebratas calamorum fistulas tenuem apponunt pelliculam, illisq; postmodum insufflatis, stridulum quendam efficiunt sonum: quod in ipsis etiam contingit cernere tibijs, ad quarum foramina qui canunt illis, digitos cum imponentes, tum attollentes, qui certe pelliculæ illius vicem præstare videntur, varias sonorum harmonias efficiunt. Subiūgit postea cōcludens philosophus quod hanc ob causam, propter

40 scissum videlicet illud, & extensam membranulam, quæcunq; ex cicadis sunt canoræ, quas achetas græci id est stridulas vocant, huiusmodi esse cēsentur. Omnibus enim illis sub transuerso septo id cernitur scissum, quoniam calidiores sunt, & pluri refrigerationis indigent obsequio, quod à scissura (vt diximus) & apposita illis contingit membranula. Quæcunq; autem eo in genere non canunt, quas tetigonas appellant & mutas, cum algentioris esse cēsentur naturæ, tum non ab re sub transuerso septo nihil illis scissum esse conspicitur.

Sonorū suspt̄ natura esse aerem.

Tibicines.

Achetæ cicadæ.

Mutæ cicadæ, Tetigonæ.



A T ex sanguine præditis quæcunq; pulmonem quidem habent, verum cum exiguo sanguine, & fungosum, diutius sine spiratione viuere possunt, quoniam illorum multam elationem ha-

bet pulmo, cū parum habeat sanguinis & humidī. Peculiaris enim illius motus per multum tempus refrigerare sufficit, omnino vero non potest, sed à respiratione prohibita (vt dictū est prius) suffocantur. Exsiccationis nanq; interitus, qui defectu fit refrigerationis, suffocatio nuncupatur: & quæcunque sic intereunt, suffocari dicuntur. Quòd autem ex animalibus non spirent insecta, tum dictum est prius: tum palàm etiam est in pusillis animalibus, vt in muscis & apibus. in humore nanque multo natant tempore, nisi is frigidus valde fuerit, aut calidus: cum alioquin quæ exiguas habent vires, crebrius respirare exigant. Attamen intereunt isthæc, suffocarique dicuntur ventre repleto, eoque corrupto humido quod in transverso septo est. Quamobrem si in cinere commoentur, reuiuiscunt. Et eorū quæ in humore viuunt, quæcunq; carent sanguine, pluri tempore in aëre viuunt, quàm sanguine prædita, & mare recipientia, vt piscium genera. Quoniam enim modicum habent calidum, sufficiens est aër per extensum tempus refrigerare: vt ijs quæ molliori teguntur crusta, contingit, & polyphis: non tamen omnino ad vitam sufficiunt, quoniam caloris sunt exigui. Nam ex piscibus plerique etiam in terra viuunt, verum immobiles, & defossi etiam reperiuntur. Quæcunque enim aut omnino pulmone carent, aut illum exanguem habent, rariori indigent refrigeratione. In carentibus igitur sanguine, quòd alijs quidem circumfusis aër, alijs vero humor auxiliq; est ad vitam, hæcenus est dictum.

Postquam in ijs quæ sanguine carent animalibus, de refrigerationis modo quo illorum innatus conseruatur calor, & ad temperamentum deducitur, verba fecit philosophus, ad sanguine prædita redit animalia, vt in illis etiam quomodo idem conseruetur calor, nos sanè doceat. Cū autē isthæc (vt laxiori distinguatur modo) in duplici esse censeantur differentia: nanq; alia exiguū habent sanguinem, quæ non ab re parui esse caloris creduntur: alia vero largiori abundant sanguinis copia, & idcirco sunt calidiora: de primis non immerito dicere aggreditur, vt ab imperfectioribus ad perfectiora non sine media quadam natura vtriusq; participante fiat transitus. Hæc igitur dicit quæ sanguinē quidē habent & pulmonem, verū cum exiguo sanguine fungosum illū habent, & foraminibus quibusdā & cauernulis hiantem, per extensum & longum temporis spatium sine respirationis opera posse viuere. Cuius certe rei causam subiungit statim: quoniam enim, inquit, fungosum fistulosumq; habent pulmonem, & aëre plenum, eleuare sanè illum & attollere in altum possunt: quæ profecto elatio in exanguī re aërem commouens frigidum, exiguo calori cōnato diutius suffragari potest. Parum enim habet sanguinis illorum pulmo, & illum humidum, id est non calentem & igneum, vt in animalibus perfectioribus esse censetur. Modica igitur indigent refrigeratione huiusmodi animalia, quoniam parum habēt calidi, quod nimirum in pulmonis fistulis aër inclusus bene cōseruare potest: qui sanè frigidus in illum ingressus, à loci algore diutius conseruari potest frigidus, eoq; modo, exiguo ferre suppetias calori, nullo extrinsecus per longum satis tempus indigēs auxilio. Possunt igitur ista sine spiratione diutius durare & viuere: vt de ranis & testudinibus cū terrestribus tū aquatilibus retro est dictū, quæ sub aquis diu perdurare valēt nullo extrinsecus recepto spiritu. Verū isthæc, inquit, animalia licet sine respiratione viuere aliquādiu possint, omnino tamē nō possunt, id est non semper, & vsq; ad præstitutas illorū generi vitæ metas sine respiratione durare valēt. quāuis enim frigidioris sint pulmonis isthæc omnia, non tamē omnino sunt frigidī. nullius enim animalis vita cū simplici & mera manet frigiditate. Longiori igitur tēpore cōclusus ille aër ad refrigerationē ineptus efficitur: & si respiratione omnino priuentur, externiq; auxilio aëris, suffocatur sanè illa & intereūt eo corruptionis modo qui refrigerationis defectu fieri censetur: quod retro exsiccationem appellauimus, cum ipse scilicet seipsum innatus consumit & conficit calor. Quo certe in loco egregius rerum naturæ nomenclator philosophus, corruptionis illius modum qui ex humidī consumptione, calorisq; fit interitū, suffocationē denominat, & suffocata sanè illa interire dicit animalia, quæ corruptionis huiusmodi

pereunt modo. His ita constitutis, & euidenter declaratis, vniuersalem profert sententiam, qua nulla infecta respirare confirmat. quam certe rem ipse quidem prius à se dictam fuisse asserit, ego vero addiderim q̄ pluribus etiam in locis, in quibus videlicet pulmonum carēs viscere nullū respirare ostensum est posse animal. Id autem in præsentia manifestū esse dicit in pusillis animalibus muscis & apibus, quæ sanè sub aquis merfa aliquandiu natant, & viuere cernuntur, quod utiq; illis non contingeret si respirando extrinsecum admitterent aërem ad caloris temperamentū innati. Videmus etenim & manifeste percipimus respirantia animalia aquis submersa cito interire, spirandi prohibito halitu strangulata. Id autem muscis accidere dicit & apibus, q̄ sub aquis videlicet diu perdurare possunt, nisi inquit valde frigidæ aut calentes fuerint aquæ. Tunc enim aut caloris superfluentia calidum exsiccatum innatum: aut frigoris excellentia extinguitur. Illud autem, cum alioquin quæ exiguas habent vires, crebrius respirare exigant: declaratiuum esse videtur, neque muscas respirare, neque apes, neque quippiam ex genere insectorum. Cum enim isthæc diutius sub aquis viuere possint, vbi sanè respirabilis nullus est aër, palam est q̄ non respirant. Si enim spirabilem traherent halitum, cito procul dubio interirent. Spirantia enim cernimus animalia quanto magis exiguarum fuerint virium, tanto crebrius anhelando spirare. impotentia enim quædam, & naturæ sanè imbecillitas, eius operæ anhelæ crebritas, vt contrà respirantium indicat vires anhelitum diutius posse continere. Si igitur crebro respirantia propter imbecillitatem sui, si quid illa respirare prohibeat, cito interire videntur: profecto si respirarent apes & muscæ, cum exiguarum sine controuersia sint virium, sub aquis certe citissime perirent. Cuius sanè contrarium ipsa nos docet experientia. Non respirant igitur huiusmodi animalia, neq; extrinsecus halitum trahunt. Quoniam autem isthæc sub aquis tandē interire videntur animalia, huius certe rei manifestam subdit ipse causam, dicens interire illa & deficere ventre aquis repleto, & corrupto illo qui in transfuerso est septo humore. à diutina enim aquæ frigiditate id quod sub transfuerso est septo calidum, quod etiam humidum est (in radicali enim humido calidum moratur innatum) hebescit: & si diutius in aquis perseuerent illa, extinguitur etiam. Non intereunt igitur illa suffocata exsiccatō & marcescēte (vt dicitur) calido, sed per contrarij potius præsentia extincto. quæ certe rem ex perspicuo statim declarat accidenti. Si quis enim, inquit, muscas & apes, eiusmodiq; infecta nonnulla ex aquis vbi aliquandiu merfa fuerint tollat, & calido consperferit cinere, proculdubio rursus reuiuiscunt: quod ego & vidi sæpenumero, & nonnunquā sum expertus. Id autem nimirū idcirco accidere videtur, quoniam hebescens à circumstātis aquæ frigiditate innatum calidum, necdum extinctum, cineris calore resipiscit, confortatumque in causa certe est cur id animal reuiuiscere sanè existimetur. In eiusmodi enim (vt retro dictum est) animalibus parua ad vtrunq; momentorum posunt inclinationes. Et hæc quidem de insectis ipse: quæ quoniam non respirant, in alieno aliquandiu perdurare posse elemento in præsentia commemorat. Cuius certe rei non ab re statim subiungit causam, q̄ ex aquatiliū genere quæcunq; carent sanguine, diutius in aëre, id est extraneo sibi elemento viuere possunt, quàm quæ sunt sanguine prædita, & mare, id est aquas pro refrigeratione innati calidi intra se recipiunt, cuiusmodi piscium esse cēsetur genus. Cum enim sint, inquit, exigui caloris, quoniam sanguine carent, modico certe ad temperandum illum indigent refrigerio, quod nimirum illis circumfusis præstare potest aër. Viuunt igitur aliquandiu aquis exempta, vt in molli crusta tectorum genere animaduertere licet, quales sunt cammari, locustæ, carabi, cancerorum genera, & ex mollibus polypi, quos è mari exire, & pastus gratia in terrā nonnunquam prodire, & apud Aristotelem ipsum, & apud Plinium secundum sanè legimus. non tamen eiusmodi animalia omnino extra aquam perseuerare possunt, & in extraneo viuere elemento, sed intereunt, cum illis haudquaquam proportionatum succurrat auxilium. Quodd autem aquatilia pleraq; ob caloris exiguitatem in alieno aliquandiu viuere possint elemento, hoc etiam in loco probat philosophus, clarum sanè de fossili piscium genere adducens testimonium, qui sub terris degentes, & immoti perstantes, sarculis non retibus defossi expiscantur: quos verisimile est terræ frigiditate calidi naturam in illis contemperante perdurare, & vitam trahere posse. Quæcunq; enim, inquit, animalia aut omnino pulmone carent, aut si id habent viscus, exangue certe illud habent, minori & rariori refrigeratione indigere videntur. Cæterum quoniam de terrestri piscium genere hic à philosopho facta est mentio, & qui hunc locum explicare aggressi sunt, sicco (vt aiunt) istuc pertranseunt pede, non ab re fore arbitror si Theophrasti in libello de piscibus hac de re conscripta subtexam miracula, quæ lectori sanè industrio & eleganti cum satisfacere, tum illius hac breui digressiuncula animum oblectare poterunt. Ad hanc autem rem Plinio secundo vtar interprete, qui in nono de naturali historia libro Theophrastū vertens, hæc ad verbū scribit: Piscium genera etiamnum à Theophrasto mira produntur: Circa Babylonis rigua decedentibus fluuijs, in cauernis aquas hebetes remanere: quosdam inde exire ad pabula pinnulis gradientes, crebro caudæ motu: contraq; venantes refugere in suas cauernas, & in ijs obuertos stare: capita eorū esse ranæ marinæ similia: reliquas partes gobiorum: branchias vt cæteris piscibus. Circa Heracleam & Toronem & Lycum amnem esse multifaria. In Ponto vnum genus esse quod extremas fluminum aquas sectetur, cauernasq; sibi faciat in terra, atq; in ijs viuat, etiam reciprocis amnibus siccato litore. Effodi ergo: motu demum corporum viuere eos approbant. Circa Heracleam eandem, eodemque Lyco amne decedente, ouis relictis in limo generari pisces, qui ad pabula petenda palpitent exiguis branchijs: quod fieri non indigo humoris: propter quod & anguillas diutius viuere exemptas aquis.

Quo interest modo muscæ & apes i aquis merfa.

Cammari. Locustæ. Polypi. Carabi.

Fossiles pisces.

Theophrasti de piscibus.

Plinius. l. 9.

“
“
“
“
“
“
“
“
“
“
“

omnia certe illa quæ animal intra se, & non solum extra pariunt, eo quo diximus modo. Præterea ex
 ouiparis etiam illa quæ pen nas gerunt, vt auium genus est vniuersum, necnon ea quæ corticosum ter
 goris habent tegumentum, quæ græci felici linguæ copia vnico vocabulo φολιδωτὰ vocant, id est
 corticeo tergoe contecta. φολις enim, vt ipse in commētarijs de animalium partibus testatur, squa
 me similis est, verum natura rigidior & durior: quod in testudinibus & serpētibus magnis & crocodi
 lo fluuatiili palàm est videre, osse enim firmior euadit, vt qui talem sortiatur naturam. Statimq; gene
 ris istius quasdam refert species, testudines nominans, necnon lacertos & serpentes. omnia enim ista
 pulmones proculdubio habere cernuntur: verum quædam in his differentiæ conspicitur esse diuersi
 tas. nam & illa quæ animal intra se pariunt, & pēnatorum genus vniuersum, sanguineos certe habēt
 10 pulmones. Isthæc vero quæ corticosum gerunt tergus, fungosum certe & cauernulis plenum viscus
 illud habent, paucoq; vel etiam nullo sanguine præditum. Quamobrem, inquit, rariori isthæc omnia
 respiratione vtuntur, vt retro est ostensum: & ob innati exiguitatem calidi diutius sine respiratione
 perseverare possunt, incluso in pulmonum cauernulis aëre sufficienter illis suppetias afferre valente.
 Pulmones etiam post hæc dicit habere nonnulla quæ in textu recenset animalia, & rara etiam vti re
 spiratione, propter retro dictā in superioribus animalib; causam, frigidi scilicet & cauernosi pulmo
 nis. Sunt autem huiusmodi quæcunq; in aquis degunt, cum tamen aërem spirent: quale est hydorum
 id est aquatiliū serpentium genus: & testudines cum pelagiæ, tum terrestres: tertiumq; illorum ge
 nus, quas μύδαζ græci vocant, Gaza lutarias testudines appellauit, quoniam sub cœno degunt. Ra
 næ quinetiam, & crocodili, necnon vituli marini, & ad summam omnia illa animalia quæ ambigua
 20 sunt vitæ, huiusmodi esse censentur notæ, id est exanguem cauernosumq; habere pulmonem, & raro
 respirandi opere indigere. Omnia enim isthæc animalia cum ambigua (vt diximus) sunt vitæ, & mo
 do in terris, modo contrā in aquis degunt, interpolles nimirum naturæ videntur habere operationes.
 Verum omnia, inquit, huiusmodi in terris parere conspiciuntur. istuc autem idcirco facere censentur
 vt alibi dixit ipse, quoniam pauciorum iniuriæ illorū ibi sunt obnoxij fœtus, q̄ si in humido illos pa
 rent. Dormiūt autē ista nullo discrimine cū in sicco, tū in humido, nisi q̄ dū in humido, inquit, dor
 miunt, exerto, id est extra aquas extēso & eleuato dormiūt ore, respirationis gratia. Cū enim pulmo
 nes isthæc (vt diximus) habeāt omnia, aëris sanè respiratione indigēt, qua omnino carere nō possunt.

φολιδωτὰ

Hydr.

μύδαζ

ἀμφίβια

Cur ambigua
animalia in ter
ris pariunt.



Væcunq; autem branchias habent, refrigerantur omnia aquā
 admittendo. Branchias vero habent selachorum appellatum
 30 genus, & alia quæ pedibus carent. eiusmodi autem sunt pisces
 omnes. Nam quæcunq; habent, ad pinnularum similitudinē
 habent. Verum ex ijs quæ pedes habent, vnum tantum modo adhuc co
 gnitorum habet branchias, is qui Cordulus appellatur. Simul autem pul
 monem & branchias habere adhuc visum est nullum. Causa vero est, quo
 niam pulmo quidem refrigerationis illius est gratia quæ fit à spiritu: vnde
 & nomē à spiritus receptione sumpsisse videtur. Branchiæ vero ad refri
 gerationem sunt quæ fit per aquam. Vnum porro ad vnum commodum
 est instrumentum: & vnica refrigerationis ratio omnibus est satis. Quo
 niam igitur naturam nihil frustra agere videmus: si autem duo essent, al
 40 terum certe frustra esset: idcirco alia quidem brāchias, alia vero pulmones
 habent: vtrunq; autem nullum.

DICTUM fuit retro duo à rerum natura ad innati refrigerationem caloris effecta fuisse instrumē
 ta, pulmonem videlicet in ijs quæ aërem admittunt animalibus, de quibus pauloante est per
 tractatum: & branchias in ijs quæ ad connati refrigerium caloris aquas intro capiunt, de quib;
 bus hoc in textu verba facit philosophus. sunt autem in hoc genere aquatilia ferè omnia, & quæcunq;
 50 q; de illorum numero pedibus carent, vt selachorum vniuersum est genus, quod sanè cartilaginatum
 appellauimus: & omnes omnino pisces. Apodes enim omnes sunt, & branchias habēt, aquamq; pro
 culdubio recipiunt ad caloris refrigerium innati. Omnes autem pedum loco habere dicit instrumen
 ta illa quibus mouentur & natant, quas pinnas vocant, & in volucrum genere cum alis proportionē
 habent, de quibus in commentarijs cum de motu, tum de incessu & progressionē animalium copiose
 pertractatum fuit. Vel alia etiam huiusce literæ potest esse explicatio. nam quæcunq; habent scilicet
 pisces, ad pinnularum si militudinē habēt. Quibuscūq; enim ex aquatiliū genere pedes esse videntur,

Selache carti
laginata.

Vituli marini
pedes.

Cordulus pis-
cis.

Médū comē-
tariorū græco-
rū impressorū

Pulmonem à
spiritu græce
appellari
πνεύμας
vç.

illi certe proprie nō sunt pedes, sed pinne potius q̄ pedes. quod propter vitulos marinos intelligi posse videtur, qui vt aquatiles quidem, pedes habere cēsentur: vt terrestres autem, pinnas potius q̄ pedes. Posteriores enim (vt inquit ipse in cōmentarijs de animalium partibus) vituli marini habent pedes piscium in morē potius, q̄ pedestriū animalium conformatos. Omnes igitur ferē pisces & branchias habere, & pedibus carere manifestū est, vno, inquit, excepto de aquatiliū genere, quē solitariū ex ijs qui ad illius notitiā peruenerūt, & pedes habere, & branchias dicit, illumq; appellari Cordulum scribit: de quo cum in cōmentarijs de animalium partibus, tum in ijs qui de animalium historia inscribuntur libris mentionem ipse facit. Et in historia quidē libro octauo hæc ad verbum scribit. Vnū adhuc tantū modo nouimus Cordulū nomine. Hic enim nō pulmonē, sed branchias habet: egressusq; cibū petit in terra: & quadrupes idē est, vt ad ambulandum idoneus. In quarto autē de animalium partibus libro de hoc ipso animali hæc scribit. Corduli quauis branchijs præditi, pedes habēt, quoniam pinnis carent: caudā etiam habent laxam & latam. Quo sanē in loco obiter lectorē admonitū volo, in cōmentarijs græcis impressis in vtrisque sanē locis pro Cordulo Crocodilum mendose legi. Cæterum pedes quidem & branchias (vt diximus) vnicus habere visus est Cordulus: pulmonem autem & branchias simul habere adhuc animal repertum fuisse dicit nullū. neq; hoc ab re profecto. Pulmonis enim constitutio à rerū natura est facta illius refrigerationis gratia quæ fit à spiritu, id est ab inspirato extrinsecus aëre, vnde nomen sanē traxisse non immerito censetur. quæ certe res græce quidem cōsonat, in latinæ autem proprietate linguæ haudquaquā quadrare videtur. Pulmo namq; à spiritu nullam sanē deductionis habet etymologiam, sicut πνεύμας ἀπὸ τοῦ πνεύματος, id est à spiritu, manifestū habet deductionis modum. Pulmo igitur (vt diximus) refrigerationis illius est causa quæ ab inspirato fit aëre: branchiæ autem illius gratia refrigerationis effectæ sunt, quæ fit per aquam. Cum autem vnum instrumentum ad vnicam efficiendam rem sit requisitum & commodum, & vnicum in omnium animantium genere refrigerationis sit opus: (omnia enim aliquo extrinsecus sumpto refrigerari nata sunt) manifestæ profecto certitudinis esse debet, q̄ vbi pulmonis adest viscus, ibi non reperiantur branchiæ: & in quocunq; animalium genere branchiæ reperiuntur, in eodem pulmonū naturam deficere: cum alioquin nihil superuacuum in naturæ operibus, & nihil temere aut frustra effectum cōspiciatur: quod profecto esset quando simul pulmo & branchiæ in aliquo reperirentur animali. Cum enim isthæc (vt diximus) ad refrigerandum facta sint instrumenta, altero operāte, alterum certe cessaret, & frustra esset. In diffuso igitur & tam lato animalium genere, alia quidem branchias habent, alia vero pulmones: vtrunq; autem habet nullum propter suprā memoratam causam.



Quoniam vero ad ipsum quidem esse, alimento vnumquodque animalium indiget: ad salutem autem refrigeratione: ad horū sanē vtrunq; eodem natura vtitur instrumento: quemadmodum in aliquibus lingua & ad sapores, & ad loquendi vsum, sic in habentibus pulmonem, illo quod os appellatur, & ad alimenti confectionem, & ad expirationem, & respirationem. In ijs autem quæ pulmonem non habent, & non respirant, os quidem ad alimenti confectionem, ad refrigerationem autem ijs quæ refrigeratione indigent, branchiarum existit natura. Quo autem pacto prædictorum facultas instrumentorum refrigerationem efficiat, paulo post dicemus. Vt autem alimentum id non prohibeat, simili contingit modo & ijs quæ respirant, & illis quæ recipiunt humorem. Minime enim cum respirant, alimentum recipiunt: quod si secus, strangulari sanē contingeret deerrante alimento siue humido siue sicco ad pulmones per arteriam. Post arteriam enim adiacet gula, per quam alimentum deuoluitur in eum quem vocant ventrem. In quadrupedibus igitur & sanguine præditis habet arteria quasi operculum lingulam illam quam epiglottidem vocant: auibus autem, & ijs quadrupedibus quæ oua pariunt, non adest: sed constrictione id ipsum præstant. Cum enim alimentum capiunt, alia quidem claudunt, alia vero epiglottidem superimponunt. Delapso autē, alia quidem attollunt, alia vero aperiunt, & ad refrigera-

tionem spiritum receptant. Quæ vero branchias habent, cum per illas humorem emiserint, ore alimentum corripunt. Arteria enim carent: quo fit ut eius gratia ex interlapso humoris non ledantur: sed si aqua in ventrem subintret. Iccirco velociter expellunt, & identidem alimentum corripunt: & dentes habent acutos: & omnia ferè serratos illos habent, quandoquidem alimentum mollire non contingit.

Quia retro dixerat philosophus (ut visum est) quod natura ad unum opus unico utitur instrumento, quod verissime dictum fuisse non immerito existimandum est, quando nihil temere naturam facere ab omnibus sanè est receptum: frustra autem alterum certe esset instrumentum, quando alterum solitarie idem opus commode efficere posset: quoniam inquam dictum est ad unicum opus unicum sufficere instrumentum: ne quis conuersim etiam conclusum fuisse existimaret, rerum scilicet naturam unico instrumento unicum tantum efficere posse opus: hoc in loco declarat philosophus nihil prohibere illam nonnunquam ad duo peragenda opera unico tantum uti instrumento. Cum enim, inquit, unumquodque animal ad ipsum esse, alimenti quidem indigeat auxilio (sine deperditæ namque rei instauratione, quæ ab altrice animæ vi intercedente fit alimento, animal esse non potest: donec alitur enim animal esse censetur) ad sui autem conseruationem & salutem, refrigerationis egeat auxilio: nihil sanè prohibere afferit in habetibus pulmonem, eodem instrumento, ore videlicet, naturam uti & ad alimenti ciborumque confectionem, & ad respirationem & expirationem: quod statim similitudine ostendit quadam, ab eadem rerum natura efficaciter & significanter repetito exemplo. Videmus enim, inquit, in quibusdam, & oculata (ut aiunt) percipimus fide, linguæ instrumento naturam ad duo sanè uti opera, ad sapes scilicet percipiendos, & ad loquelæ opus explendum. Verum in ijs quæ pulmones habent animalibus, hoc accidere videmus modo: in illis autem quæ huiusmodi carènt visceribus, & idcirco non respirant, ad duo natura unico non utitur instrumento. os enim, inquit, in illis ad ciborum confectionem, alimentique perficiendum opus existit: ad innati vero caloris refrigerationem afferendam branchiarum illis est attributa natura, qua aquas admittunt, & per vices illas reddunt. De modo autem quo aer aut aqua ad caloris refrigerium innati extrinsecus admittitur, posthac se pertractaturum pollicetur. Interim declarat, quod alij etiam fecit in locis, quidnam prouida rerum machinata sit natura in ijs animalibus quæ oris instrumento ad duo utuntur opera, alimenti scilicet confectionem, & respirandi facultatem, ne alterum ab altero præpediatur, eoque animal ledatur modo. Ut alimentum igitur, inquit, id non prohibeat, id est ut alimentum ipsam non impediatur respirationem, & in respirantibus & non respirantibus simili ferè accidere videtur modo. Non simul enim isthæc duo nature perficiuntur opera, sed successiue: quod sanè in respirantibus manifeste fieri animaduertitur. Si enim, inquit, in respirandi opere ad pulmonis meatum ingredi contigerit, ex illoque aberrauerit quippiam, siue siccum id fuerit, siue humidum, in arteriam quæ spiritus est semita, strangulatur certe animal & interit: nisi illud eiecerit: & idcirco eo in casu violentas quasdam subsequi cernimus tusses, natura cito & violenter noxium illud expellere satagente: ad quod certe prohibendum pro animalis custodia & salute, cum alioquin gula ipsa, per quam esculentorum poculentorumque omnium ad ventrem est transitus, post asperam collocetur arteriam, prouida architectata est natura linguam in illam quæ epiglottidem græci appellant, quæ ad asperæ ingressum arteriæ quasi naturale quoddam operculum, cum patens, tum clausum existit, vicissimque pro necessitatis indigentiâ ijs fungitur muneribus. Cum enim confectus in ore cibibus ad gulam transmittitur, super clausum linguæ deuoluitur operculum, & ad patentes gulæ accedit meatus, ut inde ad ventrem perueniat: quo certe tempore nullum respirat animal, ob superius adductam causam. qua sanè effecta re, & cibis potionibusque gulam ingressis, aer in pulmone inhabilis iam effectus ad refrigerium, & per cordis compressum, quam systolen vocant, expulsus, asperam perit arteriam, exireque properans superiectam aperit linguam, & egressus statim patentem sanè præbet ingressum aëri extrinsecus ad caloris refrigerium festinanti. Vicibus igitur isthæc fiunt, non simul, in ijs videlicet animalibus quæ oris instrumento ad duo illa nature utuntur opera, propter retro enarratam causam. Ceterum homo quidem, & quadrupes, perfectioraque & sanguine prædita animalia, linguam (ut diximus) illam pro asperæ operculo arteriæ habere conspiciuntur: in auium autem genere, & in ijs quadrupedibus quæ oua non animal pariunt, huiusmodi non adest membrum, id est nullum epiglottidis est operculum: verum idem efficiunt arteriæ ipsius clausura quadam & obstructio: ne cum deglutiuntur cibi: quæ identidem aperitur dum aërem extrinsecus recipit frigidum. Vicissim certe (ut dictum est) in quadrupedum genere perfectiorum, & non simul, eandem ob causam. Cur autem aues epiglottidem non habeant, in commentarijs de animalium partibus abunde est declaratum.

His ita determinatis & expositis, de refrigerandi nos docet modo philosophus, qui in ijs quæ non respirant animalibus existere censetur. Quoniam autem præmiserat quod simili contingit modo id fieri & in ijs quæ respirant, & in illis quæ recipiunt humorem, probauitque (ut visum est) non simul respirare illa, & alimentum recipere, ne suffocationis periculum incurrant: expirando enim attollitur epiglottis,

Unico aliquando instrumento naturam ad duo uti opera

Lingula epiglottidis.

Quomodo ali-
metum pisces
recipiāt, & fri-
gidam admit-
tant aquam.

& arteriæ patent meatus: hoc in loco in ijs quæ branchias habent animalibus, & quæ humorem reci-
piunt, similitudinis commemoratæ tangit modum. Emissa enim per branchias inquit aqua alimētū
illa ore recipere. Propter quæ dicta animaduertere licet piscium genus vniuersum escas ore corripere
& vorare, & simul branchijs aquam refrigerantem recipere. Post aquæ nanq; per brāchias egressum,
simul vtrunq; exercent opus. Escas enim ore corripiunt, & branchijs frigidam admittunt aquam. Et
idcirco statim subiungit ipse isthæc non ledi animalia sicut priora illa quæ pulmonem habent, in ijs
duobus naturæ operibus si simul fiant, quoniam nō habent arteriam, neq; humoris ingressus qui per
branchias fit apertas, illa offendit, & male habet, eādem ob causam: qui profecto lederet illa si per os
cum escis ingrederetur, & ad ventrem perueniret humor. Subaudiendum enim hoc est literæ illi, sed
si aqua ventrem subintret, & rursus replicandum est illud, lederentur. Et hanc ob causam inquit illa
cum celeriter aquam extramittere branchijs, tum festine & voraciter escas ore corripere, vt quo tem-
pore aquas admittunt branchijs, alimentum ore deglutiatur, & in ventrem eat. Quæ etiam omnia a-
cutos dicit & ferratos habere dentes, vt turba vulnerum (vt Plinius ait) escas molliant, quas ore be-
ne conficere nequeunt.

DE ijs autem quæ in aquatiliū genere Cete appellātur, ambige-
re sanè quispiam posset: quando & illa nō sine ratione se habēt:
vt de delphinis, & balenis, ceterisque quæcunque id habēt quod
fistulam vocant. Nam talia pedibus quidem carent: cum autem pulmo-
nem habeant, accipiunt mare. Huius autem causa, id quod nunc dictum
est, non enim refrigerationis gratia humorem accipiunt. Istuc nanque illis
fit cum spirant. Habent enim pulmonem: quamobrem exerto ore dor-
miunt: & Delphini etiam stertunt: qui profecto si retibus capiātur, celer-
rime strangulantur, quoniam non respirant. Et in equorū isthæc fluitant
superficie, respirādi gratia. Verum quoniam necesse est in humore alimē-
tum quærere, intromissum humorem eijcere est necessarium: & hanc ob
causam omnia fistulam habent. Aquam enim receptam vt pisces per brā-
chias, ita ista per fistulam egerunt. Huius autem rei signum est ipsius fistu-
læ positura. ad nullam enim sanguine præditarum partium tendit, sed an-
te cerebrum iacet, & aquam reddit. Hanc etiam ob causam, quæ mollia
vocantur, aquam accipiūt, & quæ fragili integuntur crusta, vt qui carabi
vocantur, & cancri. Horum nanque refrigeratione indiget nullum. Exi-
gui enim caloris, & exangue omne id est genus: quapropter à circunieto
humore satis refrigerationis capiunt: verum alimenti gratia, ne simul ca-
pientibus influat humor, ea quidem quæ fragili teguntur crusta, vt carabi
& cancri, propè hirsuta illa aquam per plicaturas egerunt: Sepiæ vero &
Polypi per id cauum quod superinditur, vocatum in illis caput. De ijs au-
tem accuratius est scriptum in ijs qui de historia animalium sunt com-
mentarijs. De humoris igitur assumptione dictum est, quoniam refrige-
rationis fiat gratia: & quoniam ex humore cibos capere oporteat illa quæ
natura aquatilia sunt animalia.

Cete latinum
nomen nō ha-
bere.

Quia retro dictum fuit nullum animal simul habere pulmonem & branchias, id est respirare
simul, & aquam pro refrigeratione recipere: quoniā in quibusdā ex aquatiliū genere id fieri
videtur, falso tamen: iccirco hoc in textu philosophus à principio statim dicit quempiam
non immerito dubitare posse de ijs quæ Cete appellantur. Sunt autem maiores quædam
in mari beluæ: quorum genus latinum non habet nomen: vt balenæ, orcæ, delphini, pluraq; eiusmodi
animalia, quæ sanè omnia respirare palā est. Hæc etenim per fistulas quas gerunt, aquā extramittere

animaduertuntur, quam profecto ad refrigerationem non receperunt, cum ad calidum temperandū innatum inspirato iuuentur aëre: sed quoniam in aquis degentia, & in humore cibos capientia, illorū sanè dum vorantur ingressu, aquam etiam simul ingredi necesse est, fistulas quasdam & meatus naturæ prouidentia habent, quibus absorptum exhauriunt mare, & tanq̄ siphonibus quibusdam ipsum connatis expellunt fistulis: & iccirco in litera philosophus dicit, quoniam & illa non sine ratione se habent. Si enim ostendatur q̄ recipiunt illa quidem aquas quas expellunt, verum refrigerationis causa illas nō recipiunt, sed ob supradictam necessitatem: ratione vtique illa & pulmones habere, & aquam recipere cēsentur. Eiusmodi autem sunt cum balenæ, vt dictum est, & delphini: tum vniuersum id genus quod instrumentum gerit illud quam fistulam vocant. Huiusmodi nanq̄ omnia cum pedibus sanè careant, pisces recte appellari possunt. cum vero pulmones habeant, non recte profecto vocari debent pisces. Respirant igitur, quoniam pulmones habent: mare vero recipiunt, propter id quod dictū est, inquit, in calce scilicet superioris textus, vbi sanè dictum fuit humoris ingressu celeriter escas corripere, & humorem quem simul cum escis receperunt, eicere, ne in ventres illorū penetrans, illos plane ledat. Necessario igitur humorem receptant: quoniam in aquis pascuntur: quē tamen illico eiciūt per fistulam, quia nullum ab illo refrigerationis quærunt auxilium. Cum enim pulmones habeant, omnia certe extrinsecum respirant aërem: illoq̄ calidum temperant innatum. Quamobrem, inquit, isthæc omnia dormire cōspiciuntur: quod perfectioribus cōtingit animalibus: & cū id faciūt, exerta aquis habent ora, vt aërem extrinsecus respirare valeāt, sine quo diutius durare non possunt. Delphini quinetiam eo ex genere manifeste stertunt: qui si quo casu retibus sub aquis inuoluantur, vt inde se ad respirandum explicare nequeant, strangulantur sanè & intereunt, aëris carentes refrigerio: quē sub aquis habere non possunt: & idcirco illis vsu sæpenumero accidere videmus, si quando ad ima fusi giētes vada persequuti fuerint pisces, quod respirandi necessitate coacti, ceu arcu emissi summa equorum petunt, tanta plerunq̄ celeritate, vt velocissimo saltu magna etiam eiaculati transmittant nauigia. Respirant igitur omnia ista (vt diximus) quoniam pulmones habent: aquas autē recipiunt, quia in humore degunt, & inde escas sibi petunt: quas cito, ne ledantur, per fistulas trāsmittunt & egerūt, vt pisces per branchias. Quod autem hoc se res habeat modo, & intromissa aqua illa refrigerij causa non admittatur, declarat philosophus, & à fistularum in illis positura rei veritatem manifeste ostendit. In nullo enim, inquit, illorum fistula ad membrum quoppiam sanguine præditum tendere cernitur. sanguine prædita vocans membra cor & pulmones, & omnia sanè illa in quibus calidum feruet innatum: ad cuius temperandam copiam si aqua id fieri deberet, fistulæ profecto eō tenderet caput: non tendunt autē aut eo perueniunt fistulæ, quoniā nulla ad illud aquarū est necessitas: sed potius posituram habēt in capite ante cerebri locū, vt aquas, inquit, ore receptas cum escis, inde eiecerent & exprimerent. His ita constitutis, de eo quod cete vocant genere id ipsum philosophus declarat cum in mollibus appellatis piscibus, tum in fragili crusta contactis, quales sunt carabi & cancri, cæteraque id genus crustacea. Cum enim isthæc omnia exigui sanè sint caloris, quoniam sanguine carent, paruo certe refrigerij indigent auxilio: quod profecto continentis abunde illis natura præstare potest. Recipiunt autem aquam ista non ad refrigerandum (vt diximus) calidum, quod sanè exiguum habent, sed quoniam vitam in aquis agentia, & in humore escas sibi petentia, simul cum illis aquas profecto recipere & admittere necesse habent, quas tamen velociter egerunt & extramittunt. quāobrem mollia quidem receptum emittunt humorem per fistulas quasdam in eorum os tendentes: crustacea vero vt carabi & cancri, iuxta asperitates & hirtas illas particulas capillamentorum effigiem habentes, per plicaturas illas quæ ἐπιπύματα vocantur à græcis, & fistulæ cuiusdam & meatus in illis vicem gerunt, receptas eiecerunt aquas. Sepiæ vero & polyphi, cæteraque id genus, aquas pascendo recipientia, illas per cauum emittunt illud quod eam superstat partem quæ in illis caput vocatur. Cæterum istorum accuratior doctrina cum visu & sectionum experientia est perquirenda: tum, vt inquit ipse, ex commentarijs de animalium historia, & de partibus etiam est inuestiganda. In illis enim habere exquisitius pertractatur. Post hæc enarrata & ostensa, vniuersalem quandam in aquatiliū genere cōcludit propositionē philosophus, quæ sub disiuctionis quodā intelligi sanè debet modo, aquatilia scilicet omnia aquas intra se admittere, aut vt illis calorē refrigerēt innatū, vt pisciū genus facit vniuersum, quod pulmone carēs, refrigerio tamē indigere videt: aut nihil illis ad refrigerationē indigētia, cū pulmones habeāt & respirēt, quoniā tamē ex aquis escas sibi petūt, illas nimirū cū escis admittētia, illico per fistulas quasdam, aut ad id cōstitutos meatus, ne ledantur, expellunt & egerunt.

DE refrigeratione autem quonam fit modo tum spirantibus, tum ijs quæ branchias habent, posthac dicendum est. Quod igitur ex animalibus spirent quæcunque pulmones habent, dictum est prius. Quamobrem autem hanc habent partem nonnulla: & quapropter quæcunque habēt, respiratione indigent, causa quidem est quod habeant, quoniam præstantiora animalia copiosiore affequentia sunt caliditatem:

z.j.

Cete humorē
recipe, nō autē
refrigeratio-
nis causa.Delphinorū
pernicitas.Crustaceorū
exanguē & frī-
gidū genus.Carabi.
Canari.

simulque necesse est animam sortita esse excellentiorem. Talia namque stirpium natura sunt præstantiora. Quapropter quæcunque sanguine exuberantem habent pulmonem, & calidum, mole sunt ampliora: idque quod inter animalia purissimo & plurimo utitur sanguine, erectæ maxime figuræ est, homo: solusque superiorem partem ad id quod in uniuerso eiusmodi est, habere conspicitur, quoniam eiusmodi hanc habet partem. Et eam ob rem ipsius essentiæ cum huic ipsi, tum reliquis causam id constituere debemus, perinde ac aliarum quamcunque partium. Habet igitur huius gratia. Per illam vero quæ ex necessitate & motu est causam, talia constare animalia existimare debemus, ut multa quæ non talia constare videmus. Siquidem alia ex copiosiori facta sunt terra, ut stirpium est genus: alia vero ex aqua, ut aquatilia: ex volucris autem & terrestribus, alia quidem ex aëre, alia vero ex igne. Singula autem in proprijs locis ordinem suum seruant.

Quanam de causa pulmonis viscus nonnulla habeant animalia, & cur illud habentia respirationis indigeant opera, hoc in textu ostendit philosophus: dicitque causam quidē esse quod pulmonem habeant quæcunque illum habere conspiciuntur, quoniam præstantiora, inquit, & digniora animalia copiosiore proculdubio assequuta sunt caliditatem. quæcunque autem copiosiori abundant calido, pluri certe indigent refrigeratione. Eiusmodi autem omnia aliis quod sanè in sese habere instrumentum necesse est, quo aerem intrinsecus attrahere possint frigidum: qualis certe pulmonis censetur esse natura. Quomodo autem pulmo ipse spiritum trahat, & quonam modo branchijs intercedentibus calido quod in piscibus est succurratur, & refrigeratio fiat, in libelli huius calce dicit ipse: addetque etiam quamobrem quæ pulmonem habent, non aquam ad sui refrigerium trahant, sed aëre utantur. Quoniam autem in eo quod in corde degit calido ipsam inflammari animam retro est dictum, illamque quodammodo inseparabilem animalis esse speciem: necesse profecto est quanto quædam præstantiora dignioraque fuerint animalia, tanto etiam esse calidiora. Si enim quod verum est, nullo respectu profitendum, & audacter in medium proferendum est, non ab re (ut opinor) existimandum esse duco animæ essentiæ, talem aut talem esse formam siue speciem ex tali aut tali miscibilium concursu constitam, in cordis arce degentem, uniuersamque animalis vitam sui præsentia temperantem. Qua certe de re præclare & eleganter multa sunt ab Alexandro Aphrodiseo in suo de Anima commentariolo pertractata, cuius certe initium hoc se habet modo. Propositum quidem nostrum est de anima pertractare quæ in generatione est & corruptione corporis, quænam illius sit essentiæ, & quæ, quot ve sint vires, necnon quænam illarum ad se inuicem sit diuersitas. Eruditissimus quinetiam Galenus in commentariolo quodam suo ubi demonstrare contendit animæ potestates corporum complexionibus sequi: eadem ferè hac de re scripta relinquit, quæ Aphrodiseus memoriæ prius mandauerat: De inseparabili uterque animæ loquens natura: quæ certe vitæ non animæ nomine à plerisque Academicorum appellari consuevit. Animam enim, siue potius animum, cum separabilem esse & æternum, tum extrinsecus accedere, & in corpora fatalibus quibusdam legibus, quas *ἐιμαρμένην* vocat, & inclinationum periodis descendere voluerit. Cæterum cum hac de re multos præclarosque antiquorum in mediū afferre possimus sermones: ne à proposito longius abscedamus, & ut cōpēdio studeamus, cuius nobis in præsentia omnibus alijs potior est cura, istæ hæc breuiter tetigisse sufficiat. Sunt igitur (ut vnde discessimus eo reuertamur) præstantiora dignioraque animalia ut plurimum etiam calidiora. Neque industrius (ut arbitror) hoc in loco merito conturbari debet lector si quæpiam calidiora animaduertit animalia fatua sanè & delira, hebetioraque nonnunquam minus calidis. Nanque non absolute audiendum esse contendimus præstantiora dignioraque esse animalia quæcunque sunt calidiora. præstantiæ enim, quæ a prudentia mentisque agilitate censetur, simpliciter sanè non est causa ipsum calidum, sicut neque contra frigidum ignobilitatis: sed calidum cum tenuitate & puritate coniunctum, dignitatis præstantiæque causam esse decernimus. Quam obrem moderanda (ut arbitror) philosophi illa est litera ubi dicitur, quanto præstantiora, tanto calidiora. & illi sanè addendum, puriora. ut uniuersaliter hæc propositio hoc in sese recurat modo, Quāto præstantiora sunt animalia, tanto calidiorem purioremque in se habent sanguinem: & quanto calidiorem purioremque habent sanguinem, tanto sunt præstantiora & digniora. Quod autem caliditas per se sola præstantiæ aut dignitatis, quæ prudentiam ex sese pariunt, non sit causa, ipsum audiamus in commentarijs de animalium partibus isthæc ad verbum disertantem.

Cur præstantiora animalia pulmones habeant.

Aiæ inseparabilis essentiæ ex miscibiliu concursu resultat.

Inseparabile animæ speciē vitæ appellari. Animū inseparabile esse & æternum.

Quod calidū nobilius efficit animal.

Caliditatē per se nō esse prudentiæ & dignitatis causam.

- Multorum profecto causa est ipsa sanguinis natura, & eorum quæ ad mores attinent rationabili-
ter, & quæ ad sensum. materia enim omnium est sanguis. Nanque alimentum est materia, sanguis
autem postremum est alimentum. Magnam igitur efficit diuersitatem siue calidus, seu frigidus exi-
stat: necnon tenuis, aut crassus: purus, aut turbidus. Quibus hæc etiam subiungit. Accidit autem qui-
busdam elegantiorum habere mentem ex talium numero quàm habentia terreum & calidum san-
guinem, non illius frigiditate, sed tenuitate potius, & quia purus est. Terreum enim nihil huiusmodi
habere censetur. Sensum enim habent mobiliorem & agilem magis quæcunque humiditates habent
tenuiores. Post hæc de homine verba faciens dicit. Omnium autem prudentissimus est homo, quo-
niam tenuissimum & purissimum, necnon calidissimum habet sanguinem eum qui circa ipsum degit
10 cor. Quamobrem manifestum est quod quæcunque animalium tenuissimum purissimumque necnon calidissi-
mum habuerint sanguinem, hæc nimirum prudentiora dignioraque existunt, quàm illa quæ calidum habent
& crassum: quæ rursus sapientiora honorabilioraque merito esse existimantur, quàm ea quæ frigidam
concretamque sanguinis habent naturam. Sunt igitur (vt ad propositum reuertamur) digniora sanè
in animalium genere, quæcunque calidiora sunt & puriora, & maiora etiam. quod sano intelligendum
est modo. Quæcunque enim sanguine exuberantem habent pulmonem (vt in pluribus dicatur) ma-
iora sanè esse animaduertuntur, quàm illa quæ eum non adeò sanguine præditum habent. Et hæc sanè
pro hac re in præsentia dicta sufficiant. De homine postea verba facit, quem erectæ dicit esse figu-
ræ, & habere id quod in ipso sursum vocatur, ad illud quod in vniuerso est sursum, consentiens, & be-
ne quadrans: quoniam inter cætera, inquit, animalia plurimo pro corporis sui mole tenuissimo necnon
20 purissimo vtitur sanguine: & eiusmodi hanc habet partem. per hanc intelligens partem, pulmonis na-
turam. Quoniam enim homo circa cor & pulmonem plurimam & vegetam habet caliditatem, locaque
illa copioso abundant sanguine, cum calidum eum esse oportet, tum erectæ staturæ inter reliqua ani-
malia. Calidi enim potestas inualefcens sursum fertur, aliaque secum eò rapere nata est. Quamobrem
existimandum est, & pro vero constituendum, pulmonis naturam cum in homine ipso, tum in reli-
quis animalibus quæ id habent viscus, & illorum substantiæ & ipsius esse causam existere nihilo mi-
nus quàm aliarum quæpiam partium ad animalis esse maxime necessariarum. Vt enim sine iecore aut ce-
rebro, aliisque huiusmodi partibus animal esse non potest: ita quæcunque spirant, sine pulmone esse
nequeunt. Illius enim corruptionem mors sequitur, vt ipse posthac dicit. His ita expositis subiun-
git philosophus: Habet igitur huius gratia, quæ litera breuiter sanè prolata, hunc habere videtur in-
30 tellectum: hominem scilicet, & quæcunque alia pulmonem habent, eum sanè habere, quoniam plu-
rimum habent calorem. Huius enim, videlicet caloris, gratia, factus est pulmo, conueniens sanè ad
cordis refrigerium à rerum natura fabricatum instrumentum. In litera autem vbi dicitur, Per illam
vero quæ ex necessitate est, & motus causam: per duo sanè illa vnicum genus causæ intelligendum ef-
se videtur, materialis videlicet causa. Solet nanque pluribus in locis ipse necessitatis vocabulum pro
materia vsurpare. Dicit autem per hoc genus causæ, materialis scilicet, talia esse constituta animalia,
qualia pleraque constituta esse videntur alia quæ in animalium numero non censentur: quæ res vt
clarius pateat, non ab re quædam de primo libro de cælo & mundo in præsentia mihi mutuanda ef-
se duco. Dicitur enim eo in loco composita à prædominio moueri omnia. quamobrem cum dicitur
40 plantas terra constare, pisces vero aqua, non sanè est intelligendum ex sola terra, aut aqua sola
constare illa. In illorum nanque singulis reliqua reperiuntur elementa: ignis scilicet, & aer. Verum
quoniam in stirpibus quidem præualet terra, in piscibus autem dominatur aqua, eam ob causam di-
cimus pisces quidem aqua constare, stirpium autem genus ex terra esse. Similique rationis modo in
alijs existimare oportet. His igitur ita constitutis, ad literam reuertamur: quæ sanè hoc velle videtur,
quod existimandum scilicet est per materiam constare animalia, quemadmodum plura quæ non sunt in
eo genere, constare videntur. Vt enim in non animalibus, scilicet in stirpium genere, præualet terra:
ita in piscibus dominatur aqua, & in volucrum genere ignis, in alijsque aliud quippiam. Istuc autem
iccirco præmississe videtur philosophus, vt consequenter Empedoclis hac de re commemoret & re-
prehendat sententiam, quam illico sub ijs recenset dictis. Illud vero: Singula autem in proprijs locis
50 stitutum ordinatumque sanè est, & non in alio quidem fit loco, in alio autem versatur & degit, vt Em-
pedocles sensisse videtur.

Empedocles autem non recte dixit asserens calidissima animalium
& igne habentia plurimum aquatilia esse, naturalis caliditatis exu-
perantiam declinantia: vt quoniam frigido & humido deficiunt, lo-
co ipso contraria adæquent. Humidum enim minus est calidum. Omni-
no igitur absurdum est quoniam contingat modo eorum vnumquodque
in sicco genitum, locum mutare ad humidum, cum fere pleraque illorum

z.ij.

Hominem plu-
rimo & tenuis-
simo necnon
calidissimo motu
sanguine.

Ex lib. de cæ-
lo.

Talia vocari
composita, qua-
lia à prædo-
minio sunt.

pedibus careant. Ille autem eorū à principio constitutionem commemo-
rans, facta quidem fuisse in sicco dicit, fugientia autem peruenisse ad hu-
midum. Præterea etiam neque calidiora terrestribus videri possunt, nan-
que illorum pleraque omnino sunt exanguia: alia vero exiguum habent
sanguinem. Cæterum qualia sanè calida aut frigida appellare oporteat,
solitariam de per se sortita sunt consyderationem: ea autem de qua locu-
tus est Empedocles causa, habet profecto aliquid quæsitæ rationis: id ta-
men quod asserit, haudquaquam verum est. ea nanque quæ habitudines
excedentes habent, contraria certe loca ac tempora conseruant. Natura
vero in proprijs præcipue saluatur locis. Non enim eadem animalium est
materia ex qua vnumquodque constituitur, & habitudines dispositiones
que illius: verbi gratia si à natura quippiam è cera fingatur, id certe in ca-
lido positū non saluabitur: neq; si quippiam è glacie, quamprimum enim
à contrario corrumpetur. Calido nanque liquefcit quod à cōtrario fuerit
compactum. Neque si quippiam ex sale aut nitro confecerit, in humido
sanè illud collocabit. Destruit enim humidum quodcūque à calido & sic-
co fuerit constitutum. Itaque si omnibus corporibus materia est humi-
dum & siccum, rationi consentaneum est vt quæcunque ex frigido & hu-
mido fuerint constituta, in humidis degāt: & si frigida fuerint, in frigidis:
quæcunque vero ex sicco, in sicco. Quapropter arbores in aquis non na-
scuntur, sed in terra. Atqui eadem ratione in aqua, quoniam magnopere
sunt siccæ, quemadmodum magnopere ignita inquit ille. Non enim quod
frigida esset, ad illam sanè deuenerunt, sed quoniam humida. Naturales
ergo materiæ tales profecto sunt, qualia fuerint loca in quibus existunt:
in aquis quidem humidæ: in terra vero siccæ: in aëre autem calidæ. Verum
enimvero habitudines quæ caliditate superfluunt, in frigido: quæcunque
autem frigiditate, in calido collocatæ conseruantur magis: quādoquidem
locus ipse habitudinis exsuperantiam ad mediocritatem coæquat. Hoc
autem in cuiusque materiæ proprijs quærere oportet locis, & in con-
stitutionibus communis temporum mutationis. Habitudines enim lo-
cis contrarias esse contingit: materiam autem non contingit. Quod igitur
nō propter naturæ caliditatem alia quidem aquatilia, alia vero anima-
lium sunt terrestria, vt inquit Empedocles: necnon quamobrem alia qui-
dem pulmonem habent, alia vero non habent, in tantum sit dictum.

Empedoclis de aquatiliū natura ponit sententiā, non tamen illam eius verbis, vt aliquo-
tiens fecit, hoc recenset in loco, sed tantum commemorat, dicitque illum haudquaquam recte
sensisse qui voluerit aquatilia omnia natura esse calidissima & ignea, quæ sanè exsuperan-
tem in eorum natura caliditatem & siccitatem declinantia, & ceu contemperare volentia, ad
aquas deuenerunt, vt eo loci à contrarijs conseruantur qualitatibus, naturaque loci frigidi & hu-
midi id quod in eis ex huiusmodi qualitatibus deficiebat, recompensarent. Vbi autem dicit, Humi-
dum enim aëre minus est calidum: per humidum ipsam intelligit aquam, ad quam, vt voluisse vide-
tur, aquatilia commigrarunt omnia. Dixit autem aquam aëre minus esse calidam, cui sanè nulla

adscriptur caliditas, vel secundum opinionem illam quæ Academicis prius, & postea Stoicis fuit adscripta, quæ scilicet asserit calentem mundi spiritum, & omnia viuificantem, vniuersos elementorum permeare & tranare globos: vel per minus calidum de Empedoclis sententia intelligendum est frigidius. Voluit nanque vir ille (vt alijs dictum est in locis) ætherem tantummodo esse calidum, reliqua vero elementa esse frigida, aliud autem alio frigidius. Commemorata autem Empedoclis de aquatiliu natura sententia, statim illam philosophus reprehendere aggreditur, dicitque absurdum sanè esse & inconueniens aquatiliu genus in sicco genitum, ad humidum, id est ad aquas peruenisse, cum alioquin vniuersum ferè pedibus careat, quorum certe ministerio, si istuc verum esset, loca permutare possent, & superfluentes caliditatis siccitatisque fugere excessus, vt Empedocles voluit. Præterea, inquit, (& est alia ratio à sensu perspicuitate deducta) aquatiliu genus non eam sanè præ se fert caliditatis exsuperantiam, quam illi falsò imponit Empedocles, cum terrestribus aquatilia longe sint frigidiora. Si enim, quod retro est ostensum, sanguinis natura in animalibus caliditate sibi vendicat innatam, & vbi copiosior reperitur ille, ibi largior feruentiorque proculdubio adest caliditas: cum de aquatiliu numero pleraque sint exanguia, & quæcunq; ex illis sanguinem habet, exiguum sanè illum & dilutum habere videatur, certissimum esse debet aquatiliu genus neque calidissimum esse, neque igneum, vt Empedocles voluisse videtur, & terrestribus ferè omnibus proculdubio esse frigidius. Nulla igitur fuit necessitas in sicco genitos caliditatis excessu ad aquas pisces peruenisse, cum terrestria longe illis calidiora commode in terris degant. His ita constitutis, & Empedoclis explosa sententia, de calidi frigidique natura dicit, necnon quænam per se calida appellari debeant, quæve calidiora, in alijs peculiariter fuisse pertractatum: quò nos relegat. Dictum est autem ab ipso hac de re in secundo de animalium partibus libro. Quoniam autem Empedocles dixerat quòd pisces superfluentem fugientes caliditatem & siccitatem, aquas ingressi fuerant, vt æquis portionibus contraria compensarent & componerent: contraria intelligens calidum, frigidum, humidum, & siccum: idcirco, inquit ipse, quærere quidè & persequi contraria in magnis qualitatum excessibus, quippiam sanè quæsitæ rationis habere videtur: non tamen verum esse, vt dixit Empedocles. Cum enim qualitatum excessus commensuratam corporum superauerint proportionem, tunc certe contraria quærenda sunt loca & tempora excessibus illis, quos habitudines vocat, ceu accidentales quasdam corporibus aduenientes qualitates, si perseuerauerint, illorum complexionones destruentibus: & idcirco in febrium ardoribus contraria pro remedio à medicis adhibentur medicamenta, habitationesque ægrotis conceduntur frigida & algentes, quæ sanè morbi vim contraria qualitate repriment & obtundant: contra in frigidis morbi causis tepidiora quæruntur loca, medicinarumque calidæ miscentur vires. Cum vero excessus naturalis fuerit, & ab ipsa corporum materia constitutioneque emanauerit: non solum à contrario id habens non iuuatur, sed leditur potius & interimitur. Aliud est enim, inquit, animalium materia, & aliud habitudines dispositionesque illius: id est, aliud est natura animalium, à qua certe illorum à principio constituta constataque resultat complexio: & aliud habitudines dispositionesque illius, id est accidentales qualitatum excessus, qui animalium complexionones exuperant. Naturales enim corporum excessus, per quos composita sunt illa, & à sui exordio aliquam trium elementorum ceperunt præminentiam, à similibus profecto locis & temporum constitutionibus conseruantur, à contrarijs autem interimuntur. Vt enim in octauo de motu dictum est libro, & in alijs etiam pertractatum est locis, non solum à proprio vnumquodque elementorum conseruatur loco, sed etiam conformatur, & in esse constituitur, veramque ab illo capit essentiam: quod tamen fecus in accidentalibus euenire videtur excessibus. A contrarijs enim (vt diximus) quicumque illos habent iuuantur & conseruantur: à similibus vero leduntur & interimuntur. Cuius certe rei in naturalibus excessibus elegantia sanè proponit exempla, vt illis etiam Empedoclis damnet sententiam. Si enim, inquit, ex cera, quæ proculdubio humida est & frigida: (liquefcens nanque frigiditate coalescit & stringitur) natura animalis cuiuspiam fingeret corpus, tanquam ex peculiari propriaque materia: non utiq; pro illius cõseruatione illud in igne reponeret. illius enim humiditas ab ignis destrueretur siccitate, vt frigiditas ab illius caliditate. Parique rationis modo si quippiam ex glacie natura constitueret, non profecto id in calido collocaret: liquefceret enim, & interiret. Quod enim à frigido est constatum, à calido certe dissoluitur: & econuerso quod calidum cõpingit, frigus certe dissipat & interimit: vt in commentarijs de sublimibus est pertractatum. Et idcirco si quippiam ex sale & nitro (quod salis est genus) natura fabrefaceret, si illius salutis cõsultum vellet, id sanè in humido non collocaret. Destruit enim humidum quodcunq; à calido siccoq; fuerit constitutum: qualia sunt sal, & nitrum. Ex quibus palam esse potest naturales corporum excessus ab alijs cuius prædominio elementi resultantes, à similibus custodiri conseruariq; locis: à contrarijs vero ledi & corrumpi. Non igitur hanc ob causam recte sensisse videtur Empedocles, qui calidos & igneos à rerum natura factos voluit esse pisces, & ad sui conseruationem contraria petijisse loca. non enim iidem sunt, neq; eodem se habent modo naturales qualitatum excessus, & accidentales, vt retro cum rationibus, tum exemplis abunde satis est demonstratum. Si igitur omnium corporum materiales sunt qualitates calidū, frigidū, humidū & siccū (vt in ijs qui de generatione & corruptione inscribuntur libris, est declaratū) quæcunq; à prædominio fuerint frigida & humida, in frigidis & humidis rationabilibus, est declaratū

z. iij.

De Academicorum Stoicorumque sententia calentem spiritum omnia permeare Aetherem totū calidū de Empedoclis sententia.

Naturales excessus à similibus iuuari à contrario vero ledi: quod non naturalibus fecus accidere videtur.

Quod à frigido coalescit, à calido liquefcit, & econuersa.

liter degent locis: & quaecunque sicca, in ficcis sanè bene se habebunt. Quamobrem, inquit, propter hoc arbores in aquis non nascuntur, quoniam scilicet rationabiliter vnumquodq; in loco materiae ex qua factum fuit peculiari est constitutum. Cum enim arbores terrea constent siccitate, in terris certe nascuntur, non in aquis. Atqui de Empedoclis sententia oportebat arbores propter excellètem siccitatem ad aquas migrare, vt dixit ille pisces ob superfluentem caliditatis excessum ad easdem penetrasse aquas. Si enim pisces quia valde sunt calidi, aquas petiere frigidas, pari rationis modo arbores terra constātes, & idcirco valde siccae, ad aquas properare debuerūt, nō certe eo q̄ frigidae sunt aquae, sed eo q̄ humidae. Ceterum, inquit, hoc manifeste deprehenditur, q̄ naturae materiae, id est naturales corporum complexiones, per quosdam qualitatum excessus tales profecto sunt, qualia illorum peculiaria fuerint loca. Statimq; subdit. In aquis quidē humidae: in terra autem siccae: in aëre vero calidae. 10

Ex quibus corollario concludi potest modo, aquatilia omnia à prae dominio esse humida, terrea vero, cuiusmodi maxime stirpium & plantarum sunt genera, esse sicca: aëria vero omnia excellèter calida iure censerī. His ita constitutis, ad accidentales qualitatum in corporibus redit excessus, quos (vt retro etiam dixerat) à contrarijs cum locorum tum temporum emendari corrigiq; asserit qualitatis. Plurimum autem hac in re ipsis attribuit locis, quae coequare & emendare accidentalium istarum excessus superantias qualitatum, quas cum habitudines, tum dispositiones appellat, mirifice valent, eoq; modo naturalem seruare complexionem. Quamobrem non solum homines in caniculae feruoribus subterranea & argentia consecretantur diuerticula, sed bruta etiam ipsa natura duce nemorum opacitates, & perflatos frigidosq; montium quærunt recessus, vt loci beneficio ab exsuperanti caliditatis excessu conseruentur illesa. Post hæc subdit philosophus. Hoc autem in proprijs quærere oportet locis cuiuscunq; materiae, & secundum mutationes communis temporum constitutionis &c. Quae sanè litera hunc videtur habere intellectum: quando scilicet in temporum mutationibus simul etiam corporum mutatur symmetria, naturalisq; complexionis modus, tunc oportet quærere & dicere q̄ habitudines locis sunt contrariae, quambrem ad alia migrandum est loca. Fertur autem alia etiam huius textus litera, hoc se habens modo. Hoc autem in proprijs quærere non oportet locis. & quae sequuntur. quae profecto meo quidem iudicio sanior esse videtur, & ijs quae dicta sunt accommodatior. Cū enim paulo ante dixerit, coequat enim ad mediocritatem locus ipsum habitudinis excessum, subiungit statim: Hoc autem in proprijs quærere non oportet locis, id est, cum facta fuerit habitudinis excellens commutatio secundum mutationem communis temporum constitutionis, non oportet in peculiari materiae loco id quærere, id est commensuratum proportionis modum. Aut enim ad illum nullo peruenietur modo, aut maxima cū difficultate: sed migrare ad contraria oportet loca. Contingit namq; tūc contrarias esse habitudines ipsius materiae loco: & hunc illis: quāobrem inde migrare opus est. Est & tertia simplicior quaedam expositio, hoc se habens modo. Cum enim dixerit philosophus locum plerunq; ad mediocritatem habitudinis coequare excessum, quoniam pleraq; nonnunquam in peculiaribus etiam commorantia locis animalia propter mutationes communis temporum constitutionis, vel ad immensos feruores, vel ad nimias frigiditates permutari contingit, & à symmetria naturalisq; complexionis modo exire quodantenus, tunc inquit in peculiaribus etiam locis hoc quærere oportet, id est migratione conuenientiora quærere & reperire loca, in quibus melius conseruentur. Tūc enim habitudines in illis factae à temporum mutationibus, locis peculiaribus sunt contrariae, quāuis ad illorum materiam nullam habeant contrarietatem. Hoc autem cum ex alijs plerisq; tum ex ijs dignoscere licet piscibus, qui hybernis quidem latent mensibus, primo autem vere apparere incipiunt, & aëstatibus visuntur: rursusq; canicularibus conduntur diebus. Hi etenim cum exuperantia declinantes frigora, tum immodicos fugientes feruores, id facere non immerito censentur. Thynni praeterea (vt ipse dixit) & Plinius etiam secundus memoriae prodidit, ex Pōto ante hyemem discedentes, per vniuersum tempus hybernū latent in gurgitibus imis ob loci caliditatem, neque nisi tepore alio quo euocati, aut plenilunijs, in quibus mitiores sunt noctes, eo anni tempore visuntur: qui viceversa aëstatis feruoribus Pontum petunt Euxinum propter Borealem coeli plagam caeteris maribus algentio rem. Nonnulli etiam piscium ea tempestate amnium frigidis petunt recessus, peculiarique in elemento propter contrarias habitudines à temporum qualitibus sibi iniustas, conuenientiora, & ad sui conseruationem accommodatiora natura duce quærunt loca. Et istuc est (vt arbitror) quod hoc philosophus dicit in loco, habitudines quidem contrarias plerunq; proprijs esse locis, materiae autem non esse contrariam. Pisces enim omnes natura frigidi sunt & humidi, quale vniuersum aquae est elementū. Concludit postea philosophus contra Empedoclem, dicitque sufficienter esse demonstratum quod neque per caliditatem naturae, neque per frigiditatem (hoc enim ab ipso non expressum, ad completum literae sensum, vt arbitror, est subaudiendum) alia quidem aquatilia sunt ex animalium genere, alia vero terrestria, vt dixit Empedocles, qui pisces quidem ob caliditatis excessum aquas petiisse asseruit: terrestria vero ob contrariam qualitatem in terris perseuerasse. Praeterea ea fuisse ostensum quamobrem ex animalibus alia quidem habent pulmonem, alia vero non habent. Declaratum enim est quod habentia pulmonem, idcirco illum habent, quoniam multam habent caliditatem, pluriq; indigent refrigerio, quod pulmone intercedente, veluti instrumento rei illi praecipue accommodato, in illis manifeste fieri animaduertitur. 60

Contraria loca qualitatum excessus sepe emendare.

Triples literae expositio.

Plinius. ff. Thynni.

Vr autem quæ habent pulmonem, aërem admittant & spirent, & præcipue illa quæ sanguine redundantem habent, in causa quidem spirandi pulmo est, cum fungosus existat, & fistulis plenus: & profecto ea pars maxime sanguine est prædita inter illa quæ appellantur viscera. Quæcunque igitur sanguineum habent eum, celeri sanè indigent refrigeratione, quoniam paruum animalis ignis est momētum. Intus autem ingredi, & vbiq; ob sanguinis copiam & caloris. vtrunq; autem aër facile præstare potest. Nam cum tenuem habeat naturam, vbiq; celeriter permeando refrigerat. Aqua verò contrario se habet modo. Et
 10 ex hoc certe manifestum est cur quæ sanguineum habent pulmonem, maxime spirent. Quod enim calidius est, copiosiori indiget refrigeratione. Simul etiam ad caloris principium quod in corde est, facile permeat spiritus. Quo autem modo perterebratos cor meatus habeat ad ipsum pulmonem, spectandum est cum ex ipsis sectionibus, tum ex historijs quæ de animalibus sunt conscriptæ. Refrigeratione igitur animalium natura indiget, ob animæ in corde feruorem. Hanc autem respiratione efficiunt quæcunque non modo cor habent ex animalibus, sed etiam pulmonem. Quæ autem cor quidem habent, pulmone vero carent, vt pisces, quoniam aquatilem habent naturam, refrigerationem aqua per
 20 branchias obeunt. Quo autem modo cordis ad branchias se habeat positura, visu quidem ex sectionibus spectare oportet: ad accuratam vero certitudinem, ex historijs contemplandum. Vt summatim autem nunc dicatur, hoc se habet modo.

Dvo à philosopho proposita fuerunt problemata perscrutanda, vt retro vidimus. vnum, cur animalium nonnulla pulmones habent. alterum, cur id habentia viscus, extrinsecū respirant aërem. Ex ijs alterum quidem fuit absolutum priusquam de piscium natura Empedoclis ab ipso explosa fuisset sententia: cur scilicet animalium quædam pulmones haberent. vbi ostensum sane fuit præstantiora & digniora natura esse calidiora: huiusmodi autem existentia copiosiori sanè indigere refrigeratione: quod pulmonis intercedente instrumento commode profecto & apte fieri poterat. Alterum autem restabat, quod nunc tractare contendit, cur scilicet pulmonem habentia, aërem
 30 recipiunt & spirant, illaque præcipue istuc facere videntur quæ id membrum maxime sanguine exuberans habent. Respirationis autem hoc in loco duas philosophus affert causas, materialem scilicet, & efficientem, siue formalem: & materialem quidem illius causam, pulmonis dicit esse naturam fungosam, & cauernulis plenam, patentibusq; vndiq; fistulis peruiam. Si enim densus esset & durus pulmo, & mollitiei loco asperitatem haberet, non vtiq; extendi & dilatari folium in morem posset, & rursus constringi & confidere valeret. Pulmonis igitur inanitas & mollitudo, respirationis materialis est causa: formalis autem siue efficiens illius causa, non immerito caliditas esse censetur in pulmone reperta. Hæc etenim quoniam actiua inter reliquas maxime est qualitates, vna eademq; opera continuo tum extendit & dilatat, tum comprimit & compingit ipsam pulmonis naturam: ex quo
 40 cum frigidus extrinsecus aër admittitur, tum is rursus calefcens, & ad refrigerandum factus incommodus, amandatur & expellitur. Est etiam finalis respirationis causa, cuius efficitur gratia, caloris innati conseruatio, & ad commodum vite animalis temperamentum deductio, de qua sæ penumero est pertractatum. Quo autem fiat modo respiratio, in fine huius commentarioli ipse nos docebit. Quod autem inter reliqua appellata viscera maxime sanguineus sit pulmo, sensu manifeste percipitur. Vnde enim copioso scatere sanguine conspicitur: coloreq; ipso inter omnia corporis membra sanguine refert maxime. Quæcunq; igitur animalia illum sanguine exuberantē habuerint, quoniā sunt maxime calida, celeri profecto indigent refrigerationis auxilio. Animalis enim ignis, inquit, paruum est momentum. id est, conuati caloris, & præcipue cum vegetus & feruens est, velox sanè est inclinatio, vt
 z. iij.

Respirationis
 cause materiales,
 efficientes, & formales.

illico efferuescat & igniatur, & seipsum destruat, eo quo sæpius dictū est modo. Celeri igitur (vt diximus) refrigerationis indiget auxilio, quo superfluēs feruoris copia restringatur, ipseque ad cōueniens deducatur temperamentū. Oportet præterea id quod refrigerare conuenienter & commode debet, nō solum ipsum ingredi pulmonem, sed vniuersas etiam illius permeare partes, omnesque omnino scrutari fibras, totamque illius penetrare substantiam. Si enim exanguis esset pulmo (vt in plerisque animalium generibus est videre) solus profecto rei frigide sufficeret contactus, diutineque id conseruare refrigeriū posset pulmo: verum quoniam in animalium perfectiori genere calidū sanè id est viscus, & copioso redundans sanguine: opus certe est vt frigidi præsentia vniuersas illius scrutetur & penetret partes. Quod vtrunque, inquit, aeris natura bene & conuenienter præstare potest. Celeriter enim ingreditur aer, quoniam bene est mobilis. Per totum autem penetrare valet, quoniam post ætheris naturam, id est ignem, elementorum est tenuissimus, quod secus in aquæ animaduertitur elemento. non enim ita facile moueri potest aqua, & grossitie sua non adeo penetrare & omnia permeare potest. Cæterum non tantum pulmonis omnes permeare latebras potest aer, sed ad ipsum etiam caloris principium, quod in cordis arce collocatum, vniuersam animalis temperat custoditque vitam, commode & expedite peruenire valet, illique nullo negotio suppetias ferre. caloris principium hoc intelligens in loco (vt retro etiā est ostensum) primas altricis & sensitivæ animæ potestates, quæ in corde proculdubio collocatæ, vires inde suas ad vniuersas corporis diducunt partes, calentemque spiritum cum sanguine ad omnia transmittunt membra. Quo autem modo terebratos & perforatos habeat meatus ipsum cor ad pulmonis viscus, per quos vltro citroque inspiratus permeat aer, cū ex anatomicis inquit esse dissectionibus inuestigandum: tum ex ijs qui de animalium historia inscribuntur commentarijs perquirendum. ad duorum sanè nos sensuum manifesta delegas iudicia: quorum alter visus, certissimus profecto cuiusque rei est author, asserente comico: Qui audit, audita refert: qui videt, planè scit. Alter vero, scilicet auditus, discipline sensus & dicitur sanè, & non ab re esse perhibetur. Hac autem de re circa finem primi de historia animalium libri, hæc ipse ad verbum memoriæ prodidit. Habet, vt modo exposui, cor sinum triplicem: maximum dextro in latere, minimum in sinistro: medium magnitudine inter dextrum & sinistrum. omnes ad pulmonem foraminibus peruij redduntur. quæ res in vno tantum perspicua est. Inferius vero à nexu suo maximo sinu venæ coniungitur maiori, ad quam lactes etiam sunt: sinu autem medio ahortæ annexum est. Quinetiam ad pulmonem meatus à corde ducuntur perpetui, findunturque, eodem quo arteria modo, in omnes pulmonis partes, & meatus qui eodem ab arteria tendunt, sequuntur: verum ij superiores obtinent situm, neque illo communi foramine ad illos commeant, sed sua ipsi copulatione spiritum quem cordi transmittant, recipiunt. pertinet enim alter ad cauum dextrum, alter ad sinistrum. Hæc ipse. Post quæ solutionem quæstionis concludit, causamque respirationis finalem quam retro diximus, adducit, refrigeratione omnia asserens indigere animalia propter animæ altricis scilicet & sensitivæ in corde feruorem & inflammationem, id est propter innatum calidum, quod animæ est vehiculum: cui nisi in habentibus cor & pulmonem animalibus respirandi opera succurreretur, animalis profecto conseruari non posset vita. His ita constitutis, ad alterum respirationis recensendum modū deuoluitur philosophus, quo animalia vtuntur illa quæ cor quidem habere visuntur, pulmonis autem nō habent viscus: vt piscium ferè genus est vniuersum: quæ quoniam aquatilem, vt inquit, habent naturam, per branchias aquam recipientia, illo nimirum refrigerari censentur modo. Quo autem modo cordis & branchiarum adinvicem se habeant situs, cum ex dissectionibus perquiri oportere commemorat, tum ex animalium historijs inuestigari. quod in ijs etiam quæ spirant animalibus dixerat retro: summatim tamen & per capita nonnulla breuiter hic quæ in illis plenius fuere commemorata, hoc recenset in loco.

Post ætheris naturam aer tenuissimus.

Plautus.

Ex primo de anima huius historia libro.



Idem autem potest non eodem situm habere modo cor in terrestribus animalibus, & in piscibus, cum tamen ita se habeat. Quo enim vergunt capita, eo cor cuspidem habet. Quoniam autem non eodem vergunt modo capita in terrestribus animalibus, & piscibus, os versus cuspidem habet cor: tendit vero à summo cordis fistula veninervia ad medium vbi ad se inuicem omnes copulantur branchiæ. Maximus igitur is est meatus: hincinde autem ex ipso corde alij tendunt ad singularum extremitatem branchiarum: per quos cordi refrigeratio subministratur, aqua semper per branchias reciprocante: eodemque modo ijs quæ spirant, sursum & deorsum frequenter motat pectus, cum accipientibus, tum extrudentibus spiritum: vt in piscibus branchiæ.

Et ea quæ spirant, in pauco & eodem strangulantur aëre. Confestim enim vtrunque eorum fit calidum. Sanguinis nanque contactus vtrunque exalfacit: calidus autem cum existat sanguis, refrigerationem prohibet: & cum mouere nequeant spirantia quidem pulmonem, aquatilia vero branchias propter morbum, aut senectutem: tunc illis sanè accidit vitæ finis.

Volens, quod promiserat, breuiter recensere philosophus quænam positionis modum cor in piscium genere obtineat, necnon de fistularum ductibus à branchijs ad ipsum pro refrigeratione ne aquas deducantibus, à principio statim dicit apparere vtiq; posse, ijs videlicet qui rerum naturam diligenter introspicere curauerint, non eodem se habere modo in naturali posituræ situ cor in piscibus, vti in terrestri se habet genere: cum tamen in vtrisque generibus eadē visceris huius sit positura. Quemadmodum enim in terrestribus acuta illius pars, quam cordis cuspidem vocant, superiorem animalis spectat partem: ita in piscibus etiam esse animaduertitur. Cuspis enim cordis, id est acutior illius pars, ad illorum vergit caput. Quoniam autem in istis capita non eodem se habere videntur modo, vt in terrestribus videre licet animalibus: statim enim ventribus ex directo in piscibus capita iunguntur, colloque & humeris omnes certe carent: iccirco, inquit, cordis cuspidem ad os vergere videtur in piscibus. Verum vtrunq; se habeat res, certum est in vtrisque generibus eodem constitui collocariq; modo cor, similemque positionis habere situm, quando in vtrisque id viscus corporis ferè obtinet medium: & turbinata illius pars, quam cuspidem vocauimus, ad supernas vtrorūque vergere visitur partes. His ita constitutis, summatim, vt pollicitus fuit, de fistulis à corde ad branchias peruenientibus nos docet: qua de re prolixius in commentarijs de animalium historia, necnon in ijs qui de eorundem inscribuntur partibus, pertractauit. Dicit igitur hic quòd à summo cordis, id est ab ipsa cuspidem, fistula quædam ex nerui venarumque natura compacta (Venineruam illam nos hoc in loco appellauimus, vt vnico nomine græcam dictionem φλεβονευρώδη exprimere conaremur, licentiosiori fortasse vocabulo, verum neq; insolenter (vt opinor) neq; admodum arroganter, quando pleriq; eruditi viri in eiusmodi re non nihil me exemplo iuuare possunt. sed de hoc satis) fistula igitur quædam, inquit, venineruia ab ipso cordis mucrone ad eum tendit locum in quo sanè brāchiarum ad se inuicem copulantur coniungunturq; partes: qui certe locus in illarum est medio constitutus. & is sanè maximus in piscibus videtur esse meatus. nam fistulæ illæ quæ à cordis lateribus hincinde ad singularum extremitates tendunt brāchiarum, illo longe sunt exiliores. Quo autem modo per brāchias ad cordis refrigerationem transmittatur aqua, circa libelli huius finem ipse nos docebit. Non sunt autē (vt arbitror) in præsentia inculcanda illa de quibus peculiari doctrinæ ordine mox habebitur sermo. Post hæc præmissa similitudines quasdam subiungit philosophus, quas in terrestri animalium genere, & in aquatilibus etiam animaduertere cōtingit: quatum prima est, qd vt in terrestribus animalibus & pulmonem habentibus continua semper motione agitur pectus, & cum sursum extollitur, tum deorsum comprimitur & residet, in naturali scilicet respirandi exspirandique opere: ita in piscibus continuo motantur branchiæ cum aquam recipientes, tum illam inuicem eiectantes. Secunda est similitudo quam hoc non explicat in loco vniuersam, sed ex ijs quæ in animalium historia dicta sunt, commode potest excipi & adiungi. ea autem est, quòd quemadmodum spirantia omnia in pauco conclusa aëre, vel in eodem permanentia strangulantur, ita illa quæ aquis refrigerantur animalia (id enim est supplendum) in pauca deprehensa aqua, & eadem, id est non mutata, neque transfusa, vnde refrigerari possint, cito enecantur & intereunt. Causam autem in spirantibus ipse assignat animalibus, quæ sanè in alijs apte reddi potest. Quoniam enim, inquit, vtrunque confestim fit calidum, id est paucus aër, & idem aër non mutatus, statim sanguinis contactu calidi incalescit: idem enim sæpius ingressus & exiens, semperque calori occurrens innato, calefcere necesse est. Calidus autem aër refrigerare non potest: strangulari igitur & interire animal summa est necessitas, præcipueque cum illa duo concurrant. Si enim paucus esset aër, verum non idem semper, sed sæpius commutaretur, crebra certe mutatione refrigerare is posset, animalque permaneret & viueret: quod sanè in pauco & eodem diutius commorans, viuere certe non potest. Quod autem de aëre in spirantium genere hoc dictum est in loco, simili rationis modo in piscibus est transferendum, qui sanè in pauca & eadem aqua eandem ob causam diutius viuere nequeunt. Tertiam sub ijs adducit similitudinem respirantibus quadrantem, & aquam recipientibus. Cum enim ea, inquit, quæ spirant animalia, aut morbo aliquo, aut senectute pulmones motare nequeunt (quo autem modo illorum vtrunque contingat, paulopost pertractabitur) illis profecto vitæ accidit terminus. Similique modo quæ branchijs aquas recipiunt, cum illas mouere non possunt vel morbi alicuius causa, vel senectutis, intereunt: eandem vtraque ob causam, quoniam scilicet calori innato propter instrumentorum inhabilitatem & inobedientiam per extrinsecam refrigerationem succurri non potest.

Cordis cuspidem.

φλεβονευ
ρώδη.

Cur in pauco
eodemq; aëre
sine aqua ani-
malia stran-
gulantur.

modo cor in ter-
ren ita se habet.
habet. Quoniam
a terrestribus ani-
malibus vero à sum-
mis omnes copulan-
tur ex ipso corde
per quosdam
arterias recipiuntur
vnde motantur,
in piscibus branchiæ



Commune igitur omnibus inest animalibus generatio & mors: modi autem specie sunt diuersi. Non enim discriminis expers est corruptio, sed commune quiddam habet. Mors autem est altera quidem violenta: altera autem naturalis. Et violenta quidem, cum origo extrinsecus fuerit: naturalis autem, cum intrinsecus: & partis constitutio à principio tali, sed non aduentitia quaedam passio. In stirpibus igitur hoc ipsum ariditas, in animalibus vero senectus vocatur. Est autem mors & corruptio similiter omnibus non imperfectis: illis autem fere similis, alio tamen modo. Imperfecta autem appello ut oua, stirpiumque semina quaecumque adhuc radices non habent. Omnibus igitur interitus aduenit ob calidi defectum. Perfectis autem in quo substantiae est principium: id autem est (ut dictum est prius) in quo superiora cum inferioribus copulantur: stirpibus quidem medium caudicis & radicis: animalibus autem, sanguine quidem praeditis, cor: illo vero carētib, id quod cordi proportionem respondet. Horum autem nonnulla potestate multa habent principia, non tamen actu. Quamobrem insectorum pleraque praecisa viuunt: nec non ex habentibus sanguinem, quaecumque non admodum sunt viuacia, exempto corde diutius viuunt, ut testudines, & pedibus motantur adhuc restantibus testis, propterea quod earum natura non ita exacte est constituta, aequae ut in insectis.

Postquam philosophus in ijs quae retro praedicta sunt, de refrigerationis opere pertractauit, quod animalibus natura est insitum, & aut respiratione fit, aut aquae intrinsecus receptu: hoc in loco de morte & vita, & de iuuentute & senectute agere incipit, quae in huius commentarii principio primo fuere proposita: dicitque exordiens statim, quod animalibus omnibus commune quiddam est cum generatio, id est ab ipso non esse ad esse accessus, tum ipsa mors, ab esse videlicet ad non esse transitus. quae tamen duo non animalibus tantum, sed omnibus etiam vitam habentibus communia esse apparent. omnia namque tum generantur, & ad esse perueniunt, tum corrumpuntur, & ad non esse deoluuntur. Animaduertendum tamen est quod licet duo ista latissimo genere omnibus sint communia viuentibus, variae tamen & diuersae vtriusque rei sunt species, quas hic ipse appellat modos, secundum diuersas cum animalium ipsorum, tum viuentium etiam species. non enim (ut inquit ipse) differentiae expers est corruptio, neque etiam (ut recte supplendum est) ipsa generatio. Aliae enim sunt generationes animalium, & in his peculiare etiam secundum diuersas species modi: & aliae stirpium & herbarum: similique ratione varij etiam corruptionis sunt modi. Ipse autem in littera corruptionis duas satis laxas nominat differentias: violentum scilicet corruptionis & interitus modum, & eum qui naturalis esse censetur. Et violentam quidem dicit eam esse corruptionem siue mortem, cuius extrinsecus est principium, ut ex strangulatione verbi causa accidit, vel pleuresi, vel peripneumonia, eiusmodique alia quae interitum proculdubio violentum representant. Mortem autem, siue corruptionis naturalem vult esse modum, quando principium in ipso est, & intrinsecus: ut mors illa quae in extrema accidit senectute, cum naturale scilicet euanescent calidum, & fatiscens vniuersae resoluuntur animae potestates. & ideo subiungit philosophus, Et partis constitutio à principio tali, sed non aduentitia quaedam passio. quae sane littera hunc habere videtur sensum: mortem scilicet naturalem esse cum principium intrinsecus est, & cum partis scilicet pulmonis constitutio fuerit ab intrinseco & naturali principio. Cum enim praelonga senectute exsiccatus pulmo in opus exire suum non potest, talis profecto constitutio & siccitas à principio & causa naturali proueniens (à senectute namque procedit, & propter senectutem fit) naturalis certe est: & tunc quae inde sequitur mors, naturalis esse censetur. Cum autem ex aduentitia quadam istuc fiat passio siue morbo, verbi causa in peripneumonia, in quo aegritudinis modo pulmonis meatus & fistulae extraneis & viscosis replentur obstipanturque humoribus: sanie quinetiam interdum, & malis humiditatum qualitatibus obsidentur & obstruuntur, ita ut opus perficere suum nequeat pulmo: tunc eam sane quae id sequitur mortem, violentam, sicut est, & praeter natura

Duo corruptio-
tionis modi.

Quae sit natu-
ralis mors.

Peripneumo-
nia.

turam appellare consueuimus. Non enim à naturali principio, sed ab externis aduentitijsque causis iure aduenisse censetur. Porro naturalis illius interitus causam in stirpibus quidem, & vniuerso terra nascētium genere, *ἀνασσειν*, id est exsiccationem & ariditatem appellat: in animalibus autem omnibus senectutem. Subdit postea in omnibus perfectis, intelligens (vt arbitror) per perfecta, tam animalia quàm plantas, & id omne quod in suo genere est completum, illiusq; perfectionem habet, mortem & corruptionem simili se habere modo, id est eiusdem esse rationis. In omnibus namq; mors & corruptio à substantia est transitus ad illius priuationem. In ijs autem quæ sunt imperfecta, quæ etiã statim cōmemorat, similis ferè est, inquit, mors & corruptio. vbi illud, ferè, addit, quoniam perfecta & imperfecta non sunt eiusdem rationis: illud autem, similis, ex eo quod (vt statim ipse subiungit) mors & corruptio omnibus accidere videtur propter calidi defectum & indigentiam, quod omnia nimirum cōtinere censetur, & omnium esse cōseruare. Dicit autem ipse quænam imperfecta vocauerit, oua inquit & semina siue fructus cum sine radice sunt. ouum enim ita potestate est animal, vt semē & fructus est planta. neutrum autem illorum actu est huiusmodi. Seminis autem nomine non tātum stirpium hærbarumq; intelligendum est principium, sed genitale etiam animalium semen intelligi potest, ex quo postea id generis fit & adolescit animal. Dicit autem stirpium semen de numero esse imperfectorum, quod sine radice esset. nam quod radicem habet, vnde pullulos iam producere possit, non iam amplius potestate est planta, sed in actum iam exijt, & alitur, & vitam habet. Quoniam autem cuiusque dixit corruptionem calidi esse defectum: quoniam non ad omnem prorsus calidi defectum corruptio sequitur: iccirco ad cuiusnam calidi defectum accidat illa, nos admonet, in perfectis inquit animalibus corruptionem sanè consequi ad calidi illius defectum, quod cum substantiæ est principio. per substantiæ intelligens principium (vt sæpenumero est ostensum) altricem & sensitiuam animam: locumque illius ostendit, quod retro etiam fecerat, medium inquit in quo superiora cum inferioribus copulantur. quod in animalium quidem genere est cor, aut id quod cordi proportione respondet. In stirpibus autem ea est pars quæ media inter caudicem siue truncum & radicem iacet. Ad calidi igitur eiusmodi defectum quod in medio cum animalium, tum plantarum, cum animæ altrice vi commoratur, animalia intereunt & plantæ. Neque enim si in manu (verbi causa) aut in pede defecerit calidum, moritur animal, & esse desinit. id namq; principium non est, sed à principio destuens & deriuatum, vt riuus à fontis origine. Quo autem modo imperfecta illa corrumpantur, oua scilicet & semina, & cuiusnam calidi defectu destruantur & intereant, hoc non dicit in loco. Dicitur enim in ijs qui de animalium generatione inscribuntur commentarijs, cum ostenditur quoniam modo oua inefficacia fiant & irrita, quæ cum *ὄυρια*, tum *ὕωνίμια* græci vocant, quæ sanè & sterilia sunt, & alijs minora, & humidiora. Et quoniã de imperfectioribus mentionem fecimus animalibus, ipso referente, quæ cor quidem non habent, aliquid tamen quod cordi proportione respondeat habent: ista quidem dicit omnia potestate multa habere principia, actu autē vnū tantū. & iccirco diuisa, inquit, isthæc viuere possunt, quod retro est ostensum, quoniam id principium quod potestate plura esse diximus, actu fit plura. Præterea non solum in sanguine carentibus, sed in habentibus etiã, inquit, sanguinè, quæcūq; non admodū sunt viuacia, eo quo diximus modo. per viuacia intelligēs animalia illa quæ præstantiorē & digniorē sortita sunt animã. hæc enim quia eiusmodi est, in vnico sanè existens principio, reliquas corporis partes sui præsentia viuificare animareq; potest. Quæcūq; autem non sunt huiusmodi, vt insectorum verbi causa animæ, siue illas vitas appellare malumus, non in vnico tantū principio, sed dispersam separatamq; in corporis partibus suam habent vitam: & iccirco ignobiliorem. Ista igitur, inquit, ex habentibus sanguinem quædam non sunt admodum viuacia, vt testudines esse diximus, quæ aliquã diu ablato viuere cernuntur corde, & pedibus motari, cum testaceo illo integumento, quod de illorū nomine chelonium vocat. Hoc autem iccirco, inquit, quia earum, vt insectorum etiam animalium, constitutio & fabrica non belle se habet, & quia ignobilem (vt diximus) & toto corpore dissipatam habent animam. Hęc etenim omnia (vt in libello de animalium incessu dictum fuit, & in commentarijs de animalium generatione demonstratum) frigiditate sua & naturę prauitate sunt veluti mortua.

ἀνασσειν
exsiccatio, siccitas

Ad cuiusnam calidi defectum animalis sequatur corruptio.

Oua irrita quæ *ὄυρια* καὶ *ὕωνίμια* græci vocant.

Quæ perfectiores, & quæ imperfectiores animarum essentia.

Chelonium.



Itæ autem principium desinit ijs quæ id habent, cum calidum illi coniunctum non refrigeratur. Nam vt plerunque dictum est, ipsum à semet liquefcit. Cum igitur ijs quidem pulmo, illis vero branchiæ obdurauerint, ob temporis longitudinem exsiccatis cum branchijs, tum pulmonibus, & in terrenam naturam deductis, eiusmodi certe partes neq; mouere neq; attollere aut contrahere possunt. Cum autem id intenditur magis, tandem exsiccatur ignis. Quæ propter leuibus senectuti superuenientibus morbis, celeriter intereunt.

Cum enim exiguum sit calidum, cuius maxima pars in extenso vitæ spatio exhalauerit: siqua intensio membri facta fuerit, quamprimum extinguitur, perinde ac parua exiguaq; in ipso existente flamma, quæ ob modicum extinguitur motum. Quãobrem ea quæ in senectute accidit mors, dolore vacat. Cum enim nulla illis violenta contingat passio, moriuntur: & omnino sine sensu illis animæ fit solutio. Ex morbis præterea quicunque pulmonem asperum reddunt, aut annatis quibusdam, aut superfluitatibus noxijs, siue morbosæ caliditatis redūdantia, vt in febribus, crebrum faciunt anhelitum, quoniam pulmonem nequeunt bene sursum attollere, & deprimere: & cum denique illum amplius mouere non possunt, exspirantes moriuntur. 10

Causas hoc in textu assignat philosophus animalium interitus & mortis ob calidi defectum in corde degētis. Est autem vniuersus sermo cum de ijs quæ spirant animalibus introductus: tum de ijs etiam quæ aquam pro refrigeratione recipiunt. Dicit igitur quod principium vitæ deficit in ijs quæ id habere percipiuntur, id est deficit omnino & interit animal, cum calidū illi, scilicet animæ, communicans, refrigerari non potest. Vocat autem calidum principio, id est animæ, communicans, innatum calorem, qui in corde vel in parte illi proportionem respondente collocatur. Cum enim aut pulmo, vt in respirantium genere: aut branchiarum natura, vt in ijs quæ aquas recipiunt, ob extensum temporis spatium fuerint exasperata & indurata, ita quod duritie sua ad posse moueri facta fuerint inepta, & neq; attolli pulmo, aut vicissim cōsidere possit, ita quod aërem intromittere frigidum, eundemq; calentem expellere & amandare queat, neq; branchiæ aperiri, & per vices comprimi possint, vt aquas cum recipere in se, tum ex sese eiectione & expellere valeant: tunc profecto animal illud emarcescente & exsiccato interit calido. Nullum enim extrinsecus refrigerationis accipiens auxiliū, efferuescens (vt retro est ostensum) & multum effectum, humidum prius antequam reparari possit, radicale consumit, quo absumpto ipsum postea seipsum etiam destruit & absumit. & id sanè in litera illa signare videtur cum dicitur, cum autem id intenditur magis, tandem exsiccatur ignis, id est finaliter cum ea intenditur passio, id est durities & omnimoda exsiccatio & ariditas in pulmone, inualefcit sanè ignis, id est naturalis calor, & exsiccatur, & seipsum conficit refrigerationis defectu, quæ sibi instrumenti ineptitudine præstari nō potest. Quibus planè dictis corollarij loco adiungit q; in extrema senectute, & vltimo vitæ termino, si paucillum quid accesserit morbi, nullo negotio conficitur & interit animal, ob caloris conuati exiguitatem, qui sanè extenso vitæ spatio hebetatus & imbecillus effectus, siqua intensio membri effecta fuerit, cito extinguitur. per membrum hoc etiam in loco pulmonem intelligens, vt in superiori notauimus textu, vbi dicebatur, & partis constitutio à principio tali. Vbi animaduertendum est quod siue pars siue membrum dicatur (vt in alijs exemplaribus scriptum reperimus) nihil sanè refert. per vtrūq; enim vocabulū designatur pulmo. Siqua igitur, inquit, intensio, id est additio ad duritiem & siccitatem, & omnino ad motionis ineptitudinē, ex paruo quopiam morbo fuerit adiecta, cito proculdubio conuatum extinguitur calidum: non aliter quàm exigua flamma, quam significatiōri vocabulo ἀκαριαίαν appellauit, id est minimam, & quæ exiguitate sua momento vix perdurare potest, à qualicunq; deficit motione, & illico interit. Neq; hoc immerito mehercule. Senectus enim (vt inquit Plato) ex naturæ accidit imbecillitate, quæ post varia extrinsecus decertata certamina, & post multos exanclatos labores tandem fatiscit & deficit. nō enim, inquit, sine erumna est alimentī confectio, illiusque dispensatio, & excrementorum secretio: & ad summam omnia naturæ laboriosa sunt opera. Quoniam autem paucum & imbecille quanuis leui de causa extinguitur calidum, iccirco subiungit mortem illam quæ in extrema accidit senectute, sine dolore accidere. Ex contrarij enim concursu violentum passionis sensum inferentis, proculdubio accidit dolor: in illo autem deficientis senectutis casu, nulla sanè ad contrarij actionem est resistentiæ pugna, nullaq; tergiversantis & interitum formidantis naturæ est lucta, sed iam fatiscientis & defessæ cessio & casus, animæq; iam abscedentis & liberæ insensibilis solutio. His ita constitutis, ad pulmonis naturam reuertitur philosophus, cuius in hoc de respiratione commentario non ab re plurima videtur esse intentio, quando id sanè viscus, vel solum huiusmodi naturæ operis, vel præcipuum proculdubio est instrumentum. Dicit igitur quod quæcunque morborum genera pulmonem ledunt, illumq; exasperant, & durum obstipumq; faciunt, aut annatis quibusdam, id est apostematibus duris & asperis quæ σκυρώματα græci vocant, aut superfluitatibus phlegmaticis, quæ viscosæ prius & lentæ in putricosam nonnunquam vertuntur duritiem, aut immodicis febrium feruoribus illius substantiam penitus exsiccantibus, illa profecto crebros efficiunt anhelitus. Cum enim ineptitudine sua neque 20 30 40 50

Naturalis interitus modus.

In extrema senectute nullo negotio animal interire.

Plato.

Cur in senectute mors dolore careat.

σκυρώματα, dura apostematata.

bene attolli, vt frigidum admittat aërem, neque bene comprimi possit pulmo, vt eundem calentem & ad refrigerationem ineptum amandet & extramittat, crebris certe & paruis illum motibus id ipsum assequi conari necesse est: quod illo sanè recte se habente, duobus vicissim fiebat motibus, illius scilicet seipsum dilatantis, & per vices constringentis. Tandem autem, inquit, & finaliter cum respirantes illum amplius mouere non possunt, exspirantes commoriuntur. Quoniam enim ad pulmonis depressionem minor certe requiritur vis, qui suapte natura ceu grauis desidet & cadit, quàm ad eius dilatationem & eleuationem (vt in follibus conspiciere licet) iccirco (vt arbitror) exspiratio hoc in loco vltimus illius iure dicitur esse motus.

Vltimã in mo-
ricentibus esse
respirationẽ.



Generatio igitur est prima altricis animæ cum calore communio: vita autem illius mansio: iuuentus vero primæ refrigeratricis partis incrementum, senectus autem eiusdem diminutio: vigor vero, horum medium: mors autem & corruptio, violenta quidem calidi est extinctio & exsiccatio. Interire nanque contingit propter vtrasque has causas. Quæ vero est per naturam, eiusdem ipsius exsiccatio propter longitudinem temporis, & perfectionem effecta: & in stirpibus quidem ariditas, in animalibus autem mors appellatur. Cæterum ea quæ in senectute aduenit mors, partis exsiccatio est ob imbecillitatem refrigerandi propter senium. Quid igitur est generatio, & vita, & mors, & quas ob causas animalibus insunt, expositum est: palamque ex ijs etiam est quam ob causam spirantibus quidem animalibus in humore strangulari contingit, piscibus autem in aëre. His etenim per aquam fit refrigeratio: illis vero per aërem: quibus vtraque priuantur dum loca commutant. Causa quinetiam motionis, alijs quidem branchiarum, alijs vero pulmonis, quibus elatis & depressis, alia quidem exspirant & inspirant: alia vero aquam recipiunt, & eieciunt. Constitutio quinetiam ipsius instrumenti hoc se habet modo.

Hoc in textu philosophus generationis, vt ad propositum spectat negotium, & corruptio- nis etiam descriptiones adducit: necnon vitæ, & interitus: iuuentutis quinetiam, & senectutis: vt his cognitæ ex nobis innotescant res, singularumque dilucidæ rationes appareant. Dicit igitur generationem esse primam altricis animæ communionem cum calore. Cum enim (vt aliquoties dictum est) hæc animæ vis in corde collocetur ceu forma in materia cum calore innato (si ne illo enim esse non potest) palam vtique est primam illius communionem & participationem, animalis esse generationem. Huius autem rei ratio est, quoniam cum animalis esse in ipso nutritionis consistat opere, vt retro dictum est, absque alimento enim animal viuere aut durare potest nulum: alit autem animæ altricis potestas instrumento vtens calido innato: sine ipso igitur esse non potest. Ex quibus sanè manifestum esse debet hanc generationis descriptionem illi sanè quadrare cum accipitur pro fine alterationis, & motu illo qui ad formam est substantialē, & est formæ substantialis in materia acquisitio, quæ temporis fit momento. Namque aliam generationis significationem etiam nouimus communi sumptam modo, præuiam signatam alterationem simul cum formæ introductione, de qua ipse in quarto de sublimibus libro (quæ meteora inscribuntur) verba facit, quæ ad præsentis literæ propositum haudquaquam facere videtur. Post generationis autem descriptionem non immerito ipsam definit vitam, quæ formæ in materiam statim consequitur accessum, siue animæ potius ipsius committatur essentiam. Quapropter philosophatum plerique vitam animæ nomine appellauere, eandemque esse voluerunt rem. Cæterum elegantiores ferè omnes vitam esse animæ actum asseuerauerunt. Hanc autem hoc in loco philosophus breuiter admodum & significanter huius altricis animæ & primæ mansionem in corpore videlicet & permanetiam esse definit: neque immerito mehercule, quâdo eousque viuere cernitur animal, quoadusque ali potest: quo naturæ cessante opere, ipsa proculdubio cessat & definit vi-

Generatio.

Dupliciter ge-
nerationem
intelligi.

Vita.

& j.

Iuuentus.
Senectus.
ἀκμή
Vigoris stat⁹.

ta. Sub his declaratis, iuuentutis & senectutis, necnon medium vigoris tempus, quod græci ἀκμήν appellant, & nostratum nonnulli vitæ statum siue consistentiam vocant, describit, peculiarique id agit modo, ad eum quem præ manibus habemus de respirandi opere libellum sermonem accommo- dans. Nam cum de pulmonis viscere pluribus in libro isto sit sermo, eiusque inter principalia membra non extrema censeatur esse dignatio, non immerito supradictorum trium rationes & causas illi hoc in loco adscribere contendit. Dicit igitur in primis iuuentutem esse primæ refrigeratricis (vt sic dicatur) partis incrementum. per refrigeratricem partem, ipsum (vt diximus) intelligens pulmo- nem. is enim viscerum primus ab aëre refrigeratur extrinseco, eoque postea medio ipsum refrigera- tur cor. Incrementum autem ipsius & augmentum iuuentutem esse dixit, non immerito, vt eius di- minutionem senectutem: vigoremque, illius statum quendam, & veluti non variantem consistētiam: 10 quoniam rerum omnium quæ in temporis degunt gremio, illiusque versantur orbe, & perpetuo men- surantur cursu, triplex sanè ordinis cuiusdam cēsetur esse ratio, principij scilicet, medij, & finis: à qui- bus sanè generabile absolui potest nullum. Cum autem genitum omne initio quidem imperfectas habeat cum corporeas dimensiones, tum peculiare etiam & proprias eius operationes, temporum certe periodis quibusdam speciei constitutis suæ ad illas nimirum peruenire censeatur. Membrorum igitur incrementa alimenti accedunt opere, torique & virium fiunt firmitates: vniuersæque cum na- turæ, tum animæ augefcunt operationes, principiumque id animalis, & iuuentus non immerito appellari potest, quoniam præcipua naturæ opera, cum animæ, tum corporis augefcunt & vigent bona, quousque ad summum deueniant quiddam, quod ultra procedere non datur, quod certe anima- 20 lis iam consummati perfectionē esse physici autumant, vigoremque vocāt, & statum, quoniam tunc aliquātisper consistere & immorari isthæc videntur bona. Cæterum quia nihil (vt aiunt) permanens sub sole est, nihil firmum & stabile, neq; ista sanè perdurare queunt: mota autem suapte natura, cum ad melius promouere non possint, vt quæ supremum obtineant locum, retrorsum labi illa, & in pe- ius ruere necesse est. Diminutiones igitur posthac incipiunt, & retrocedentis naturæ decremēta, cū animæ ipsius virtutum, quæ corporis famulatio vtuntur: tum corporearum etiam actionum: omnia- que hebescere incipiunt, & ad finem tendere, quæ vigeabant prius: animalisque senium siue terminus nimirum hæc vocatur ætas. Et hoc est profecto quod isto in loco philosophus nobis de iuuentute, & senectute, & medio illarum statu declarare contendit, nisi quod ipse quidem peculiariter in prima re- 30 frigeratrice parte, id est pulmone, ob eam quam diximus causam, id examinare voluit: nos vero in vniuerso animalis corpore, membrisque omnibus, necnon operibus etiam isthuc ipsum pertractare elegimus. Post iuuentutem autem, vigorisque statum & senectutem descriptas philosophus legitimo naturæ ordine ad mortis corruptionisque definitiones assignandas deuoluitur, vbi retro dictæ etiam meminit diuisionis, aliam violentam esse dicens mortem siue corruptionem, aliam vero naturalem: priusque à violentæ mortis definitione incipit: quam esse dicit calidi extinctionem & exsiccationem. propter vtranque enim harum causarum æque mortem animalibus contingere asserit violentam. Extinguitur autem calidum (vt retro dictum est) ab inualescente illius contrario, frigidi scilicet na- 40 tura: quo certe mortis genere abhinc non multos annos quosdam interceptos audiuius, qui gelidissi- ma hyeme in Venetorum æstuarijs quæ gelu concreuerant, noctu deprehensi, cum hærentes in gla- cie mouere cymbas non possent, obriguere. Exsiccatur etiam calidum vi aliqua interdum ex qua violentam accidere mortem animaduertere licet, cum exspirare scilicet & refrigerari prohibetur: quare in sese conuersum seipsum sanè conficit & destruit: vt in ijs quos retro diximus morbis videre contingit, qui pulmonis exasperant viscus, illumque ad refrigerandi opus ineptum reddunt. In vio- 50 lentis præterea id ipsum apparet strangulationibus & suffocationibus, vbi obstructis faucibus præ- cluso spiritu ocysime interit animal, calido (vt diximus) in se conuerso, & seipsum conficiente & ex- siccante. Duo igitur violentæ mortis possunt esse causæ naturalis defectu caloris, cum is aut extin- ctione (vt dictum est) aut exsiccatione corrumpitur & deficit. Mortem autem per naturam dicit esse illam quæ eiusdem exsiccatione accidit calidi, cum id longo æuo, & perfecto contingat ætatis termi- no. Istuc enim propter longitudinem temporis & perfectionem in litera expressam significare vult. Cum enim naturalis caliditas post vigoris siue status (vt dictum est) tempus hebetari & minui in- cipiatur, quoniam aër materiam illius circundans, id est humiditatem radicalem, cum illo simul eam exsiccare contendit: laboresque præterea coadiuuent, à motionibus cum corporeis, tum animalibus 60 prouenientes, quæ profecto necessariæ in vita esse videntur: naturæque ipsius iam fatiscen- tis & ad resistendum inualidæ concurrat defectus: humiditatum quinetiam externarum accedat co- pia, quæ assidue propter esculentorum poculentorumque indigestiones fieri animaduertuntur, quæ cum suffocando, tum opprimendo frigiditate copiaque sua calorem extinguunt innatum: Cum in- quam omnia ista post vigoris incipient statum, semperque augeantur, & in maius excrescant, exsic- catis omnibus membris, & terreis iam effectis, pulmonisque præcipue id patiente viscere, neque in opus suum amplius prodire valente, vltimo (vt dictum est) exspirat animal, naturali quodam mor- tis interitu, quum certe mortis imaginem placido simillimam esse somno non ab re poetæ cecinerunt, quoniã natura iam fatiscēte, & animæ nulla vi solutis vinculis, sine molestia, & nullo doloris accidat 60 sensu. Cæterum quoniam de mortis natura præsens institutus est sermo, nõ ab re esse duxerim si pau- cula quædã de Academicorū fontibus hausta hac super re in medium adduxero. Mortis enim illi satis

Duo corrupti-
onis modi.

Violētæ mors
tis g-nus.

Mors natura-
lis.

Digressiūcula
Academicorū
de morte sen-
tantia.

amplum esse voluere vocabulum, & ex eorum sanè numero quæ à philosophis æquiuoca appellantur: ordineque quodam suo (vt ferè in omnibus facere consueuere) hac quoque in re procedunt. Nanque secretas quasdam Dæmonum dixerunt esse mortes: alias autem partialium animorum: tum animalium alias, & animatorum corporum alias, diuerfas inquam & varias secundum generum diuerforum distinctos varietatis modos. Et Dæmonum quidem mortes, non omnium inquam, sed eorum qui per quendam naturæ dicuntur habitudinem, mutationes quasdam, & illorum cessationes esse voluerunt: imitarique huiusmodi appellatas in illis mortes dixerunt amictus cuiusdam siue indumentorum depositions. Quo sanè mortis genere, vt Plutarchus Cheronæus memoriæ prodidit, & Eusebius etiam Pamphilus scriptum reliquit, Tiberij Cæsaris tempore interijisse Pana magnum voluerunt: quod sanè Epitherfi cuidam notæ fidei viro, & Aemiliani (vt aiunt) rhetoris patri ex græcia Romam petenti, in ipso nauigationis cursu, ignoto quodam & nouo vocis è mari exeuntis indicio nunciatum fuisse scribunt. Nam de Heroum Nympharumque morte, quos mortales quidem, verum longæuos esse omnis consensisse videtur antiquitas, alia (vt opinor) est ratio, ab horum interitu Dæmonum longe disiuncta & separata. Et has quidem Dæmonum illorum esse mortes, veteres Academici prodidit. Partialium vero animorum mortes & interitus, eorum sanè in corpora ingressiones esse voluerunt: casumque vere, & animorum decidentiam illam non ab re mortem appellauere, quoniam corporum labe, illorumque affectionibus, animorum nitida inquinaretur & veluti interiret essentia, sordesceretque posthac, & quasi mortua, dignationis excellentiæque pistrinæ profunda obliuionis caligine teneretur. Animalium autem mortes, vt 10 ri illi corporis animæque disiunctionem & separationem esse dixerunt: quo sanè significatio nis modo mortem ferè omnes appellant. Corporum vero mortes esse dixerunt illius priuationem vitæ quæ in corpore vt in subiecto esse censetur. Aliud enim (vt diximus) esse animam, & aliud quidam vitam, Academicorum voluit schola: & animam quidem siue animum extrinsecus accedere asseruerunt: illius vero vitam esse actum, ceu luminis cuiusdam emanantem & diffusam collustrationem voluerunt. Quo sanè mortis genere, sideratorum & aridorum commortua quædam dicimus esse membra, quæ cum animæ actum, id est vitam, non recipiant & admittant, aliqua morbi intercedente causa, neque mouentur omnino, neque in opus exire suum amplius possunt. Cæterum latiori etiam quodam mortis vocabulo omnes sanè corporis mutationes variationesque, non solum eas quæ annorum decursu per confessos ætatis variantur gradus, sed eas etiam quæ per quotidiana tem 20 poris fiunt momenta, antiquorum plerique appellauere. Quapropter non immerito dicere solebat Socrates, ridicule admodum homines vnâ timere mortem, cū quotidie moriantur: & si recte perpendant, multis functos se fuisse mortibus meminisse possint. Quid enim aliud est ex infante fieri puerum, & ex puero adolescentem, nisi infantem corrumpi in puerum, & puerum in adolescentem: vt Homerum in Homeri corrumpi cadauer dicimus? Parique rationis modo dicebant quod adolescens in iuuenem, iuuenis in virum, vir autem adultus in senem proculdubio corrumpitur. Nihil enim vnum & idem perstare recte dixit Heraclitus, sed omnia continuo & perpeti labi defluxu: nosque ipsos multos esse factos, quanuis vnusquisque nostrum vnus esse credatur: quoniam circa imaginabilem quamdam magis quam veram vnitatis formam, refluat semper, & nusquam eodem consistens gradu, variatur materia. Quam certe rem vel ex hoc etiam perspicue dignosci posse dicebant. Quomodo enim si iidem semper fuimus, alijs nunc tenemur gaudemusque rebus, quam cum pueri vel adoles 30 centes eramus? Quòve modo contraria & pugnantia etiam vel amamus, vel odio habemus? Multaque insuper nunc admiramur, quæ prius negligebamus? Damnamusque pleraque quorum antehac miro studio tenebamur? Non sermones, non animi affectiones easdem habentes, quas prius habebamus? Quid quod neque corporis eundem habitum neque figuram aut mentem eandem possidemus? Profecto etenim dicebant diuersa pugnantiaque pati quempiam nulla intercedente mutatione, vero consentaneum non esse: neque si transmutatur quispiam, eundem omnino remanere posse. Quod si idem non perstat, neque idem est profecto, sed fit continuo alter ex altero. In huiusmodique re facilem decipi sensum dicebant, qui illud quod apparet, idem quod prius esse, falso iudicat & contendit. Hæc illi. Verum de his hæcenus. Quare ad literam reuertamur, in qua philosophus de ijs quæ dicta sunt, breuem sanè & perspicuum adducit epilogum: postremoque manifestam causæ subiungit explicationem, cumnam respirantia quidem in aquis coniecta, & quæ 40 aquas recipiunt, pisces videlicet in aëre constitutos suffocari & strangulatione interire contingit. Dicitque id illis nimirum accidere, quoniam respirantia quidem aëre refrigerari nata sunt, quo certe carere non possunt. sine enim illius auxilio ea interire necesse est. Pisces vero aqua refrigerationem capiunt: cuius priuati subsidio, haudquaquam viuere possunt. Quamobrem commutatis, inquit, locis huiusmodi, interire cernuntur animalia, quoniam proprijs & peculiaribus naturæ priuantur auxilijs. Animaduertendum autem esse censeo quod respirantia quidem in aquis coniecta & merfa strangulantur, quoniã celerrime non potest humor per omnes pulmonis ferri meatus, & calidum cito refrigerare conatum: quod sanè aër (vt dictum est retro) commode facere potest. 50 Pisces vero in aëre positi suffocantur & intereunt, cum branchiarum siccitate, tum quoniam aër sufficienter illos refrigerare non potest: quam rem illis nimirum præstare valet aqua. His ita constitutis & expositis, pollicetur quidem posthac causas rationesque subtexere & recensere motionis cum & .ij.

Dæmonum mortes.

Plutarchus. Eusebius.

Partialiū ante mortū mortes.

Animalium mortes.

Corporum morte.

Vitam animæ esse actum.

Quenam sit mors latissimo significato accepta.

Socrates.

Heraclitus.

Vnitatis formam imaginabilem potius esse quam veram.

quidam in aquis suffocantur: pisces vero in terris strangulantur.

branchiarum in ijs quæ aquas recipiunt animalibus, tum pulmonis in ijs quæ respirant: præterea quænam instrumenti, scilicet pulmonis, sit constitutio, quòve se habeat modo: quod tamen non mox facere videtur. nam prius quædam præmittit & interferit, in hunc ferè modum



Lria autem sunt quæ cordi accidunt, quæ eandem videntur habere naturam, cum tamen non habeant, palpitatione, pulsus, & spiratio. Et palpitatione quidem est impulsus calidi quod in illo est, ob excrementitiam refrigerationem, vel colliquatricem, vt in morbo qui appellatur palmos, & in alijs etiam ægritudinibus, necnò in timoribus. Etenim qui metuunt, supernis frigesunt partibus: calidum autem refugiens & contractum motum efficit, in angustum adeo aliquando compulsum, vt extinguantur animalia & intereant propter metum, & propter morbosam ægritudinem. Pulsus vero qui cordi accidit, quem semper & continuo efficitur videtur, similis est apostematibus cum motum cum dolore faciunt, quoniam præter naturam sanguinis est cõmutatio. Fit autem donec concoctus in purem transeat. Similis nanque feruori isthæc est passio. Feruor enim fit humido à calidi vi in vaporem conuerso. Effertur autem, quoniam maior efficitur tumor. Quies autem in apostematibus, si quidem non diffentur, crassiori facto humore est putredo: in feruore vero, cum à continenti fit effusio.

Consequens certe erat, ad ea quæ præmissa fuere, subiungere quemadmodum pulmones & branchiæ motu suo refrigeratione caloris innati in animalibus efficerent. nam & id pollicitus fuerat philosophus, & doctrinæ etiam series hoc ipsum exposcere videbatur. Verum ipse prius quædam interferit (vt diximus) quæ non minus ad præsentem rei notitiam necessaria esse videntur. Trium enim accidentium circa cor, naturam nos docet: quorum duo quidem naturaliter se habent, & in omnibus esse censentur animalibus, pulsus scilicet, & respiratio. Tertium vero, palpitatione videlicet & saltus, non naturaliter se habere censetur, neque omnibus, neque semper adesse animalibus, sed quibusdam interdum haud recte se habentibus ob morborum affectionumque quarundam causas, de quibus statim agetur. Dicit autem isthæc tria cordis accidentia videri quidem eandem habere naturam omnia, cum tamen non habeant: & videri quidem merito eiusdem esse naturæ, quoniam sanè omnia per motum fiunt cum attollentem, tum deprimentem. In cordis nanque palpitatione, quam saltum medici nouitij vocant: præterea in pulsu & respiratione, cum attolli & eleuari, tum deprimi & considere sentitur cor, omnesque illi contiguæ & vicinantes partes. Eiusdem autem non sunt naturæ motus isti, quoniam à diuersis (vt videbimus) efficiuntur causis: & illorum (vt dictum est) quidam sunt naturales, alij vero præter naturam. Quam rem vt ostendat philosophus, ab illorū descriptionibus initium facit, primumque cordis motum definit illum qui palpitatione dicitur: dicitque palpitationem cordis esse saltum, & impulsus quendam calidi quod in illo reperitur. ob excrementitiam refrigerationem, aut colliquatricem, vt in morbo qui palmos appellatur, & in alijs etiam ægritudinibus, necnò in timoribus. Pro quo animaduertendum esse censeo, quòd is cordis motus quem palpitationem siue saltum hic vocat Aristoteles, à frigidis fit superfluitatibus, quas excrementitiam hic appellat refrigerationem. Cum enim eæ in corpore superfluerint aliquo, & ad partes cordi vicinas peruenerint, qualitate sua calidum propulsant innatum quod in corde degit, impulsuque suo illud ex ampliori in angustiorem coarctant locum: conclusum autem illud & inualefcens, quod sibi obstat nimirum conatur expellere contrarium, cordisque penetralia quassat & concutit: quo certe ex motu ea fit passio quam palpitationem siue saltum appellant, & recentiorum etiam nonnulli tremorem vocant: quæ profecto pessimas febrium sequitur species, ab humoribus cum frigidis, tum etiam maleficis & noxijs effectas, quales in epidimæ temporibus accidere solent. quam sanè cordis affecti passionem (vt arbitror) ipse nunc vocat palmon, ceu specialem quandam morbi essentiam. *παλμός* autem græce palpitationem siue saltum siue titubationem quandam signare videtur. Dicit etiam non solū ab excrementitia frigiditate cordis fieri palpitationem, sed etiam à colliquatrice frigiditate, scilicet qualis nonnullorum censetur esse venenorū. Quòd autem eiusmodi etiam reperitur frigiditas, in

Tria cordis
motu esse
accidentia.

Cordis palpi-
tatione à frigi-
dis vel noxijs
fieri huius
morbus.

παλμός.
Colliquatrica
frigiditas.

- commentarijs de animalium generatione abunde est pertractatum. Hoc idem etiam accidere affectum cordis videlicet saltum & palpitationem, in timoribus & paoribus: cuius rei manifestam statim subiungit causam. Cum enim timor, mox futuri cuiusdam mali horribilis sit expectatio, calor innatus ceu naturæ recedens admonitu, & tuta petens, cordis intima veluti munitissimam ingreditur artem, ibique coarctatur, & inualefcens cordis sanè parietes impellit & cõcutit, illudque crebro motari facit impulsu. Licet autem manifeste ea in constitutione animaduertere, calidi abscessu extremas corporis frigere partes, quas ipse nunc supernas vocat. vnde sanè accidit quòd inuoluntariæ ventris deiectiones plerumque subsequuntur, & vrinæ exitus: adeoque (vt inquit) in exiguum quandoque huiusmodi ob causam connatum impellitur & coarctatur calidum, vt excellentibus paoribus nonnunquam, aut morbosa passione (vt retro dictum est de frigidis & noxijs humiditatibus) repentinò extinguitur animalia, nullamque aliam ob causam intereant, nisi vel extincto, vel exsiccato (vt retro dictum est) ipso connato calido. Ceterum post non naturalem cordis descriptum motum, quem palpitationem siue saltum vocauit, ad naturales eiusdem declarandas motiones se conuertit philosophus, primoque loco pulsus appellati indicat naturam, quem continuò & semper cordi adesse dicit, quoniam illius cõstriktione & dilatatione, quæ systole (vt dictum est) & diastole à medicis appellantur, iugi quadam ministerij opera calidum conseruatur innatum. Est autem pulsus (vt phisici definiuere) receptaculorū siue vasorum spiritus motio ex diastole & systole constans, ad regendam spiritus naturam per aërem attractum. Cum autem præcipuum spiritus receptaculum & domicilium ipsum sit cor, non immerito ipsum primo pulsare existimandum est: ab illoque postea arteriæ sanè pulsum capere percipiuntur: quæ proculdubio omnes cum venis etiam ipsis ab eodem exortus sui manifesta habent initia. Ipse autem hoc dicit in loco, ex manifesta declarans similitudine, pulsum illi motui esse similem quem apostemata siue abscessus efficiunt cum dolore. Quòd autem pulsent & saliant apostemata, præcipueque cum inflammationem habeant, cum locuples testis est sensus, tum omnes medicorum fatentur scholæ. Fiunt autem, vt Galenus in decimo Therapeuticæ suæ libro scribit, ipsi apostematum abscessus in membris, quando calentis sanguinis inflammatio, aut humoris alterius copia in aliquod corporis ingruerit membrum, quod statim vasis repletis, & id superflui capere non valentibus, intumescens, dolores facit & febres, quoad humor ille vel euaporet, vel in purem transeat, & marcescat. Similis igitur, inquit, cordis est pulsus, & is qui in apostematum inflammationibus fieri percipitur motus, nisi quòd iste quidem, inquit, cum doloris est præsentia (in omni etenim apostemate continui solutio accidit, quæ certe dolorem facit) cordis autem pulsus absque vilo est dolore. Dicit autem istam passionem, id est apostematum inflammationes, similem esse ebullitioni & feruori. Vt enim in ebullitionis feruore, calidi opera in vaporem exhalat humiditas, tumorque aquæ (verbi causa) efferuescentis eleuatur & attollitur, maiorque efficitur, & ampliorem occupat locum: ita in apostematum inflammationibus sanguis præter naturam in aliquod ingruens membrum, mox efferuescens illud intumescere facit, & sursum attolli. His ita constitutis, ad clariorem doctrinæ modum subiungit etiam quænam sit cessationis & quietis apostematum causa, & quæ ipsius feruoris: dicitque quòd cessatio quidem in apostematum inflammationibus accidit, cum ea quæ non exhalauerit humiditas, crassescit, & ad purem transit: & hoc (vt videtur) ab Hippocratis transtulit oraculo philosophus, dicentis, Circa generationem saniei dolores fiunt & febres, quæ nimirum facta cessant sanie. Feruoris autem inquit cessationem statim sequi, cum efferuescentis corporis à continenti fit effusio, id est cum in tantum feruore attollitur ille humor, vt lebetis (verbi causa) siue alterius vasis transfiliat latera, quæ nunc continens & terminans vocat, & extra transfundatur.

IN corde autem humiditatis tumor ob caliditatem quæ ex alimento semper accedit, pulsum facit, quæ vltimam cordis eleuat tunicam: & hoc semper fit, & continuo. Semper enim & continuo confluit humidum, ex quo sanguinis fit natura, cuius prima in corde est origo. Palam autem id est in illius generationis initio. Non dum enim distinctis venis sanguinem habens cernitur: & eam ob causam adolescentibus salit magis quam senioribus. Fit enim iunioribus amplior exhalatio, & omnes pulsent venæ, & mutuo ad se inuicem, quoniam ex corde pendent. Mouet autem semper cor, quare & illæ semper, & simul inuicem, cum mouet. Resultatio igitur est repulsus ad frigidi compulsus factus: pulsus autem humidi excalfacti in spiritum conuersio

& .iij.

De timore.

Pulsus.
Diastole.
Systole.Galenus de
apostematum
generatione.

Hippocrates.

Quia retro (vt vidimus) dixerat philosophus cordis pulsum similem illi esse pulsationi quæ in apostematum inflammationibus fieri cõsuevit: illiusq; etiam generationis nos docuit modũ: & cum præter naturam is sanè sit pulsus, cessationis etiam illius causam in illis subiunxit: iccirco conuenienti doctrinæ ordine hoc in textu de naturali cordis verba faciens pulsu, & in superioris persistens similitudinis ratione, quomodo, & à quibus fiat, manifeste admodum & breuiter declarare contendit. Dicit igitur in corde pulsum efficere humiditatis illius accessum & præsentiam, quæ pro illius alimento à cibis & potibus semper veniens, attollitur certe & intumescit, extremamq; cordis extendit & eleuat tunicam. Cum enim (vt dictum est sæpius) connatus in corde commoretur & degat calor, semper profecto in accedens ad illud nutricandum agit alimentum, digeritq; illud, & subtile reddit, rarumque sanè efficit: quod postea tumidum effectum, vltimam certe cordis pulsat tunicam, vicissimq; residet, vltra procedere non valens. Ex quo sanè duplex illa pulsus efficitur ratio, systole scilicet, & diastole. idq; continuò per vniuersam animalis agitur vitam. Namq; (vt sæpenumero commemoratum est) eousq; viuit animal, quousq; ali contingit. Donec autem alitur, semper profecto ad cor confluit alimentum, ex quo fit sanguis. quousq; autem alimentum confluit, cordis fit pulsus. Donec igitur viuit animal, cordis fieri pulsum necesse est. Quemadmodũ enim si quispiam (verbi causa) in candentem & ignitam ferri massam paucillum aquæ superfuderit, simul illam tangit humor, & continuo in aërem vertitur: ita ex alimentis ipsis crassior certe exhalatio ad cordis nutricationem continuò & semper accedens, connati opera calidi eo loci degentis, subtilis certe redditur, & maiorem occupans locum, extimæque cordis ingruens tunicæ, & inde prohibitus, regrediens & residens, illius sanè pulsum eo quo diximus modo efficit. Ex alimento autem sanguinem primo in corde fieri dicit, à quo certe ad omnia corporis postea deriuatur membra: idq; sensus testimonio comprobare contendit. Palàm enim est, inquit, ex anatomicis sectionibus, in ipsis generationis initijs, cum neq; venarum adhuc fistulæ, neq; alia animalis conformata sunt membra, cor nanq; primum efficitur, in ipso sanguineam apparere humiditatem, quæ à calidi nimirum rarefacta vi, continue in illam agente, attollitur & pulsat, naturalisq; illius & continui motus, qui pulsus appellatur, est causa. Connatum igitur calidum in alimentum iugiter agens, naturalis principium est pulsus, instrumentale inquam. nam operum omnium in animalibus (vt aliquotiens dictum est) principalis siue formalis causa ipsa est anima, quam altricem & sensitiuam sæpenumero denominauimus, quæ sanè inseparabilis corporis est forma. Materialis autem pulsus causa, rarefactum est (vt diximus) à calido alimento, quod cordis pulsat parietes, & cum extollitur, tum vicissim residet, dilatationisque & constrictionis facit motus. His de pulsus modo & causis ita constitutis, corollarij adducit loco philosophus causas variorum ex ætatis diuersitate pulsuũ, dicitq; in iunioribus & adolescentulis pulsare magis & emicare cor, quàm in senioribus: quoniam exhalatio in illis crassa, id est humiditates illæ quæ ab alimentis ad cordis nutriendam substantiam deuoluuntur, copiosiores certe existunt: & splendendum, calidum etiam innatum valentius, & vegetior actio in illis est quàm in senibus. Quapropter omnibus certe ijs vegetis & integris existentibus, minime mirandum est si maiores & crebriores in iunioribus etiam fiant pulsus, quàm in senioribus. Subiungitque postea quòd non solum cor salit & pulsat, sed omnes etiam per vniuersum corpus simul venæ. id enim signare videtur, & mutuo ad se inuicem, in litera positũ. Simul enim omnes pulsant venæ, alia autè alia insignius aut obscurius. Istuc autem non ab re, quoniã omnes à corde (vt sæpius dictum est) prima exortus sui habent initia. Principio autem moto & origine, ea nimirum moueri omnia quæ inde pendent, necesse est. Illud autem, Et simul inuicem cum mouet, hunc sanè habet sensum, quòd venæ scilicet siue arteriæ, sanguinisque & spiritus receptacula & vasa, simul mouentur omnia cum mouet, id est quando crassa illa exhalatio siue spiritus ipsum mouet cor, & illud postea venas & arterias commouet. His ita positis & ostensis, breui, vt sui moris est, colligit epilogo quæ de duobus cordis motibus hucusq; fuere præmissa, palpitatione videlicet, & pulsu, vt se ad tertiã illius motionẽ, respirationis scilicet explicandã operã, consequenter accomodet. Cæterũ hic animaduertendũ esse censeo qd in hoc epilogo quauis recenset philosophus duos illos motus quorum alter sanè natura constare censeatur, alter vero præter naturam esse percipitur, non tamen ijsdem vtrobicq; vtitur vocabulis. Retro enim non naturalem illum cordis motũ ab excrementitia (vt dixerat) frigiditate confectum, palpitationem siue saltum appellauit: hoc autem in loco resultationem vocat. Et profecto si rei diligenter perpendatur veritas, non eadem peritus esse videntur palpitatio siue saltus, & resultatio, vt totum & pars merito non idem esse censeatur. Palpitatio enim siue saltus (vt ex Aristotelis perspicere verbis licet quæ statim explicabimus) resultationis, quã ἀνασπασίσιον vocat, pars quædam esse videtur. Saltus enim siue palpitatio (vt retro visum est) calidi in corde est compulsus propter excrementitiam frigiditatem, vel colliquatricem: quo certe in casu frigiditas quidem calidum compellit innatum, illudque coarctat & compingit: compulsus vero illud, cor impellit, saltumque in illo efficit, & palpitationem. Resultatio autem (vt ipse hic inquit) est repulsus quidam ad frigidum ipsius compulsus: quæ (vt videtur) hoc fieri appareret modo. Compellitur innatum calidum ab excrementitia (vt dictum est) frigiditate, & in angustum coarctatur locum: quod certe constrictione inualescens illa, & vires assumens, rursum ipsam repellit frigiditatem, fitq; vicissim contrarius priori motus, repellentis scilicet calidi, & frigiditatis repulsæ: vt in priori certe motu frigiditas quidem impellebat, calidum vero pellebatur. Fit igitur

A quonã cordis naturalis fiat pulsus.

Quomodo fit pulsus.

Sanguinẽ primum in corde fieri.

Quatuor causarum in pulsibus genera.

Cur iunioribus q̄ senioribus maiores sint pulsus.

Saltus. Resultatio. ἀνασπασίσιον.

hoc in casu motio quædam ex duobus contrarijs cõposita motibus, quam peculiari vocabulo hoc in loco ἀναρσισις appellat, nos resulatione inuertimus, vt verbum de verbo exprimeremus, quãdo in præsentia aptius nobis nõ arrisit verbum.

Respiratio autem fit cum augetur calidum, vbi altricis anime est principium. Nanque vt alia alimento indigēt, sic & illud, & quidem magis quàm alia. id nanque alijs vt alantur, est causa. Necessesse igitur est cum maius efficitur, instrumentum attollere. Existimare enim oportet instrumenti illius habitum follibus similem qui in ærarijs sunt officinis. Haud enim multum distat quin pulmo & cor tali constēt figura. Bifidus enim esse debet, quoniam in medio virtutis naturalis altricem vim esse oportet. Attollitur ergo maius factum: illo autem elato, circuniecctam ei partem attolli necesse est: quod sanè spirantes facere videntur. Attollunt enim pectus, quoniam in illo existens partis huiusce principium, id ipsum facit. Elato enim, tanquam in folles aërem extrinsecus admittere necesse est: qui cum frigidus sit, & refrigerandi vim habeat, ignis sanè exsuperantiam restinguit. Et quemadmodum illo ex crescente hæc attollebatur pars, sic decrescente consistere necesse est: quæ depressa ingressum vicissim aërem exire cogit: qui ingrediens quidem frigidus est, exiens vero calidus propter calidi contactum quod in hac consistit parte: in illisque præcipue quæ sanguine refertum habent pulmonem. In multas nanque quasi canalium incidere fistulas necesse est, quæ in pulmone sunt: quarum penes vnãquamque extenduntur venæ: vt vniuersus sanè videatur esse pulmo sanguine plenus. Et aëris quidem ingressus inspiratio vocatur, egressus autē exspiratio: & semper id continuoque fit quoad viuit animal, moueritque id continuo: ea propter inspiratione & exspiratione ipsa consistit vita.

Quod retro pollicitus fuerat, hoc philosophus perfoluit in loco, refrigerationis ostēdēs modū, quo cū respirantia vtuntur animalia pulmonis media & sequestre natura, tum aquas in se recipientia intercedentibus branchijs. Primumq; de refrigerio agit, quod per aërem fit inspiratum. Postea vero de ea etiam pertractabit refrigeratione quæ omnibus pulmone contentibus conuenit, & per aquæ fieri ingressum apparet. Dicit igitur respirationem fieri cum augetur calidum in quo virtutis altricis est principium. Quod autem in ipsa cordis arce vbi connatum est calidum, alrix collocetur anima, quam hic principium appellat, quasi forma quædam in materia, & ab illa inseparabilis, sæpenumero retro à nobis est declaratū: quamobrem hac de re prolixior in præsentia non habendus est sermo. Cæterum (vt arbitror) ante superioris explicationem literę pauca quædam percurrere non erit fortasse malum quæ philosophi hac de re sententiam meo quidē iudicio non incommode aperire & expedire poterunt. Sunt autem huiusmodi, q̄ conatum in animalibus calidū, quasi ignis quidam eousq; alitur, quoad vsq; illi alimenti non deficit materia. Alitur autem (vt retro dictum est) ab exhalatione illa, siue vaporoso spiritu, qui ab alimentis ad ipsum trãffertur cor, à quo illius sanè fieri pulsus diximus. Nutritum autem huiusmodi calidum, continuo (vt par est) augetur: auctū vero pulmonis certe ipsius excrecere facit calidū, ob illam quam ad se inuicem habēt communitatem. Nam (vt retro dictum est) perterebrati à corde ad pulmonem sunt meatus, & semitæ quædam veninerviæ, quibus intercedentibus cordis sanè cõmunicat spiritus illi qui in pulmonibus degit spiritui. Pulmonis autem calido aucto, ipsum etiam pulmonem augetur necesse est. Porro quemadmodum in ærarijs officinis extrinsecus subintrās aer folles extollit & eleuat, sic à corde ad pulmonē deriuatum calidum attollere & intumescere pulmonis facit naturā: in quo certe elationis opere extrinsecus proculdubio ingreditur aer actu frigidus: qui calidum primo quod in pulmone degit, con-

&.iiij.

Digestionis
la respirandi
necessitates &
causas referās

tactu alterat suo, illoque medio calorem in corde collocatum refrigerat. Cordis autem refrigeratus calor constringitur sanè, & ex ampliori ad minorem coarctatur locum: illo vero constricto, ipse etiã constringitur & cadit pulmo. Sicut enim attollente se calido eleuabatur & intumescerebat pulmo: ita profecto cõcidente illo cadit & residet. Cadēs autē is prius ingressum ei aculatur aërē, illumq; à se expellit, nõ amplius frigidum, sed calentē, propter calidi (vt inquit) cõtractū: cui cū in pulmonis meatibus & fistulis, tū in ipso corde fuit obuius. Animaduertere autē hoc oportet in loco, q̄ pulsum quidē efficit exhalationis illius de qua retro dictū est, in spiritū cõuersio & trāsitus: respirationē vero, ipsius calidi nutritio: quæ sanè in spiritū exhalationem conuertit. Prius enim in spiritum transit exhalatio, & postea calidi fit alimentum: cum quo etiã spiritus est eleuatio: sed quoniam præcedit quidē spirituitationem (hoc enim vtar nunc vocabulo, vt græcū illud πνευματώσις exprimeret coner) ipsa, nutritio: illā alia etiã præcedit spirituitatio: istoq; modo alia semper ante aliam, velociterq; adeo, vt illarum celeritatem nulla æque valeat subsequi ratio: idcirco omnia simul fieri existimantur: quæ non simul (vt diximus) sed vicissim & successiue continuò fiunt. Ceterum id obiter sit dictum. Vnde discessimus igitur reuertamur. Egresso igitur per expirationem (vt diximus) aère calido, sub ipso rursus necesse est, imò cum ipso expirandi opere ipsum attolli calidum: quamobrem pulmonē etiã ipsum extolli & eleuari necesse est, & respirationē, id est inspirationem eo quo diximus modo rursus fieri: idq; continuatis semper vicibus per vniuersam animalis vitam accidere. Et hæc tenus quidem ad philosophi explicandam hoc in textu sententiam isthæc prælibasse sufficiat. Ad literam igitur accedamus. Quemadmodum enim, inquit, alimento alia indigent omnia, ita etiam illud, id est connatum calidum, imò etiam magis q̄ alia eo indiget subsidio, quoniã ipsum causa est vt alia alatur omnia. Si ne calido enim neq; cõcoctiones fiunt vllæ, neq; additiones, neq; assimilationes: & omnino absq; illo nullum altricis animæ constat opus. Nutritum igitur & maius effectum calidum, necessario ipsum eleuat & attollit pulmonem: quem hic, vt retro etiam, instrumentum appellat, ideo, quoniã ad refrigerandi opera eo anima peculiari vtitur instrumento. Instrumenti autem nomine (vt in Therapeuticis suis voluit Galenus) omnia recte vocari possunt membra quæcunq; perfectum quippiã efficiunt opus: vt visus instrumentum dicimus oculum: sermonis vero, siue loquelæ, linguam. Hoc autē instrumentum, id est pulmonem, cum corde non immerito fabrorum ærariorum follibus assimilatur, neq; distare ab illorum constitutione & forma asserit: quoniam sicut illi attolluntur & residet, & cū aërem admittunt extrinsecum, tum eundem per vices amandant & expellunt: ita cor & pulmo per diastolē & systolē, id est dilatationis constrictionisq; motus aërem sanè extrinsecus recipiunt frigidum, rursusq; eundem calentem extra se pellunt. Bifidam autem cum cordis, tum pulmonis (vt arbitror) dici esse naturam, vt in medio sit nutritium, id est altricis animæ vis: cuius id sanè naturale est opus. Istuc autem, quoniam cor quidem medium habet sinum, quem ventriculum vocat, à quo determinari certe & bifariam diuidi censetur. quo sanè in loco altricis sensitiuæq; vires collocari antiquiores voluerunt physici. Pulmo autē cordis vndiq; complexus essentiam, vt illi vnde quaq; refrigerationis ferat auxilium, bifidus etiam & duplex esse cõsetur. Et profecto id viscus (vt ex dissectionibus animaduertere licet) in omnibus ferè bifariam sectum & diuisum est animalibus. quod sanè in volucrum genere (vt ipse in historijs prodidit) manifestissime cernitur, in quo certe gemini hinc inde visuntur pulmones. In litera autem vbi posteaquã dixit respirantes attollere pectus, subdit, quoniam in illo existens partis huiusce principium id ipsum facit: per principium, ipsum (vt videtur) intelligit calidum, quod eleuatum, ipsum eleuat & attollit pulmonem: quem, vt aliquoties retro fecit, partis nomine hoc appellat in loco. Subiungit postea, ex manifesta follium similitudine rem sub oculis ponens, inspirandi expirandiq; rationē, eo quo diximus modo. Cuius certe rei, cum ex perspicua illius elocutione, tum ex ijs quæ paulo ante præmisimus, clarissima sanè est descriptio. In qua etiam à quoniam ingressus calidus aër, nos docet, per cõtractum scilicet calidi cū in pulmone, tū in corde ipso degentis: & in ijs præcipue animalibus quæ plurimo sanguine præditum habent pulmonem. Penes enim illius fistulas quæ vniuersum illius perforant corpus, sanguine plenas extendi dicit venas, quæ certe illum sanguine redundantem faciunt. Postremoque contrarijs illis naturæ motibus, tanquam egregius nomenclator, conuenientia sanè & peculiaria apponit nomina: & aëris quidem ingressum, frigidi respirationem siue inspirationē appellat: illius vero calidi egressum, expirationem: hosque semper & continuo fieri dicit motus, quoad viuunt animalia: & hæc pars, pulmo videlicet, mota mouerit: quoniam in ijs naturæ contrarijs motionibus nimirum est vita, & sine ijs extendi & perdurare non potest.

Hodem etiam modo piscibus branchiarum fit motus. Cum enim calidum quod in sanguine est, attollitur partiū mimisterio, branchiæ efferuntur, & illabitur aqua: quæ simul ac per meatus ad cor descenderit, & ipsum refrigerauit, confidunt, & aquam emittunt. Cum autem id quod in corde est, semper attollatur, denuo semper recipit refrigerationem. Quamobrem vt illis in respirando vitæ & interitus est ter

Calidū vniuersis
 fit vt alantur
 esse causam.

Galenus.
 Quid proprie
 fit instrumentum.

In medio cordis
 sinu altricem
 & sensitiuam
 collocari
 animam.

die hierzu gehörigen beigefügten
Stücke sind verheftet - s. nach dem
Werk "Alex. Aphrod."

minus: sic ijs in humore recipiendo. Et de vita quidem, & morte, & de ijs
quæ huic cognata sunt disquisitioni, ferè omnibus, dictum est.

Refrigerationis modū hoc in textu, & huius libelli termino refert philosoph⁹, quo sanè nō re-
spirantia refrigerari censentur animalia: quem similem quodammodo esse dicit illi qui in re-
spirantibus & pulmonē habentibus animalibus fieri percipitur. Eleuato enim calido, inquit,
quod in sanguine est, à vicinis & contiguis partibus eleuantur & attolluntur branchiæ in piscium ge-
nere: illis autem elatis, quemadmodum in respirantibus calido eleuato pulmo sanè extollebatur, aër
que admittebatur frigidus: ita branchijs (vt diximus) eleuatis introrsus recipitur aqua, meatusque &
semitas ad cor deducentes permeās, calentem piscium refrigerat spiritum: quo satis refrigerato, & in
angustiore locum compacto, rursus ipse confidunt branchiæ, receptaq; prius euomunt aquam, vt
10 in respirantium genere confidens pulmo calentem extra se pellit aërem. Animaduertendum autē est
nonnullorum esse sententiam physicorum, aquæ substantiam in hoc naturæ opere ad ipsa pisciū non
penetrare corda. In nullo enim animalium genere, dignitate & excellētia sua, materialis & extrinse-
cæ rei sine perniciofa lesione contactum patitur cor. Sed hoc intelligendum esse in loco dicunt, quòd
aqua contactu suo piscium refrigerans sanguinem, illo sanè medio cordi vicinas partes, & calidum
quod in illo est, refrigerare censetur. Hocque vicissim fit, inquit, in piscibus, vt attollantur & rursus
confidunt branchiæ, aquas modo in sese recipientes, modo emittentes & eiectantes, quemadmodum
in respirandi opere de pulmone dictum est, qui aërem extra recipit frigidum, eundemq; excafactum
& ad refrigerandum non amplius idoneum amandat & expellit. Quamobrem inquit cum in respi-
20 rantibus omnibus, tum in ijs quæ aquas admittunt, hos duos contrarios naturæ motus, illorum cum
vitæ, tum interitus esse causas, cum recte scilicet & naturaliter fiant, aut certe non recte siue perperā
efficiantur, aliquove præpediantur modo. Breuē postea in libelli calce subiungit epilogum, asserēs
se de vita & morte pertractasse, & de ijs etiam quæ eiusmodi disquisitioni sunt cognata: per illa (vt
arbitror) intelligere volens cum iuuentutem & senectutem, tum etiam ipsum de respiratione sermo-
nem, de quibus sanè (vt vidimus) simul est pertractatum. Et iste (vt opinor) commētarioli huius
conueniens sanè & commodus videtur esse finis. Nam tres illæ aut quatuor lineæ quæ in græcis ex-
emplaribus huic epologo continenter leguntur annexæ, vbi de sanitate & morbo verba facere incipit
philosophus, mihi ad hunc pertinere libellum haudquaquam videntur, sed potius commentarioli
de sanitate & morbo esse initium, quem proculdubio philosophus cōscripsisse dicitur: cuius certe res-
30 siduum temporum iniuria deperierit: id autem ipsius fortasse compertum exordium, huic adiunctū
fuisse libello crediderim, quoniam recto doctrinæ ordine, de sanitate & morbo sermones hunc sequi
commentariolum, vero consentaneum est.

Aquæ substā-
tiā in piscium
refrigeratio-
ne cor non at-
tingere.

Libellus de
sanitate &
morbo.

F I N I S.

PARISIIS EX CHALCOGRAPHIA LVDO.
VICI CYANII GANDAVI, IMPENSIS
SIMONIS COLINAEI.
MDXXX.

motus. Cum eni
mimisterio. pro
lac per meatus a
am emittit. Can
no semper capi
que & inuenerit